PARIS. — IMPRIMERIE Vve P. LAROUSSE ET Cie
19, RUE MONTPARNASSE, 19

TOBIAS LOHNER

BIBLIOTHECA

MANUALIS CONCIONATORIA

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA

NOVIS TITULIS ADAUCTA, SENTENTIIS SS. PATRUM ET DOCTORUM ILLUSTRATA
SIMILITUDINIBUS, MOTIVIS, MEDIIS ET DOCTRINIS ASCETICIS LOCUPLETATA
INGENIOSIS PRO FORMANDA CONCIONE IN OMNIA THEMATA CONCEPTIBUS REFERTA
AC INDICE CONCIONATORIO
IN EVANGELIA FESTORUM ET DOMINICARUM, NECNON INDICE GENERALI ADORNATA

EDITIO NOVISSIMA ET ACCURATISSIME EMENDATA

AD COMMODIOREM USUM IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA

CUI ULTIMO ACCEDIT OPUSCULUM

INSTRUCTIO PRACTICA DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI ET CATECHIZANDI

TOMUS PRIMUS

A-D

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCLXXX

BIBLIOTHECÆ

MANUALIS

CONCIONATORIÆ

ABNEGATIO SUI IPSIUS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.— Est juxta S. Basilium summa rerum omnium vitæ superioris oblivio, atque a suis voluptatibus recessio. S. Basil. in reg. fusius disp.

Quasi diceret, inquit Julius Fatius, Abnegationis proprium munus est, delere ex mente nostra affectu plenam memoriam rerum sæcularium, et abducere nos ab amore, affectuque inordinato erga nos ipsos. Julius Fat. *de Mortif.* c. ix.

Quod ipsum etiam confirmans S. Bernardus: Quid est, inquit, semetipsum abnegare, nisi voluptatibus propriis renuntiare? S. Bernard. s. vii *de Convers. ad sororem.*

Divisio. — Dividitur in abnegationem *carnis*, et *spiritus;* illa est, per quam carni negamus, quod contra legem divinam, ac rationis rectitudinem postulat; de qua sic loquitur Cassianus: Post rerum externarum renuntiationem, illud est cunctorum luctaminum veluti quoddam solidissimum fundamentum, ut primitus carnalium desideriorum incentiva perimantur; nam nullus, carne non devicta, legitime poterit decertare. Cassian. l. V *Instit.* c. xvi.

Abnegatio spiritus est, qua animæ negatur, quod inordinate appetit; et iterum in abnegationem *intellectus* et *voluntatis* subdividitur: nam in corde, teste S. Bernardo, duplex est lepra, propria voluntas, et proprium consilium; lepra utique nimis pessima, eoque perniciosior, quod magis interior. S. Bern. s. iii *de Resurrect.*

Actus. — Hos P. Ludovicus de Ponte, ut in vita ejus manuscripta videre est, assignavit, dum sic loquitur: Abnegationem perfectam cognovi, in magna vigilantia ad sentiendum motus inordinatos animæ, et ad reprimendum statim, et castigandum nos pro illis. Sicut fortis miles viso hoste eum aggreditur, et necat, et timorem incutit aliis, ne accedant; ita est genus pietatis, in hac parte, secum esse crudelem. Lanciz. opusc. x, c. xv.

Hæ motuum inordinationes rediguntur ad quatuor.

Prima inordinatio est in cogitationibus et imaginationibus de rebus noxiis, vel vanis, vel impertinentibus illo tempore, vel cum nimia sollicitudine.

Secunda est in affectionibus et in volitionibus rerum prohibitarum, uti sunt affectio superbiæ, iræ, invidiæ et aliæ; vel quoad modos prohibitos, uti est turbatio, vel inquieta propensio ad concionandum, sciendum, et circa officium proprium.

Tertia est in repugnantiis erga opera

virtutum, cum tepiditate annexa circa illa, uti sunt opera cultus divini, obedientiæ, amoris proximorum.

Quarta est libertas sensuum, in videndo, audiendo, loquendo, exeundo ad has res cum impetu, curiositate, libertate, etc. Quod si in his quatuor generibus inordinationum me mortificabo et negabo, tollam impedimenta unionis cum Deo, et perfectæ familiaritatis cum illo, et potero dicere : Introduxit me Rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Si quis vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Matth. xvi, 24.

Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te ; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Matth. v, 29.

Necessitas. — Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. I Cor. ix, 27.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccl. xviii, 30.

Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem : ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit, qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum. Jer. iv, 5.

Utilitas. — Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joan. xii, 24.

Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ib. 25.

Dignitas. — Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis. Gal. v, 24.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Semetipsum abnegat, qui mutatus ad meliora incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat. Quia licet homo quoad substantiam suam manet idem qui ante, quoad animi tamen qualitatem oportet ut mutetur, et fiat alius homo. S. Greg. *Sup. Ezech.*

Qui sunt violenti illi, qui regnum cœlorum rapiunt ? nempe illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili, omni se præsentium rerum voluptate fraudant, et voce dominica egregii direptores pronuntiantur, et per ejuscemodi rapinam regnum cœlorum violenter invadunt. Isti sunt profecto laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, et, ut expressius dicam, executio voluntatum, desideriorum que nostrorum. Cassian. coll. xxiv, c. xxvi.

Vere magni animi est, quasdam injurias negligere, nec ad quorumdam consortia aures vel linguam habere.

Illud est magnificum, si subjectus contumeliis, judicium Dei laudes; si vexatus ægritudine, judicio Dei deputes; si te inopia premit, non revocet quominus laudes judicium Dei.

Magna virtus est si non lædas a quo læsus es; magna virtus est si cui nocere potuisti parcas : nobile vindictæ genus est ignoscere victo.

Contemne divitias, et eris dives; contemne gloriam, et eris gloriosus; contemne supplicia inimicorum et tunc eos superabis.

Necessitas. — Nemo in cœlestem thalamum coronatus ingreditur, nisi qui primam, et secundam, et tertiam negationem impleverit, ut scilicet primo renuntiet rebus omnibus humanis, et parentibus; secundo voluntati propriæ ; tertio inani gloriæ, quæ solet obedientiam subsequi. S. Clim. gr. ii.

Nisi quis a semetipso deficiat, ad Deum, qui supra se est, non appropinquat. *Glossa sup. Luc.*

Dignitas. — Omnes homines sumus ad imaginem Dei : illud autem *ad similitudinem* illorum tantum est, qui per multam charitem, libertatem suam Deo in servitutem addixerunt. Quando enim non sumus nostri, tunc similes sumus ei, qui nos sibi per charitatem reconciliavit. S. Diadoch. c. iv.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Necessitas. — Fili, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges temetipsum ; compediti sunt omnes pro-

prietarii, et sui ipsius amatores, cupidi curiosi, gyro vagi, quærentes semper mollia, non quæ Jesu Christi, sed hoc sæpe fingentes, et componentes quod non stabit; peribit enim totum, quod non est ex Deo ortum. Lib. III, c. XXXII, § 1.

Adhuc multa habes ad relinquendum, quæ, nisi ex integro mihi resignaveris, non acquires quod postulas. Ib. § 2.

Quandocumque homo aliquid inordinate appetit, statim inquietus fit. Lib. I, c. VI, § 1.

Homo, qui necdum perfecte in se mortuus est, cito tentatur, et vincitur in pravis et vilibus rebus. Sæpe habet tristitiam, cum se subtrahit : leviter etiam indignatur, si quis ei resistit. Ibid.

JUCUNDITAS. — Resistendo passionibus invenitur pax vera cordis, non eis serviendo. Ib. § 2.

Tene breve et consummatum verbum : dimitte omnia, invenies omnia; relinque cupidinem, et invenies requiem. Lib. III, c. XXXII, § 1.

Utinam sic tecum esset, et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure stares, et ejus quem tibi præposui, Patris, tunc mihi valde placeres, et tota vita tua in gaudio et pace transiret. Ibid. § 3.

UTILITAS.— Fili, quantum a te vales exire, tantum in me poteris transire. Sicut nihil foris concupiscere, internam pacem facit; sic se interius relinquere, Deo conjungit. Volo, te perfectam addiscere abnegationem in voluntate mea, sine contradictione et querela. Lib. III, c. VI, § 1.

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS. — Salamanus cum prius in sua domuncula sine ullo humano consortio vixisset, Episcopo domum ejus ingrediente, et manum pro sacerdotio imponente, nihil resistit. Deinde cives vici, ex quo erat, proficiscentes ad alium locum, cum noctu fluvium trajecissent, et domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem, nec jubentem, in suum vicum exportarunt, et in domuncula incluserunt, ubi ille similiter quietem agebat, cum nullo loquens. Paucis autem post diebus, qui erant illius vici, qui est e diverso, cum noctu rursus aggressi essent, et domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentem, nec, ut maneret, urgentem, neque rursus prompto et alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mortuum mundo constituit. LANCIZ. opusc. X, c. XIV.

S. Maria Magdalena de Pazzis adeo in hac abnegatione profecerat, ut ne quidem Spiritum Sanctum, desiderio ex propria voluntate orto, desiderare vellet. Hinc dicebat : Nolo ipsum desiderare ex meipsa, tanquam a meipsa; quia nolo habere ullum desiderium, et audebo dicere, imo dicam : quamvis illud desiderium mihi daret, ut per illud voluntas mea fieret, et non illius tanquam illius, et non tanquam mea; etiamsi in hoc esset ejus voluntas, sed illa non esset principaliter, imo totaliter ejus, nullo modo vellem esse contenta. Atque ita bonum, quod ad me venit non per hanc viam puræ solius Divinæ voluntatis, non mihi videtur bonum. LANCIZ. opusc. X.

De monachis Ægyptiis testatur Cassianus, quod adeo voluntatem suam abnegarint, ut, quæcumque fuerint a Præposito præcepta, tanquam a Deo sint cœlitus edita, sine ulla discussione complere festinent, et nonnumquam etiam impossibilia sibi impetrata ea fide ac devotione suscipiant, ut tota virtute ac sine ulla hæsitatione perficere ea nitantur, et ne impossibilitatem quidem præcepti pro senioris sui reverentia metiantur. CASSIAN. lib. III *Inst.* c. X.

Abbas Nestero, ingressus Religionem apud se dicebat : Ego et asinus unum sumus : posthac debeo esse, sicut ille; quidquid ei imponitur, hoc portat, et sine mora quidem, non petens, quare, aut ad quem finem ei imponatur. Vide plura, maxime de nostris hominibus in V. Mortificatio § 5 et 6. *Vit. PP.* 1. *de humil.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut æger aut cliens, ubi a medico vel advocato deceptum se advertit, illorum consilia merito respuit; ita cum nos quoque a judicio et voluntate nostra toties deceptos esse sciamus, merito deinceps fidere amplius non debemus. FATIUS, c. XII.

NECESSITAS. — Sicut lapso et jacenti in luto ad hoc, ut abstergatur et emundetur, non satis est surgere, sed postquam surrexit, requiritur, ut sordes illas, quæ vestibus inhæserunt, excutiat; ita illi, qui multis annis in cœno proprii amoris ac voluptatum hujus mundi immersus jacuit, non sufficit sur-

gere et emergere ex hoc cœno, relinquendo mundum, et ea, quæ in mundo sunt ; sed necesse est, ut etiam sordes a se excutiat, et maculas, id est, affectus mundanos eluat. FATIUS, c. IX.

Sicut patrefamilias peregre abeunte, mox canes domestici hac illac insolenter vagantur, importunis latratibus omnia complent, et morsibus quosvis obvios aggrediuntur ; ita cum anima foras evagatur, et negligit ea quæ sunt sui muneris, mox veluti protervi atque importuni canes ex diversis partibus libidines corporis foras se dant, et vehementer in ipsum oblatrant, ac variis modis dilacerare conantur. S. BASIL. in *Const. monast.*

Sicut equus aufugiens, qui capistrum adhuc capiti obvolutum habet, facile implicatur, capiturque, et in stabulum antiquum reducitur; ita et is, qui a mundo fugit, nisi etiam a capistro affectuum mundanorum sit liber, facile iterum antiquis cupiditatibus irretietur, et tandem omnino iterum ad mundum retrahetur. FATIUS, c. IX, *de Mort.*

UTILITAS. — Sicut equus, licet indomitus et effrenis, si tamen peritum habeat equitem sibi insidentem, nemini nocet, ipsum vero equitem cito, facileque viam suam decurrere facit ; ita corporis vivacitas ei, qui ad eam refrenandam animum promptum ac vigilantem habet, non modo non obest, sed potius plurimum juvat ad viam perfectionis celeriter ac suaviter decurrendam.

Sicut obturatis fontibus præcipuis aquæ largiter fluentis, mox omnes etiam rivi ab illis promanantes exsiccantur; ita ex abnegatione voluntatis et judicii proprii, abnegatio omnium aliarum passionum et affectuum in anima nostra repugnantium procedere solet.

ASCETICA.

Cum hæc abnegatio sit unum ex præcipuis mediis, quibus ad perfectionem tenditur et pervenitur ; ideo plurimum quoque conari debet Asceta, ut cognitionem, æstimationem, et praxim illius sufficientem acquirat.

Et cognitionem quidem quod attinet, hanc non difficulter acquiret, si bene perpendat doctrinam a S. Dorotheo sequentibus verbis datam · Patres sancti et Majores nostri sibi ipsis mundum crucifigentes, per dura certamina, sese quoque mundo crucifixerunt. Nos vero videmur nobis ipsis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, et ad monasteria divertimus; at nolumus nos mundo crucifigere, adhuc enim in animo nostro vigent blanditiæ illius, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis et voluptatibus, compatimur ornamentis et vestibus, ob viles et inanes res dilabimur plerumque ad pristinas ejus passiones. Quod sane non nisi ex amentia provenit, ut qui pretiosas; et magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur. Atque id a nobis pessime, ut enim mundo et ejus rebus abrenuntiavimus, ita et pristinis ejus passionibus abrenuntiare debemus.

Praxim vero abnegationis ex sequenti S. Nili Abbatis doctrina discet : Consulendum est, inquit, iis, qui nuper a mundi tumultu discesserunt, ut quietem et silentium colant, caveantque, ne frequentius in publicum prodeundo, vulnera per sensus accepta cogitatione renovent, neve antiquis peccatorum similitudinibus alias formas adjungant ; mens enim eorum, qui nuper a malitia recesserunt, similis est corpori ex diuturno morbo convalescere incipienti, quod nondum confirmatis viribus quælibet affectio in graviorem morbum impellit. CASSIAN. lib. V *Inst.* c. XIII.

Unde et Sanctus Bernardus ait : Omnis nova conversio pristinæ vitæ habet permistionem. S. BERN. serm. VI *ad Sor.*

Æstimationem denique ex doctrina ab ipso Christo S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis data concipiet, sic enim ei dixit : Inter impedimenta donorum S. Spiritus non tantum sunt ea peccata, quæ Deum expellunt ex anima, sed et propria voluntas, et proprium judicium eorum, qui modo suo volunt servire Deo. Qui quidem desiderant Spiritum Sanctum, sed eum desiderant eo modo, qui illis placet, et qui illis videtur et sic se reddunt inhabiles ad percipiendum eum, qui est tanquam hamus quidam, quo Deus vult capere animam ex se adeo vilem. *Vit.* p. III, § 1.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Fulgentius Episcopus et Abbas illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent, nihil velle, vel nolle, sed Abbatis tantummodo consilia vel præcepta servare. SURIUS 1 Jan.

S. Bernardus quærens, an ex Collegio Discipulorum reprobari quis possit, non habens loculos? respondet affirmative, eo quod non tantum dentur loculi pecuniæ, sed etiam propriæ voluntatis, quæ, nisi abnegetur, æque ac pecunia in periculum præcipitare potest. S. Bern. in decl. sup. *Ecce nos.*

Utilitas. — Catharinæ sic olim locutus est Christus: Dico tibi, et Patri animæ tuæ, quem dedi tibi super terram, ut viriliter tolleretis ea, quæ conceduntur vobis, omni propria voluntate sensitiva perempta; hac enim ratione omnes virtutes acquiruntur.

Dignitas. — Eidem alias dixit Christus: Si peteres a me, qui sunt isti? tibi responderem: Ipsi sunt alter ego, quia sponte perdiderunt, et abnegarunt eorum propriam voluntatem, facti meæ voluntati conformes, et uniti, et in omnibus ea induti.

AUCTORES.

Julius Fatius, *de Mortific.* c. ix, x, xi, xii,

Nicolaus Lancizius, opusc. x, c. xiii, xiv et xv.

Bernardinus Rosignolius, *de Disciplina Christ. perfect.* l. II, c. xxx et l. V, c. vi.

ABSTINENTIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus, qua voluptatem in usu ciborum sitam refrenamus, et debitum modum in eorum sumptione constituimus. Vel brevius, juxta S. Thomam: Est subtractio ciborum ratione regulata. S. Thom. ii, 2, q. cxlvi, cap. i.

Divisio. — Dividitur 1. In *Magnam et generalem*, de qua S. Augustinus: Magnum et generale jejunium est, abstinere ab iniquitatibus, et illicitis voluptatibus. 2. *Naturalem*, per quam ab omni simpliciter cibo, potuque abstinemus, qualis ante sumptionem SS. Eucharistiæ a media nocte requiritur. Licet hæc et prior abstinentia minus proprie abstinentiæ nomen participent, prout illa ex S. Thoma supra definita est. 3. *Philosophicam*, quæ est parcimonia cibi ac potus secundum rectam rationem moderata. 4. *Ecclesiasticam* qua juxta Ecclesiæ præscriptum certis diebus, et carnium esum subtrahimus, et unica tantum refectione contenti sumus. S. Aug. *super Joan.*

Subdividitur hæc Abstinentia Ecclesiastica in *Quadragesimalem*, de qua S. Ambrosius ait: Bonum est quidem cunctis temporibus jejunare, sed melius Quadragesimam jejunare cum Christo; hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. 2. In abstinentiam *Quatuor Temporum*, de qua S. Isidorus Hispalensis locutus est dicens: Triduanis autem diebus jejunare de exemplo sumptum est Ninivitarum, qui damnatis pristinis vitiis, totos se tribus diebus jejunio ac pœnitentiæ contulerunt, et operti saccis Deum ad misericordiam provocarunt. S. Isid. c. xli, *De offic. Eccl.*

3. In *Vigiliarum* abstinentiam, de qua S. Bernardus sic locutus est: Sanctorum Festa præcipua Patrum sanxit auctoritas, votivis prævenienda jejuniis, utiliter plane, et non ad insipientiam nobis, si adfuerit, qui advertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, et in multis offendimus omnes, nec tutum est omnino, celebrandas suscipere festivitates sacras, maximeque eas, quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quod digniores inveniamur et capaciores spiritualium gaudiorum. Et paulo post: Non modo tamen præparatio est ad proximam celebritatem observatio præmissa jejunii, est et admonitio quædam, eruditioque non parva. Discimus ex hoc ipso, quænam sit vera via festivitatis æternæ. Quid est enim, quod jejuniis solemnia præveniamus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe est solemni lætitia qui statutam Vigiliæ abstinentiam non observat. Mane, inquam, si renuis affligere animam tuam in Vigilia, indignus jure censeberis requie, et exultatione festiva. Est autem universim præsentis vitæ tempus Vigilia quædam solemnitatis magni et æterni Sabbati, quod præstolamur, nec causaberis Vigilias longiores, si æternitatem festivitatis attendas. S. Bern. *in Vigil. S. Andreæ.*

Suspiciuntur autem hæc jejunia ad quinque fines obtinendos. 1. Ad cultum divinum religiosius exhibendum. 2. Ad carnem edomandam, spirituique subjiciendam. 3. Ad fructus pœnitentiæ dignos præstandos. 4. Ad obedientiam exercendam. 5. Ad quamlibet Dei gratiam consequendam.

Actus. — Cibos ab Ecclesia vetitos pro tempore, quo prohibentur, non sumere.

Jejunia Ecclesiastica exacte servare, nec non ex propria Regula, aut Instituto ordinata custodire, et ex consilio aliqua non præcepta suscipere.

Hora consueta secundum morem Religionis, aut Congregationis, in qua vivimus, et non citius manducare.

Cibos lautiores ac pretiosiores, si necessitas aut caritas non exigat, fugere et aversari.

Communes cibos non exquisite præparatos, sed quomodocumque oblatos libenter comedere.

Quantitatem ciborum saluti corporis necessariam, et saluti animæ non officientem dumtaxat accipere.

Ante comestionem cogitationes de cibis penitus abscindere, et in ipsa comestione æstum et nimiam aviditatem cohibere.

Ex quantitate et qualitate, et numero esculentorum ea omnia subtrahere, quæ saluti corporis non nocent, et puritati mentis deserviunt.

EX S SCRIPTURA.

Qualitas. — Cibus tuus, quo vesceris, erit in pondere et mensura. Ezech. iv, 10.

Charissimi, obsecro vos, tanquam peregrinos et advenas abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Petr. ii, 11.

Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. Luc. xxi, 34.

Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. I Tim. vi, 15.

Sanctificate jejunium (munditie vitæ) et vocate cœtum (pauperum scilicet). Joel. ii, 15.

Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, planctu, et fletu. Ibid. 12.

Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Matth. vi, 17.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Matth. vi, 16.

Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. Prov. xxiii, 1.

Necessitas. — Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

Hoc autem genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. Matth. xvii, 20.

Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo in æternum, ne fratrem meum scandalizem. I Cor. viii, 13.

Utilitas. — Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini. Judith. 21.

Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio. Eccl. xxix, 29.

Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo, et non senties dolorem. Ibid. xxxi, 22.

Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna magis quam thesauros abscondere. Tob. xii, 8.

Dignitas. — Erit magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero matris suæ. Luc. i, 15.

Jucunditas. — Beata terra, cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam. Eccl. x, 16.

Beati, qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Luc. vi, 21.

Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usque mane, et anima illius cum illo delectabitur. Eccl. xxxi, 34.

EX SS. PATRIBUS ET ASCETIS.

Qualitas. — Cave, ne utilitatem jejunii la escarum abstinentia metiaris; verum enim jejunium est, ab omnibus vitiis esse alienum. S. Basil. in hom. *de laude jejun.*

Per abstinentiam vitia carnis extinguenda sunt, non caro. Sic necesse est, ut artem continentiæ quis teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat; sæpe enim dum in illa hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus; et sæpe, dum concivi parcimus, hostem ad prælia quærimus. S. Gregor. hom. xxx, *Mor.*

Qui cibis abstinent, et mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, et cibus deest. ISIDOR. *supra Amos.*

Per Simonem (Cyrenæum) qui signantur, nisi abstinentes, qui foris carnem affligunt, interius tamen fructum abstinentiæ non acquirunt. Crucem igitur Domini Simon in angaria portat, qui, cum ad bonum opus sine bona voluntate ducitur, rem bonam sine fructu operatur. Simon ergo Crucem portat, sed in Cruce non moritur, quia abstinentes exterius corpus per abstinentiam affligunt, sed interius per desiderium mundo vivunt. S. GREG. *super Eccl.* p. 5.

Sint moderata et sancta in omni mentis humilitate jejunia, quæ ita attenuent corpus, ut mentem elevent, ne res humilitatis gignat superbiam, et vitia de virtute nascantur. S. HIER. *in Epist.*

Illud jejunium Deus approbat, ut hoc, quod tibi subtrahis, alteri largiaris, ut unde affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. S. GREGOR. *in Pasc.*

Jejunium sine eleemosyna est lucerna sine oleo. CÆSARIUS *in admon.* II.

Quid nobis jejunium proderit, si relinquatur in terra? sublevetur penna quadam orationis. S. BERN. in *Epist.*

Hoc est perfectum et rationabile jejunium, quando noster exterior homo jejunat, interior orat; facilius etiam per jejunium oratio penetrat cœlum. S. ISIDOR. *de Sum. bon.*

Prudenter sibi serviri vult Deus, non ut nimietate debiles fiant, et post medicorum suffragia requirant; temperandum enim est, ut, si fieri possit, cœptum obsequium gradatim provehatur potius, quam inconsiderantia minuatur. *Glossa* HIER. *sup.* I *Tim.* c. V.

Qui abstines a carnibus, quibus aliis diebus uti licet, quomodo peccata admittes, quæ omnino nunquam licent? S. AUG. Ser. LXIV, *de Temp.*

Jejunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat. S. CHRYSOL. ser. VIII.

Hæc justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejunium et eleemosynam. S. AUGUST. *in Ps.* XLII.

Considerate, fratres, si horrea et cellaria nostra annis singulis replemus, unde uno anno cibum habeat caro nostra, putas, quantum debemus recondere, unde in æternum sustentetur anima nostra? AUGUST. serm. LVI, *de Temp.*

Semper virtutis cibus jejunium fuit. S. LEO, s. II *de Jejunio.*

Jejunium schola precum, animæ cibus, oris frenum. Jejunium animæ nostræ alimentum est : et sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita et jejunium animam habitiorem efficit, et valentiorem. Leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, et summa contemplari queat. Vellem ergo vos purificata mente, valeque deliciis et voracitati dicto, matrem omnium bonorum et pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magistram, jejunium explicitis vestræ mentis sinibus suscipere. S. CHRYSOST. hom. I, in c. II *Gen.*

Legimus primum in veteri testamento Noe temporibus, cum omne genus humanum scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli, aquarum pluvias defluxisse, etc. Ita et modo nobis Dominus illius temporis quadragesimam dedit, ut constituto dierum numero patefactis cœlis, pluvia nos misericordiæ cœlestis irroret, et inundatione facta per Baptismum, lavacri salutaris nos imber illuminet, et sicut tunc factum est, aquarum fluctibus extinguatur in nobis delictorum iniquitas, virtutum justitia conservetur. S. AMBR. serm. XXXIV.

Si suggerentem audias intrinsecus tentatorem : Quid facis, quia jejunas? defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor, et cruciator existis, etc. Responde hujusmodi tentatori per hanc similitudinem : Si jumento forte insideres, si equo契utereris, qui te gestiendo posset præcipitare; nonne ut securius iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, et fame domares, quem freno non posses? Caro mea jumentum meum est; iter ago in Hierusalem ; plerumque me rapit, et de via conatur excludere; via autem mea Christus est; ita exultantem non cohibebo jejunio? S. AUG. *de util. Jejunii,* t. IX, c. I.

Quotquot viros virtutum videmus, sine jejunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quanta res jejunium? Angelos ex hominibus facit. S. CYPR. l. *de jejun.*

Advertamus ergo, quanta sit inter jejunium et saturitatem distantia, inter ventrem vacuum et pulmones epulis distentos. Moy-

ses quia jejunavit Dominum vidit. Populu quia manducavit et bibit, idola fabricavit. Impetraverunt unius hominis jejunia, quod totius populi saturitas desperaverat. Princeps humani generis Adam, quamdiu jejunavit, in paradiso fuit; ubi vero comedit, ejectus est de paradiso. Ejecit ergo nos de paradiso cibus; reducat esuries, reducat jejunium. Semper enim juncta est saturitati lascivia. Sancto Eliæ jejunanti etiam elementa famulata sunt. Videte, charissimi, quanta sit Dei clementia erga jejunantes. S. AUG. ser. II *de Domin.* 1 *Quadr.*

Uno temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpissime devolutus est. Ex quo si utrumque simul conferas, videre licet, jejunium ad Deum ducere, delicias vero salutem perdere. Quid Esau inquinavit, servumque fratris reddidit? nonne esca una, propter quam primogenita vendidit? Samuelem vero nonne per jejunium oratio largita est matri. Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? nonne jejunium, cum quo in matris ventre conceptus est. Jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum effecit. Quod sane Angelus matri præcepit, monens quæcumque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet. Jejunium Prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat. Jejunium legislatores sapientes facit: animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum et arma, athletis et certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est; in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet; Nazaræum sanctificat, Sacerdotem perficit. S. BASIL. hom. I *de Jejun. ante Medi.*

Abstinentia tua atque jejunium tuum eo magis Deo grata sunt, quo cum moribus sanctis offeruntur, ut cum in aliis sint umbracula vitiorum, in te sunt ornacula virtutum. HIERON. *ad Demetr.*

Quid prodest tenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia? Idem, *ad Celant.*

Sic abstinere debemus, ut non nos necessitati abstinentiæ subdemus, ne jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus. PROPERT. Lib. II, *de Vit. contemptu.*

Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis est voluptas, sine enim carne et vino cito friget Venus, et a patre Libero ad inconcessam Venerem proximus est intemperantiæ locus. HIERON. in *Epist.*

Melior est abstinentia vitiorum, quam ciborum. BERNARD. *ad Sororem.*

NECESSITAS. — Propterea et Deus hominem a principio faciens, illico frenum ei jejunii manibus imposuit, veluti piæ amabilique matri et magistro optimo committens. Si in paradiso jejunium necessarium fuit, extra paradisum multo magis erit. Si ante plagam utilis medicina fuerat, multo magis post plagam. Si necdum bello voluptatum insurgente, nobis arma fuerat opportuna, multo magis post voluptatum, vitiorumque prælium a dæmonibus nobis illatum. Igitur nobis necessaria sunt a jejunio auxilia. Vidisti, quomodo irascitur Deus jejunio spreto? Disce et quomodo lætatur jejunio honorato. Quemadmodum jejunio spreto mortem spernenti obtulit, sic iterum eodem honorato a morte revocavit. S. CHRYS. tom. V *de Pœnit.* hom. III.

Sed cur Eliæ Deus panem et aquam tantum, non etiam submisit prandium, sicut Danieli in cavum leoninum? Augustinus respondens: Sciebat Deus, inquit, prophetam suum tentantem diabolum aliter superare non posse, nisi jejuniis eruditus insidiantis inimici tentamenta depelleret. S. AUGUST. tom. X, serm. LXIII *de Temp.*

Nos creaturam Dei omnem laudamus, sed maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati. A diebus Joannis Baptistæ jejunatoris et virginis, regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. Timemus enim, ne ab adventu æterni Judicis, sicut in diebus diluvii, et eversionis Sodomæ et Gomorrhæ, deprehendamur manducantes, et bibentes, et nubentes, et nuptui tradentes. Nam et diluvium, et ignis de cœlo saturitatem pariter et nuptias, quas deleret, invenit. S. HIERON. l. II *advers. Jovin.*

ÆQUITAS. — Si sola gula peccavit, sola jejunet, et sufficit; si vero peccaverunt et membra, cur non jejunent et ipsa? Jejunet igitur oculus a curiosis aspectibus, et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus et vanis, et scurrilibus verbis; interdum quoque ob gravitatem silentii ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Jejunet auris nequiter pruriens in fabulis, et rumoribus, et quæcumque otiosa,

et ad salutem minime pertinentia. Jejunet manus ab otiosis signis et operibus omnibus, quæ non sunt imperata; sed et multo magis ipsa anima jejunet a vitiis et propria voluntate sua, etenim sine hoc jejunio cætera a Domino reprobantur, sicut scriptum est: Quia in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestræ in veniuntur. S. Bern. s. xxxviii.

Quia a Paradisi gaudiis per cibum cecidimus; ad hæc, in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. S. Gregor. in Homil.

Cogitandum summopere est, ut, qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat, ut, qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debet et concessa, et se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse. Idem, hom. *sup. Ev.*

Utilitas corporis. — Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis voluptas; nam sine carne et vino cito friget Venus, et a patre Libero ad inconcessam Venerem proximus est gradus. S. Hier. in Epist.

Excipite male valentes sanitatis matrem: qui bona estis valetudine, excipite bonæ habitudinis custodem. Interroga medicos, et dicent tibi, nihil esse periculosius habitudine corporis extreme bona, ideoque, qui peritissimi sunt artis, per jejunium extrahunt redundantiam, ne vis naturæ pondere corpulentiæ fracta succumbat. Idem.

Utilitas animæ. — Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit. S. Aug. in s. *de Jejun.*

Si caro in terram vergens est onus animæ, et sarcina prægravans prævolantem, quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua. S. Aug. in trac. *de Util jejun.*

Jejunium orationem, devotionem, et fiduciam donat. Oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium meretur gratiam orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, et repræsentat Domino. S. Bern. s. xxxviii.

Bonum et salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur peccata; non solum autem ablutio est peccatorum, sed etiam extirpatio vitiorum; non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam; non solum delet peccata præterita, quæ commisimus, sed etiam repellit futura, quæ committere poteramus. Ibidem.

Dignitas. — Quid est jejunium, nisi substantia et imago vitæ cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis. Jejunium est vita Angelorum. Jejunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad Deum citius pervenitur; hoc gradu antequam curru Elias ascendit. S. Ambr. l. *de Elia et jejun.*

Jejunium non solum perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, et sanctificatio, et pudicitia, atque prudentia, sine qua nemo videbit Deum. S. Hier. *ad Demetr.*

Jejunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentium pædagogus, continentium magister, quod omnem sexum et ætatem quasi diadema quoddam ornat. S. Chrys., hom. ii *in Gen.*

Quidquid vetustate præcellit, idem venerabile est; reverere igitur jejunii canitiem. Tam vetus est, ut simul cum homine condito in Paradiso cœperit. In Paradiso præscriptum est.

Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castrum, murum Spiritus Sancti, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Petrus Nav. in serm.

Jucunditas. — Jejunium animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, et summa contemplari queat, voluptatibusque, et omnia, quæ in hoc mundo habentur suavia, ipsa sit superior. Et quemadmodum leviores naves maria velocius transeunt, contra multis oneribus gravatæ submerguntur; ita jejunium quidem leviorem reddens mentem, efficit, ut facilius hujus vitæ pelagus transmittat, et in cœlum, ac ea, quæ in cœlis sunt, respiciat, et nihili faciat præsentia, sed ut umbras, et si quominus, diffugere censeat. S. Chrys., hom. I, *in Gen.*

Jejunium quadragesimale. — Adest nobis venerabile, et medicabile tempus quadragesimæ, per quod jejunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus, illius prorogatio tædium parere non debet; quia quanto plures dies sunt jejunii, tanto major est causa remedii. Sunt messis illi, et vindemiæ dies, inquit B. Hilarius, Episcopus Arelatensis, *de init. quadrag.*, omni acceptione dignissimi, propter fructuum, et cœlestium

gratiarum, quas nobis partiuntur, copiam. AUGUST., serm. LXV *de Temp.*

Videtis, quia, quod quadragesimam jejunamus, non est humana inventio; auctoritas est divina; et est mysticum, non præsumptum; nec est de terreno usu, sed de cœlestibus secretis. S. CHRYSOL., serm. XI.

Ecce, fratres charissimi, Deo propitio, tempus quadragesimæ venit, et ideo rogo, dilectissimi, ut dies istos corporibus salubres, et animæ medicinales ita cum Dei adjutorio sancte et spiritualiter celebremus; ut observatio sanctæ Quadragesimæ non nobis judicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos minus occupationibus implemus, si castitatem servare nolumus, si jejuniis, et vigiliis, et orationibus non insistimus, si Scripturas Divinas, aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipsa nobis medicamenta convertentur in vulnera, et inde habebimus judicium, unde potuimus habere remedium. Et ideo rogo vos, fratres carissimi, ad Vigilias maturius surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite. Nullus se a sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut forte certa et grandis necessitas tenuerit occupatum. Infelix voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem. Abstinentia vero, vigiliæ, orationes, atque jejunium per brevissimas angustias perducunt ad Paradisi delicias; quia non mentitur veritas, quæ in Evangelio dicit: Arcta et angusta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam. Nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam et asperam longo tempore laboratur; quia et isti post brevem tristitiam accipiunt vitam æternam, et illi post parvum gaudium patiuntur sine fine supplicium. Et ideo, fratres carissimi, in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ, jejunando, legendo vel orando providere debemus. Nam licet per totum annum, Deo propitio, lectiones divinas frequenter et fideliter audiatis, in istis tamen diebus de pelago, et fluctibus mundi hujus quasi ad portum Quadragesimæ confugientes, debemus requiescere, et lectiones divinas in exceptorio cordis nostri cum silentio et pace suscipere; ut, Deo propitio, pro amore vitæ æternæ, quod per totum annum multis tempestatibus, id est, peccatorum fluctibus, aut fractum, aut dissolutum, aut corruptum, aut perditum est, omni sollicitudine istis diebus reparare studeamus atque componere. S. AUG., s. I, *in Cin.*

Non enim frustra quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses et Elias, et ipse Dominus jejunavit, et Ecclesia præcipuam observationem jejuniorum, Quadragesimam vocat. Unde et in Hebræo de Ninivitis apud Jonam Prophetam scriptum perhibent: adhuc Quadraginta dies, et Ninive subvertetur; ut per tot dies accommodatos humiliationi pœnitentium, intelligatur in jejuniis sua deflevisse peccata et impetrasse misericordiam Dei. Idem, l. I, q. LXIX.

Quadragesima sane jejuniorum habet auctoritatem, et in veteribus libris ex jejunio Moysis et Eliæ, et ex Evangelio. Idem, epist. CXIX.

Omne vitæ nostræ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum et ad cœleste bravium tota virtute contendere. Sed hoc præcipue in Quadragesimæ diebus implendum est, qui abstinentiæ et jejuniis dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum et de corpore voluptatem decerpunt. Est autem legitimus numerus iste jejunii, et qui in sanctis celebratur exemplis. Celebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis et gaudio, et eos omnibus epulis et corporalibus deliciis præferamus. In his enim præcipue diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maxime per abstinentiam voluptas carnis extinguitur. Tunc enim ad Dominum, et ad ejus futura promissa tota mens purior facienda festinat, cum nulla crapula, nulla cibi vel potus satietate crassatur. Unde et Salvator in Evangelio dixit: Attendite itaque vobis, ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et cogitationibus sæcularibus, et superveniat in vos dies illa repentina; tamquam laqueus enim superveniet universo mundo, et nemo effugiet. Idem.

Sed et illa est in Quadragesimæ diebus grandis utilitas, quod, dum etiam a licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos a carnibus, quibus aliis diebus nobis uti licet; qui nos abstinemus a vino, quo moderate uti licet; qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino numquam licent. Itaque si volumus bene jejunare a cibis, ante omnia jejunemus a vitiis. Quid enim prodest vacuare corpus ab escis, et animam replere

peccatis? Quid prodest, pallidum esse jejuniis, si odio et invidia livescas? Quid prodest, vinum non bibere, et iracundiæ veneno inebriari? Quid prodest abstinere a carnibus ad edendum creatis, et malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his, quæ aliquando licent, et faciamus illa, quæ nunquam licent? Deus enim illos honorat et diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo, ut dixi, jejunemus a cibis, ut multo magis jejunemus a vitiis, ut sanctorum morum ubertate saturemur, ut et in futuro mereamur ipsorum operum retributione satiari, sicut in Evangelio legimus: Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Illam enim compensationem magis eligere debemus, ut cibos, quibus nos abstinemus, eos pauperibus ac debilibus largiamur; secundum illud, quod scriptum est: Beati, qui contenti sunt esurire, ut alibi reficiantur. Satis Deo acceptum est munus, quando indigens saturatur, quando nudus vestitur, quando ira non perficitur, et iracundiæ tempus non reservatur, quando malum pro malo non redditur. Tunc grata sunt Deo nostra jejunia, si illi, qui necessitate jejunant, reficiantur a nobis. Tunc illam Domini sententiam audire merebimur: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. O benignissimum Dominum ad edomandam hominum avaritiam, qui sibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit. Vobis autem, fratres, præstet Domini misericordia, ut ei jejuniis, et eleemosynis in bonis operibus serviatis. Idem, s. I, *in Dom.* 1 *Quadr.*

Non enim leve peccatum, fidelibus indictam Quadragesimam a Domino non jejunare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est: Qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes, quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadragesimam jejunavit, tu non vis Quadragesimam jejunare, qui peccas? Ille peccatum non habebat, sed pro nostris jejunavit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cum Christo pro te esuriente tu prandes? Cum Salvatore pro te jejunante tu reficeris? Non igitur, sicut dixi, leve peccatum est, indictum violare jejunium. S. Amb., t. III, s. xv, *de Quadrag.*

EXEMPLA CATHOLICA, ET SACRA.

Qualitas. — De B. Virgine sic scribit S. Ambrosius: Quid ego exequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam, alterum supra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora, hinc congeminatos jejunio dies? etsi quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. S. Ambr. l. II *de Virg.*

Uxori Manoe liberatorem populi concepturæ apparens Angelus abstinentiam præcepit. Judic. xiii.

Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis. Eidem Deus in lacum per Habacuc, non carnem et alia cibaria delicata, sed panem et pulmentum misit. Dan. iii, 14.

Eleazarus maluit occidi, quam carnes porcinas contra legem comedere. Idem etiam fratres Machabæi præstiterunt cum matre. II Mach., vi et vii.

S. Joannes Præcursor Domini, teste S. Augustino, locustis in eremo et melle silvestri nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suavitatibus pascitur; poterat utique juxta Jordanem potius piscium delicias sibi exhibere, sed pœnitentiam prædicaturus, rigorem jejunii exemplo suo magis debuit, et factis ostendere. S. Aug. s. lxv *de Temp.*

S. Nicolaus Episcopus, adhuc infans, cum reliquis diebus lac nutricis frequens sugeret, quarta et sexta feria semel dumtaxat, idque vesperi sugebat; quam jejunii consuetudinem in reliqua vita semper tenuit. Surius, 6 dec.

B. Maria Magdalena de Pazzis etiam in pueritia non sumebat jentaculum, et in summo æstu, nullo refrigerio utebatur, quod adeo Deo placuit, ut post viginti quatuor annos ei revelaverit, propter hanc mortificationem gulæ ei præparatam esse in cœlis mensam plenam pretiosissimis cibis. *Vitæ* c. v.

S. Thomas Aquinas cum in morbo magnum habuisset desiderium certum genus parvorum pisciculorum comedendi, iique appositi essent, noluit illos manducare, ut appetitum castigaret. Petrus Sanchez, in *Regn. Dei*, c. ii.

Cum quondam B. Macario uva recens mitteretur, ille ab ejus comestione sibi tempe-

rans, eam alicui infirmo misit, qui, postquam illam iterum alteri misisset, ad omnes denique Eremi manus pervenit, et non sine ingenti admiratione ad Macarium rediit. Ibid., f. 400.

Abbas Isidorus, etsi summam sibi abstinentiam imperabat, tamen propter hilaritatem animi pinguis factus est, cumque semel flens ad mensam accederet, et causa fletus quæreretur, respondit : Ego deberem cum Christo in mediis Paradisi deliciis habitare, et huc venio manducaturus, ut bruta. (Id.)

Fr. Bernardus de Quintavalle, socius S. Francisci, dicere solebat, gulæ vim multo magis in gustu, quam copia ciborum reperiri; ideo ipse libenter ad publica convivia accedebat, eo quod ibi insignem haberet occasionem se mortificandi, aliosque ædificandi. Ib. f. 481.

Constantinopoli, cum ob summam annonæ caritatem Justinianus Imperator in Quadragesima carnes vendi jussisset, Christiani tam severe servarunt abstinentiam, ut mallent fame contabescere, quam carne vesci. Niceph. lib. XII, c. xxxii.

Venantii quondam Patricii in Samnii partibus villa fuit, in qua colonus ejus filium Honoratum nomine habuit, qui annis puerilibus ad amorem cœlestis patriæ per abstinentiam exarsit. Cumque tam magna conversatione polleret, seque jam ab otioso quoque sermone restringeret, multumque, ut præfatus sum, per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes ejus vicinis suis convivium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt; quas dum ille ad esum contingere præ abstinentiæ amore recusaret, cœperunt eum parentes ejus irridere, ac dicere : Comede, numquid tibi in his montibus piscem allaturi sumus? Illo vero in loco pisces audiri consueverant, non videri. Sed dum his sermonibus Honoratus irridetur, repente in convivio aqua defuit ad ministerium, et cum situla lignea, sicut mos illic erat, mancipium ad montem perrexit. Dumque hauriret aquam, piscis situlam intravit. Reversumque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Mirati sunt omnes, totaque illa parentum irrisio cessavit. Cœpere namque in Honorato venerari abstinentiam, quam ante deridebant, sicque a Dei homine irrisionis detersit opprobria piscis de monte. *Spec. exempli* tit. *de Abstinen.*, exempl. i.

Procopius de Justiniano Imperatore sic scribit : Omnibus illis diebus, qui Paschalem solemnitatem præcedunt, jejunio addictus duram quamdam vitam egit, nedum regali alienam, sed neque privato alicui aliquo modo acceptabilem. Per dies abstinebat; summo mane itidem e lecto consurgens Reipublicæ invigilavit, cujus negotia verbo et opere pertractans, matutinum, meridianum, et non minus nocturnum tempus implevit; nam in seram noctem lectum petens mox surrexit, quasi plumarum pertæsus. Cibi appetens, vinum, panem, et alia id genus cibaria abesse voluit, brassicam solum, et agrestes herbas longo tempore sale et aceto maceratas edebat ; potus aqua erat sola ; neque his ad saturitatem utebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto, quod naturæ satis erat. Daurolt., c. iv, tit. XI, exempl. x.

Evagrius, Nicephoro teste, ad Macarium anachoretam sub meridiem revisit, cumque fatigatione ac siti exhaustus frigidam postularet, Macarius ad illum placide : Mi fili, ait, contentus esto hac umbra; multi enim viatores, et navigantes ea nunc carent. Evagrius vir mitioris ingenii ad tranquillitatem se componens, de temperantia cœpit disserere. Cui Macarius : Confide, o fili, ait, et bono esto animo ; ego jam totis viginti annis neque panem, neque aquam, neque somnum ad satietatem admisi. Et panem quidem ad modicum libellæ pondus comedi, aquam ad mensuram parcissimam bibi ; cum vero fatigatio me cogeret, parieti acclinis, exiguam somni partem rapui. Hæc vitæ meæ methodus est. Niceph. lib. II, c. lviii.

Legitur in *Scala Cœli*, quod quidam Prælatus semel erat, qui non comedebat carnes, tamen faciebat multas injustas exactiones. Cum igitur semel exhæredasset unam viduam, illa cum filiis suis in brachiis accessit ad eum, dicens : Domine, tu non comedis carnes mortuas, sed comedis carnes vivas, quia cum deprædationibus tuis interficis, et devoras omnes subditos tuos. Devora ergo etiam istos duos filios meos, et comede eos. Quod ille audiens et compunctus, restituit ei omnia. Patet ex hoc abstinentiam a carnibus nihil homini profuturam esse, neque ullas castigationes corporis, si homo non abstineat a peccatis, et præsertim ab oppressione pauperum, quia non prodest bonum facere, nisi abstineatur a malo. Sunt enim duæ partes justitiæ, sci-

licet declinare a malo, et facere bonum. *Spec. exempl.* cap. I, exempl. XIV.

Edmundus, Cantuariensis Archiepiscopus, ipse quoque virginitatis coronam adeptus est, lasciviam carnis domans jejuniis. Feria sexta sicco pane tantum et aqua frigida semper est usus. Nunquam illi cura fuit ut pasceret corpus, sed ut sustentaret. Propterea quidem cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus et aqua sapientiæ salutari potavit illum; fuit enim Doctor egregius disciplinis apprime eruditus, multis præterea miraculis clarus. SABELLII lib. II.

S. Bonifacius, Moguntiæ Archiepiscopus, S. Lutgero, Episcopo Monasteriensi, teste, tantam coluit abstinentiam, ut vix unquam, secundum Apostoli dictum, modico vino uteretur, quod non esset aqua mixtum. Et non tantum in semetipso hoc adimplevit, sed et omnes sibi subditos vehementer admonuit, ut numquam ebrietatis malum incurrerent, sed velut inferni foveam præcaverent et vitarent. NICOLAUS SERARIUS lib. III *de Rebus Moguntinis.*

Genovefa, Parisiensis virgo, a quintodecimo anno ad quinquagesimum usque, hordeaceo tantum pane et fabis contenta, bis in hebdomade cibum sumebat. Quinquagenaria, Episcoporum jussu, hordeaceo pani lac et piscem adjecit, ne ad mortem fere conscitam festinare videretur. BONFIN. lib. VI *His.*

B. Fulgentius, Ruspensis Episcopus, supra credibilem modum laboribus se abstinentia cruciabat, sine vino et oleo, manducans et bibens sic parce et tenuiter, ut inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diversis ulceribus cogeret, ac superducta impetigine, delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi tunc B. Virum sub occasione infirmitatis aut recessurum simul a proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parcimoniam custodiret. Ille vero contra spem omnium, misericordiæ Dei prævenientis auxilio gubernante, ex infirmitate corporis ampliores vires animi capiebat. Salutem vero corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicens : Scimus omnes ex epulis vitam solere servari, non sanitatem posse conferri, nam ut sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas, quare infirmantur etiam illi, qui conviviis lautioribus quotidie saginantur? Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercitabat abstinentiam satis humiliter. Parvum namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis ejus miserator et misericors Deus adjutorio superni juvaminis fulciens, velociter ei corporalem restituit sanitatem. *In Vita* a discipulo ejus scripta, apud Surium, 1 die jan.

NECESSITAS. — Referebant quidam fratres de Abbate Niceta, qui fuit discipulus Abbatis Silvani, quia quando in cella sua in monte Sina degebat, moderate abstinebat pro necessitate corporis; quando autem Episcopus ordinatus est in Faran, nimis constrinxit se ipsum diutina abstinentia, et in vigiliis propensius, atque in orationibus intentius agebat. Hæc autem videns discipulus ejus, dixit ei : Quid est, Domine, hoc, quia quando in eremo conversabamur, non tantum in abstinentia laborabas? Respondit ei beatus vir dicens : Considera, frater, quoniam ibi eremus erat, et secreta vita, ac paupertas; nunc autem egressi de eremo cum sæcularibus conversamur hominibus, et multæ ac variæ nobis occasiones occurrunt, et ideo timeo, ne in fine vitæ meæ aliqua occasione Deum offendamus. Si enim S. Apostolus Paulus, qui Christum in se loquentem habebat, et qui tantas virtutes animi possidebat, ut usque ad tertium cœlum, adhuc in corpore positus, ascenderet, tamen dicebat : Macero corpus meum et servituti subjicio, ne forsan aliis prædicans ipse reprobus inveniar; quid nos humiles et peccatores facere oportet?

UTILITAS. — Legi aliquando in Teutonicali libro, quod erat in civitate Genuensi virgo quædam pulcherrima facie, nobilis genere, dives rebus, honestis orta parentibus, nomine Marina. Hanc cum quidam ditissimus atque honestissimus vir, nomine Aronus, in matrimonium accepisset, et aliquandiu cum ea in summa dilectione vixisset, secretius eam in thalamum ducens : Scis, inquit, dulcissima Marina, quomodo negotiationis auxilio, res, famam, honores, et universa, quæ habemus, accepimus, et per eam in hunc felicissimum statum accessimus. Unde quia in Alexandria res, et causæ, quas cum cæteris hujus officii viris habui, inordinatæ relictæ sunt, nisi tibi acerba esset mea absentia, vellem illuc pergere, et singula rite ordinare, et sic reverti ad te, nunquam a te nisi per mortem separandus. Ad hæc Marina ingemiscens : Etsi gravis est mihi, inquit, tua absentia, et cum te non videro, erit omne tempus longissimum, quia tamen tibi

utile visum est, placet, quod concepisti. Age quod libet, tantum ne rebus dispositis ad me desertam sponsam tuam revenire cuncteris. At Aronus : Unum, inquit, est, o Marina, quod tui causa expaveo. Sciunt enim juvenes et adolescentes civitatis hujus, te fœminam decoram esse, et pulchris fore pulchriorem, unde timeo, si me absentem audierint, et te legitimi mariti carere tutore, parabunt laqueos pudori tuo, et te in sui amorem fraudibus conabuntur allicere. Quod si agerent, ut tu pudoris oblita in adulterium labereris, certe te honore, et me vita privarent. Ad quæ verba Marina in lacrymas resoluta : Ne timeas, inquit, o Arone, ego enim mallem vita defungi, quam rem tam scelestam admittere. Perge igitur securus, non est, quod in hac parte formides, quia Deo ferente præsidium, præter te, nullum amatorem admittam. Tali responso accepto Aronus, rebus dispositis in Alexandriam navigavit. Ubi eum esse, cum proceres civitatis Genuensis cognovissent, ordinatis ante domum Marinæ choreis, institutis ludis, resonantibus cantilenis, cor Marinæ nitebantur evertere. Sed Marina, ut sponsionem marito factam illibatam servaret, clausit fores, fenestras omnes obstruxit, oculos simul et aures, quantum prævalebat, avertit. Cum igitur post multas insidias castum Marinæ pectus vulnerare non possent, fieretque fœmina de accepto trophæo liberior, custodiam solitam mitigavit. Quod dum faceret, quemdam virum pulcherrimum, procerum forma, nomine Dagmannum, ante domum suam frequentius pertransire videbat; unde interrogat ab ancillis, quisnam, qualisve esset vir ille, qui tam insigne decus, et corporis, et morum præferret. Verum cum audisset eum in utroque jure Doctorem, dotatumque ingenti scientia, amplius eum cœpit amare, felicem se judicans, et nimium beatam, si talis viri amplexibus quandoque uti contingeret. Ut igitur texeret laqueum innocenti, ornatam fulgida veste se ante fores domus suæ quotidie a Dagmanno visendam deposuit, ut suo decore, tanquam veneno per oculos Dagmanni prætereuntis misso, cor saucium amore vulneraret. At vero Dagmannus vir prudens cum esset, et sapiens, nunquam ad eam vel modice intuendam oculum vertit, sed sibi suisque rebus intentus, maturo vultu semper præteriit. Videns ergo Marina, occultis dolis se non posse proficere, vi acta amoris, et pudore vacillante, ad aperta certamina fugiebat. Porro misit nuntius Dagmanno, petens, ut ad se venire non cunctaretur. Dagmannus vero nihil sinistre suspicatus, venit ad eam, ratus, quia secum de aliqua causa juris haberet conferre. Quem cum Marina in thalamum meretricio cultu ornatum induxisset, post multas verborum ambages, se ejus amore captam indicavit, petiitque instantius, ut mutuis amplexibus fruerentur. Quod ubi audivit Dagmannus, vir utique pudicissimus, ingemuit, miserabile ducens, tantum decus tam indebitis amoris procellis agitari, doluitque vehementer, tam vasti pudoris armarium adulterinis connubiis consensisse. Verum volens ejus vulneri adhiberi remedium, amorem reciprocum simulavit: O me felicem, inquit, o me faventibus Fatis beatum, quod in eam horam mihi venire concessum est, ut tanto decore frui liceret! Et conversus ad Marinam : Sis felix, pulcherrima fœmina, quæ te primam ad hujusmodi amorem obtulisti. Noveris tamen, hujus conjunctionis, quam utrique optamus, leve esse repagulum, atque celerius removendum, quod, quia mihi amica esse cœpisti, liberius intimabo, ut si dies, in quo tibi jungar, sese protraxerit, causam dilationis, agnoscas. Cum Bononiæ in studiis vitam agerem, contigit quadam vice studentes seditionem suscitare. In qua seditione quidam quidem vulnerati sunt, quidam vero etiam morte prostrati. Quibus ita fientibus, armati Præsides in tumultum militibus vallati cucurrerunt, et nonnullos e studentibus captivantes, in carcerem projecerunt. Inter quos et ego ducebar tanquam unus ex eis, qui tam cruentam seditionem in urbe concitassent. Videns ergo me carceris caligine retineri, et servari ad pœnam, votum vovi Domino, qui conscientiarum latebras novit, quod si me hujus sceleris expertem, liberum et incolumem ad patrium solum reduceret, redderetque vivum parentibus, per integri anni spatium caste, illibateque viverem, ac per idem tempus in pane et aqua jejunarem. Favit voto Conditor rerum, et me miraculose satis vinculis, quibus injuste ligabar, absolvit, reddiditque liberum parentibus, quod paulo ante vehementius flagitabam. Quapropter ne tanto Liberatori ingratus existerem, et sponsionis meæ infaustus infractor, statim ut carcere liber exissem, jejunium promissum inchoavi, et eousque hodie productum est, ut sexaginta tantum dies jejunii existi-

mem superesse, quibus transactis, ut cito faciant, in tuos amplexus, dulcissima Marina, perveniam. Tu interim fortiter age, et amoris nostri faces foveto. Ad hæc verba, alta ferens suspiria Marina, ait : O tempus nimis longum, et dies tædiosos animo diligenti ! cœpitque anxiari vehementer. Quod videns Dagmannus, dixit fœminæ : Si igitur tibi nimis longe videntur hi sexaginta dies tu mecum hoc tempus divide. Sume tibi triginta dies jejunii, et ego triginta dies mihi ipsi reservabo, quo fiet, ut infra triginta dierum spatium cupitis amplexibus fruamur. Nam ita voti mei qualitatem moderavi, ut per interpositam personam urgentibus causis satisfacere valeam sponsioni. Dicebat ista vir castus et sapiens, non eo, quod aliquid mali opere adimplere cogitarit sed ut tentatam fœminam abstinentiæ remedio liberaret. Ad hujusmodi igitur consilium vultu et animo exhilarata, promptissima voluntate pro Dagmanno jejunium fœmina inchoavit. Et Dagmannus tunc quidem decessit ab ea ; sed post tres dies ad eam reversus, visurus quid ageret, et utrum assumptum jejunium, prout promiserat, inviolatum servaret. Quæ statim, ut vidit venientem, assurgit intranti, sedem locat, charitatis intimæ signa demonstrat. Dagmannus vero monuit eam, ut constanter agat, et inchoata jejunia compleat, atque sic recedens, post septem dies revertitur. Rediens autem, vidit in ea paulo ante rubentia ora ex inedia palluisse. Unde impensius eam consolans, suadet, ne jejunia sibi dura existimet, per quæ celerius conjungantur. Et rursum post monitionem abscessit. Rediens autem tertio decima quinta die jejunii, invenit eam usque adeo imbecillem factam, ut vix assurgere prævaleret venienti, et usque adeo in ea sanguinem friguisse, ut plurimis licet vestibus circumamicta esset, nullatenus tamen calesceret. Quam ut prius confortatam, derelinquens Dagmannus, vigesimo nono die revertitur, et invenit eam in lecto decumbentem, et omnibus viribus usque adeo destitutam, ut vix anhelitum ad loquendum sufficientem retentasset. Quod ubi vidit : Quomodo, inquit, nunc tecum agitur, Marina dulcissima? Num inter frigentia membra adhuc ad me fervidum amore pectus observas ? Tunc Marina ad se reversa, intelligensque, prudentem virum hujusmodi consilium, ad sibi medendum, invenisse : Grates, inquit, tibi, sapientissime virorum, mille refundam, nec vel sic possum tuæ charitatis insigniis satis esse, quibus non modo honori meo, sed etiam amplissime pudori providisti. Tu igitur vale, et me tibi debitricem teneto, quia tuis muneribus, industria, consilio, non solum ad te irreverens amor refriguit, sed et omnis illiciti amoris, jejunio saluberrimo medente, usque adeo ardor avolavit, ut marito revertenti castra pudoris inviolata servare contendam. Ad quod me juvabit Dominus, qui sit Deus benedictus in sæcula. DAUROLT. Exempl. VII.

Ad conservandam sanitatem nihil efficacius, quam cibi et potus identitas conservata; varia enim fercula variarum sunt naturarum. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, et omnis humorum repugnantia repugnat sanitati. Unde elegantissime, et prudentissime respondit quidam de nostris adolescentibus Belvacensi Episcopo eum interroganti, unde contigerat, quod sanior, et pulchrior esset in claustro, quam solebat esse in sæculo : Quia, inquit, uniformiter vivo, et decenter. De quorum primo habeo, ut sanus sim, de secundo, ut pulcher sim. In sæculo enim vivebam tam deformiter, quam multiformiter, de quorum primo turpitudo nascitur etiam corporalis, de secundo ægritudo. Perrexitque quærere dicens : Quid ergo comedisti hodie ? Satis, inquit. Quid heri ? Similiter satis. Non quæro, inquit, de quantitate, sed de qualitate. Quid comedisti heri, quid hodie ? Heri, inquit, comedi pisa et olera ; et hodie olera et pisa; cras autem comedam pisa cum oleribus ; post olera cum pisis. Vide ergo quam pulchro circuitu eamdem sententiam circumduxit, ut variis modis ostenderet, eadem se semper diæta uti, quæ præstat corpori sanitatem, et pulchritudinem. Ibid. exempl. VII.

D. Hieronymus, de Asella sanctissima virgine ejusmodi ad Marcellam scribens, adfert exemplum, dicens : Cum per omnem annum jugi jejunio pasceretur, biduo, triduoque sic permanens, tum vero in Quadragesima navigii sui vela tendebat, omnes pene hebdomades vultu lætante conjungens, et quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ita ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non doleret stomachus, non viscerum cruciaretur injuria, non sicca humus, in qua cubabat, jacentia membra con-

ficeret, non sacco asperata cutis fœtorem, situmque contraheret, sed sano corpore, animo sanior, solitudinem putaret delicias, et in urbe turbida eremum inveniret monachorum. In genibus durities camelorum præ orandi frequentia occalluisse reperta est. S. HIERON. epist. XXV.

Elias jejunio cœlum clausit sacrilego populo Judæorum; jejunus filium viduæ ab inferis resuscitavit; jejunus pluvias et ignes de cœlo excivit; jejunus curru ad cœlum raptus est, et quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit. S. AMBR. in l. *de Elia et jejun.*

Esther et Judith, jejunio indicto, effecerunt, ut propositum suum feliciter perficientes, populum suum ab interitu liberarint. ESTH. IV, et JUDITH. VIII.

Vir quidam in Italia misere divexatus a podagra et chiragra, et reliquo membrorum usu privatus, cum ab hoste in turrim inclusus, et quotidie nonnisi pane arcto, et aqua modica refectus esset, rebus mutatis salvus et incolumis, colore vultus commendabili, e carcere dimissus est. DREX. l. I *de Jejun.*

PŒNA VIOLATÆ ABSTINENTIÆ. — D. Gregorius Nazianzenus virtute præstans, qui, etsi statu humilis, tamen tanquam è celsiori loco vibrare jacula in delinquentes, cum occasio opportuna daretur, minime prætermisit, non hæreticos solum Ecclesiæ Catholicæ perduelles, sed et Ecclesiæ quoque filios pravitate morum a disciplina Ecclesiastica aberrantes coercuit. Cum enim (ut vel unum de his hic referamus exemplum) accepisset Eleusium Præfectum sibi familiaritate conjunctum, ab Ecclesia jejunium institutum prætermittere, ut gravis offensæ reum, ad ipsum scribens ita redarguit : Excepi te etiam tacens, ut silentii quoque sermonem esse intelligas per calamum se proferentem. Loquar autem, quæ et amicitiæ et hujusmodi tempori conveniunt. Legibus injuriam facis, Judex, qui non jejunas. Et quomodo leges humanas servabis, qui divinas contemnis, et pro nihilo ducis. Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut existimeris. Fœda spectacula proponere, se ipsum traducere est. In summa, o Judex, futurum scito, ut judiceris, et minus peccabis. His nihil melius habebam, quod tibi præberem. S. GREGOR. NAZ. epist. XXXIV.

De B. Elphego, Wintoniensi in Anglia Episcopo, sanctitate claro, legitur, quod in die Cinerum, cum de more pœnitentes de Ecclesiæ liminibus removeret, hortatus est eos, ut tempore Quadragesimali jejunio et castitate vacantes, diebus illis uxorum etiam deliciis abstinerent. Quorum unus, cæteris Episcopi jussionibus reverenter obtemperantibus, jocari cœpit, dicens se abstinere non posse a Venere, a cibo pariter et conjugio. Cui Episcopus : Contristas me, miser, oppido nesciens quid tibi pariat dies ventura. Et sic homo ille recedens duram B. Elphegi prophetiam nebulo experitur, dum postera luce in cubiculo est repertus examinis, incertum, utrum a diabolo sit suffocatus. BARONIUS, t. X *Annal.* ad annum Domini 947.

Anno 1575, in Septimana Sancta milites Comitis Ludovici a Nassau contempta Religione veteri, carnibus passim vescebantur, et immodica lætitia efferebantur. Parochus vero id temporis agens, in loco non valde a castris militum remoto, suos confortabat, ut sacrum Quadragesimæ tempus pergerent religiose peragere ; illos quidem divinis humanisque sanctionibus contemptis, nunc strenue commessari carnibus, victitare et lætari, sed lugubre et funestum Pascha habituros, se vero ac suos fausto ac felici Paschate gavisuros. Quod et factum ; nam Catholicis post exactos Sanctæ Quadragesimæ labores Paschalem Solemnitatem festivis gaudiis celebrantibus, ecce subito feria quarta Paschæ universus ille Ludovici exercitus, cum ipso Comite Ludovico omnibusque antesignanis, cæsus et interfectus est, paucissimis fuga salvatis. Adhuc escæ erant in ore eorum, inquit Psalmista, et ira Dei descendit super eos, et gladius Catholicorum devoravit carnes et carnivoros. Hanc stragem Gerhardus Candidus in appendice Historiarum Belgicarum Joannis Meyeri his verbis succincte annotavit. Decimoquarto, inquit, Aprilis die, auxiliares copiæ, quæ Auraici vires nitebantur firmare in Ericeto Mokensi, vulgo « auff der Mocter Danden, » ab Hispanis fusæ sunt, et dissipatæ, præcipui exercitus Duces, Ludovicus et Henricus, Nassovii Comites, et Christophorus Palatinus, nec inter vivos, nec inter mortuos reperti. DAUROLT. c. IV, tit. X, exempl. VI.

His quoque non absimilem historiam refert P. Martinus Delrio, *Disquisitionum Magicarum* tom. II, his verbis : Paucis abhinc

annis, postquam Torpatenses in Lutheranam doctrinam concesserant, feria sexta solemne Paschæ festum proxime præcedente, finita Lutherani Ecclesiastæ concione, civibus e templo D. Matri Virgini sacro revertentibus, quidam alium concivem et familiarem invitat ad prandium; rogat, una domum comitetur, habere se egregium paratum petasonem Westphalicum : alter parum abhorrens respondet, sibi esse gallum opipare elixum, quem cupiat in symbolum adferre. Dum ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens, imprudens pene ipsum deglutit; quod cum neque transmittere, neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur. Alter postridie Paschæ malo spiritu corripitur, et non multo post rabie et furore exagitatus animam una cum dæmone exhalat. DELRIO, *in Disquisit.* p. I, q. III.

Rusticus noster die Veneris negotii causa hæreticum Villæ ministrum adiit. Erat in mensa opipare sane apparata carnibus. Jubet ille assidere hospitem, ut irridendum propinet compotatoribus, quippe Catholicum invitat ad carnes; cum ille constanter abnueret, et se eo die arceri ab iis Religione diceret, arripiunt risus materiam, urgent, sollicitant, risu, cachinnis, atque temulentis clamoribus admovent ori, intrudunt prope in oculos; tam egregius minister magnum bolum delicatissimæ carnis arripit, rusticum nomine appellat, et in ejus ludibrium, cunctis intentis ad spectaculum, manum attollit, ac deglutiturus pandit impurissimas fauces. Adhuc esca erat in ore ipsius, et ira Dei descendit super eum. Hæsit aperto atque hianti ore; nullo conatu, nulla vi conjungi iterum maxillæ potuerunt, quas Deus disjunxerat. Perducitur Uratislaviam, frustra adhibet chirurgos, aliosve medicos; dumque magni fiunt ad rem novam concursus, ille qui contra Religionem Catholicam os aperuerat, et ore apertissimo verbum nullum exprimere poterat, eo miraculo prædicabat aptissime fidei veritatem, in ejusque testimonium os habebat apertum invitus. Non absimili modo, funestiore exitu, petulans muliercula inter Catholicos immorans, die Sabbati, ut primum carnis bolum in os ingessit, extincta repente in terram concidit. DAUROLT. l. c., exemp. IX.

In Provincia Polonica, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quinto, juvenis quidam in Podlachiæ oppido cum feria sexta carnibus vesceretur, nec ab hospitibus monitus resipisceret, hospita, ut est fœminarum sexus ad imprecandum promptus natura, ad helluonem conversa : Utinam, inquit, vel diabolum vores! Habuitque subitum eventum mala precatio. Nam carnium vorator a diabolo cœptus est obsideri. Cumque ad patrem delata res esset, adhibitæque de more preces, et exorcismi, sævire malus dæmon in Sacerdotem cœpit, furere in eos, qui aderant, juvenemque illum miserandum in modum excruciare, donec interclusis faucibus enecavit. Fuit hæc res juveni quidem ipsi luctuosa, etsi eum æquitatis divinæ pœna ad sanitatem jam ante traduxerat, sed imperati ab Ecclesia jejunii contemptoribus, quos inopinatus casus perterruit, salutaris. Ibid. exempl. X.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius quamdiu Manresæ fuit, pane solo, et aqua vitam tolerabat, et omnibus diebus, præterquam Dominica, jejunabat. Sed et postea carnem vitulinam, pullos, aliave, quæ in deliciis sunt, non admittebat, licet hospites ad convivium invitatos haberet, et tamen senex morbis oppressus, stomachique nausea repletus erat. *Vita*, l. I, c. V; *Gloria S. Ign.* c. XIX.

S. Franciscus Xaverius cum in Comorino versaretur licet summe laboraret, et sudore perpetuo difflueret, tamen oriza tantum exigua, et a se cocta vivebat, raro pisce aut lacte licet acido adhibito. Meliaporam tendens septem dies sine ullo cibo traduxit. *Vita*, l. II, c. VI, et LXI.

P. Petrus Faber, cum initio conversionis ob scrupulos, naturæ in comedendo satisfacere non posset, in Exercitiis per sex dies a cibo et potu abstinuit; ex quo tempore magnam facilitatem et tranquillitatem circa abstinentiam per totam vitam est nactus. *Vita*, l. I, c. III.

P. Franciscus Suarez, præter Quadragesimam et totum Adventum, ter in hebdomade severe jejunabat. *Vita*, t. *Ang. præ.*

P. Thomas Sanchez semel in die comedebat et bibebat, idque noctu; ultimis vero annis altero tantum die calidos cibos sumebat, altero herbas, sæpe tamen multis diebus solis herbis vivebat. Ann. 1610. *Colloq. Gran. Vita*, cap. V et VIII.

P. Gonsalvus Silveria, cum esset Conim-

bricæ, domum se a concione conferens, cibarii panis frustum a Promocondo petebat, eoque ad locum solitarium culinæ proximum secedens, majori cum voluptate fruebatur, quam alii exquisitissimis cibis. Idem cum sororem suam feminam valde nobilem invisere jussus esset, inter alias conditiones etiam hanc posuit, ut nihil obsonii præter bovinam carnem simpliciter elixam, vel si piscem edi oporteat, duratum sole aut fumo halecem, aqua pura coctum, apponeretur. *Vita itinerario præfixa.*

P. Sebastianus Barradius vilissima tantum et palato ingratissima edebat. Sæpe mortificandi sui gratia calidissimos, aut frigidissimos sumebat cibos. Serio petebat a Superioribus, ut aliorum reliquiis vesci posset; quod dum negabatur, hoc saltem excogitavit, et evicit, ut, quidquid semel ab eo incisum erat, seu panis, seu malum, quamdiu frustillum ex eo supererat, nihil integri admitteret.

P. Franciscus Villanova pauculis sæpe frustulis e mensa sociorum relictis fruebatur. In hospitiis ad panem nihil, nisi subinde parum casei addebat. *Hist. soc.*, l. I, n. 127.

Joannes Berchamannus nihil unquam peculiare in cibo admisit, dicens, sperare se Deo cordi fore, ut communia non nocerent, quando iis uteretur, ne discederet a communi usu. Affirmabat usu temporis temperantiam paulatim acquiri posse; se vero ut non jentandi assuetudine obstringeretur, cœpisse ab initio suscepti tyrocinii detrahere quotidie aliquid de cibo consueto, atque hac via didicisse abstinere. *Vita*, p. 73.

EXEMPLA PROFANA.

Galenus medicus decimo quoque die jejunium sibi indicebat, sanitatis videlicet conservandæ gratia. Hippocrates, medicorum Princeps, ad annos centum et quadraginta vixit; causam rogatus respondit: Quia nunquam satur a mensa surrexi. *Cœl. Rhodig.*, lib. X, c. XII.

Galenus, Trajani et Antonini Imperatorum Archiater, interrogatus, cur ad tantam senectutem pervenerit (sunt enim, qui sciebant, vixisse eum annos centum et quadraginta) hanc attulit causam : Nunquam satur a mensa dicessi; nunquam sic me effudi in cibum et potum, quin aliquod semper superfuerit edendi bibendique desiderium. Hinc bene Ecclesiasticus : Qui abstinens est, adjiciet ad vitam. MATTH. FABER, serm. IV. *Cinerum* conc. I, p. 417.

Pompeio ægrotanti medicus turdos præscripserat ea tempestate, qua comparari non poterant; suggerente vero quodam, apud Lucullum inveniri posse : Itane, inquiebat Pompeius, nisi deliciis deditus esset Lucullus, nequaquam viveret Pompeius. Contemptoque medico, cibis parabilibus usus est. O vere masculum animum, qui ne vitam quidem deliciis acceptam ferre sustinuit! (P. RISSE, *exhort. Scholast.* XXVI, *ex apoph.*

Agesilaus, cum per Thasiorum agros, quæ gens ut rerum copia abundat, ita voluptati erat addicta, exercitum duceret, Thasii, honoris gratia dono liberali miserunt farinas, anseres, bellaria liba ex melle condita, variique generis, ac pretii, tum esculenta, tum poculenta ; at ille præter farinas nihil admisit, et reliqua domum referri jussit, tanquam sibi, suisque prorsus inutilia. Cæterum, cum illum precibus et obtestationibus urgerent omnino, ut acciperet xenia, jussit ea inter Helotes distribui (id erat apud Lacedæmonios mancipiorum genus). Ejus facti causam sciscitantibus reposuit , non decere , qui virtutis fortitudinisque studio tenerentur, istius modi delicias cupediasque recipere; sapienter ostendens, nihil esse servilius abjectiusque, quam gulæ ventrisque cupiditatibus obnoxium vivere. Idem.

Socrates semper jucunde edebat et bibebat, quia neutrum faciebat, nisi esuriens ac sitiens, dicere solitus : Optimum condimentum esse famem, quod et optime edulcaret omnia, et nullius esset impendii. Quod sapit nutrit, medicorum maxima est. At enim nunquam cibus sapidior est, quam cum modice in postrema refectione admissus est. P. RISSE, l. c.

Regina Carum, Addas illud habebat in more, ut assiduo mitteret Alexandro obsonia, bellariaque per similium rerum architectos coquosque magna arte parata. Alexander vero dixit : Seipsum habere meliores obsoniorum artifices, ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam vero tenue prandium. Idem, *ex Apoph.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS.— Sicut æger medicinas accipit, non quia voluptas, sed necessitas id requi-

rit; ita de cibis, non quantum appetitus exigit, sed quantum necessitas suadet, capiendum est. S. Aug., *constit. vit.*

Sicut hi, qui medicinali remedio potare disponunt, si non fuerint diligenti abstinentia præparati, fructum remedii sentire non possent; ita et hi, qui post crapulam ad jejunium veniunt, remedium non agnoscunt. S. Chrys., hom. I, *de pœna.*

Sicut equis frena sunt imponenda, ne alioqui per præcipitia ducant; ita anima, ne ad inferni præcipitia delabatur, corpus per jejunium et abstinentiam frenare debet. S. Aug., c. x, *de docum.*

Utilitas. — Sicut vermes, qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus et amaris excutiuntur; ita peccatum in intimis sensibus habitans extinguit, enecatque simul atque in illud jejunium supervenerit. S. Basil., h. I, *de laude jejun.*

Sicut rex aliquis volens civitatem occupare, ante omnia, si potest, alimentorum et aquæ substractionem procurat; ita qui vult corpus animo subjicere, non citius id, quam per jejunium et abstinentiam obtinebit. *Vitæ* PP., l. v, libell. 4, n. 19.

Sicut leviores naves maria facilius transeunt, contra multis oneribus gravatæ submerguntur; ita jejunium leviorem reddens mentem efficit, ut facilius hujus vitæ pelagus transmittat, et in cœlum, ac ea, quæ in cœlis sunt, respiciat, et nihili faciat præsentia, sed ut umbras diffugere censeat. S. Chrys., hom. I *in Gen.*

Sicut miles, si gestarit arma gravantia, non est terrori hostibus, qui sciunt, armaturæ gravitatem pedum velocitati, et bellandi usui obesse, si vero levia acceperit, et tractabilia, sicut avis aliqua obvium se feret hostibus; ita et qui carnem non ebrietate, neque indulgentia, neque deliciis incrassarit, sed jejuniis et precibus diuturnaque afflictionum sustinentia leviorem et tenuiorem effecerit, sicut avis aliqua superne devolans, ita valido impetu in phalanges Dæmonum irruit, et occurrentes virtutes facile invadit, sibique subjicit. Idem, hom. *de resurr.*

Sicut oleum mare invitum etiam tranquillum facit; ita jejunium nolentia quoque et reluctantia incentiva corporis extinguit. S. Clim., grad. XXVI.

Sicut terra, si moderate sit irrigata, semen sparsum, quod excipit, cum multa fertilitate effundit; multis vero imbribus madefacta spinas tantum et tribulos fert; sic terra cordis, si moderato utamur victu, semina sibi innata ac insita pura edit, et illa, quæ sunt a Spiritu Sancto seminata, cum multa viriditate et ubertate fructuum profert; sin vero potu madeat, ex omnibus cogitationibus suis spinas et tribulos procreat. Ibid., c. XLVIII.

MOTIVA.

Quia *divinam misericordiam nobis conciliat.* Sic Ninivitæ jejunio suo Dei iram averterunt.

Quia *orationem nostram Deo gratiorem facit*; bona est enim oratio cum jejunio.

Quia per jejunium *Dœmonem vincimus*; hoc enim genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio.

Quia per jejunium *carnis tentationes effugimus*; in luto enim exsiccato non facile volutantur sues.

Quia jejunium *similes nos Angelis facit*; utpote qui ab omni corporali cibo abstinent.

Quia qui abstinens est et jejunat, *adjiciet vitam* corpori, animæ, gratiæ, gloriæ.

Jejuna, quia *peccasti*; jejuna, *ut non pecces*; jejuna *ut accipias*; jejuna *ut permaneant, quæ accepisti.* (S. Chrys., hom. I *de jejun.*)

MEDIA.

Christi et sanctorum Exempla frequenter ob oculos ponere, dicereque cum S. Augustino sibi ipsi: Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris?

Spiritualibus rebus magna cum diligentia vacare; gustato enim spiritu desipit omnis caro, et quidquid ullo modo ad carnales voluptates conducit, ut sunt cibus et potus.

Sæpe *considerare* quam vilis, brevis, noxia sit voluptas, quæ ex cibo et potu hauritur.

Quotidie sibi parum de cibo potuque *detrahere,* donec ad certam corporique convenientem mensuram perveniatur.

Exercitatio corporis et animi assidua, ut S. Bernardus suasit dicens: Surge, præcinge te, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercita te in aliquo, et statim senties sola te appetere, quæ famem tollant, non fauces demulcent. Reddet enim sapores cibis exercitium, quos tulit inertia. Multa, quæ respuit otiosus, post laborem sumes vel desidiosus.

Considerare utilitates, quæ ex jejunio, publico maxime hauriuntur, de quibus præclare S. Leo sic loquitur : Divinarum reverentia Sanctionum inter quælibet spontaneæ observantiæ studia habet semper privilegium suum, ut sacratius sit, quod publica lege celebratur, quam quod privata institutione deperditur; exercitatio enim obedientiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio indicit, ad utilitatem cujusdam pertinet portionis; jejunium vero, quod universa Ecclesia suscipit, neminem a generali purificatione sejungit; et tunc fit potentissimus Dei populus, quando in unitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conveniunt, et in castris militiæ Christianæ similis ex omni parte est præparatio, et eadem est ubique munitio. S. Leo, ser. I *de Jejun.*

ASCETICA.

Ut Asceta huic virtuti majori cum fervore studeat, sequentia bene observet. Primo certo sibi persuadeat, nunquam se in perfectione insignem aliquem profectum facturum, nisi in abstinentia prius excellere studeat; uti S. Climacus recte advertit, dum dixit : Nunquam a Pharaone liberaberis, neque supremum Pascha celebrabis, nisi amaritudines comederis; amaritudines sunt jejunii violentia et afflictio, azyma vero sensus minime inflatus. S. Clim. grad. IX.

Pari modo sibi persuadeat, non esse adeo facile ad perfectionem hujus virtutis pervenire, sicut primo aspectu apparet; nam ut bene S. Gregorius notat : Sic plerumque voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit; voluptas expleri desiderium suggerit, et tanto gula securius in præceps ruit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. S. Greg., l. XXX *Mor.*

Quod S. Augustinus confessus est dicens : Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantum extra metas necessitatis? Quisquis ille est magnus profecto est, magnificet nomen tuum; ego autem non sum, quia homo peccator sum. S. Aug. in *Confess.*

Non tantum efficax, sed etiam necessarium pro hac virtute obtinenda medium credat orationem esse; nam teste S. Bernardo, oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium meretur gratiam orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium. S. Bern. ser. XXX.

Hinc S. Augustinus iterum de se fatetur : His tentationibus quotidie conor resistere et invoco dextram tuam ad salutem meam, et ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat; nemo enim potest esse continens, nisi tu des. » S. Aug. in *Confess.*

Quia vero Deus etiam cooperationem nostram requirit, ideo magnifaciat, et speciali cura observet Asceta regulas pro temperando victu a S. Ignatio Loyola traditas, quæ fere in sequentibus consistunt. 1. Quod a pane minus sit abstinendum, quam a reliquis alimentis, eo quod is nec gulam adeo irritet, nec tentationi adeo obnoxium hominem reddat. 2. Quod circa potum magis sit abstinentia servanda, quam cibum, eo quod gravior excessus in illo, quam in hoc committi possit. 4. Quod circa edulia et pulmenta potissimum abstinentia servari debeat, utpote per quæ et appetitui ad peccandum, et Diabolo ad tentandum major occasio subministratur; unde gemina industria adhibenda, ut scilicet vel grossioribus cibis quis vescatur, vel parce delicatis utatur. 4. Quod ad mensuram justam cibi ac potus inveniendam, paulatim sibi aliquid detrahere debeat, quousque deprehendat, quantum sufficit, ut functiones suas ordinarias commode obire possit. 5. Quod inter comestionem expediat, vel Christum cum Discipulis comedentem imaginari, vel aliis piis cogitationibus animum, suaviter tamen et absque violentia occupare, ut hac ratione occupatus abstrahatur a suavitate ciborum percipienda, minusque super illos affectus effundatur. 6. Quod ad intemperantiam cavendam non parum conducat, si ante quam cibus vel potus sumatur, ac nulla esuries sentitur, determinetur quantum quis sumere velit, et ab hac mensura nec a propria aviditate, nec ab instigatione Inimici abduci se permittat. 7. Quod præcipue cavendum sit, ne super sumendos cibos animus quasi totus effundatur; aut cum nimia aviditate et festinatione comedatur. S. Ign. in l. Exercit.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Potest in initio Quadragesimæ afferri exemplum Estheris, quæ, cum irati Assueri furorem placare, latamque mortis sententiam

a populo suo avertere vellet, confugit ad Dominum. Dein cum deposuisset vestes regias, fletibus ac luctui apta indumenta suscepit, cinere implevit caput, corpus suum humiliavit jejuniis, et deprecabatur Dominum Deum Israel. Dici proinde potest, idipsum Ecclesiam hoc tempore Quadragesimæ facere, ut iram Dei sedet, et sententiam mortis ob peccata in Bacchanalibus perpetrata latam avertat. Ostendatur itaque cujuslibet horum mediorum aptitudo ad Deum placandum. Qua de materia videri potest *Nilus Mysticus* P. Philippi Kisselii p. I, con. XIV.

Potest institui pulchra comparatio piscium, quos in Quadragesima comedere loco carnium jubemur, cum pisce, qui juniorem Tobiam devorare voluit, ostendique, quod sicut Tobias auxilio S. Raphaelis animatus illum invasit, et tres fructus ex illo capto reportavit, scilicet extricationem dæmoniorum, sanationem oculorum patris, et sustentationem; ita Christiani quoque hæc tria commoda reportent per jejunium, nempe extricationem dæmonis et carnis, quæ est alter dæmon, sanationem corporis et animæ, et sustentationem, quatenus victum tribuit, et vitam prolongat. Quæ singula fusius explicata videri possunt apud Fabrum in Fer. 2 Cinerum conc. I.

Potest dici, haud dubie multos peccatorum suorum conscios consideraturos aliquod medium, per quod iram Dei placare possint; neque tamen diu esse quærendum, cum per Micheam Prophetam offeratur dicentem : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te, utique facere judicium (castigando te per jejunium) et diligere misericordiam (dando eleemosynam) et sollicitum ambulare cum Deo tuo (per orationem) et hunc esse funiculum triplicem qui difficulter rumpitur, et per quem constringuntur irati Dei manus, ne punire nos queant, quod de quolibet speciatim erit ostendendum. Videatur Faber p. 3 Fer. 2, Rog. con. 3.

Potest jejunium commendari ab illis quatuor effectibus, quos Ecclesia in Præfatione quadragesimali indicat, dum ait: Qui corporali jejunio vitia comprimis (vide *Aloe* l. I, c. XXIX et XII), mentem elevas (vide ibid. c. VIII et X), virtutem largiris (vide c. XIII) et præmia vide c. I, III et II.

Potest ostendi, quam verum sit, quod Eccl. XXXVII, dicitur: Qui abstinens est, adjiciet vitam, idque probari per quadruplicem vitam 1. Corporis (vide Drexelium in *Aloe* l. I, c. IV, XVII et l. II, c. X). 2. Animæ (vide ibid. c. VIII et IX). 3. Gratiæ (vide c. XIII). 4. Gloriæ vide l. I, c. I et l. II, c. XI.

Potest dici, quod tempore jejuniorum multi varia condimenta conquirant, quibus sapidos cibos efficiant, sed nullum melius esse, quam ipsum jejunium, idque duplici modo ostendi potest. 1. Per ipsam naturam jejunii (vide Drex. in *Aloe* l. I, c. VI). 2. Per gratiæ divinæ efficaciam et dulcedinem, quæ comparari potest illi succo, quem olim Rabaudus monachus plebeios cibos fastidiens vidit a S. Petro et Honorato Abbate oleri imponi, et quovis melle dulcius effecisse; hoc enim esse, quod Deus in Apocalypsi promisit dicens: Vincenti dabo manna absconditum.

Potest ostendi, cur jejunia diversis temporibus instituta sint, nimirum 1. Feria Sexta et Sabbato. 2. In Quatuor anni Temporibus. 3. In vigiliis Festivitatum. 4. In Quadragesima, ubi est maxime inhærendum. Vide Fabrum Dom. I Quadr. con. VII.

Potest ostendi varietas jejuniorum bonorum scilicet. 1. Naturale; et hoc commendari potest pro Sacræ Eucharistiæ susceptione. 2. Philosophicum; et ex hoc sumi potest argumentum ad jejunii nostri suavitatem demonstrandam, objiciendo illud S. Augustini: Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris? 3. Ecclesiasticum; cujus excellentia et utilitas multiplex demonstrari potest. Vide Drex. *Aloe* l. I, c. I et III, l. II, c. V.

Potest ostendi varietas jejuniorum vitiosorum, nempe 1. Gulosum, seu eorum, qui jejunant, ut plus comedere possint, de quo vide Drex. in *Aloe* l. II, c. II, § 2 et c. VII, § 1. 2. Avarum, seu eorum, qui jejunant, ut pecuniis parcant. Vide ib. c. II, § 1 et c. VII, § 1. 3. Pharisaicum, seu eorum, qui propter vanam gloriam jejunant. Vide ibid. c. II, § 2. 4. Melancolicum et coactum jejunium. Vide l. II, c. VII, § 3 et c. VIII, § 1. 5. Superstitiosum, de quo vide c. VIII, § 2. 6. Mortuum jejunium, de quo vide ibid. cap, ult. et Staplet. Dom. I Quadrag.

Potest occasione illius sententiæ Ezechielis: Cibus tuus erit in pondere et mensura. EZECH. IV, 17.

Ostendi 1. Qualis requiratur mensura ad jejunandum, de quo vide *Aloe* l. II, cap. II, III, IV. 2. Quomodo etiam Deus præmium in

mensura et pondere ipsi correspondente sit largiturus, de quo vide ibid. c. VI.

Potest ex illa sententia Ecclesiastæ: Beata gens, cujus Principes comedunt in tempore, etc. ECCL. X, 17.

Ostendi, quam recte arguatur, Christianos vere a Deo electam gentem esse, ut quæ carnem crucifigat cum concupiscentiis suis. Unde potest hic de institutione Quadragesimæ agi, et quanti facienda sit indicari. Vide Drexel. in *Aloe* l. II, c. IX.

Potest dici, Proverbium illud S. Augustini: Deum non tam verba, quam adverbia amare ac præmiare, in jejunio vel maxime etiam locum habere, atque adeo ostendi potest, quod jejunium, 1. Vere, et non ficte. 2. Hilariter. 3. Pie, seu cum bona intentione. 4. Amanter, id est, cum munda conscientia. 5. Liberaliter, id est, varia bona opera addendo, sit transigendum. Vide Fabrum *Fer. Ciner.* con. II.

Potest ostendi, quomodo jejunantes excitare se possint ad alacriter suscipiendum jejunium, *exemplo Christi*, de quo S. Chrysostomus pulchram hanc sententiam protulit: Ne attendas ad laborem solum, sed ad fructum. Labor quidem nobis est in jejunando, at nondum pro Domino Jesu crucifixi sumus. Majora ipse tulit, parva nos reddimus. Crucifixus est propter te, et sitit, et bibit acetum cum felle propter te, quid tu propter ipsum? Stas in labore, nondum pependisti in cruce. Ne sis ingratus in Dominum Jesum: qui non compatitur Jesu, ignorat Jesum. S. CHRYS., t. I, in c. I *Gen.* hom. I.

ALII CONCEPTUS PRO CONCIONIBUS SERVIENTES.

QUALITAS. — Non probat Dominus qualiacumque illa jejunia, quia si tota Quadragesima ab illicitis eduliis abstineas, interim vero in malo statu perseveres, non est hoc bonum jejunium, quod famelicam relinquit animam. NYSSENUS, serm. II, *in die Cin.* § 3.

S. Basilius Magnus, hom. II *de jejunio*, quid sit legitimum jejunium sic describit: Verum jejunium est a vitiis immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, obtrectationis, mendacii, perjurii, ab his abstinere, verum jejunium est. Non est aurum, quidquid lucet; neque jejunant omnes, qui non comedunt. Temperare animo a pravis cupiditatibus, manibus a malefactis, oculis a petulantibus obtutibus, linguæ a susurro, obtrectatione, contumeliis, blasphemiis, ventri a gula simul et Venere, id verum jejunium ex S. Basilio. Quanta verborum gratia hoc expressit Leo, ille omnium, quotquot Ecclesia habuit, mansuetissimus: Superfluum est, inquit Magnus Pontifex, ser. VIII *de jejunio decimi mensis*, suscipere esuriem, et iniquam non deponere voluntatem, rescisso affligi cibo, et a concepto non desistere peccato. Carnale est, non spirituale jejunium, ubi soli corpori non parcitur, et in iis, quæ omnibus deliciis nocentiora sunt, permanere.

Quis nescit, quam perditis quondam moribus Ninivitarum urbs magna fuerit! Destinavit ad eam Deus Jonam Prophetam, qui in viam, et ad vitæ sanioris studia eam revocaret. Ivit Propheta, fecit quod jussus, et quoniam quadraginta dierum inducias, quibus scelera sua pœnitentia damnare, et errata emendare possent, addixit Rex omnibus jejunium, saccos, cilicia, cineres, et supplicia, quæ de se quisque sumeret, publico edicto imperans, ita decrevit: Homines et jumenta, et boves, et pecora non gustent quicquam, nec pascantur, et aquam non bibant, Jonæ III, 7. Primus legem subiit, qui tulit, et mox post illum cæteri, nec enim magnes tam facile ferrum ad se allicit et trahit, quam propense ad omnem boni operis usum subditos exemplum Principis adducit. Postquam devote obtemperarunt Regi, et pœnitentia tam strenua sua in se errata mulctarunt, resiliit a superiore illo severiore proposito Deus, qui novit retractare sententiam, dum impius mutat mentem. Sed quam nobis Scriptura revocati a Domino fatalis decreti causam assignat? Et vidit Deus opera eorum, inquit, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. Opere pretium est hic figere pedem, et pensiculare id, quod dicitur Deus vidisse opera eorum. Quare unum non commemorat jejunium jejuniorum omnium, quæcumque nobis historiæ produnt, prodigiosissimum? Quod jejunarint homines, quos ratio in rerum sublimiorum notitiam adduxit, visum id sæpe sitque hodie, ut communem abstinentiam servent plurimi; sed parvulos, et pecudes observantes jejunii quis vidit? Cur ergo tam inauditi jejunii non fit mentio, vel

ut inde intelligeremus, placuisse etiam illud Numini? Theophylactus prætermissi jejunii causam adfert causæ nostræ plurimum opportunam: Respexit autem Dominus, ait ille, opera ipsorum, videlicet bona, quæ fecerant, jejunium ipsorum non aspexit, proinde jejunium non fuit per se sufficiens, ut Deum redderet propitium, ut eum placaret, nisi et mores correxissent, et bona opera exhibuissent. Si victum tantum a se abdicassent Ninivitæ, non vitium, nihil obtinuissent; jejunium, quod solum Deo probatur, est a vitiis immunem esse. S. LEO, ser. VIII.

Gravis quidam et acutus auctor subtilem habuit de re aliqua cogitationem dignam, quam expendatis, et observetis. Quid mysterii subsit, aiebat, quod vix dum unus militum, Longinus quidam, lancea latus Christi aperuit, quando continuo exivit sanguis, non ille solus, sed comitatus aqua? Latet sub hoc sanguinis et aquæ pari effluxu non Sacramentum tantum, sed insigne quoque documentum. Quale porro documentum? Respondet, eo mysterio cum sanguine aquam concurrisse, ut hinc instrueremur, id a nobis in omnibus nostris mortificationibus, afflictationibus, jejuniis agi oportere, ut sanguinis comes semper sit aqua, ut qui in carnem suam flagris animadvertit, donec sanguinem vertat, qui jejuniis corpus emaciat, debilitatque, is hæc taliaque opera non sinat esse fletibus orba, sed cruori lacrymas adjungat, Deumque offendisse doleat, nam fundere sine aqua sanguinem, infructuosus labor est: jejunare, nec meliorem simul vitam vivere, inanis fatigatio est; abdicare a se cibos, non flagitia, est operam ludere, et oleum præterea perdere. Ibidem.

Isaias Propheta eamdem nobis doctrinam egregie tradit. Prævidebat ille stupendas mortificationes, et asperitates, quibus se afflicturi erant viri, qui in lege gratiæ futuri sancti erant, atque ne se infructuoso labore frustra conficerent, verum debito modo ea opera perficerent, his eos verbis ex sensu allegorico appellat: Egredietur virga de radice Jesse, XI, Is. I. Et talibus docemur, quem servare in jejuniis, cæterisque afflictionibus, modum debeamus; imo vero. Mox nempe subjicit: Et flos de radice ejus ascendet. Quis horum sensus, aut quomodo ea accipiam, ut in rem præsentem conveniant? Virga judiciariæ potestatis, a qua supplicia decernuntur et inferuntur, pœnitentiæ symbolum est, qua de nobis ipsis pœnas repetimus. Unde hæc pœnitentia oriri debet? De radice. Dicat, dicat hoc amplioribus, et illustrioribus verbis Albertus Magnus: Non solum ex summitate virgæ, sed ex radice ascendet flos, quia non tantum ex afflictione corporis, sed ex humilitate mentis ascendit flos, id est, spes æternæ beatitudinis. Hæc ille serm. LVI. Non efflorescet Christianus, nec quicquam proficiet, nisi virga, afflictatio, jejunium suum ab humili radice originem ducant, et cum animi demissione, pœnitudine ac vero dolore sint conjuncta; quod vero cum his conjunctum, idem bonum est jejunium. Ibidem.

Jejunium et pœnitentia obsonant Angelos et lautas epulas ad voluptatem beatis illis Spiritibus ministrant. S. Athanasius, cum verbis amplificare laudes jejunii vellet, non invenit commodiora, quam si diceret: Jejunium Angelorum cibus est, lib. *de Virgin.*; in tantam sublimitatem assurgit, qui rite jejunat, ut Angelis mensam opulentam opiparamque instruat. Sed ne simplex quidem, et promiscuum jejunium putes, ita post ista monet Divus Athanasius: Non enim qui a cibis jejunat solummodo, probe se gerit, sed qui abstinet ab omni opere malo, hoc enim jejunium censetur. Qui sic ventrem cibis vacuat, et ex animo simul vitia exhaurit, et abstinentiam escarum abstinentia condit offensarum, seu culparum, is ex voto et ad gustum Angelorum jejunat, et epulum illis dat tam gratum, quam splendidum. At si tale jejunium est Angelorum epulum, quisquis jejunat, et non ad modum, quem dixi, hoc facit, idem, quantum in ipso est, Angelos, Cœlitesque reliquos fame conficit, et necat; e contra vero dæmones pascit, inferisque convivium celebrat, quibus enim operibus offensionem adfert Angelis, iisdem voluptatem conciliat dæmonibus.

Filius prodigus id testatum dabit. Reliquit ille patrias ædes, prodegitque extemplo facultates omnes cum meretricibus. Hinc in tantam incidit egestatem, ut famulatui se addicere opus habuerit domini, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Lucæ XV. Porro qui porcos ad pastum ducebat, ipse impastus atque inesus dies totos transmittebat, cupiebatque saturari de siliquis, et nemo illi dabat. Itaque qui suibus suum victum procurabat, ipse arctissime jejunabat. Quos porcos dicas a prodigo filio pastos? Pascebat porcos, id est, dæmones, aiunt S. Augustinus et Hugo Cardinalis.

Cibos ergo dæmonibus inferebat copiosos, ipse ex jejunio famelicus. Sic quisquis perperam jejunat, quisquis vitiis pascitur, dum a victu abstinet, idem dæmones pascit, Cœlites fame necat. Pascebat dæmones, cibus et alimentum ipse erat; talis est unusquisque peccator, dæmonem ex se pascit. Quid facit alimentum in corpore ejus, quem nutrit? In substantiam comedentis transit, non aliter, quam mansuetudo ovis in feritatem simul et cibum leonis vertitur. Ergo qui jejunat, et interim peccat, uti filius prodigus fecit, si est cibus et nutrimentum dæmonis, in dæmonem vertitur, non transformatione naturæ, sed imitatione morum et vitæ. Prorsum hoc piissima veritas habet, qui jejunat, simulque peccat, dæmon est, diabolus est, inferorum verna est. S. Eligius et Isidorus id his paribus verbis affirmant: Qui a cibis abstinent, et prave agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, et nequitia semper est. Ibidem.

Utilitas. — De jejunio Sanctus Justianus, Archiepiscopus Toletanus, in suis Commentariis in Nahum sic ait : Jejunium est mors vitiorum, vita virtutum; est jejunium pars corporis, decus membrorum, ornamentum vitæ, castitatis murus, civitas sanctitatis. Omnia hæc sacri jejunii elogia vehementer probo, unum tamen est, in quo nonnihil difficultatis invenio, quod dicitur jejunium pars corporis, et decus membrorum. Quod abstinentia sit internecio scelerum, gladius flagitiorum, sanctitatis vigor et hospitatio, murus castitatis adamantinus, arx pietatis invicta, id facile est intellectu; verum quod sit pars corporis, et partium illius ornamentum, quomodo persuaderi queat, nescio, præsertim cum magis videatur imminuere, extenuare, et tanquam lima deterere corpus, et consumere, et membra ejus squalore obducere, et marcida efficere. At erras, mi homo, inquit S. Julianus, pusillanimitasque tua, et vana imprudentis rationis apprehensio a vero te abducit, jejunium enim non debilitat, sed roborat, et pœnitentia non est gladius interimens, sed panis confirmans, et vitam in eis reperis, in quibus invenire mortem putabas, cum e contra sæpe morbos, mortem incurras e ciborum luxu, et deliciarum intemperante usu, ex quibus et constantiorem incolumitatem, et vitam perdurabiliorem expectabas. Videte tale quidpiam in tribus pueris, sancti Prophetæ Danielis sociis, qui cum leguminibus tantum vescerentur et stata jejunia observarent, tam decentem formam, liberalemque, et elegantem speciem eis tenuis ille victus, et diuturnior inedia attulit, ut de eis sacer Textus, Dan. c, I, v. 19, ita pronuntiet: Non inventi tales de universis, ex omnibus adolescentibus, qui ad hoc nutriebantur, ut Regi ab intimis cubiculis essent, non fuit aliquorum tam grata Nabuchodonosoris oculis, quam Danielis, asseclarumque ejus venustas. Ex quo arbitrari licet quod jejunium non necat, non mactat abstinentia, sed ornat potius corpus, membraque illius honestat. Est jejunium pars corporis, decus membrorum. Majorque ex illo pulchritudo nascitur, quod fœdissimam turpitudinem allaturum videbatur. Part. I, VI *Polit.* c. II.

Quanta autem sit jejunii efficacitas, non parum ex eo elucescet, quod Regi virtutum et omnis potentiæ Domino in supremo illius, et pœnali cum acerba morte conflictu accidit. Blasphemias in illum plurimas et atrocissimas hostes ipsius capitales omnes jactabant, quod ipse, ex sententia S. Augustini, multo ante præviderat, et per os Prophetæ Regii prædixerat, quando, Ps. LXVII, v. 5, sic aiebat : Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis : confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste; et cum sitim meam, qua intolerantissime laborabam, illis significarem, dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto; ibid. v. 22. Satis manifeste hic videre licet, inquit egregie Doctor, quam accurate ad ipsum litteræ sensum expletum hoc fuerit in mitissimi Agni acerbissima passione. Cum enim videret quod omnia jam tormenta exantlasset, solusque reliquus esset ex aceto degustando cruciatus, vix ardentem sævamque sitim suam aperuerat, quando Judæi, ut illius dolores exasperarent magis, auctioresque redderent, mordax acetum ei propinarunt. Verum Evangelista monet, quod cum gustasset, noluit bibere. Matth. XXVII, v. 34. Dicit nunc Augustinus: Quidnam inter hos tam acres et acerbos conflictus, tantasque amaritudines patientissimus Dominus egit? Id, quod Propheta cum Evangelista congruens affirmat : Operui in jejunio animam meam. Ibid. v. 11. In quæ Augustinus: Jejunare elegit, impotus manere maluit, quam bibere. Cumque hac jejunii lorica se texisset: Consummatum est! inquit, apud S. Joannem c. XIX, 30, velut dixisset: Ad umbilicum deductum est nego-

tium, et certa est victoria. Qui enim forti hac, insignique lorica communitus est, non habet quod metuat, hostiumque profligationem, et indubitatum sibi promittere potest triumphum. Irrugiant itaque inimici, furiant hostes, ac perbacchentur, armentur blasphemiis, jactent convitia, vomant probra, quidquid libitum est, id faciant, et dicant, totus contra me orcus conjuret, sed hoc sibi persuasum habeat, quod inanis a me redibit, nam in me non habet quidquam, Joan. XIV, 30, hoc est, non inveniet, qua parte me invadere queat, ut fere exponit S. Gregorius: Cur istud? Quoniam operui in jejunio animam meam, jejunio contectus, jejunii scuto munitus, et a summo vertice usque ad extremas calces sum obarmatus. Quis sub his armis timeat? Quis tali clypeo scutatus tremat? Tanta nimirum vis est jejunii, ut Deus ipse illa uti videatur adversus omnes suos visibiles et invisibiles hostes, tanquam non haberet nativum robur suum et defendendi se, ac protegendi potentiam immensam. Quod autem jejunii præsidium sibi adhibere voluit magnus Dominus, hoc ad illius singularem commendationem fecit, ut, quanta sit illius virtus, et potestas, nobis innotesceret, quod scilicet solum tueri illum, cum tam multis in locis, tam rabiosis ab hostibus oppugnaretur, potuisset, tametsi vires, quibus seipsum defenderet, alias nullas habuisset. Id., l. I. c. VII.

Levitici XIV, mandat Deus duos passeres sacrificari, quorum alter occidendus erat, alter permittendus evolare; ut unus evolet, alteri moriendum est. Quid hoc indicat? Sacrificium, quod a nobis Deus exigit. Duo passeres sunt corpus et anima. Utrumque teneris offerre. Quomodo? Accipe cultrum et guttur alteri scinde, cultrum jejunii; sic evolabit alter. Ita Orig. in Psalm. XXXVII, hom. 1, ita opere ipso Paulus; Actorum c. IX, v. 9. Erat tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit. Corpus illius quasi passerculus jacebat in terra mortificatum, et ecce anima quomodo evolavit? Usque ad tertium cœlum raptus est in Paradisum; jejunium illum elevavit, ut fuse explicat Hieronymus lib. II *contra Jovinianum*. PHILIPP. HARTUNG., f. 274.

Elias et Moyses, quorum hic conjugatorum, ille Virginum, et Religiosorum exemplar a Christo assumpti sunt, ut constet, utrumque statum obligari ad jejunium. Eliam et Moysen iterum expendite, cujus utriusque corpus, vel non habetur, vel non videtur, quia jejunium sic corpus extenuat, ut videri non possit, ut rapi ad Paradisum, et transfigurari cum Christo mereatur. An dum extenuatur corpus, impinguatur animus. David de se : In terra deserta et invia, et inaquosa , sic in Sancto apparui tibi. Psalm. LXII. Hoc desertum jejunium est, et a cibis temperantia , inquit S. Ambrosius , serm. XXVII *de Quadragesima*; a cibis temperare, est Deo in Sancto apparere ; jejunium observare, est animo impinguescere, additur enim mox, vers. 6 : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Semper virtuti cibus jejunium fuit, teste S. Leone, serm. *de Jejunio*.

Eleganter S. Ambrosius, hom. XXXVII *in Quadragesima*, explicans id Genes. XXXVI : Comedit, et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos, etc. Adam Evam non nisi intemperantia cognovit, quamdiu jejunavit ab interdictis epulis, tamdiu et a pudendis jejunavere peccatis. Fames enim amica Virginitatis est, et inimica lasciviæ. Saturitas vero castitatem prodigit, nutrit illecebras. Nota quod David dicat : Operui in jejunio animam meam. At vero Adam violato jejunio vidit se nudum, quia nempe gula nudos facit, jejunium operit. Hom. XXX *in Gen.*

Bonum operimentum, quod animam tegit. Hæc iterum S. Ambrosius, lib. I *de Elia*.

I Reg. VII, contra Philisthæos victores pugnaturi, sub Samuele, Israelitæ jejunaverunt in die illa, vers. 6, et ita fregerunt hostes, ut nunquam redierunt : Nec apposuerunt ultra, ut venirent in termino Israel. Nec tantum ante pugnam, sed in ipsa die pugnæ jejunatum fuisse lego. I Regum XIV, Saul cum decem millibus contra Philisteos iturus, adjuravit populus dicens : Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam. Et quia Jonathas, qui solus paulo ante exercitum hostilem fregerat, ignarus juramenti, gustavit modicum mellis, pene se et suos perdidisset. I Machab. III, 47, Judas Machabæus cum suis jejunaverunt illa die; quo fructu? Die sequenti cum tribus millibus virorum tantum, qui tegumenta et gladios non habebant, contra Gorgiam, qui mille equites electos habebat, et quinque millia virorum selectissimorum (hi docti ad prælium) ad conflictum processit : venit. vidit, vicit. HARTUNG. fol. 276.

Satis de jejunio; addamus aliquid de modo jejunandi, qui ex modo edulium princeps

hujus temporis, salpam, inquam, parandi, desumitur. Quo salpa candidior, eo melior; et quo sincerior est jejunantis intentio Deo placendi, et Majestatem supremam, exemplo Jesu Christi placandi, hoc jejunium perfectius, sapidius et acceptius divino est palato. Candor Pharisæis defuit, hinc illud Christi Matth. VI, v. 16 : Nolite fieri sicut Hypocritæ. Maceratur in aquis salpa, jejunium tuum aquis pœnitentiæ et lacrymarum mergatur, nec desint eleemosynæ, quas aquis conferri, ex cap. III, v. 33 Ecclesiastici, didicimus : Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. Salpa denique tunditur, ut mollescat, et aromatis variis conditur ut sapiat. HARTUNG. fol. 277.

Jejunavit Salvator noster, quando a dæmone tentandus, ut tali exemplo nos doceret adversus tentationes nulla esse jejunio validiora arma, non scutum, non loricam defensioni commodiorem. Subnotavit hoc S. Basilius Magnus, hom. I *de Jejunio*, ubi sic habet : Dominus noster non prius in carne, quam pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit, quam eam jejunio communisset. Itaque tam est potens armatura jejunium, ut securus inire bellum, et congredi cum hoste possit Christianus quisquis illa est instructus. Magna sane exaggeratio est, quod Christus non prius in carne diaboli insultus excepit, quam eam jejunio communisset. Quid enim amplius, aut majus dici queat? Videtur enim jejunium tam forte esse scutum, ut illo satis esse tectus, ac tutus Christus potuerit, tametsi omni alio defensionis genere nudus. NYSSENUS, *Dom. 1, Quadrag.* § 3.

Aiunt nonnulli Samsonem fuisse gigantem. Si ita est, ut ii volunt, quis eum gigantem fecit, atque ita fascinavit, ut perpetuus ab hostibus victor rediret, quem si a viribus et robore æstimes, magis ex ære fusum, quam ex carne et sanguine coagmentatum dicas? Quæ res fortissimum Samsonem fecit inexpugnabilem? Clamat Magnus Basilius, hom. I *de Jejunio.* Respondetque : An non jejunium? Cum jejunio in utero matris conceptus est, cum jejunio educatus est. Jejunio in virum adolevit; et quomodo non omnes superaret, ac vinceret ? (Ibid.)

Cui familiare est jejunium, is non hominum sed Angelorum posthac catalogo est inserendus, de quo S. Athanasius, Orat. *de Virg.*: Qui jejunio utitur, Angelici ordinis censendus est. Quid habet Angelus? Illam unam inter plurimas excellentias, quod nec benedictione nec maledictione movetur : II Regum. IV, v. 17, cujus tam est inexpugnabilis fortitudo, ut nec adulationibus intumescat, nec dejiciatur probris. Talis est, qui jejunii observans, Angelici ordinis censendus est, vivit ut Angelus, atque ob id est insuperabilis. Quid vero si etiam Dei vitam vivat? De quo David ait : Non accedet ad te malum, Psalm. XC, ipse namque sua essentia habet immunitatem, ac libertatem ab omni malo, damno, incommodo. Tali privilegio ex gratiæ dono gaudet, qui jejunat, nec enim alius illo vicinius ad Deum accedit, quod S. Ambrosius enarrat, I *in Jonam* sic expressit : Aliter Deo proximi esse non possumus, nisi ad eum jejuniis propinquemus, Deus enim ipse jejunans, et sanctus est. At si Dei vitam vivit, quisquis jejunat, quomodo non semper triumphet, donec in hoc mundo agit? Quæ illi pœna incommodabit? Quæ illum tentationes subigent? Quis hostis suppeditabit? Ibid. fol. 61.

Murus est Christiano jejunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim unquam Christianorum jejunavit et captus est? Quis sobrius mansit, et victus est? Temulentum aggreditur diabolus, luxuriosum aggreditur inimicus. Ubi autem jejunium videtur, fugit, metuit, terretur, pertimescit; debilitatur inedia, infirmitate prosternitur. Prosternitur, inquam, infirmitate quia Christianorum infirmitas fortitudo est. S. CHRYS., serm. I, *de jejunio.*

Ne sis ingratus erga Dominum Jesum, ne deplores, quod jejunas, sed plora, quod non semper jejunas (hoc, obsecro, alte infige animo, non plora, quod jejunas, sed plora, quod non semper jejunas). Qui non compatitur Jesu, ignorat Jesum ; qui repellit jejunium, ignorat crucem, quæ ut non est mala, ita nec tu eam, quasi malam suspiceris, ne sit fœdus servus, qui minister est Dei. DREX. l. II, c. II, *Aloe.*

Jejunium modestiæ principium, fructuosa naturæ violentia, malarum cogitationum fuga, gulæ victoria, insigne lumen animæ, interioris hominis refectio, orationis munditia, mentis custodia, meritorum schola, luxuriæ restinctio, noxarum abolitio, contritionis janua, intemperantiæ disciplina, Angelorum vita, quietis occasio, obedientiæ custos, tranquillitatis parens, robur animi, spiritus vigor, radix gratiæ. Jejunium salutis alimentum, libidinis trophæum, castitatis

murus, pudicitiæ propugnaculum, humilitatis augmentum, concupiscentiæ triumphus, imbecillitatis allevamentum, sanitatis asylum. Jejunium omnis esculenti condimentum, valetudinis summum præsidium, jejunium pœnitentiæ fundamentum, crapulæ antidotum, ægrotationis remedium, contractæ culpæ excidium, fidei vexillum, peregrinationis necessarium viaticum, reconciliationis acceptum sacrificium, omnis piæ actionis adjumentum maximum. Jejunium prorsus est Aloë saluberrimi, licet amarioris succi, jejunium vere pharmacum est pharmacorum omnium præstantissimum. Jejunium mors vitiorum, incrementum et vita virtutum, Paradisi ostium. Vides, ait Chrysostomus, quanta res sit jejunium; Angelos ex hominibus facit. Ibidem.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Quicumque fecerat votum in lege, et se volebat Domino consecrare, a vino, et omni eo, quod inebriare poterat, abstinere debebat. Num. vi.

Dicebat unus ex Patribus: Invenitur homo multum comedens, et adhuc esuriens, ne satietur; alter autem parum comedit, et satiatur; ille autem majorem habet mercedem, quam iste. *Vita* PP., l. III, n. 48.

Recte dicebat Schola Salernitana: Si dat oluscula mensa minuscula, pace referta, ne pete grandia, lautaque prandia, lite repleta. Scholæ Salern.

Platonis convivia duo dicebantur habere commoda, jucundum et utilem discursum, et ut sequenti die alicui bene esset. Langius *in Poly*.

Epaminondas Thebanus a vicino ad cœnam invitatus cum mensam deliciis affluentem reperisset, iratus discessit dicens: Ego te opinabar rei divinæ operam dare, non de contumelia cogitare. Ibidem.

Socrates interrogatus, per quid differret ab aliis hominibus? respondit: Alios vivere, ut comedant; se vero comedere, ut vivat. Ibidem.

Utilitas. — Lacedœmonii nullam disciplinam abstinentia potiorem habebant, ideoque adolescentes obesos inedia macerabant. Ibidem.

Diogenes juveni cuidam dicenti, se ad convivium invitatum esse, dixit: Noli ire, deterior redibis. Ibidem.

S. Vincentius Ferrerius quærens, cur Christus in monte Thabor Moysen et Eliam secum adduxerit? respondet, id ideo contigisse, quia isti soli ex antiquis Patribus Quadragesimam jejunaverunt. S. Vinc., serm. ii, *Sab. ante Reminisc.*

De Christo Ven. Beda dixit: Carnem ipsius prius oportuit elevari per Ascensionem, quam Spiritus Sanctus descenderet, ut doceret carnem prius per jejunium alleviandam, ut ad spiritum et spiritualia animus resurgat. Ven. Beda, *in Ps.* cxciii.

Cum Absalon exul a patre sæpius requisivisset Joab amicum suum, ut veniret ad ipsum, isque semper petitionem neglexisset, servos suos misit, omnesque segetes illius comburi jussit, sicque facile obtinuit, ut veniret. Simili modo anima peccatrix desiderans æterno Patri conciliari, sæpe quidem invitat corpus, ut et ipsum veniat ad Patrem, lacrymas fundendo, et pœnitentiæ opera peragendo pro ipso intercedat, sed hoc, quamdiu messis, id est, nutrimentum voluptatis adest, venire recusat; hac autem messe destructa per jejunium, parebit.

Abbas Ypericius dicebat: Jejunium est frenum monachi adversus peccatum. Qui autem abjicit jejunium, velut equus fervens desiderio feminæ rapitur. Et alias dixit: Siccatum jejunio corpus animam e profundo elevat, et siccat fistulas delectationum. *Vita* PP., l. III.

In trecentis viris, qui aquas lambebant, et moderate bibebant, liberavit Dominus Israel de manu Madian. Judic. vii.

Grues ante quam in remotas regiones volitent, nihil nisi arenam comedunt, ne pinguescant, et in volatu retardentur; cur homo in cœlum volaturus non perinde abstinentia se præparet. S. Vinc. *Sabb. ante Reminisc.*

AXIOMATA.

Quo minus ægrotes, non extra tempora potes. Schola Salern.

Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna.

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis. Ibid.

Pone gulæ metas, ut sit tibi grandior ætas.

Per raros pastus, carnales deprime fastus.

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant hæc tria: mens hilaris, requies moderata, diæta. Tympius Gobat, *in accusat. canon.*

Q[illegible] t[illegible] potarum plus est in ventre salutem,
Hoc minus ex haustis hisce salutis habes.
Est sanitatis mater abstinentia.
Ut tibi non male sit, fuge quidquid in arbore crescit. DREXEL. *Aloe.*, lib. XI, c. IV.
Servares vires, si rura frequenter obires.
Bacchus amet Glaucum, victum quoque sumito paucum.
Esurias, sitias, vigiles; sic rheumata cures.
Nam morbos multos fercula multa ferunt.
Abstinentia ac quiete morbos cures plurimos. Ibidem.
Vis sanus permanere?
Horis omnibus exercere:
Cursum canis non æmulare:
Modico cibo utere. Ibid., c. V.
Anima sicca sapientissima. HERACTUS.

AUCTORES.

Jeremias Drexelius in *Aloë.*

Franciscus Labata. Tit. *Abstinentia.*

Philippus D'Outreman in *Pædagogo Christiano* p. 2, c. XXIV, § 6.

Petrus Canisius tom. IV, c. IV.

Ludovicus de Ponte tom. III, tr. II, c. XIV.

Petrus Sanchez *in Regno Dei* p. V, c. VII.

P. Albertus Magnus in *Paradiso animæ* cap. VII.

Ludovicus Granatensis in *Silva locorum comm.* fol. 538.

Nicolaus Lancizius opusc. II, c. II et XV.

Jacobus Alvarez t. II *de adept. virt.* l. III, p. II, c. X et XI.

Franciscus Arrias tom. III, tr. V, a., c. IV usque ad XXI.

Didacus Stella *de contemptu mundi* l. III, c. XVIII.

Bernardinus Rosignolius *de discipl. Relig. perf.* l. IV, cap. XXXIV.

Matthias Faber *Fer. Cin.* conc. I et II. Item *Dom.* 1 *Quadr.* conc. IV, V et VI.

Thomas Stapletonus text. 2 *in Dom.* 1 *Quadr.* Item text. 6 *in Dom. infr. Nativ.*

Josephus Mansi *Bibl. moralis* tr. I.

ACCEPTIO PERSONARUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Juxta S. Thomam est inæqualitas Justitiæ distributivæ, in quantum alicui attribuitur præter proportionem. S. THOM. II, II, qu. LXIII, art. 4.

Seu, ut fusius describit Alexander de Alexandris, est injuria, qua persona personæ præfertur in conferendo ei aliquid, quod ex debito justitiæ alteri est conferendum, ratione alicujus conditionis transitoriæ, non congruentis ad ipsam rem existentis circa Personam, puta divitiarum, potestatis terrenæ, vel cognationis carnalis, et non ob meritum ejus ad ipsam rem. ALEX. AL. II, II, *de accept. pers.*)

ACTUS. — Octo assignantur in Jure Canonico. Primus est in *Pœnitentiæ impositione*, de qua sic loquitur Concilium Laodicense: Sacerdos pœnitentiam imploranti absque Personarum acceptione pœnitentiam secundum leges injungat, negligentiores vero pœnitentes tardius reconcilientur. XXVI, q. VII, can. 6.

Secundus est in *Pœnitentiæ definitione*, de qua sic Nicolaus Papa: Necesse est, secundum sacrarum Scripturarum documentum, ac secundum justitiæ tramitem, et accusatum, et accusatorem simul adesse, et unam partem, qualicumque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur. Q. VI, can. 20.

Tertius est in *Fidei prædicatione*, de qua idem Pontifex sic scripsit: Ubinam legistis Imperatores antecessores vestros Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ omnium communis, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, et ad omnes omnino pertinet Christianos? Dist. XCVI, c. IV.

Quartus est *Hospitum receptione*, de qua Sanctus Chrysostomus: Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat. Si scrutator esset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset; fortassis enim non putasset Angelos, sed cum reliquis repelleret; sed quoniam omnes recipiebat, suscepit et Angelos. S. CHRYS. in ep. *ad Hebr.*

Quintus est in *eleemosynarum largitione*,

nam hæc, teste S. Hieronymo, indifferenter omnibus patet, juxta illud : Omni tribue. S. Hier. *ad Paul.*

Sextus est in *dignitatum collatione,* quoniam, ut ait Sanctus Chrysostomus, non, qui major fuerit in honore inter homines, ille est justior, sed qui justior, ille major. S. Chrys., h. xli, in cap. xxiii *Matth.*

Septimus est in *honoris exhibitione*, nam vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia et sanctitate, qui est honore præstantior, ut Symmachus Laurentio, Mediolanensi Episcopo, scripsit.

Octavus est in *judiciorum declaratione,* de qua Josaphat dixit ad constitutos a se Judices : Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec Personarum acceptio, nec cupido munerum. Lib. II, *Paral.*, c. xix.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Non consideres personarum pauperis, nec honores vultum potentis, juste judica Proximo tuo. Lev. xix, 15.

Nulla erit distantia personarum ; ita parvum audies, ut magnum. Deut. i, 17.

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini Jesu Christi gloriæ. Etenim si introiret in cœtum vestrum vir annulum aureum habens, in veste splendida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene ; pauperi autem dicatis : Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum ; nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum ? Audite, Fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni ; quod repromisit Deus diligentibus se? Jacob. ii, 1.

Damnum. — Si legem perficitis regalem secundum Scripturas : Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, bene facitis ; si autem personas accipitis, peccatum operamini, redargutì a lege quasi transgressores. Ib. 8.

Est, qui perdet animam suam præ confusione et ab imprudenti persona perdet eam, personæ autem acceptione perdet se. Eccl. xxiv.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Nos non judicatis secundum merita causarum, sed personarum ; non jura, sed munera ; non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet ; non quod sentiat, sed quod mens cupiat : non quod liceat, sed quod libeat. Nunquam in vobis est ita simplex oculus, ut totum corpus lucidum sit ; sed aliquid semper dimittitis fermenti, quo totam massam corrumpitis. Innoc. I. II, *de cond. vil. hum.*

Clamat pauper, et nemo exaudit ; loquitur dives, et quilibet applaudit. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad urbem perducunt. Pauper locutus est, et dicunt : Quis est hic ? et si offenderit, subvertent eum. Clamat vim patiens, et nullus exaudit, vociferatur, et non est qui judicet. Diviti dicunt : Tu sede hic bene ; pauperi vero : Tu sta illic, vel sede sub scabello pedum meorum. Idem.

Nec bonis adversariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum ; nec amicorum sunt laudanda vitia, et unum quodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est. S. Hieron. *ad Pammach.*

Personam hominis accipere est, hominem, non quia homo, sed propter aliquid quod circa ipsum est, honorare. S. Greg. in hom. IV *Mor.*

Fuga. — Absit, Domine, ut in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles, quando potius infirma mundi elegisti, ut confunderes fortia. S. Aug. in Serm.

EXEMPLA.

Anno Christi 568, cum Justinus Imper. videret subditos a suis dominis gravissime opprimi, nec monitis et rescriptis quidquam proficeret, convocatis aliquando in Curiam potentibus eos hortatus est, ut vel deinceps a simili oppressione pauperum abstinerent, aut alium Imperatorem eligerent. Quo audito procerum quidam assurgens, sic Imperatorem allocutus est : Constitue me coram omnibus præfectum urbis, mandaque, ut cujusque rationem potiorem justitia non habeam, utque mihi de tuis rebus monituro aditus semper pateat, et recipio, me intra

mensem effecturum, ne ulla amplius injuria illata audiatur. Quod cum pergratum fuisset Imperatori, ideoque ipsum Præfectum constituisset, paulo post venit vidua et a magistratu suo omnibus facultatibus spoliatam se fuisse conquesta est. Unde statim Præfectus eum per hanc viduam primo, dein per aliquem ex famulis citari jubet, cumque is non comparuisset, sed a rege ad convivium invitatus fuisset, eo ipse quoque Præfectus se confert, aitque Imperatori: Si in eo persistis, o Imperator, quod mihi mandasti, ne scilicet cuiquam eorum, qui pauperes opprimunt, parcam, scito, me quoque promissis satisfacturum. Sin eos tu, pœnitentia ductus, amicos potius habes et conviviis adhibes, scito, me quoque detrectare ea, quæ in me recepi. Ad quod cum Imperator responderet, ut seipsum solio detraheret, si sontem sciret, Præfectus illico oppressorem abripi, in curiam abduci et causa examinata, verberibus mulctari, caput radi, nudumque asino impositum per urbem circumduci jubet, omnes vero opes illius mulieri viduæ addicit. Quo facto omnes adeo conterruit magistratus, ut nulla unquam injuria deinceps illata audiretur, ipse vero Præfectus patritia dignitate ornatus in officio confirmaretur. Fab. conc. viii, *in fest. S. Magd.*

Canutus, Wandalorum Rex, cum plurimos in latrocinio deprehensos ad mortem damnasset et unus ex illis clamaret, se de principis Canuti cognatione esse, respondit Rex: Ergo cognato nostro, ut honoratior sit locus, sublimius patibulum præparate. Cranzius, l. III, *Wand.* c. xxxii, apud Fabr. IX *in Dom.* 22, *post Pent.*

Canutus, Haraldo defuncto, Danorum Rex factus, cum magnatum insolentia solutos, hebetatosque prisci juris nervos aspiceret, omnibus ingenii modis ad reparandam patrii moris disciplinam connisus, probatioris justitiæ cultum severissimis edidit institutis, contusumque et labentem æquitatis tenorem in pristinum habitum revocavit. Non sanguini, non necessitudini, quo minus juste se gereret indulgentiam habuit, nullius amicitiæ aut familiaritatis impunitatem injuriæ tribuit; sed omnia antiquæ consuetudinis momenta præcurrens labefactatum juris vinculum, tenacissimo nexu astrinxit, ac paternæ severitatis vestigia sollicitus usurpavit. Saxo. Gram. t. XIII *Hist. Danica.*

Cum S. Dunstanus, Cantuariensis in Anglia Archiepiscopus, luxum quorumdam ex Clero castigare vellet, ejusque veniam et impunitatem Rex ipse deposceret, imago Christi, cruci affixi, quæ præsens erat, ad Dunstanum conversa, hæc dixit: Castiga illos, neve parce. Qua voce stupefactus Rex a deprecatione destitit. Petrus Ribadeneira l. II *de Principe Christiano*, v, ex Surio, t. II.

SIMILITUDINES.

Quemadmodum sol tam egenis quam divitibus æquali modo ac mensura lumen dispensat, sic Principum est, sine ullo, personarum respectu, subditorum causas examinare, et æquali justitiæ temperatione judicare. Carolus V, apud Fabr. l. c.

Sicut caprea æqualiter lac porrigit gemellis, etsi alter candidus, alter niger sit; ita æqualiter charitas dispensanda est hominibus, etiamsi alius pauper, alius dives sit; unde de Sponsa dicit Sponsus: Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Cant. iv, 5.

Sicut Verbum ad dexteram Patris sedens, quinque vulneribus suis trahit animas beatas ad se, tanquam ad objectum beatificum, et in terra alias ad se creaturas trahit vi meritorum, et tanquam objectum contemplationis; sic anima in memoriam revocans sibi vulnera Christi a Verbo relicta, trahit ad se quinque ictibus amoris omnes creaturas, desiderando ex charitate accendere omnes amore Verbi, et spargere ubique illum ignem, quem Verbum venit accendere in terra. *Vita S. Mad. de Paz.* p. s. § 2.

ASCETICA.

Etsi omnes homines studiose vitare debeant acceptionem Personarum, præcipue tamen Asceta conari debet, ut omnes universali amore complectatur, nec ullum inter Personas ob naturale motivum, sine gravi ratione, faciat discrimen; cum enim hic supponatur magis illuminatus a Deo, merito ab eodem quoque requiritur, ut purioribus oculis proximum suum consideret, et non tam externa corporis aut facultatum bona, sed internam animæ pulchritudinem attendat; id quod breviter et bene S. Bernardus indicavit, dum dixit: Sunt namque, qui pulchros, despectis deformibus, amant et

laudant, suspiciunt et honorant; illi vero, qui sanos habent oculos, solam animi pulchritudinem in homine diligunt et reverentur. S. Bern. *de ord. vit.*

Ut ergo hanc doctrinam tanto perfectius observare queat Asceta, tria præcipue bene nosse et considerare debet.

Primum est, ut sciat, quid in iis, cum quibus agere solet, considerare debeat, nempe non exteriorem corporis (quod saccus stercorum, sterquilinium nive coopertum, sepulchrum foris dealbatum, intus autem plenum ossibus est) formam, sed internum animæ decorem et dignitatem (quæ ex eo, quod sit imago et similitudo SS. Trinitatis, vivum Spiritus S. templum, membrum Christi, ejusdem sanguine pretiosissimo totum, emptum et redemptum, hæres regni cœlestis etc. exurgit) attendat; hæc namque motiva cum in omnibus æqualiter reperiantur, merito ad æqualem quoque allicere debent amorem.

Secundum est, ut diligenter consideret exempla, quæ in hoc genere Christus, SS. Apostoli, aliique viri sancti et zelosi reliquerunt. Et Christus quidem per appositum nobis, teste S. Ambrosio, specimen dedit, dum ad curandum Reguli filium, etsi coram ab eo nec obiter rogatus, domum tamen illius pergere noluit, ne in illo curando videretur divitias et dignitatem respexisse. E contrario vero ad servum Centurionis, licet ipse Centurio non rogaverit, sanitati restituendum mox dixit: Veniam, et curabo eum; ne videretur in famulo tali conditionem despexisse, et ut formam daret imitandæ humilitatis, qua humilioribus juxta ac superioribus deferendum doceret. Sed et S. Paulus hac in parte præclarum se magistrum exhibuit, hinc tam sollicite monuit, ut non sit servus, non masculus, non femina, sed omnes unum in Christo Jesu, non ignarus videlicet, Christum *omnes* homines velle salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; sed et dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus. Gal. i.

Hinc, et Pater cœlestis aliquando S. Catharinæ Senensi dixit: Recte desiderii sancti sine dubio acceptat omnes, ex eo, quia anima famelica mei honoris non est contenta particulam habere, sed omnes habere peroptat; bonos habere quærit, ut eam adjuvent in suo reti ponere pisces, et ut sibimet quotidie conservent, et augeant perfectionem; imperfectos vero cordialiter affectuose desiderat, ut boni sint; infideles quoque tenebrosos exoptat, ut veniant ad lumen sancti Baptismatis. Omnes ergo peroptat habere, cujuscumque conditionis vel status existant, ut ex eo, quod omnes in me videt, a mea bonitate creatos, cum tam ignifera charitate, atque pretioso sanguine Jesu Christi Filii mei redemptos. (Dia. cxlvi.)

Tertium est, ut, quantum est ex se, propensius ad plebeios, humiles et egenos, quam opulentos ac honoratos excolendos et juvandos inclinet. 1. Quia sic Christus exemplo suo docuit, qui et inter signa adventus sui nuntiari S. Joanni jussit, quod Pauperes evangelizentur. Matth. ii, 5.

2. Quia in pauperibus magis elucet imago Christi, qui, cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus. 3. Quia securiores hac ratione sumus, nos pure Deum, ejusque honorem in procuranda proximi salute quærere. 4. Quia humilium, abjectorumque conversatio humilitatis nostræ conservatio est. (I Cor. ii.)

5. Quia constat experientia, apud hos utilius quam apud alios operam nostram collocari, cum ut plurimum æquiore animo salutis monita, reprehensiones, ac leges accipiant, quam divites et honorati, apud quos multa sæpe ex respectu supprimuntur, quæ postea suppressa fuisse, non modice dolemus. 6. Quia cum magnis dominis multum temporis, nullo aut certe perexiguo fructu conteritur, ex turba simplici plerumque plurimum lucri brevissimo tempore reportatur; quia cum istis statim ad rem veniri potest, quo cum magnatibus nonnisi per ambages obtinetur.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Non male hanc acceptionem personarum descripsit Ovidius, dum cecinit:

Curia pauperibus clausa est; dat census honores;
Census amicitias; pauper ubique jacet.
(Ovid. l. I *Amor. Laert.*)

Nec inepte Solon et Anacharsis leges araneorum telis comparabant; ut enim hæ infirmiora animalia retinent, validiora transmittunt; ita a legibus humiles et pauperes constringuntur, divites et præpotentes liberi relinquuntur. (Valer. Max. l. VII *Sap. dicta.*)

AXIOMATA.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas. Juven.

Instar multorum est, quem Jupiter æquus amavit. Ibid.

Neminem gravat, quod æquo quilibet facit modo.

AUCTORES.

Josephus Langius, in *Polyanthœa* V, eodem.

Alphonsus Rodriguez, p. III, tr. I, c. XIV.

Nicolaus Lancizius, opusc. XIII, c. VIII.

ACEDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Acedia est tædium spiritualis boni quo quis negligit bona debita inchoare, aut cœpta perficere; ut S. Bernardus describit. In Epist.

S. Gregorius dicit eam esse languidam dejectionem utriusque hominis de virtutum laudabili exercitio. Sed et alii SS. Patres per eam communiter intelligunt tædium in exercendis actionibus piis ad salutem necessariis.

Juxta S. Thom. Acedia est remissi animi languor ad bene operandum, præsertim vero tristitia est de re spirituali. Quæ has gignit filias : Malitiam rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta necessaria, mentisque circa res illicitas evagationem. S. Th. II, III, q. XV, art. 1.

Juxta S. Damascenum vero acedia est quædam tristitia aggravans quæ scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat, sicut ea, quæ sunt acida, frigida sunt. Ib. art. 4.

Et ideo acedia importat quoddam tædium operandi, ut patet per hoc, quod dicitur in Glossa super illud psalmi : Omnem escam abominata est anima eorum. A quibusdam dicitur, quod acedia est torpor mentis, bona negligentis inchoare. S. Bonaventura, S. Augustinum sectatus, eam definit : Tædium interni boni. S. Bonav. p. I, cons. VII.

Denominatur a græca voce, significans tristitiam ac tædium, quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili, etc. Desidia dicitur, quasi desistentia; negligentia vero magis respicit significationem propriam, scilicet omissionem circumstantiæ debitæ; quasi non diligentia; sunt autem comites negligentiæ, torpor et pigritia, quæ, quamvis sint idem, tamen pigritia dicitur, eo quod pigeat difficultas laboris ; torpor vero aspicit appetitum quietis.

Divisio. — Varie a variis dividitur. 1. Marchantius juxta definitionem S. Bernardi supra traditam assignat duas species, quarum prior est, qua bona opera cum tædio, et tristitia aggredimur; posterior, qua inchoata bona ex tædio intermittuntur. In *Horto Past.*

2. Jacobus Alvarez in mortalem et venialem dividit, quarum prior morti spirituali comparatur, de qua S. Paulus dixit : Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Eph. V, 14.

Et Siracides : Tabitudo et mors imminet in mandatis ejus. Eccl. XXVIII, 37.

Posterior somnus spiritualis vocatur, de quo S. David locutus est : Dormitavit anima mea præ tædio. Ps. CVIII, 28.

Actus. — In exercitiis spiritualibus remisse se gerere ; meditari sine fructu ; orare sine devotione ; conscientiam suam cursim examinare ; legere, quæ delectent, non quæ moveant ; in confessione durum, in communione lapidem et sine sensu existere ; in exhortationibus spiritualibus sponte ad aliena distrahi, ita ut cum Israelitis dicat : Anima mea nauseat super cibo isto levissimo. Num. XXII, 5.

Nunquam se colligere ; nam ut recte Thomas Kempensis ait : Si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille qui raro aut minus fixe aliquid proponit ? Liv. III, c. XIX, § 2.

Proposita sua assiduo mutare ; nam, ut idem dixit : Si pietatis causa, aut fraternæ utilitatis proposito quandoque consuetum omittitur exercitium, facile postea poterit recuperari. Si autem tædio animi, aut negligentia facile relinquitur, satis culpabile est, et nocivum sentietur.

Otium et carnalia desideria sectari ; nam ut recte S. Gregorius dixit, mens, quia se ad superiora stringenda non dirigit, neglectam se inferius per desideria expandit. Et dum studiorum sublimium vigore non constringitur ; cupiditatis infimæ fame sauciatur, ut, quo se per disciplinam ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. S. Greg. l. III *Past.* XVI.

Cui recte per Salomonem dicitur : Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei. .Prov. xxvi, 4.

Colloquia inutilia quærere et frequentare ; nam, ut iterum pius Asceta ait : Ideo tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. L. I, 2, 10.

Ferventes homines aversari, et Patres Spirituales fugere ; de quo gradu sic loquitur S. Laurentius Justinianus : Instigante livore detractionibus linguæ habenas laxant (tepidi fratres) et vitam proximorum murmurationibus dilaniare non cessant, observant gressus, verba discutiunt ,et mores illorum, quibus invident, semper dijudicant. Eorum derogant devotionibus, eorum virtutibus lacessuntur, eorumque bonis operibus affliguntur. Facile et pro minimo adversus eos, qui æmulantur, turbantur, nec spiritu livoris agitati suum valent cohibere vel dissimulare furorem. Non possunt pacifice loqui, sed mox, ut verba protulerint, fervore intrinsecus inchoant, forisque contumeliosa verba jaculantur. Bonum illorum malum dicunt, sed vel utinam malum bonum. Insanabilis prorsus istorum est languor ; non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt. Quin potius, quemadmodum lignum accenditur additione lignorum, ita et horum passio augetur multiplicatione virtutum. S. Laur. Just. *de dis. Mon.* xiii.

Filiæ Acediæ. — S. Isidorus sequentes septem filias ei assignat, quæ sunt, otiositas, somnolentia, importunitas mentis, inquietudo corporis, instabilitas, verbositas, curiositas. S. Isid. l. III, *de summo bono.* xxxvii, ap. S. Th. cit.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat. Pr. vi, 6.

Vult, et non vult piger : arare noluit, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei. Pr. xiii, 4.

Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam dereliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Eccl. ix, 10.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Hebr. xii, 12.

Propter quod remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Ib. xxvi, 13, 14.

Dicit piger, leo est in via, et leæna in itineribus : sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manum sub ascella sua, et laborat si ad os suum eam converterit. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. Ib. 15, 16.

Damnum. — Pigrum dejicit timor : animæ autem effeminatorum esurient : qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Pr. xviii, 8.

Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam. Qui autem negligit viam suam, mortificabitur. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. Ib. xix, 16.

Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quidquam manus ejus operari : tota die concupiscit et desiderat ; qui autem justus est tribuet, et non cessabit. Ib. xxi, 25.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, replebitur egestate. Ib. xxviii, 19.

In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua. Ps. lxxii, 5.

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter ; vel, ut septuaginta transtulerunt, negligenter. Jer. lxviii, 10.

Sic stulti estis, ut, cum spiritu cœperitis, nunc carne consumemini. Gal. iii, 3.

Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi : Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. Matth. xiii, 19.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio ; succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ? At ille respondens, dicit

illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora ; et si quidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam. Luc. xiii, 6.

Ego sum vitis, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. Joan. xv, 1.

Serve male et piger, sciebas quia meto, ubi non semino, et congrego, ubi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit ; ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus, et stridor dentium. Matth. xxv, 16.

Videte, vigilate et orate ; nescitis enim quando tempus sit, etc. Vigilate ergo, (nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : vigilate. Marc. xiii, 33, 35.

Surge qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, etc. redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Eph. v, 14.

Esto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo; in mente ergo habe, qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te. Ap. iii, 2.

A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum Cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud. Matth. ii, 12.

Omnis piger in egestate est. Desideria occidunt pigrum, noluit enim quidquam operari. Pr. xxi, 5 et 6.

Inutilem servum ejicit in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Matth. xxii, 13.

Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non se præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Luc. xii, 47.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollent eum. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittetur, et ardet. Joan. xv, 2.

Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat. Pr. x, 4.

Iter pigrorum quasi sepes spinarum : via justorum absque offendiculo. Pr. xv, 19.

Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Ib. xxiv, 30.

Usquequo, piger, dormis ? Usquequo de somno consurges? Parum, inquam, dormis, modicum dormitabis, pauxillum manus conferes, ut quiescas? et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas, quasi vir armatus. Ib. 32.

Qui congregat in messe filius sapiens est : qui autem stertit in æstate, filius confusionis. Pr. x, 5.

Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te emovere ex ore meo. Apoc. iii, 15.

Jam securis ad radicem posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Matth. iii, 10.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — O Homo imprudens, millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei, et tu sedere præsumis. S. Bern. in *Ser.*

Vult, et non vult piger. Pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Deo, et non laborare pro Deo. Delectant præmia, cum pollicentur; deterrent certamina, cum jubentur. Beda *sup. Prov.* lib. II, xii.

Non dormientibus provenit Regnum Cœlorum, nec otio et desidia torpentibus Beatitudo æternitatis repromittitur. S. Leo ser. *de Apparit.*

Torpor et ignavia dicunt, si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris ; si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis ; si prolatis vigiliis psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris ; si quotidiano labore te conficis ad opus spirituale quando consurgis? S. Aug. *de conflictu vit. virt.* ix.

Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens,

sua conscientia ; nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet. Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta et sordida. Ubi vitis virtutis? Ubi botrus boni operis? Ubi vinum lætitiæ spiritualis? Per agrum hominis pigri transivi, inquit, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. S. BERN. serm. LXIII.

Nemo dicat, sufficit mihi, justus sum. Qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit : Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Et rursum dicit : Qui se putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire. Unum autem, quæ retro sunt, oblitus, in ea quæ ante sunt extensus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu hæsisti? ille nondum dicit se perfectum, et tu jam de perfectione gloriaris. Confundantur, qui dicunt tibi : Euge , euge! Confundaris et tu inter illos, qui tibi dicis : Euge, euge ! S. AUG. *in Ps.* XXXIX.

Invenire est homines pusillanimes et remissos, deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes, quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur? S. BERN. ser. VI *de Acedia.*

Sunt nonnulli, qui bona quidem opera faciunt, vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine, sed ad hæc agenda nulla alacritate moventur. Quod vitium proprie Acedia dicitur, et hoc quidem vitio Religiosi homines maxime affliguntur, nam sæculares admodum pauci, etsi hoc sit vitium, non animadvertunt; mundo enim alligati spiritualis vitii vix possunt apprehendere nomen. S. BERN. tr. *de Pass. Domin*, XIX.

Acedia est remissio animæ, resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis, detractrix Dei quasi inviscerosi et existentis sine benignitate. Attonita in psalmodia, infirma in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba. S. CLIMACUS *apud March.* tr. VII, lect. 1 *Hor. Past.*

Recte pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, et non pati pro eo ; delectant præmia, cum pollicentur; deterrent certamina, cum jubentur. S. HIER. *in* XIII *Prov.*

Vult et non vult ; habet voluntatem optativam, non imperativam. Itaque vult finem, sed media ad finis adeptionem necessaria non vult amplecti; vult perfectionem et beatitudinem obtinere, sed non vult jejunare, in vigiliis, disciplina et orationibus perdurare, cunctas vanitates et delectationes pravas derelinquere, injurias, persecutiones et contemptus propter Deum gaudenter perferre. DION. CARTH. *apud Mansi,* LIII, disc. I, n. 4.

Noli fidem pensare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quod prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus in Vas electionis de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est, quia extremus licet, plus omnibus laboravit, subitus calor longum vicit teporem. HUGO *Card.* XVI.

Tunc quis torpere dicitur, cum ad bene operandum invenitur inefficax; sicut aqua tepere seu tepida esse dicitur, cum non est efficacis caloris. Unde tibi in Apocalypsi dicitur: Utinam esses calidus, aut frigidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo; et talis torpor ex displicentia boni videtur procedere, quæ tanta esse poterit, quod erit cum peccato mortali, ut cum quis palatum animæ sic corruptum habet, quod in nullo bono spirituali complacentiam invenit, et propter hoc, quidquid boni facit, tepide et indevote facit. Unde ex hoc ramo procedit negligentia, cum quis negligit facere quod debet; vel si forte illud facit, absque diligentia facit, et secundum hoc dupliciter potest habere rationem mortalis; uno modo, si dimittantur per negligentiam necessaria ad salutem. Alio modo, ut si forte talia fiant, sic contemptu fiant, quod quoquo modo fiant, non curat omnino ; et sic intelligitur illud : Qui negligit vitam suam, mortificatur. S. BONAV. *spect. animæ.* III.

Pigritia malitiæ conjuncta est. BASIL.

Pigritiæ cum avaritia certamen est. AUG. serm. XXII, *de verb. Ap.*

DAMNUM. — Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod

operatum est, pugnat. Hinc quod per Salomonem dicitur : Qui mollis et dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis, quia videlicet, qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ Episcopo ab Angelo dicitur : Esto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo ; quia ergo plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua etiam, quæ erant gesta, prædicabat. Admonendi sunt etiam, ut perpendant quod tolerabilius esse potuisset, rectam viam non accipere, quam post arreptam post tergum redire, nisi enim retro aspicerent, erga cœptum studium nullo tempore languerent. Audiant ergo, quod scriptum est : Melior erit eis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. S. Greg. III p. *past. admon.* xxxv.

Revertitur (paterfamilias) ut de talentis rationes ponat, quia si a bona actione torpescimus, de ipsis donis, quæ contulit, nos districtius judicat. Consideremus ergo quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spirituali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti dominus ad iracundiam provocetur. Piger enim servus, cum jam culpas judex examinat, talentum de terra levat, quia sunt plerique, qui tunc se a terrenis desideriis vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem judicis ad æternum supplicium trahuntur. Idem hom. IX, *in Ev.*

Negligentia multorum malorum fit causa non vigilantibus, paulatim a spirituali consuetudine ac ratione vivendi abducens, et fidei ardorem deprædans, efficiensque, ut voluptatibus tanquam dominis serviamus, non enim sinit cogitatione complecti, quæ post hanc vitam erunt retributiones. S. Ephr. *de recor. mort.*

Locum diabolo præparat (Acedia); in ollam tepidam libenter muscæ resident, quæ ferventem fugiunt. Tentationibus patet, unde legitur in Collationibus Patrum, quod monachum operantem dæmon unus pulsat, otiosum vero innumeri ; est enim homo acediosus quasi urbs absque murorum ambitu, et quasi signum positum ad sagittam. Præterea acediosus receptaculum sordium se facit. S. Albert. Mag. l. III, comp. xviii.

Facilius diabolus occupat illos, quos in bono opere non invenit occupatos, nam immundus spiritus cum invenit domum vacantem, scilicet per acediam, assumit alios septem spiritus nequiores se, id est, universa vitia, et ingressi habitant ibi, ut dicitur *Lucæ* II. S. Bonav. *diæt.* tit. I, vii.

Tepidi, si diu permanserint sub onere tepiditatis, aut opprimuntur, aut succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, nec unquam respicient in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit jugum suave, et onus leve. Raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continua, sed horaria est. Non spiritus et caro, ignis et tepiditas in uno domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare. S. Bern. § 2, *de Ascens.*

Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, et affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortia, qui cibo fortium minime sustentantur ; socii plane tribulationis, sed non consolationis? Exurgamus, obsecro, quicumque ejusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem, et si non, quia periculosa est et Deo solet (quod interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare, certe, quia molestissima, plena miseriæ et doloris, et inferno plane proxima, umbra mortis pure censetur. Idem § 5, *de Ascens.*

Simplicem gehennam, in sæculo viventes, sibi comparassent; duplicis gehennæ supplicio, in monasteriis negligenter viventes, se reos faciunt. S. Ephr. *s. de vit. relig.*

Væ animæ illi, quæ in tepiditate sua secura consistit, se justificando, de qua Dominus in Apocalypsi in persona talis animæ ait : Sedeo ut Regina, vidua non sum, luctum non video. Et subdit : Propterea una die venient plagæ ejus. S. Bern. p. 3, § 7.

Admonendi sunt, ut perpendant, quod tolerabilius esse potuisset rectam viam non arripere, quam post tergum redire, nisi enim retro respicerent, erga cœptum studium nullo tempore languerent. Audiant ergo, quod scriptum est : Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. Audiant quod scriptum est : Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Calidus quippe est, qui bona studia, et arri-

pit et consummat. Frigidus vero est, qui consummanda nec inchoat. Et sicut a frigore per teporem transitur ad calorem, ita a calore quoque per teporem reditur ad frigus. Quisquis ergo amisso infidelitatis frigore, sed nequaquam tepore superato, exardescit ut ferveat, produldubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut post teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccato est, conversionis fiduciam non amittit; qui vero post conversionem tepuit, et spem, quæ esse potuit, de peccatore subtraxit. Aut calidus ergo quisque, aut frigidus esse quæritur, ne tepidus evomatur, ut videlicet, aut nedum conversus adhuc, de se spem conversionis præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat, ne evomatur tepidus, qui a calore, quem proposuit, torpore ad noxium frigus redit. S. Greg. l. VIII, *past admon.* xxxv.

Qui domini talentum, nullo de ipso facto lucro, in terra absconderit, timeat ne quasi indignus a sponsi convivio amoveatur. Est quidem disciplina cœlestis velut mare, in eo nihil, nisi vivat, perseverare potest; omne enim morticinum et immundum ad littora projicit. Hinc est, quod in Apocalypsi dicitur: Utinam frigidus etc. Væ qui evomitur, quoniam Regno Dei ineptus judicatur! S. Laur. Just. VII *de cast. connub.*

Secundum morum informationem spiritualiter notandum, quod arbor infructuosa succiditur, maxime quæ triennium fructum non facit, in quo intelligitur recte, homo negligens ad opera virtutis; et quidem recte per ficum infructuosam negligentia humana arguitur. Primo, quia ficus habet folia magna et multa, et in illo potissime arguitur negligentia illius, qui magna habet verba, ut in Ecclesiastico: Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis. Secundo quia folia ficus sunt manui similia, et in illo potissimum reprehenditur negligentia ejus, qui alios ad operandum invitat, cum ipse nihil operetur. Tertio, quia fructus ficus est suavis, ideo merito ipsius carentia negligentiam designat, et præsentia ipsius designat opus virtutis, quod est suave et delectabile. S. Bonav. *in* xii *Luc.*

Pigri in divinis, in præsenti et in futuro, sustinent detrimentum, quia id ipsum boni, quod agunt, faciunt cum labore et tædio, et sine consolatione et gustu. Propter quod, et parum, aut nihil merentur: ferventes vero et agiles serviunt Deo cum gaudio, et delectabile est eis exercere divina, ideoque in præmio crescunt præcipue, et sunt Deo chari et complacentes. Pigritia ex charitatis defectu, et inconsideratione divinæ majestatis ac novissimorum procedit. Dionysius Carth. in vi *Prov.*

Hoc frigus, si semel invaserit animam, mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis; contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia et confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de Paradiso in Infernum. S. Bern. s. lxv, *in Cant.*

Neque existimandum est, cum ruinæ alicujus cernuntur, tum incipere damnum; sed quia comederunt alieni robur ejus, et ignoravit. Ob eam causam nos Spiritus S. admonet: In pigritiis humiliabitur contignatio et infirmitate manuum perstillabit domus. S. Bern. § *contr. vir ingrat.*

Admonendi sunt, qui inchoata bona minime consummant, ut tanta circumspectione considerent, quia, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta, convellunt. Si enim, quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo anima quasi more navis est contra ictum fluminis condescendentis, quæ uno loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. Hinc enim est, quod per Salomonem dicitur: Qui mollis et dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis. S. Greg. III, *Past.* lib. XXXV.

Radix desperationis est ignavia, et non solum radix, sed et nutrix ejus et mater.

Nam sicut vestimentum et tineam generat et nutrit, ita ignavia non solum gignit ex se desperationem, sed alit et fovet. S. Chrys. s. I, *de lapsu.*

Tristitia animarum crudele tormentum est, et dolor inexplicabilis, et judicium omni judicio et vindicta deterius. Nam et vermi similis est venenato, non solum carnem, sed et animam ipsam perimens ; et tinea non solum ad ossa, sed etiam ad corda pertingens ; et perpetuus quidam carnifex, non corpus dilanians, sed vires animæ consumens. S. Chrys. ep. vii, *ad Olymp.*

Fuga. — Quia vitam expendimus in vanitatibus, ex hoc provenit illud, quod valde timendum, quod multi vocati, pauci electi. O quam timenda sententia, et quam expavescenda! Quis hoc dicit, nisi ille procurator, cui commissum est præmiare operarios? Credite mihi, fratres, credite, quod sæpius admonui, sæpius clamavi : nisi viriliter laboraveritis, non recipietis præmium. Th. Vill. ap. Mans. disc. s. n. 1.

Ne dulcescat nobis hic negligentia, ut non postea nobis amarescat æternus ignis, et vermis nunquam dormiens. S. Ephr. § *de vir. Relig.*

Aliter admonendi sunt pigri, atque aliter præcipites : illi namque suadendi sunt, ne agenda bona, dum differunt, amittant; isti vero admonendi sunt, ne dum bonorum tempus incaute festinando præveniunt, eorum merita immutent. Pigris itaque intimandum est quod sæpe, dum opportune agere, quæ possumus, nolumus, paulo post, cum volumus, non valemus ; ipsa quippe mentis desidia, dum congruo fervore non attenditur, a bonorum desiderio funditus convalescente furtim torpore mactatur. S. Gregor. p. III, *past. admon.* xxvi.

Vidit Jacob scalam et in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur universi; quatenus daretur intelligi inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri, sed quomodo ipsum corpus nostrum continue crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit, et spiritu aut proficere semper, aut deficere. S. Bern. ep. ccliii.

Lapsus quispiam, nequaquam subita ruina corruisse credendus est, sed aut pravæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, et per hoc sensim vitiis increbrescentibus, casu mirabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit incuria, et ante ruinam mala cogitatio. Quemadmodum domus nunquam ad ruinam subitaneo procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidiis primum paucissimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetustam negligentiam in majorem modum patefactis, atque collapsis, paulatim post hæc influit pluviarum imbriumque tempestas. In pigritiis enim humiliabitur contignatio, et in segnitie manuum perstillabit domus; et Salomon aliis verbis : Stillicidia ejiciunt hominem in die hyemali de domo sua. Cassian. coll. vi, 17.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

O Tepor et negligentia status nostri, quod tam cito declinemus a pristino fervore et jam tædet vivere præ lassitudine et tepore. Utinam in te penitus non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpius exempla vidisti devotorum! L. I, xviii, § 5.

Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam mane? Væ nobis, si sic volumus declinare ad quietem, quasi jam pax sit et securitas, cum necdum appareat vestigium veræ sanctitatis in conversatione nostra! L. I, xxii, § 7.

Quam jucundum est et dulce, videre fervidos et devotos fratres, bene morigeratos et disciplinatos! Quam triste est et grave, videre inordinate ambulantes, qui ea, ad quæ vocati sunt, non exercent! L. I, xv, § 5.

Religiosus fervidus omnia bene portat; capit, quæ illi jubentur. Religiosus negligens et tepidus habet tribulationem super tribulationem, et ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione caret, et exteriorem capere prohibetur. Ib. § 7.

Si incipis tepescere, incipies male habere. Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorem laborem, propter Dei gratiam et virtutis amorem. Homo fervidus et diligens ad omnia est paratus. Major labor est resistere vitiis et passionibus, quam corporalibus insudare laboribus. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores. Ib. § 11.

EXEMPLA CATHOLICA.

FUGA ACEDIÆ. — Christus tantopere hoc vitium et otium fugit, ut de seipso per Davidem dixerit: Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. Ps. LXXXVI, 16.

B. Virgo, adhuc in templo existens, a summo mane usque ad tertiam orationi insistebat, tum labori manuali usque ad nonam vacabat, sicque totam diem hac vicissitudine consumens, otium studiosissime fugit. MARULUS, l. III, 9.

D. Antonius, cum aliquando animum illius tædium et cognitionum confusio invaderent, atque ideo a Deo auxilium peteret, vidit foras quemdam tanquam sedentem et operantem, deinde surgentem ab opere et orantem, et iterum sedentem, plectamque de palmis facientem, atque inde rursus ad orationem surgentem, post quæ audivit vocem dicentem sibi : Sic fac, et salvus eris. SPEC. ex. d. 2, ex 54.

Abbas Paulus, probatissimus Patrum, quotidie certum ex collectis palmarum foliis pensum a se exigebat, cumque opere totius anni antrum fuisset impletum, nec vendere posset, id quod sollicita cura laboraverat, singulis annis supposito igne concremabat. CASSIAN. X, XXIV.

Abbas Pambo, cum esset moriturus, astantibus dixit : Ex quo veni in hunc locum, nullus fuit dies, quo non operis aliquid fecerim manibus meis; nec memini me ab aliquo gratis panem datum comedisse. PALLADIO, X.

Frater quidam perrexit ad Abbatem Alexandrum, ipsius monasterii Abbatis Gerasmi Antistitem, et ait illi: Abbas, volo ex loco, ubi habito, discedere ; valde enim acedia et tædio animi laboro. Respondit ei Abbas Alexander : Istud, fili, signum est, quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes ; nam si ista sollicita intentione cogitares, nullam in cella tua acediam sentires. SOPHRON. *prat. spirit.* CXLII.

Erat senex quidam in monasterio Abbatis Scisci. Distabat autem cella ipsius a puteo fere mille passibus, et nunquam passus est, ut sibi alius afferret aquam, sed facto fune, unum ipsius caput ad puteum ligavit, et alterum in cella sua; jacebat autem funis in terra. Quando ergo pergebat sibi haurire aquam, supra funem ambulabat; hoc autem faciebat senex, ut inveniret puteum, cum autem arena propter ventum operuisset funem, tenebat ipsum manu, excutiebat, et rursus illum in terra ponebat, et super eum ambulabat. Frater autem quidam rogabat senem, ut se permitteret illi afferre aquam, cui respondit senex : Fili, viginti jam et duo sunt anni, ex quo mihi semper ita hausi aquam, et laborem meum tu modo auferre vis? Idem, CLXIX.

Abbas Athanasius illud frequenter in ore habebat : Olim Patres nostri conati sunt vitare spiritus distractionis, omnemque temporis jacturam studiose cavere; nunc autem negligentia acediaque, duo hostes capitalissimi, in eorum locum successerunt. Idem cogitans aliquando, quidnam inter eos, qui dæmoni pigritiam offerenti resisterent, quique ei obsequerentur, interesset, raptus est in amœnum locum; socio vero roganti, ut ad eam legitimam societatem, quam videbat (quamque solus audiebat) admitteretur, responsum est : neminem pigrum, oscitabundum et negligentem eo pertingere, aut pervadere posse. MANSI, dis. v, n. 3.

Quidam frater volens discedere in solitudinem, a matre propria prohibebatur ; ille vero dicebat matri suæ: Permitte me, mater, salvare enim volo animam meam. Cum autem non posset retinere eum mater, dimisit eum. Ille vero veniens in solitudinem, per negligentiam omnem vitam súam consumebat, contigit autem, ut moreretur mater ejus, et post tempus aliquod factus est et ipse ægrotus, et raptus in exstasim ad judicium, invenit matrem cum his, qui judicabantur. Illa autem cum vidisset eum, obstupuit dicens : Quid est hoc, fili; et tu in hunc locum deductus es condemnandus, et ubi sunt illa verba, quæ solebas dicere, quoniam salvare volo animam meam? Erubescens ergo ille in verbis, quæ audiebat, stabat, nihil habens quod responderet. Et ecce voce facta, ut hic revocaretur, tanquam altero jusso, ex cœnobio fratrum transire, reversus ad se, omnia quæ cognoverat, quæque audierat, astantibus referebat. Ad confirmationem sane verborum suorum rogavit, ut aliquis ex astantibus iret ad monasterium, ut videret, si transisset frater ejusdem nominis, de quo audierat : qui profectus invenit ita, ipse vero postquam sanus effectus est, reclusit se, lacrymans super his, quæ fecerat prius in negligentia. Tanta autem erat ei compunctio, ut cum multi eum rogarent paululum requie-

scere, ne forsitan noxium aliquid pateretur per incessantem fletum, ille noluit, dicens : Si matris meæ improperium non portavi, quemadmodum præsente Christo et Angelis ejus in die judicii, aut improperia aut tormenta portabo? VITA PP. l. III.

Dorotheus, Thebanus monachus, interdiu lapides ex mari, quod erat in proximo, colligere, inque annos singulos extruere parvam domum solebat, et eam dare his qui sibi domum ædificare non poterant. Noctu autem folia palmarum nectebat textura tortili, et illis sportulas conficiebat, quibus victum sibi suppeditaret. Nunquam visus est sua sponte quieti se tradere. Cui quidam : Cur, inquit, ita corpus conficis? Quia illud, inquit, me conficit. SOZOMEN., l. VI, 29.

Cura otii vitandi honestavit Landgravii Thuringiæ Principis uxorem, Elisabeth, quæ erat Pannonum Regis filia, cum multis ante viduitatem opibus polleret, ne quandoque per otium luxu difflueret ancillarum officia usurpabat, lanam linumque carpendo, nendo, texendo, suendo, cæteraque id genus opera conficiendo se plurimum fatigabat, sic pudicitiam conservavit, sic humilitatem custodivit, sic ipsa Evangelicæ perfectionis insignia, quibus post obitum mariti eluxit, comparavit. Etenim ad illam beatitatis quietem perveniri non potest, nisi per vitæ præsentis frequentes et assiduos labores. CORAD. *in vita ejus, apud Sur.* tom. VI.

DAMNUM. — In vita sanctæ Brigitæ virginis, ex Scotia oriundæ, legitur quod, cum aliam quamdam virginem ad mensam suam invitasset, notarit juxta latus ejus constitutum spiritum quemdam malignum, quem cum ipsa etiam videre cuperet, Brigita sancta eidem, ut oculos suos Crucis signo muniret, præcepit; quo facto, vidit satanam teterrima specie, immani et vasto capite, et per foramina et rimas omnes capitis flammam fumumque erumpentem. Tum Brigita : Loquere, ait, nobis, dæmon. At ille : Non possum, inquit, tibi loqui, sancta virgo, nec tamen tua jussa contemnere, quandoquidem tu præcepta Dei non contemnis. Cur vero, ait S. Brigita, huc accessisti? Apud virginem hanc, inquit, demorandi mihi et spatium et opportunitatem præstant ejus desidia et torpor. Conversa ad virginem S. Brigita : Vide nunc, inquit, quem tam multis annis apud te foveris. Atque ex illa die liberata est virgo ab illo nequam spiritu. DAUROLT. VII, tit. XXI, ex. 12.

Franciscus Picus, Comes Mirandulanus, in vita Joannis Pici patrui scribit, non longo post obitum Joannis Pici tempore, spectrum Joannis apparuisse Hieronymo Savonarolæ, eique dixisse, torqueri se pœnis expiatoriis, eo quod non satis diligenter et fecunde talentum sibi a Deo creditum eruditionis et ingenii multiplicasset et quia non, quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones inspirationesque, quæ adhortabantur honestos labores, quos inchoavit, non abrumpere, et quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione proposuit, et omnium precibus Picum commendavit. DELRIO, § 2, *disquisit. mag.* qu. XXVI, sect. VI.

Vidi juvenem, inquit Thomas Cantipratanus, cujus amarissima relatione memini, quod subjungo : Hic piorum fratrum suorum labore manuum vivebat ; ipse vero segnis otio vacabat et tædio, et factum est animadversione divina, ut eo cum patre et fratribus ad mensam sedente, cibi (sicut ei soli videbatur) verterentur in angues, sapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc cum per aliquot dies continuaretur in pejus, tandem mutato vitæ proposito liberatus est, et sanatus. CANTIP. l. II, *Apum,* IX, p. 2.

Senex quidam narravit nobis : Cum Thebaidem venissemus, quod senex unus morabatur extra civitatem Antinoum, magnæ virtutis vir, qui in cella sua egerat annos septuaginta. Erant autem illi discipuli decem, ex quibus unus erat valde negligens sui, senex ergo sæpius illum corripiebat, et hortabatur dicens : Frater, sollicitudinem gere pro anima tua ; habes enim mori et nisi te emendaveris, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, ut iste moreretur ; contristatus vero senior super illo valde (sciebat enim, quod in magna desidia et negligentia de sæculo exiisset) cœpit orare ac dicere : Domine Jesu Christe, verax Deus noster, revela mihi quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum usque demersum ; tunc ait illi senior : Nonne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ tuæ ageres, fili? Respondit frater et ait seni : Gratias ago Deo, Pater, quod vel caput meum requiem habet,

per orationes enim tuas super caput Episcopi ito. SOPHR. XLIV, *prat.*

Cæsarius factum quoddam memorabile refert, quod Religioso cuidam somnolento accidit; ita enim scribit : Vix sunt duo menses elapsi, quod Dominus Abbas Campensis retulit nobis de monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valde. Nocte enim quadam, cum ex more dormiret, aliis psallentibus, crucifixus de altari venit, dormientem excitavit, et cum tanto nisu maxillam ejus percussit, ut infra tertium diem moreretur. CÆSARIUS, l. IV, 58.

Paulo ante idem Cæsarius aliud quoddam retulerat exemplum, licet non æque terribile, aptum tamen ad acediosos ex desidiæ lethargo excitandos. Cum enim monachus quidam post matutinum, eo tempore, quod orationi destinatum est, sedem quamdam ad dormiendum occupasset, Christus ei ostendere volens somnum hunc nec tali horæ, nec tali loco convenire, eidem in cruce quidem apparuit, sed obverso ei dorso, ut dicere videretur : Quia tepidus es et acediosus, non es dignus faciem meam intueri. (Ib. XXIX.)

David, quia tempore, quo solebant Reges ad bella procedere, domi remansit et otio vacavit, in grave adulterium et homicidium incidit. II REG. XI.

Salomon, quamdiu in ædificatione Templi occupatus fuit, luxuriæ stimulos non sensit, hoc vero completo, otio vacans, femina instigante, deficit ad idola et vitulum aureum adoravit. IV REG. XI.

Quidam Patrum cum dæmonem in Fratris cujusdam cella modo ingredientem, modo egredientem videret; et ex Fratre quæsiisset, quid ageret, deprehendit tum ingressum esse dæmonem, quando Frater otiosus erat, et eum exiisse, quando occupatus erat. SALUSTIUS *in spec.* p. I, XVII.

S. Antonius transiens prope domum quamdam Angelosque tecto insidentes videns, cum intrasset, viduam cum tribus filiabus, nudis pedibus, lacero vestitu colum trahentem vidit. Quibus cum largam stipem obtulisset, alio tempore prope eamdem domum incedens dæmones tecto insidentes vidit, iterumque ingressus, et quid a vidua et filiabus ageretur, percontatus, advertit eas, deposita colu, otio et comendo corpori vacare solitas. SUR. 2 *Maii.*

Samson, dum cum Philistæis pugnat, non potest capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu feminæ et otiose cum ea remansit, mox capitur et cæcatur ab hostibus. JUDIC. XXVI.

Cum Sodomitæ homines in otio hebescerent in spurcissimum illud nefariæ libidinis scelus præcipites lapsi sunt. EZECH. XVI.

Virgines dormitantes, quarum lampades non fuerant prius ornatæ, fuerunt postea a nuptiis exclusæ. MATT. XXV.

EXEMPLA DOMESTICA.

FUGA. — S. Franciscus Xaverius sæpe dicebat, erubescere se et indignari, mercatores vilium suarum mercium vendendarum gratia tam mature in Japoniam penetrasse, se vero tam sero cum thesauris et divitiis cœlestibus eodem pervenisse. TURSEL. l. III, XVI.

Joannes Berchmannus ne quid temporis difflueret, perpetuo secum libellum aliquem sacrum aut studiis utilem habebat, eumque si quo loco diutius commorandum erat, statim explicabat, legebatque. *Vita* p. f. 125.

Jo. Baptista Gentilis otium adeo execratus est, ut non modo sibi imperatos labores peraccurate compleret, sed alios etiam studiosissime juvaret, ideoque pes et manus omnium diceretur. Et videbatur labore perpetuo perpetuam alere pietatem et hanc adminiculum habere laboris. Anno 1650. *Per Med. coll. Taurinensis*, n. 23.

Joannes de Mendosa, licet honestissimis ortus natalibus, Marthæ semet ministerio adscribi voluit, in quo tam sedulum et laboriosum se exhibuit, ut etiam, cum phthisi debilitatus vix se sustentaret, labores continuaret, ne mors, ut dicere solebat, cessantem et imparatum occuparet. Annus 1612, f. 34.

Ego inter rara omnis ævi exempla eorum, qui ardentissimo animo ad discendum incubuerunt, Ignatium jure optimo censeo reponendum. Quum enim inter admiranda philosophiæ abdicatas ejus gratia voluptates, etiam quibus vita modestissime assuevit, libenter audiamus prædicari; longe major profecto ejus erit laus, qui litterarum causa ea sibi dempserit solatia, quæ ipsum animum liquidissime, atque innocentissime oblectant. Mitto triginta annos natum hominem militarem, atque ingenii præfervidi et cum extrema rerum necessariarum egestate luctantem inter pueros grammaticæ addiscendæ militasse. Dissimulo repetitam Parisiis studiorum omnium rationem, quam Compluti

et Salamanticæ ipsa festinatio audiendi conturbasset. Quid, rogo, fuit liquidissimis, quibus quam maxime jam tum abundabat, animi sensibus abstinuisse? Quid fraudes dæmonis, qui vel ad levissimas amoris voculas voluptates eas eventilabat, perque illarum illecebras avocabat a litterarum commentatione.fraudes, inquam,agnovisse atque constantia, et demissione discussisse? Ostendit Ignatius, si quos divinus amor litteris mancipavit, eas totius amoris invitamento esse anteferendas. Rho. l. VII, xii, n. 1.

Nec segniter a summis viris litteris opera data est, ut auxiliares veluti copias promptas haberent. Et Lainii quidem, nisi res in clarissima Concilii Tridentini luce peracta scribatur, vix fidem inveniat portentosa studendi contentio. De gravissima controversia Pontificis Theologus dicturus Lainius, quo dictis plus ponderis inesset, nullum a se laudatum iri auctorem, quem a capite ad calcem diligenter perlectum non excussisset, aut etiam in breviaria non redegisset, vir minime gloriosus propalam professus edixit; mox continenti trium horarum oratione supra triginta Patrum testimonia in medium attulit, in iisque, ut antiquos dissimulemus, Alphonsi Tostati, Episcopi Abulensis, cujus ingentia volumina vitam eximunt legenti; trigesimum quartum duntaxat annum agebat Lainius, quum in ea Synodo tunc disputavit, quorum bonam partem ex Ignatii disciplina Apostolice fuerat peregrinatus. Sed solidum hominis ingenium librorum pariter, ac laborum vasto caput tolerantissimum, et legendis et retinendis sufficiebat, ut de hoc viro dixerit olim Salmeron, tantum sibi præstare Lainium, quantum ipse illitteratis hominibus antecelleret. Ib. n. 3.

Nemo eruditiorum est, qui Francisci Turriani nomen non audierit, clara inter principes sui ævi Theologos fama, quæ tum viva disserentis voce in clarissima totius Christiani orbis luce Tridenti collecta, tum deinde immortalis eruditionis libris consignata non abolebitur. Huic quam acris fuerit adnotandi scribendique contentio, docuere dexteræ articuli, in modum habitumque scribentis ita contracti, ut facile non possent explicari; sed plures thesauros orbi dedit contracta Francisci manus quam Regum extenta. Huic viro parem unum habuit antiquitas, Chrysantium Sardianum, quem infelicis laboris reum habita cum desertore Juliano peragit consuetudo. Ib. n. 3.

Inter præclara ingenia, quæ doctissimis ævumque laturis monumentis Reipublicæ profuerunt, ingens Delrii nomen fama habet, vel uno Magicarum Disquisitionum opere, supra invidiam elata. Incredibilem illam rerum, ac linguarum cognitionem ut sibi compararet, summo ingenio, acerrimum studendi laborem sibi addendum putavit. Ergo ne cursandi per Bibliothecam necessitas commentationem interrumperet, currulem sellam subditis rotis ita librariis pluteis illigaverat, ut pede pulsa, quam libere in partem progrederetur; itaque quum novis libris opus esset, eo se, nihil aliorum intermissa lectione, moliebatur, ubi repositos esse sciebat. Egregia enim vero parcimonia temporis, quæ famæ immortalitate compensetur. Ib. n. 4.

Vivit etiamnum Possevini memoria, quamvis monumenta eam viventis non habeant celebritatem, quam egregia vel a prima adolescentia litterarum omnium ac principum linguarum cognitione est consecutus. Quia enim antelucanas horas somno æque, atque commentationi aptissimas esse non ignorabat, ne illas mollissime ad labens redormiendi amor studio litterarum adimeret, alterum fidiculis pedem ad lectuli, et conopæi fulcrum cubitum iturus alligabat, ut si primo, ac legitimo exhausto somno, matutinam, et minus necessariam ad quietem se convertisset in latus, adductis illico fidiculis, excitaretur. Ib. n. 5.

Vidimus ingentium voluminum et spisso admodum opere scriptorum auctorem Joannem Lorinum, hominem vere Calcenterium in contentione studendi. Nulla ille die ab opere cessabat, horasque minimum septenas in Bibliotheca stans in studium divinarum litterarum incumbebat, tanta capacissimæ mentis contentione, ut quamvis evocatus a peregrinis, qui hominis aut videndi, aut consulendi causa confluebant, illos humanissime ad ostium exciperet, ubi se Bibliothecæ reddiderat, scriptionem illico continuaret, nulla dubitantis animi litura, ut non tam commentari, quam olim composita memoriæ causa scripto consignare videretur. Ib. n. 6.

Alterum in divinis litteris exponendis lumen Cornelium a Lapide habuit Collegium Romanum, hominem, qui perpusillo corporis modulo ingentem animum, et nullis studiorum laboribus fractum claudebat. Hic exigua ac prope nulla cum sociis consuetudine, quamquam suavissimis ac sanctissimis esset moribus, adeo scribendo ac meditando

erat addictus, ut abalienato quasi ab hujus mortalitatis curis animo uteretur. Somnus ipse, qui quatuor non amplius horis definiebatur, recurrentibus diurnis curis, atque illustriorum cogitationum imaginibus sese objicientibus, levis erat, ac suspensus, et non sui juris, sed vigiliarum. Huic tantæ contentioni, quamquam tenui semper valetudine ab adolescentia, usque ad duo et septuagesimum quum suffecisset, ad extremum relictis immortalibus monumentis inter carmina scripturarum, quibus insueverat, extinctus est. Ib. n. 7.

Inimitabili propemodum temporis parcimonia fuisse oportet, ac studendi sciendique avidissimum Th. Sanctium. Qui enim aliter poterat decem quotidie horas litterario negotio constanter habere sepositas, qui multus esset divinis in precibus, ac mysteriis, sedulasque aures animos confessione expiantibus daret? sed qui nugis procul vitam destinato vivunt, illis tempus, ut vanis nunquam supersit, seriis semper abundat. Ib. n. 8.

Magnum utriusque nomen Francisci Suarii, et Mendozæ, inter sæculi principes litterarum viros, sive acute disputare de divinis, sive divina oracula incredibili eruditione opus sit interpretari. Et Suario quidem fracto leviter die perennis erat commentandi, docendi, dictandive labor, ut etiam in Italica peregrinatione statim ac lectica, qua debilitatis viribus vehebatur, fuisset deposita, in meritoriis hospitiis avito librario, quæ tacitus secum fuerat meditatus, divinæ arcana sapientiæ et cedro digna monumenta dictaret. Mendosam nos ipsi Genuæ olim vidimus, et incredibilem hominis diligentiam, ac temporis parcimoniam satis mirari nequivimus. Quamquam enim tantum non mutatis ad celeritatem equis in urbem properaret, ac fama nominis omnibus expetitus effusissima humanitate fuisset exceptus, illico tamen post religiosi moris amplexus, brevesque salutationes, in cubiculum aliquid scripturus se recepit, et quamlibet parvam temporis moram, quam necessaria jumentorum mutatio attulerat, in ærarium intulit sapientiæ. Nisi nos quotidianis casibus ad mortis injurias occalluissemus indignari promptum erat, homines immortalitate dignissimos, et Reipublicæ maxime utiles ac frugiferos in ipsa laborum contentione abripi, ne destinata perficiant. Sed admonendi fuimus, ne tempus per injuriam aliud, aut etiam nihil agentes prodigamus, quum instantibus hac studiosissime utentibus abrumpatur. Ib. n. 9.

EXEMPLA PROFANA.

Ægyptii, lege lata, mortis pœna animadvertebant in eos, qui artem, qua alerentur, exhibere non possent. Diod. Sicul.

Solon inter alias leges etiam hanc posuerat, ut filius patrem alere non teneretur, qui nullam artem ipsum docuisset, aut doceri curasset. Plutarc. *in Solon.*

Athenienses, si quis de crimine quodam accusabatur, et deses etiam ac otiosus probabatur, non aliam ad alterum crimen probationem requirebant. Laert. l. II, 2.

Seneca de seipso scripsit : Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium studiis vendico. Non vaco somno, sed succumbo et oculos vigilia fatigatos, cadentesque in opere detineo. Epist. viii.

Brachmannæ philosophi pueros suos impransos foras extrudebant, si quando nihil utilis operæ vel parentibus, vel suis rebus necessariis dedissent. Langius *in Polyant.* f. 636.

Wenceslaus, Romanorum Imperator, tam ignavus fuit, ut propter pigritiam administrandi, ab Imperio dejectus sit. Textor, l. V, lxvii.

SIMILITUDINES.

Sicut terra inculta aliud nihil, quam spinas tribulosque ex se gignit, aut stagnans aqua bufones et serpentes; sic et hominis desidiosi animus nihil præter flagitia generat. Pæd. Chr. vii, p. I, § 8.

Sicut aves non nidificant in alis molarum, nec in illis desident, nisi dum a solito motu quiescunt; ita diabolus neque locum, neque quietem in illis reperit, qui semper in motu et actione sunt, sed solum in otiosis sedem figit. Engel. *Dom. Sept.* p. II, *Luc. Ev.*

Sicut ostium vertitur in cardine suo (id est, aliis ingredientibus et egredientibus ad res suas agendas, cardinibus suis inhæret) ita piger in lectulo suo quiescit, dum alii ad labores surgunt. Pr. xxvi, 14.

Sicut febris quædam tempore præstituto ardentissimos calores et æstus ciet; ita acedia certis temporibus, et tum maxime, quando orationi vacandum est, infestat. Cassianus, l. X, *de Instit. Mon.*

Sicut vestimentum tineam generat et nutrit; ita ignavia non solum gignit ex se desperationem, sed alit, et fovet. S. CHRYS. l. *de lapsu.*

Sicut pueri, dum in casulis luteis componendis occupantur et in arundine equitant, occupatissimi sibi videntur, cum tamen prudentum judicio meras nugas otiose tractent; sic omnes hominum occupationes, quæ ad Dei gloriam et nostram aut aliorum salutem non tendunt, etsi seria et gravia negotia videantur, a Deo et Sanctis velut otium et nugæ videntur. STAPLETON. THOM. s. *in Sept.*

Sicut homo contagiosus in nullum domus angulum admittitur; ita otium velut ipsissima pestis ab omnibus vitæ nostræ horis proscribendum est. DREX. in pal. III, VII, § 1.

Sicut per rimam sentinæ aqua latenter intrat, et excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergatur; ita ex otio ac ignavia cogitationes pravæ et concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur. S. BERN. s. *de S. Andrea.*

Sicut aqua, quæ caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit; ita et corpus otii tabe confectum concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam. S. LAUR. JUST. c. v. *de ligno Vitæ.*

Sicut vas plenum, nullius alterius rei admittendæ capax est; ita, et mens, et cor nostrum, quando per fidelem nostram cum gratia cooperationem rebus repletur divinis, nullum dæmoniacis locum dabit suggestionibus, quin potius iis ingruentibus intrepide respondebit: Apage hinc sis, siquidem possessio jam capta est, nec ulli ultra aditus patet; siquidem intus existens prohibet extraneum. MANSI, disc. IV n. 8.

Sicut crocodilus est animal fugax audaci, audacissimum timido; ita et crocodilus infernalis heroica opera aggredientes horret et expavescit, timidis vero gloriose insultat. Talem aliquando se præbuit Basilius Magnus, quando a Modesto, Imperatoris Valentis Præfecto, per minas ad Arianorum sectam amplexandam sollicitatus, cum incredibili animositate in hæc respondit verba: Modeste, Basilio Magno jubes? Formica es, rugias licet ut leo. Invincibilem hanc Basilii fortitudinem S. Hieronymus adumbrasse videtur, quando illum explicans Amos textum (Qui dormitis in lectis eburneis) ita discurrit: Qui athleta est Domini, et exercetur ad luctam et præparat se contra adversarias potestates, dormit in nuda humo, imitans Jacob, et ponit sibi lapidem ad caput, quem reprobaverant ædificantes et factus est in caput anguli. Qui vero deliciis vacant, atque luxuriæ, et omnia causa ventris faciunt, dormiunt in lectis eburneis, mortui animalis, et immundis hærent ossibus; et quia pulchra videntur vitia, et præsenti nitore delectant, requiescunt in eorum lectulis, et sopore gravissimo deprimuntur. S. Ephrem modum tentationis acediæ a nobis repellendi his verbis tradit: Si obveniente acedia resisteret frater operando, et se exercendo, tunc acediæ spiritum divinæ gratiæ auxilio repelleret. Quod S. Hieronymus confirmat, dum Rusticum salubriter his verbis monet: Semper aliquid boni fac; facito, ut te diabolus non inveniat otiosum.

Sicut athleta corpus suum studiose exercet, ut illud ad certaminis artificium aptum, compositumque reddat; ita, et pietatis pugil seipsum ad omne opus bonum exercere debet; cum dicat Apostolus, I TIMOTH. IV, 7. Te ipsum vero ad pietatem exerce. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.

Sicut si quis in medio cursu rapidi, et præcipitis cujusdam torrentis constitutus firmare se vellet, nec ulterius progredi, in evidenti esset periculo, ne ab impetu aquarum dejectus periret; eodem modo in vita spirituali accidit, utpote quæ naturæ nostræ depravatæ opponitur; nam passionum nostrarum impetus ad vitium, ad peccatum, ad torrentem mundi sequendum nos pertrahit, nisi nobismetipsis faciamus violentiam, ut rapidum appetituum nostrorum torrentem secure transire valeamus, vincendo et mortificando ipsos, hoc enim si commiserimus, retrogrediemur, decidemusque a spiritu, nam regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.

Sicut paralysis facit membra arida, et impotentia; sic acedia facit pedes impotentes ad ambulandum, manus ad operandum et membra omnia ad laborem pœnitentiæ sustinendum; unde de talibus dicitur in Psalmo: Manus habent, et non palpabunt; pedes habent et non ambulabunt. S. BONAV. *diœt.* tit. I, VII.

Sicut immensum Babyloniæ colossum exile destruxit saxum, inque minutissimos redegit pulveres (abscissus est lapis de monte

sine manibus, et percussit statuam in pedibus, et comminuit, tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum et aurum, et redacta quasi in favillam); ita quoque vel unicum exile saxum, id est, una negligentia, seu pigritia, circa alicujus momenti materiam admissa sufficiens est, ut humi prosternat, inque ultimum conjiciat præcipitium animam quampiam, quæ prius in virtute atque sanctitate eminenter excellebat. MANSI, dist. II, n. 2.

Sicut ignis rarefactus nullum caloris gradum amittit, sed tamen debilior fit, et quamvis in semetipso non minus calidus sit, quam ante, eosdem tamen, quos ante, effectus producere non poterit, nec contrariis tam fortiter resistere; ita quoque charitas, quæ cœlestis quidam ignis est, per peccata venialia vere quidem non diminuitur, nec aliquem intensionis gradum amittit, attamen per illa rarefit, quia cor, quod illis subjectum est, ad diversas creaturas dilatatur et extenditur, quia nunquam peccatum aliquod veniale committitur, quin sit aliquis ad objecta creata affectus; charitas autem tametsi tam extincta non sit, minorem tamen quam antea vim habet, nec est ad resistendum contrariis idonea et ideo peccata venialia non imminuunt charitatem, sed ejus fervorem. ARESIUS, ib. n. 4.

Sicut lucerna, oleo et lychno præparata, lucet, si autem per negligentiam non acceperit oleum, paulatim extinguitur, atque ita invalescunt tenebræ adversus eam, sed et mus veniens ad eam, volensque myxum ejus comedere, priusquam perfecte extinguatur, non potest propter calorem ignis; si autem viderit, quod nec lumen habet, nec calorem jam retinet ignis, tunc volens trahere myxum ejus, dejicit etiam ipsam lucernam in terram, quæ, si testea fuerit, minutatur, si ærea, a domino suo reparatur; ita etiam, si neglexerit anima; paulatim recedit ab ea Spiritus Sanctus donec perfecte extinguatur calor ejus, atque ita inimicus consumit, et devorat propositum animæ illius, sed et corpus nequitiæ exterminat. Si autem quis per affectum, quem habet in Deo, bonus fuerit, simpliciter autem ad negligentiam raptus fuerit, Deus, qui misericors est, excitat in eo mentem suam etc.

Sicut infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem, ac sic excidere istam lucrum est, et istam commodum non habere; sic homo utique, qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensuum, judicium mentis, artis industriam, culturæ bonum per steriles atque inopes actus evertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat. Sicut arbor e terra, sic iste e vita meretur excidi. Et sicut infecunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fecundis ; ita homo deses, ignavus, non sibi fit noxius, sed multis. S. CHRYS. § 106.

Sicut acetum dentibus et fumus oculis; sic piger his, qui miserunt eum. Quasi diceret, sicut acetum valde est ingratum dentibus, et fumus oculis invisus est; ita quoque homo piger supra modum est abominabilis. PR. X, XXVI.

Sicut si quis manibus ac pedibus sanus sit, habeatque ante se escas plurimas appositas, et segnitie torpens noluerit ori suo eas admovere, iisque vesci, ut animam corpusque reficiat, talis sibi necis suæ auctor est; ita quoque monachus (seu quilibet alius piger et acediosus) qui suavissimos divinæ gratiæ cibos expertus est, si neglexerit ipsam invocare, haudquaquam dulcedine ejus satiari, recrearique poterit, sed velut fame consumptus, auxilioque destitutus tabescet. Quis ergo illius miserebitur, qui cum gratiæ cœlestis escam, si manus extenderet, gustare posset, sponte se illius suavitatis epulis per desidiam privat? S. EPHR. § *de vit. virg.*

MOTIVA.

Exemplum Dei ; hinc S. Jo. Damascenus Spiritum S. non sine ingenti mysterio, divinitati ignis nomen attribuisse notat, ut per hoc insinuet, quod sicut elementum istud semper activum existit, ita quoque Deus in continua versetur operatione. Idem quoque Spiritus Sanctus, quando prima omnium vice se mundo manifestum fecit, operativum prorsus et activum se exhibuit; nam, ut Scriptura ait : Spiritus Domini ferebatur super aquas. De Verbo æterno S. Joannes pariter inquit : Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Denique de Patre æterno in primis totius Bibliæ verbis dicitur : In principio creavit Deus cœlum et terram. Et ipse Christus

de ipso dixit : Pater meus usque modo operatur. Mansi, disc. xiv, n. 2.

Ideo Bellovacensis recte ait : Cum audis Deum operatum fuisse sex diebus, et in septima quievisse, frustra speras requiem, nisi post laborem. Operatur enim Deus continuo gubernando mundum, ordinando, providendo. Bellov. *Spec. Moral.* l. III, p. VI, dist. i.

Unde Joan. v : Pater meus usque modo operatur. Neque prætereunda nobis est moralitas quædam, quam Oleaster his verbis adducit : Est, quod hic advertas, scilicet non quiescendum esse, nisi prius laboraveris, similiter pluribus laborandum, paucioribus quiescendum.

Exemplum Christi; de quo sic discurrit Bellovacensis : Exemplum Christi habemus, qui dicit : Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. Prius Dominus a labore non destitit usque ad diem mortis suæ, diebus prædicando, discurrendo, corripiendo, miracula faciendo, noctibus in orationibus insistendo. Bellov. ib.

Matthæi cap. viii, 16 dicitur : Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat. At vero quamobrem Christo dæmoniacos illos liberandos tam sero obtulerunt, quonam spectat ista tarditas? Albertus Magnus inquit, quia in die occupatus erat, Verbi Dei prædicatione, ex compassione ad ignorantiam populi, et in sero per miraculum confirmavit quæ prædicaverat, et excitavit populum ad laudem Dei. *Psal.* xlii, 9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus. Quæ omnia confirmans S. Bernardus: Ipse, inquit, hominum sæculique auctor, quamdiu in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, numquid stetit? quidem teste Scriptura : Pertransiit bene faciendo et sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gressu ; sed quemadmodum de eo scriptum est : Exultavit ut gigas, ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest, Christum sequi si non contingat consequi. Ideo Paulus aiebat : Sic currite, ut comprehendatis. S. Bern. ep. ccliii.

Exemplum Angelorum; per quos Deus continue et incessanter operatur; de quibus proinde Vates Regius ait: Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem. S. Antonius citat S. Bernardum in hæc verba scribentem : O impudens et imprudens ! millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei, scilicet ad operandum, quod eis congruit ; et tu sedere præsumis, et otiari ? Unde Seraphini circa thronum Dei ab Isaia, sex alis instructi, visi fuerunt : Sex alæ uni, et sex alæ alteri ; ubi Glossa ait : Propter velocem in omnibus discursum, sicut et venti alati dicuntur. Etenim cœlestes illæ Intelligentiæ in continua sunt activitate, volvendo semper primum mobile, omnesque alias sphæras supernas; superintendendo tutelæ provinciarum atque regnorum, suamque circa singulos nostrum quotidie, dies et noctes perficiendo sollicitissimam custodiam, nam Angelis suis Deus mandavit de te. S. Antoninus, p. II, tit. ix, c. xiv, § 1.

Exemplum mundanorum; quod sic proposuit Thomas Morus: Mundani, eheu ! laborant et sudant, ut eant ad infernum, cum tamen, si longe minus pro gloria Dei et animæ propriæ salute facerent, sublimissimos sibi gloriæ gradus in cœlo comparaturi fuissent ; et ideo, licet mundani in temporalibus negotiis prudentiores et astutiores sint viris spiritualibus et vere Christianæ vitæ deditis, attamen in rebus ad futuram vitam spectantibus, ab his longe superantur ; et ideo Lyranus hic prudentiores interpretatur, astuti et fervidi in temporalibus negotiis. Lucas Burgensis pariter finem a Christo in hac parabola intentum declarans, inquit : Verba sunt Christi, occasione laudatæ prudentiæ iniqui hujus villici, exprobrantis filiis Dei misericordiam suam. Eusebius Emissenus inquit : Prudentiores sunt illi in malo, quam isti in bono ; vix enim inveniuntur aliqui sancti, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam calliditatem isti habent in acquirendis bonis temporalibus ; pro his enim nocte dieque vigilant, laborant, angustiantur. Quod confirmans Stobæus sic loquitur : Ut facilius et promptius labores illos sustineamus, quos virtutis et honestatis gratia subituri sumus, hæc animo reputare secum utile fuerit; videlicet, quam multa tolerent aliqui propter malas cupiditates, ut qui amat luxuriose ; et quantum sufferant alii lucrandi causa. Item quanta patiantur nonnulli, dum gloriam venantur. An non igitur iniquum foret, illos quidem hujusmodi pro nulla re honesta sustinere, nos vero honestatis gratia

et declinandæ causa pigritiæ (quæ plane pestis est vitæ nostræ) tum comparandæ virtutis (quæ nobis bonorum omnium dux est) non quosvis labores prompte subire; atqui verbis exprimi non potest, quanto præstantius sit eniti, ut cupiditates propriæ castigentur, quam laborare ad uxorem potiendum alienam; item frugalitatem exercere, quam in comparandis pecuniis laboriosum esse; et operam dare ne sis ambitiosus, quam gloriæ conquirendæ causa multis negotiis molestari. MANSI, disc. I, n. 1.

Exemplum avarorum; de quo S. Augustinus eleganter sic discurrit: Non est gravis avaritia? Quare ergo te de somno excitat, teque aliquando etiam dormire non sinit? Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ; et ista duo nequissima onera, secumque pugnantia premunt te, et dilaniant te; non enim paria imperant, non enim similia jubent. Pigritia dicit: Dormi. Avaritia dicit: Surge. Pigritia dicit: Noli pati frigidos dies. Avaritia dicit: Tolera in mari etiam tempestates. Illa dicit: Requiesce. Ista non sinit quiescere; jubet: Non solum procede, sed et naviga trans mare; quære terras, quas ignoras; merces in Indiam deportandæ sunt. Non nosti linguam Indorum, sed intelligibilis videtur sermo avaritiæ. Venies ignotus ad ignotum; das, accipis, emis, portas; periclitatus pervenisti, cum periculis redis, exclamas in mari exagitatus tempestate: Deus, libera me! non audis respondentem: Quare? Misi te? Avaritia tibi jussit, ut acquireres, quod non habebas. Ego tibi jussi, ut sine labore ante ostium tuum pauperi dares, quod habebas. Illa te ad Indos misit ad reportandum aurum. Ego tibi ad ostium Christum posui, a quo emeres Regnum Cœlorum. Tandemque hæc notatu dignissima subdit verba: Laboras in jussione avaritiæ, in jussione mea non laboras. S. AUGUST. S. XXII, *de verb. Apost.*

Exemplum peccatorum; quod Bellovacensis sic proponit: Vehementer et efficaciter nos excitare deberet, imo compellere labor, quem voluntarie sumunt, et gaudenter sustinent plures mundani omnibus diebus vitæ suæ, pro modico lucro vel commodo temporali. Denique si consideremus, quantos labores, timores, et pericula, quantas sollicitudines et angustias sustinent miseri peccatores pro flagitiis suis, et perversis voluntatibus suis adimplendis, quibus non vitam, sed mortem sibi mercantur æternam. Augustinus, in libro de Patientia, ait: Intuemur, quanta in laboribus et doloribus sustinent pro rebus quas vitiose diligunt, quanta pro falsis divitiis, et pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima et molestissima patientissime tolerant. Pecuniæ, gloriæ, lasciviæ cupidos videmus, ut ad desiderata perveniant, optatisque non careant, soles, imbres, nives, glacies, fluctus et procellosissimas tempestates, aspera et incerta bellorum immanium, ictus et vulnera, horrenda plagarum non inevitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre; et pro apertis sceleribus, non ut ea puniant, sed perpetrent, homines multi gravissima perferunt. S. ISIDOR. l. III, *Epist.* CCXXXVII.

Unde recte Thomas Kemp. dixit: Plures mundum libentius audiunt, quam Deum; facilius sequuntur carnis suæ appetitum, quam Dei beneplacitum. Promittit mundus temporalia et prava, et servitur ei aviditate magna; ego promitto summa et æterna, et torpescunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus servit et obedit, sicut mundo et dominis ejus servitur? Erubesce Sidon, ait mare; et si causam quæris, audi quare. Pro modica præbenda, longa via curritur; pro æterna vita, a multis vix pes semel a terrena levatur. Vile pretium quæritur; pro uno numismate interdum turpiter litigatur; pro vana re et parva promissione, die noctuque fatigari non timetur. Sed proh dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inestimabili, pro summo honore et gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubesce ergo, serve piger et querulose, quod illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quam tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem. THOMA. KEMP. *de imit. Chr.* l. III, III.

Exemplum ægrorum; nam, ut recte notavit Sanctus Chrysostomus, si vel parum aliquid in corpore morbi pulsaverit, statim et medicos adhibemus, et pecuniam profundimus, et omni observantia, quæ competunt, gerimus, nec prius cessatur quam quæ molesta sunt, mitigentur; anima vero quotidie vulneretur; cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, et modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea nos cura sollicitat. S. CHRYS. l. I, *de compunct.*

Exemplum Creaturarum; quod sanctus Augustinus sequentibus verbis proponit: Aperi oculos mentis et corporis, videbisque singu-

las creaturas ad officia singula deputatas. Ecce enim sol cursum anni perficit; luna etiam mensibus et vicissitudinibus discurrit; et cæteræ stellæ. Omnia enim sibi deputata officia sine quiete exercent. Numquid etiam animalia bruta ad suæ naturæ industriam otium fugiunt? numquid etiam non semper laborant, ut conserventur in esse? numquid in suis necessatibus deficere et pigrescere ea videmus? absit: omnia enim sub obedientia sunt, omnia agunt quod agere debent. Solus autem miser homo acedia superatus a suo officio frequenter recedit, et Dei imaginem in se deturpans, in acedia perseverat. Erubesce, o Christiane, absconde te a facie Salvatoris tui, quoniam insipientior jumentis et formicis hodie factus esse comprobaris. S. August. I, 17, *ad fratres*.

Exemplum formicarum; nam: Ut desidem et pigrum exsuscitet, ait sanctus Cyrillus, formicam creavit Dominus; cum enim aliquis inertem degit juventutem, tum ab animantibus rationis expertibus docetur, redarguitur a Scriptura Divina, quæ ait: Vade ad formicam, o piger, et æmulare vias ejus. Unde recte infert S. Basilius: Non tu tibi eamdem, homo, diligentiam adhibebis? non tu tibi ipsi demum elaborabis! non hoc tempore præsenti fruges tibi recondes, requiemque ad futurum, formicæ exemplo, parabis? Formica temporis hyberni pabulum æstate sibi sedulo condit, et non quod hyemis incommoda nondum adsunt, otiosa tempus traducit, sed incessabili quodam intentoque studio legendi, ad semina tantisper incumbit, dum sufficiens alimentum in cellulis sibi recondet. Neque id incuria facit, sed sapienti quadam providentia, ut quamplurimo tempore pabulum sibi persistere, conservarique possit. Secat enim unguiculis fructus medios, arrososque condit, ne rursum in fruges exeant de terra, atque inutiles sibi in usum alimoniæ fiant. Cum senserit eos madefactos imbre, profert, et exsiccat; nec omni tempore id agit, sed cum præsenserit aerem serena in statione teneri, serenumque cœlum. Sed et Hugo Card. consentiens: Mittit Salomon, inquit, ad formicam, quia in ejus natura fere contra omnia vitia cautela reperitur, quia parvum animal est, sic docet humilitatem; item sollicitum, sic docet vitare otium; item providum, sic docet providentiam de futuro. Galat vi. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* S. Hieronymus ait: Cadentes sub onere humeris suis sublevabant; item arcto calle incedit, ut Hugo Cardinalis observat, et sic docet pœnitentiam, Luc. xiii. *Contendite intrare per angustam portam*; item terram egerit de cavernis, sic docet contemptum terrenorum; item grano pascitur, sic docet honestatem vitæ. Apud Mansi, dis. xiii, num. 13.

ALIA MOTIVA.

Quia Deo invisos nos reddit; nam maledictus, qui facit opus Dei negligenter.

Quia superioribus nostris graves et molestos nos efficit, sicut equus assiduis stimulis ad incessum urgendus equiti permolestus est.

Quia proximis nostris odibiles nos facit, sicut mendicos robustos videmus omnibus detestabiles, et fucos apibus exosos esse.

Quia corporis sanitatem lædit; cum juxta Hippocratem hæc duo sanitatem tueantur, cibis non satiari, et impigrum esse ad labores. Hinc equus diu stando, aqua non labendo, ferrum non utendo, corrumpitur; agricolæ vero saniores plerumque sunt otiosis et delicatis hominibus.

Quia nocet vehementer animæ; dum velut omnium malorum et vitiorum origo eam sceleribus replet, et in periculum salutis præcipitat. S. Chrys. hom. xv, *in Gen.* P. 87.

Quia sibi ipsi molestus est accdiosus homo, teste S. Chrysostomo dicente: Grave malum est otium; facitque ut facilia omnia videantur difficilia; sicut studio et vigilantia, etiam ardua et difficilia facilia nobis sunt.

Quia tentationibus dæmonis exponit; cum, juxta antiquos Patres, apud Cassianum, qui laborat ab uno dæmone, otiosus ab innumeris infestetur.

Quia Christus in laboribus a juventute fuit; non decet ergo servum otio marcescere, quando ipse Dominus, et tantus quidem inter labores sudat.

Quia filii hujus sæculi tantopere laborant, ut perituras et morituras divitias congregent; quanto magis pro lucro spirituali et æternum duraturo laborandum erit? Pr. vi.

Quia ipsa bruta nos ad laborem incitant exemplo suo, hinc Salomon ait: Vade piger ad formicam, et considera vias ejus, et disce sapientiam. Pr. xx, 10.

Quia paupertatem adducit in temporibus bonis, nam: Propter frigus piger arare noluit, inquit idem Salomon, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei.

Quia exitium sempiternum affert; nam omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. MATTH. I, 10.

MEDIA.

Amor Dei; nam qui fideliter diligit, ait Bellovacensis, nec faciliter obliviscitur dilectum, nec negligit implere beneplacitum voluntatis ejus: unde, ubi parvus est amor, ibi parum invenitur de diligentia; ubi perfectus amor, ibi nulla negligentia. *Deuter.* VIII: « Cave ne obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus. » Unde ergo in nobis tanta negligentia, nisi ex defectu amoris? Quod confirmans S. Bonaventura dixit: Non potest frigere foris, qui intus calescit; neque ignis et tepiditas in uno domicilio morantur, teste S. Bernardo; et ut S. Gregorius dixit: Amor Dei nunquam est otiosus; operatur enim magna, si est, si autem operari renuit, amor non est. BELLOV. *Spec.* dist. X.

Christi exemplum ob oculos semper habere; si enim solatium est miseris socios habere; si equus præcurrentis equi exemplo ad cursum animatur; si sua vulnera non sentit miles, qui ducis vulnera intuetur: quomodo non animabitur ad laborem, qui tanti Ducis labores considerat? Hinc merito Christus ad se invitat dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis (tædio et difficultatis molestia) et ego reficiam vos (exemplo scilicet meo).

Sanctorum exempla præclara frequenter ponderare, sibique ipsi ignaviam illis S. Augustini verbis exprobrare: Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris?

Auxilium divinum implorare; sic enim S. Bernardus suasit dicens: Cum te torpore, acedia vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere a studio spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo, donec denuo suscitante gratia factus promptior, alacriorque curras, et dicas: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. S. BERN. serm. XXII.

Severitatem judicii divini studiose perpendere; sic enim horribilem illam tubam: Surgite mortui, et venite ad Judicium! cum S. Hieronymo frequenter in auribus resonantem audiemus, et haud dubie desidiæ somno excitabimur.

Vocationem et salutem suam serio amare; sic enim tepiditatem declinabimus, ne audire cogamur: Quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo. APOC. III, 16.

Præsentia Dei excogitata, quam S. Basilius efficacissimum esse medium dixit adversus acediam. Postquam enim hanc præmisisset quæstionem: Qui piger est ad mandatum, quomodo is ista poterit excitari, uti gnavus sit? Mox respondet: Nempe si ei persuasum sit, ubique Dominum Deum adesse, et omnia cernere, et comminationem illam veram esse, quæ facta est adversus pigrum. S. BASILIUS in *Reg. brev.* interrog. 37.

Idem quoque remedium ex quibusdam S. Bernardi verbis deducitur, dicentis: Quomodo negligens poterit fieri, qui intuentem Deum nunquam desinit intueri? Aut quomodo non quasi proprium illum habere videtur, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus et exteriora omni hora considerare non cesset, omnesque non solum actus, sed ipsos subtilissimos motus animæ perscrutetur, atque dijudicet? In vita S. Ignatii Loyola legitur, quod, cum quemdam in tradito sibi munere valde remissum atque oscitantem invenisset, quæsivit ex eo, cuinam in tali ministerio daret operam, Deone an hominibus? Cum ille se Deo utique deservire dixisset: Plecteris igitur, inquit Ignatius, nam in rebus humanis minus accurate versanti jure forsan ignoverit quispiam, at immortali Deo ministrare negligenter, id vero nullo pacto ferendum est. Quisquis igitur assidue Dei præsentiam in mente sua revolverit, huic impossibile erit, ut frigidus permaneat, aut in divino servitio otiosus, quia Deus ignis consumens est.

Continuum exercitium; sicut enim ignis modicus faciliter extinguitur, si quis illum per materiam combustibilem fovere et nutrire negligat; eodem modo de igne charitatis dicere possumus, quod faciliter deficiat, si per negligentiam, et pigritiam nostram continuis virtutum actibus vivum conservare negligamus. S. Bernardus, in sermone quodam de modo bene vivendi, ita scribit: Tunc vere Deum diligis, si pro amore illius bona, quæ potes, operaris. Unaquæque sancta anima debet in se monstrare amorem Dei, et verbis sanctis, et actionibus; unde in Canticis Canticorum sponsus, scilicet Christus, sponsam, id est sanctam animam ornat, dicens: « Pone me, ut signaculum super cor tuum, et super brachium uum. » In corde sunt cogitationes, et in brachiis operationes; ergo

super cor et super brachium sponsæ Dilectus ut signaculum ponitur, quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, et voluntate et actione designatur, quia amor Dei nunquam est otiosus. Hinc, teste Cassiano, experientia probatum est, acediæ vitium non declinando fugiendum, sed resistendo superandum. Et nos ipsi, si forte perobdormierit, eum frequenter movendo, torporem excutere molimur. BERN. serm. LI *de Modo bene viv.*

Non comparare se cum aliis etc. nam ut S. Isidorus Pelusiota dixit: Plerique hominum (vereor enim dicere omnes, quamvis istud Scriptura dicere non vereatur) non quod amplectantur sanctitatem, sed quoniam iniquioribus se ipsos comparent; sub hac ad deteriora collatione imaginariam sibi arrogant sanctitatem, non ipsa per se divina præcepta ponderantes, atque vitam suam ad illorum regulam componentes, sed cum languidis et socordibus, vitæ statum, et rerum suarum tenorem commensurantes. S. ISIDOR. l. III, epist. XXXVII.

Quod confirmans S. Bernardus: Hinc, ait, elevaris in superbiam, dum te præponis alteri. Hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris. Hinc demum incipis et deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris, sicque in tepiditatem incidis, et incipis remissius agere. Scimus autem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, et quia maledictus, qui opus Dei negligenter fecerit. S. BERN. s. *Exhort. ad fratr.*

Nunquam subsistere, ut S. Gregorius Naz. suasit dicens: Optimus esse contende, cave unquam in via virtutis subsistas, tibi enim, qui a vitiosa vita excessisti, perinde esse puto, consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris. Hinc et Salomon ait: Cum consummaverit homo, tunc incipiet, id est, se inchoasse reputabit, ut Hugo Cardinalis ait, et quasi nihil egerit, agere illa incipiet. Nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare. S. GREGOR. NAZ. *in Somniis.* ECCL. XVIII.

In libello quodam apophtegmatum ex Arabico a Druso translato, inter alias sententias hæc quoque recensetur: Homo sapiens est, quamdiu quærit sapientiam, ubi autem putat se ad ejus culmen pervenisse, desipit. Sed et S. David: Beatus vir, inquit, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. Ps. LXXXIII.

At vero quænam sint hæ ascensiones, quas servus Dei in corde suo disponit, per quas tandem beatus evadit, S. Hieronymus his verbis declarat: Ille disponit ascensiones in corde suo, quicumque quotidie in priora extenditur, et præteritorum obliviscitur.

Odium Dei adversus tepidos considerare, quod pathetice S. Bernardus sic proponit: Simplex natura simplicitatem cordis exquirit. Denique, et cum simplicibus sermocinatio ejus; vir duplex animo inconstans est. Non potest, quem quæritis, inveniri ab his, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Æternitas est, quæ, nisi perseveranter quæsita, non invenitur. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! nemo enim duobus dominis servire potest. Ne hanc quidem duplicitatem amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo; indignum est enim ei, ut inveniendam se præbeat, nisi perfecto eam quæsieris corde. Cæterum si odibilis est canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti, sed et ipsum quoque, quem invenerit tepidum, ex ore suo evomere incipit Deus; simulator et proditor ubi parebunt? Si maledictus, qui facit opus Dei negligenter, qui fraudulenter fecerit, quid meretur? Fugiamus hanc duplicitatem, charissimi, et a fermento Pharisæorum omnimodo caveamus. Si non volumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter; ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud convertamur. S. BERN. serm. II *de Altit. cord.*

Dona collata considerare, nam ut sapienter S. Laurentius Justinianus advertit, divinum atque naturale jus, nec non et humanæ leges clamant, ut, cui plus dilectionis et muneris clargitum est, tanto amplius exigatur ab eo, et tanto magis ingratitudinis vitio quisque fit reus, quanto contra honorem, voluntatem et præcepta sui largitoris segnior atque protervior exstiterit. Propter hoc rationalis creatura, quæ præ cæteris nobilitate naturæ et gratuitis donis sublimata est, plus cunctis suo debet famulari conditori; debet quippe ipse homo infatigabiliter exercere se, quatenus ad cognitionem beneficiorum Dei valeat pervenire. S. LAUR. JUST. c. IV *de Disc.*

Præmium ob oculos ponere; uti Bellovacensis suasit his verbis: Fructus alliciens, scilicet spiritutale præmium, et æternum

præmium, quod modico tempore, et non multo labore potest acquiri, nam quasi pro nihilo lucrari potest homo plus quam valeant omnes divitiæ et omnia regna mundi, scilicet gratiam et gloriam, de qua Psalmista ait : Gratiam et gloriam, dabit Dominus. In libro *Judicum*, cap. XVIII, legitur, eos, qui in Lais abierunt, post reditum suis dixisse compatriotis : Surgite ascendamus; vidimus enim terram valde opulentam et uberem; nolite negligere, nolite cessare, eamus et possideamus eam, nullus erit labor. Quando enim non jam spes præmii, sed illius aspectus nos allicit, nullus prorsus sentitur labor. Unde S. Augustinus ait : Attendis, te habere laborem, sed attende qualem ille requiem pollicetur. Numquid cogitare poteris? Si illum posses cogitare, videres, te nihil laborare ad compensationem. Idem quoque S. Doctor, alibi in Epistola quadam inquit: Omne opus leve fieri solet, cum ejus præmium cogitatur, et spes præmii solatium est laboris. BELLOV. *Spec.* l. III, p. VI, dis. IV.

ASCETICA.

Cum vitium hoc, si ullum aliud, iis potissimum, qui virtuti ac perfectioni student, periculosum sit, merito etiam Asceta in extirpationem illius totis viribus incumbere, et, quoniam *Tepiditatis* potissimum nomine apud viros Deo sacratos exprimitur, tria de illa specialiter advertere debet.

Primo itaque nosse debet, quid sit tepiditas ista, et quæ sint indicia illius; nimirum quod aliud nihil sit quam remissio fervoris in prima conversione concepti ; nam, ut S. Bernardus sapienter advertit, tepescimus processu temporis fervore conversionis nostræ. Paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consumemus carne, qui spiritu cœperamus : inde enim est, ut minus ea sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis, indevoti pariter et ingrati. Timorem Domini relinquimus. Religiosam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi, faceti etiam, detractores et murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet, quasi vero confestim sit etiam sine noxa. S. BERN. serm. III *de Annunt.*

Secundo nosse debet, duplicem esse tepiditatem, de qua S. Antoninus sic loquitur : O mala tepiditas, quæ veræ spem conversionis abscindit, sed illam dico malam, quæ calorem sequitur, non autem, quæ præcedit; quæ ad remissionem tendit fervoris, non quæ ad fervorem disponit. Aqua enim, quæ debet calefieri, prius tepet, quam caleat, et ista tepiditas non est mala, quia tendit ad bonum ; demum postquam est calida effecta aqua, si igni non adhæreat, iterum ad teporem descendit. Hæc tepiditas mala est, quæ tendit ad frigidum, et citius congelat in glaciem, quam si calida nunquam ante fuisset; natura enim fortius agit, ubi majorem resistentiam sentit; qui enim aliquando fuit bonus, igni divino applicatus, et paulatim inde recedens, calorem illum non nutrit, sed remittit et ad talem obstinationem descendit, quod in stomacho divinæ digestionis, ubi separatur pretiosum a vili, bonum a malo, stare non potest. Hoc autem accidit omnibus spiritualibus, qui manum suam posuerunt ad aratrum, et postea se retro verterunt, in inchoata pœnitentia vel religione non se conservantes. S. ANTON. p. I, t. I, II, § 5.

Tertio nosse debet gravitatem hujus morbi ut ad ejus curationem suscipiendam tanto vehementius incitetur. Quam quidem gravitatem colligere potest ex eo, quod juxta SS. Patres tanta sit potentia et vis hujus tepiditatis, ut, quem semel absorbuit, semper fere retineat. S. THOM. II, q. v, art. 1, 3.

Quarto nosse debet, quomodo tepiditas peccatum mortale sit; id quod S. Thomas suo more clare explicat sequentibus verbis : Potest dupliciter contingere, quod negligentia sit peccatum mortale; uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam ; quod quidem si sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia, erit peccatum mortale. Alio modo ex parte causæ, si enim voluntas in tantum sit remissa circa ea, quæ sunt Dei, ut totaliter a Dei charitate deficiat, talis negligentia est peccatum mortale; et hoc præcipue contigit, quando negligentia sequitur ex contemptu. Idem Angelicus Doctor, in alio quodam articulo, differentiam explicans quæ est inter peccatum veniale et mortale in communi, ad acediam deveniens inquit : Motus acediæ in sola sensualitate, quandoque est per repugnantiam carnis ad spiritum, et tum est peccatum veniale ; quandoque vero contigit usque ad rationem, quæ consentit in fugam et horrorem et detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino prævalente, et tunc manifestum est quod acedia est peccatum mortale.

Quinto nosse debet, quo præcipue tempore hæc acedia oppugnet ; id quod S. Antiochus sat clare indicavit, dum dixit: Tali suggerit dæmon hic acediæ cogitationum intemperiem, nempe alio ut emigret, et quia tempora omnia, et labor omnis vacua sibi erunt, et frugis bonæ inania, ni se ad alia confert loca. Et paulo post subdit : Si quando dæmon hic ex aditu cellæ non quieverit extrudere, tunc hora maxime Communionis ipsum adoritur, ut ejus mentem dissipet, et in diversa abripiat. Avocat a laudibus divinis, mentem reddit vacuam bonæ operationis, et ab omni fruge alienam; cuncta hæc quid aliud operatur, quam iners otium, et socordia animi lentescentis ? Neque hic maligni spiritus quiescit astutia, siquidem, ut religiosum in via Dei negligentem desidemque reddat, negotiorum temporalium curis ipsum illaqueat. Unde idem subdit Auctor : Talem in posterum mundi negotiis curat obstringendum, atque ita irretitum, velut ossa porrecta sensim inescat, et decipit istis occupationibus, quousque tandem deturbat e fastigio monasticæ professionis. S. Antioch. hom. xxvi *de Aced.*

Sexto nosse debet, cur tam difficulter curetur hic morbus; id quod S. Bernardinus his verbis indicavit : Reputant se (tepidi et acediosi) sanctos, et in peccatis non advertunt, dicentes : Quæ aut qualia peccata commisi ego ? Nunquam violavi virgines, non adulteravi, non succendi sacras ædes etc. Quid mali feci ? Et sic isto modo se excusat tepidus, non videns, quod tunc intricatus est, etc. Horum status est periculosior omnibus aliis, quia melius est esse facinorosum, quia sceleratus cognoscens se pessimum, tremit dicendo : Heu miser, quot mala feci ! Essem mille mortibus dignus ; et sic sæpe se humiliat Deo, flendo de peccatis suis. Tepidi sunt ad instar panni nigri, in quo non bene videntur maculæ, et in albo panno omnis macula quantumcumque parva discernitur. In progressu vero ejusdem sermonis inquit idem Bernardinus : Magna et reprehensibilis est ægritudo tepidorum, qui se justos putant, cum sint peccatores, et si quid boni habent in se, non Deo sed sibi attribunt. S. Bern. hom. iv, serm. vii, p. 3.

Septimo nosse debet, cur tepidi magis, quam frigidi, Deo sint exosi et abominabiles, cujus rationem Mansi sequenti discursu indicat : Mysteriis plena sunt illa *Ecclesiastici* verba : Melior est canis vivus leone mortuo ; verumtatem licet ab omnium sapientissimo homine, quem mundus habuit, hæc verba dictata fuerint ; prima tamen facie videtur, pellem leonis mortui incomparabiliter magis appretiandam esse, quam canem vivum quemcumque. Hugo Cardinalis igitur textum illum in sensu mystico his verbis ad nostrum exponit propositum, inquiens « Melior est canis vivus, id est, peccator pœnitens, leone mortuo, id est, quam justus torpescens. » Cujus hæc potest esse ratio ; quia anima, quæ vivit in gratia, si a vita spirituali remittat, et tepide vivat, ab amicitia Dei decidendi periculum incurrit. Unde in *Apocalypsi* dicitur : « Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. » Verumtatem videri non immerito posset melioris conditionis esse eum, qui tepidus est, et non frigidus, quia frigidus nullum prorsus caloris gradum participat, sicut tepiditas, similiter secundum allusionem moralem satius est, animam quamdam centum peccatis levioribus, quam unico mortali esse obnoxiam. Verumtamen optime dicitur, « utinam frigidus esses ! » quia ex tepiditate perniciosissima quædam nascitur consequentia, quando enim quis cum fervore Deo servivit, ac demum in ejus servitio relaxatur, et in medio spiritualis vitæ defatigatus, cœpta spiritualia exercitia intermittit, non solum ut plurimum ad pristina redit peccata, verum etiam aversionem quamdam concipit a facienda pœnitentia ; unde Apostolus ait : « Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt spiritus Sancti, et prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam. » Mansi, dis. vii, n. 4.

Octavo nosse debet legitimum per solida et efficacia remedia morbum hunc curandi modum ; qui quidem modus in sequentibus industriis consistit. 1. Ante omnia conetur tollere radicem morbi, et quia plerumque hæc tepiditas ex inordinato amore, seu concupiscentia alicujus rei creatæ oritur, hanc efficaciter subtrahere studeat ; alioqui enim frustra alia media adhibebit. Late porro radicem hanc indicavit Mansi sequenti discursu : Filii Ruben et Gad defatigati, ulterius progredi nolentes, coram Moyse comparuerunt, rogantes ut illos in loco, qui ad pascenda animalia copiosissimus erat, remanere permitteret : « Regio enim uberrima est ad

pastum animalium, et nos servi tui habemus jumenta plurima.» Ecce tibi veram causam, ob quam homines in via Dei contepescunt, ob nimiam videlicet adhæsionem ad bona terrena. Unde S. Philippus Nerius dicere consueverat, quod quantum de affectu suo homo tribuit creaturis, tantumdem de eodem affectu suo adimit creatori. Acediosi igitur et pigri cum Ruben et Gad pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, quia bonis terrenis intenti, cœlestia bona nihil faciunt. MANSI, dis. I, n. 6.

2. Medicorum more suaviora quædam illi remedia proponat, qualia sunt imprimis oratio ad Deum, uti suasit S. Augustinus dicens : Agnosce te in illa tentatione tædii, cum adest, et clama ad Dominum, ut de necessitatibus tuis etiam hic liberet te. Et de hac tentatione liberatus cum fueris, confiteantur illi miserationes ejus. Deinde suadet illi, ut ipse quoque Deo cooperetur, et pro viribus resistat acediæ, honestis occupationibus se onerando. S. AUG. *in Psalm.* CVI.

3. Si hæc nihil proficiant, severiora et magis amara remedia adhibeat, ostendendo ei, in quam malo statu versetur et quanto periculo, ne evomatur ex ore Dei, et vocatione sua excidat. Jubeatur considerare, quid in vitæ termino de hoc suo vivendi modo sit sensurus, revocenturque ei in memoriam illa S. Bernardi verba : Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occurrentia tibi catervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quid tibi in die tantæ necessitatis occurret? Quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? Quis deducet? S. BERN. serm. in VI *Tribunal.*

Imo moneatur, ut hanc suam miseriam ex aliorum tepidorum vita cognoscere studeat, sicut S. Gregorius suasit his verbis : Scribitur in Job : Considerate semitas Theman, Austri, inquam, sive teporis, quia in nobis minus dijudicanda credimus, quam sint turpia, in aliorum actibus cognoscimus. Sicque fit, ut ad semetipsam mens redeat, et agere, quod reprehendit, erubescat; quasi enim a speculo fœda facies displicet, cum mens a vita simili, in seipsa, quod aversetur, videt. Denique si tepiditas hæc nimis actas radices fixisse videtur, imitetur exemplum illorum medicorum, qui in simili casu longiorem curam per acidulas vel alias medicinas suadent, horteturque, ut in solitudinem spiritualem secedens, sacris exercitationibus vacet, et, tum ex peccatorum suorum, novissimorumque seria meditatione, tum ex vita ac passione Christi considerata, aliisque piis exercitiis in hoc secessu obiri solitis, ignem et fervorem charitatis in se accendat quo tam noxiam tepiditatem fuget. S. GREG. in cit. loc.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania. » ostendi possunt mali fructus acediæ, et zizania, quæ interea in mente hominis velut agro seminantur a diabolo. Videlicet. 1. Malitia seu detestatio bonorum spiritualium. 2. Rancor seu indignatio erga personas inducentes ad bona spiritualia. 3. Torpor circa præcepta necessaria. 4. Pusillanimitas ab arduis consiliis, 5, Desperatio seu recessus ab ultimo fine. 6. Curiositas et evagatio ad objecta illicita. 7. Verbositas, dum per collocutiones vanas solatium quæritur. 8. Instabilitas in locis et propositis mutandis. 9. Tristitia ex carentia veri solatii exorta. 10. Inquietudo mentis, dum ubique pacem et quietem quærit, et nusquam invenit. Excitentur proinde auditores, ut somnum acediæ excutientes vigilent, caveantque, ne inimicus ejusmodi zizania superseminans tricticum bonorum operum suffocet, et perdat. MATTH. XIII, 25.

Alios effectus acediæ adducit, et fusius explicat Marchantius, nempe teporem, mollitiem, somnolentiam, otium, dilationem, tarditatem, negligentiam, inconstantiam, quas vide loc. cit. MARCH. *Hor. Past.* tr. VII, lec. 4.

Ex occasione thematis. « Domine, puer meus jacet paraliticus in domo, et male torquetur. » MATTH. VI.

Potest acedia paralysi comparari. 1. Quia ut paralysis omnibus prope membris sanitatem et virtutem movendi aufert ; præcipue vero pedes a gressu, manus ab opere, corpus a motu impedit. 2. Quia acediosus ut paralyticus ab aliis semper moveri et portari debet, valdeque molestus est Deo, SS. Angelis et cœlitibus, superioribus, æqualibus et inferioribus. 3. Quia non minus quam paralysis est malum valde diutur-

num et prope incurabile. Unde merito vocandus Christus, ut curet. Vocabitur autem, si frequenter velut liberalissimus præmiator bonorum operum et laborum, vel ut severissimus vindex ignaviæ aliorumque peccatorum consideretur; si enim de quovis verbo otioso tam rigide rationem se exacturum dixit, quanto strictiorem de operibus non otiosis duntaxat, sed etiam tam graviter malitiosis exacturus est!

Ex occasione thematis : « Quid hic statis tota die otiosi? » MATTH. XX, 6.

Dici potest, Christum, sicut variis horis otiosos invitavit ad vineam, ita indicare voluisse varios esse hominum status, qui acediæ sunt subjecti. 1. Status est « adolescentiæ, » quæ vel maxime fugere acediam debet, et formicæ more congregare, quod in seram ætatem conducere possit. 2. Est « juventutis, » quæ sicut magis ob ætatis et corporis vigorem ad vitia inclinatur; ita magis quoque acediam et otium velut omnium vitiorum radicem fugere debet. Hinc Salomon monet : Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas : Non mihi placent. ECCL. XI, 4.

3. Est « virilis ætatis » qui, uti viribus maxime pollet (unde et nomen accepit) ita magis etiam labori vacare debet, quia, cui multum datum est, multum exigetur ab eo. LUCÆ XII, 48.

4. Est « provectioris ætatis», cui sicut plerumque varia officia committuntur, ita major quoque incumbit obligatio laborandi pro gloria Dei et subditorum bono; alioqui potentes potenter tormenta patientur, et fortoribus fortior instat cruciatio. 5. Est « senii », cui sicut parum restat temporis, ita vel maxime conari debet, ut optime illud impendat, et ad rationem reddendam se præparet. Certe si axioma illud : « In fine velocior est motus », alibi locum habet, in senio habere debet. Excitentur proinde hi omnes status, ut Christum vocantem in vineam sequantur, et promisso denario beatitudinis æternæ dignos se efficiant.

Ex occasione thematis : « Adolescens, tibi dico, surge ». LUC. VII, 14.

Vel, « surge, qui dormis, et exurge a mortuis. » Dicere potest concionator, se hodie excitatoris munere functurum, et omnes qui somno acediæ immersi sunt, illa formula, qua alicubi studiosi excitari solent, nimirum « Bonus dies Domini studiosi, surgite, tempus est! » excitaturum. EPHES. V, 14.

Ostendat subinde per sententiam S. Bernardi, supra jam citati, quale sit tempus, videlicet 1 « Ad agendam pœnitentiam», juxta illud S. Joannis Baptistæ monitum : Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. MATTH. III, 2.

2 « Ad acquirendam gratiam », juxta monitum Salomonis : Quodcumque potest facere manus tua instanter operare etc. ECCL. II, 10.

Et Christi : Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. 3. « Ad gloriam promerendam. » Ostendatur proinde ejus magnitudo, et inferatur illud pii ascetæ : Age quod agis, fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. JOAN. IX, 4.

Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus, et majoribus præliis, vita æterna. L. III *de Imit.* IV.

V. Ex occasione thematis : « Per agrum pigri hominis transivi, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ. » PROV. XXIV, 10.

Dici potest, Diabolum, ut homines in suam potestatem redigat, et in ea retineat, varias munitiones erigere, uti per singula vitia capitalia ostendi potest; unam autem erexisse in medio agri; hanc intra terram habere cavernas pro militibus eam propugnantibus, undique cinctam esse spinis, ædificatum in eo templum Priapo, cui Asinus pigrorum symbolum offerri consuevit, propugnari autem a quatuor cohortibus seu speciebus : nimirum ab adolescentibus voluptati deditis; a negotiatoribus lucro augendo, et divitiis cumulandis intentis; a tepidis clericis et religiosis, et a desperatis peccatoribus; hæ enim hominum classes potissimum acediæ sunt subjectæ. Explicentur postea singulæ hujus propugnaculi partes, dicaturque 1. In agro extructum, quia inter optimas merendi occasiones committitur hæc acedia. 2. In terra habere cavernas, quia homines acediosi plerumque toti sunt terrenis cupiditatibus immersi, ut qui cœlestibus deliciis careant. 3. Spinis cinctam esse, id est, actionibus infructuosis, et quotquot eos tangunt, maxime autem ipsos auctores pungentibus, eorumque conscientiam vellicantibus. 4. Templum Priapo ædificatum, quia

tales seipsos eidem tanquam pigrum asinum immolant, et pro Deo ipsum venerantur. 5. Propugnari a dictis quatuor hominum generibus, quia cum in iis præcipue inveterata sit acedia, merito illi quoque eamdem præ aliis propugnare dicuntur. Ostendatur dein, quomodo hoc propugnaculum expugnari debeat, scilicet ignem fervoris applicando spinis, quibus cinctum est, hunc autem ignem de cœlo petendum, considerando præmii magnitudinem, quod fervori huic promissum est.

Ex occasione thematis : « Vade piger ad formicam, et disce sapientiam » : Ostendi potest, quomodo acediosi sedulitatem a formicis discere debeant. 1. Ut, sicut formicæ sunt providæ de futuro tempore, ita et ipsi non ad præsentem dumtaxat brevissimam vitam, sed etiam futuram oculos conjiciant, sibique pro ea mature et copiose provideant. 2. Ut, sicut formica nunquam est otiosa, sed onera etiam majora, quam ipsa sit, portat; ita etiam acediosi seipsos vincant, et semper utili labore, licet importabilis videatur, se occupent. 3. Ut, sicut formica suos labores, et grana sollicite conservat, detruncando, ne germinent ; tempore pluviæ abscondendo, ne madefacta putrefiant ; tempore sereno ea soli exponendo; ita et ipsi opera sua bona pari sollicitudine custodiant, eaque tum a pluvia vanæ gloriæ defendant; tum soli justitiæ per legitimam intentionem exponent. 4. Ut, sicut formica tam constans est in labore, ut etiam in silice vestigia relinquat; ita et ipsi perseverent in laboribus usque ad finem, ut salutem consequantur. 5. Ut, sicut formica una alteri sua grana communicat; ita et ipsi sua bona ex charitate aliis libenter largiantur.

Ex occasione thematis; « Omnem malitiam docuit otiositas. » Eccl. I, 27.

Ostendatur, quo modo vere pigritia, et otium omnia peccata doceat, discurrendo per reliqua sex peccata capitalia, et demonstrando, quomodo 1. Superbiam doceat, dum pigri meliores se aliis æstimant, sibique ab aliis serviri cupiunt. 2. Avaritiam, dum hoc ipso, quod laborando propria bona acquirere nolint, aliena appetant. 3. Invidiam, dum de aliorum prosperitate laboribus suis parta tristantur. 4. Gulam, dum spiritualibus carentes solatiis, carnalibus inhiant voluptatibus, et tempus edendo et bibendo fallere conantur. 5. Luxuriam, dum caro sicut equus otiosus et bene pastus, lascivire incipit. 6. Iram, dum graviter succensent et indignantur illis, qui ipsos ad laborem, et saniora consilia incitare moliuntur, ut vere impleatur in illis, quod olim Christus de immundo Spiritu dixit, quod scilicet inveniens domum vacantem assumat secum septem alios Spiritus nequiores se. Matth. xx, 6.

MISCELLANEA.

Fuga. — S. Chrysostomus responsionem considerat, quam Christus duobus fratribus sibi perquam dilectis tunc dedit, quando per matrem suam primas, in regno suo, sedes postularunt; aiebat enim : « Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. » Quasi diceret: laboribus coronas propono, et laboribus honores, et præmia sudori. Hæc apud me commendatio valet maxime, quæ ab operum exhibitione promanat; videsne non frustra dixisse, nec ipsius esse, nec Patris, sed eorum, qui decertant, labores exantlant, et molestius conflictantur? Vides, fieri non posse, ut ex illis, qui otiosi sunt ac desides, et supini jacent, ullus aliquando salvus fiat? S. Chrys. hom. *de Petit. fil. Zebed.*

Considerandus est, inquit Josephus Mansi, textus ille sponsæ, quando dixit: « Ego dormio; vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi, sonor mea. » Anima enim ista obdormierat, id est, negligenter et tepide vivebat; quam proinde Sponsus Cœlestis a socordiæ suæ somno excitare volens, fortiter inclamavit, suasque inspirationes immisit, animæ quoque fores, ut aperiret, pulsavit, ut iis apertis liberum ad cor aditum acciperet. Motiva vero aperiendi hæc adduxit : « Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. » At vero quid inter se commune habent ros, et invitatio, qua sponsus dilectam suam a pigritiæ somno expergefacere satagit? Responderi quidem posset, Christum hisce verbis innuere voluisse, quod ejus tepiditas totidem spinis suum transfigeret caput, quot erant transgressiones veniales, per guttas roris denotatæ, quia etiam hæ culpæ, quando sunt deliberate et voluntarie commissæ, ei displicent. Aptius tamen ad præsens propositum nostrum respondemus, quod scilicet per hunc rorem pigritia et acedia denotetur ; quia sicut ros non nisi cœlo sereno, et sub aere temperato, id est, no

nimis calido, nec excessive frigido stillare solet, ita ros tepiditatis non descendit in animam, nec in caloribus majoribus, id est, in fervore spiritus, nec pariter tempore rigidissimi frigoris, scilicet quando est tribulata et tentata, sed tunc vel maxime stillat, quando se cœlo sereno gratiæ frui censet, et quasi securam se reputat : ex hac namque securitate præsumptionem quamdam concipiens, fervore charitatis et devotionis relaxatur. Hic ros mysticus caput Christi, ut ita dicam, offendit, et ideo lamentatur, dicens : « Quia caput meum plenum est rore » etc. Imo hic dolor stomacho pariter communicari videtur, dum eidem vomitum causat et nauseam, « quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo. » MANSI, dis VII, n. 6.

Inter omnes alios antiqui Testamenti Heroes, duo fuerunt illustrissimi, atque ideo a Deo in cœlo et in terra, præ aliis sublimati, ambo enim primi sunt in Genealogia unigeniti Filii sui. Liber generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham. Ambo quoque fuerunt præ cunctis aliis generis humani accepti et privilegiati, eo quod maximopere in ejus obsequio ferventes se probarint. Vix enim Abraham a Deo vocatus fuerat, dicente : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi, » cum ecce sine ulla dilatione egressus est, sicut præceperat ei Dominus. Quando in Mambre juxta limen tabernaculi sedebat, iners et otiosus videri potuisset, maxime cum tempus meridianum esset, quo homines dormire solent : At vero, ut S. Ambrosius bene observat, ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie, quando alii requiescebant, ipse hospitum explorabat adventum, et paulo post subjungit : Studium hospitalitatis studiosissime requirebat. Non otiosus sedet, qui longe aspicit ; nec aspexisse contentus, cucurrit obviam. Festinavit occurrere, quia non satis est recte facere, nisi etiam matures quod facias. Festinanter manducare Pascha lex jubet : uberiores enim fructus habet celerata devotio. Disce, quam impiger esse debeas. Sed et David ardentissimum se Dei amatorem ostendendo Dei sibi cor lucratus fuit, juxta illud : « Inveni hominem secundum cor meum. » Ib. disc. XI, n. 4 et 5.

Zacharias Propheta Dei, de adventu Filii Dei, Messiæ promissi, inquit : « Ecce ego adducam servum meum Orientem. » Et in cap. VI ejusdem Prophetiæ pariter inquit : « Ecce vir Oriens nomen ejus. » At vero dic, sodes, si nosti, cur Propheta Messiam venturum potius orientis quam occidentis nomine appellat, maxime cum eo fine venerit, ut mundum moriendo redimat? Respondetur, Prophetam dicere velle, quod Messias, tanquam verus sol justitiæ, in horizonte hujus vitæ mortalis, velut sol quidam, claraque lux promicaturus sit, quæ semper crescit et adaugetur, usque ad meridiem. Quasi lux splendens procedit et crescit, etc. Unde Christus, ad nostram doctrinam, videri debeat, quasi crescere in sapientia et ætate, et gratia, id est, ut S. Bernardus declarat, secundum quod apparebat, intelligendum est (a principio enim perfectus, a principio plenus fuit spiritu sapientiæ) ad instructionem fidelium, qui in perfectione et spiritu semper crescere debent. S. Paulus Philippensibus sensum, quem de semetipso habuit, his verbis exponit : « Fratres, ego non arbitror me comprehendisse. Unum autem, quæ retro sunt oblisviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Idem, disc. XII, n. 1.

Ecclesiasticus apta quadam similitudine distinctionem declarat, quæ est inter illum, qui semper in spiritu proficit, et inter alium, qui contentus est remanere in eo statu, in quo est, nec ulterius proficere desiderat ; dicit igitur : « Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur. » ECCL. I, XXVII.

Sol autem, ut in principio diximus, quando ab oriente oritur et exsurgit, semper altius et altius ascendit, suosque luminosos radios diffundit ; luna autem, quando luminosissima est, tunc declinat et deficit. Et ideo Ecclesiasticus appellat illam « luminare, quod minuitur in consummatione. » Hæc autem est multorum spiritualium ingens stultitia, quod postquam ad eminentes virtutis gradus pervenerunt, jam se securos esse existiment, quod amplius non deficient, nec retrocedent, et ideo sibi sistunt, et in præcedentibus fervoribus intepescunt, donec omnimoda sequatur spiritualis vitæ nausea. Hi autem, qui tales sunt, insignem illam S. Bernardi, in Epistola quadam traditam, auscultent doctrinam, dicentis : Quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profecto nolle perficere, deficere est. Ubi ergo sunt, qui dicere solent : Sufficit nobis, nolumus esse meliores,

quam patres nostri? O monache, non vis proficere? Non vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, et manere in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potes. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certe de homine specialiter dictum est: Fugit velut umbra, nunquam in eodem statu permanet. S. Bern. Ep. ccliii.

Inter alios antiquæ legis ritus, quibus Deus ab electo populo suo honorari colique volebat, non infimus ille est, quo jussit super tabernaculi mensam duodecim perpetim asservari panes, quos propositionis panes appellatos, calidos esse, omnique die renovari per duodecim alios pariter calidos substitutos præcepit. Merito admiramini decretum. Numquid enim Deus ille, qui de seipso testatur, inquiens: « Ego sum panis vivus, » numquid ille, inquam, hujusmodi indigebat alimento? Minime quidem; sed figurative panes illi duodecim, totidem significabant tribus populi Hebræi, qui inter omnes mundi nationes unius veri Dei lumen possidebat, eique debitum præstabat obsequium. Per illam igitur duodecim panes calidos habentem mensam denotabat Dominus, quod populum Hebræum suo in cultu ferventem esse vellet, neutiquam frigidum aut pigrum. Hosque ipsos panes quotidie renovari voluit, ut scilicet indesinenter bona nobis proposita renovanda, nosque ipsos ad multiplicata virtutum et perfectionis exercitia absque ulla defatigatione, aut tepiditate excitandos esse doceremur, eam imitaturi amoris divini sponsam, quæ animæ electæ figura, nunquam descendens, aut subsistens, sed semper ascendens exhibetur; de ea namque dicitur: « Quæ est ista, quæ ascendit etc. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, etc. » Quæ omnia verba profectus, progressus, et incrementi spiritualis sunt expressiva. Indefesse eam ad exemplum nostrum insecutus est Apostolus, qui de se ipso veraciter gloriabatur: « Sic curro, non quasi in incertum. » Ideoque Augustinus hoc salutari nos omnes munit consilio, dicens: Nemo dicat: sufficit, justus sum. Ubi dixerit: sufficit, inhæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Ille currit, tu hæsisti? Ille dicit, se nondum perfectum, tu de perfectione gloriaris? Id quod S. Bernardus, in quadam Epistola, pariter nobis inculcare nititur, dum ita scribit: Nemo quippe perfectus, qui perfectior esse non appetit, et in eo quippe perfectiorem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem. (Mansi, dis. xii, n. 11.)

Democritus aliquando interrogatus: Qua re industrii ab inertibus differrent? respondit: Qua impii a piis, spe nimirum bona; laboribus quippe incumbens, suæ industriæ sperat præmium amplissimum; ignavus autem desperans, nullam habet bonorum futurorum spem, qua fulciatur. Homo etenim piger et iners merito timere debet, ne tanquam palea in æternum et inextinguibilem conjiciatur inferni ignem, juxta illud: « Paleas comburet igne inextinguibili. » In *Theatro vit. hum.* tit. *Ignavia.*

Bellovacensis factum quoddam refert curiosum, quod contigit cuidam, qui in suis agriculturæ laboribus socors et negligens, et consequenter ad paupertatem redactus erat; hic etenim ad vetulam quamdam, quæ apud omnes venefica audiebat, accessit, ab eadem exploraturus, unde mala ejus sors derivaretur, quæ quotidie de malo in pejus abibat, ab eaque aliquod ad conciliandam sibi rerum suarum prosperitatem remedium poposcit. Illa circumspiciens eum, notavit illum multa oppressum pigritia, et dixit: Quod mane surgeret, et attenderet quid primum ei dicerent hirundines aut cornices, cum primo surgerent; similiter hoc idem attenderet, cum sero iret cubitum, et ad eam rediret, et dicta harum avium referret. Quod cum attendisset, rediens ait, quod voces dictarum audierat, sed non intellexerat, quid vellent ei dicere, vel quid garritus earum significaret. Tunc illa ait: Dixerunt tibi, si intellexisses: Cuba tarde, et surge cito, et discurre pro cibo, et habebis bladam in sacco. Si non dixerunt hoc tibi verbo, dixerunt tamen exemplo suo, quia ejusmodi aves mane surgunt, et tota die discurrunt, et per multum laborem sibi necessaria acquirunt; unde et tu fac similiter. Bellov. disc. iii, *Spec.*

Jeremia Propheta orbi fatalem stragem, calamitosamque ruinam inde potissimum illatam affirmat, quod officii sui obligationes obiter tantum, ac perfunctorie aspexit, levibusque passibus momenta suorum debitorum pertransiit: « Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde: » ait ille, cap. xii, v. 11. Unum hoc totam in rudera detraxit terram, quod non fuerit, qui fixis cogitationibus pensaret, quam multis et magnis modis Deo servire obligati omnes essent. Notandum in his, quanto cum mysterio Propheta terræ appellatione donet homi-

nem, qui non reddit fructum, quem debet Domino, cui tam magnum in modum est obnoxius. Quænam præcipua causa sit, quod terra non satis fructificat, neque respondet expectationi ejus, qui tritici semina illi credidit? Ea nempe, quod nec aratro, quantum par, subjicitur, nec vomere satis proscinditur, ac perstringitur, ut exsurgere in culmos grana, atque in spicas explicare sese possint. Nam ut bene dicendi magister Hispanus Quintilianus, lib. X, c. III, ait: Terra alte effossa generandis, alendisque seminibus fœcundior est. Quæ vero leviter solum, et secundum superficiem, tantum tenuiter rumpitur raditurque magis, quam sulcatur, ea seminis jacturam facit, et dominum suum suo labore defraudat, sudoremque illius plerumque lædit, et lassitudinem frustratur, ad hunc modum «vitio hominum fit, inquit Jeremias, quod terra vastetur, quia nullus est, qui recogitet corde, » aratrum meditationis non penetrat terram pectoris, obligationum suarum momenta nemo satis expendit, nec quisquam est qui animum, ut debet, advertat ad statum, cui se consecravit. Quid enim non a se obtineret homo, si altius seipsum scrutaretur? DID. NYS. p. I *Polit.* c. VI.

Propheta regius de Hebræis dixit: « Quemadmodum Patres eorum conversi sunt in arcum pravum. » *Psal.* LXXVII, 57. Hoc est, non degenerarunt improbi illi et perfidi a majoribus suis, sed pro eorum more et pravi arcus solemni ad malitiam sunt conversi. Quid voluit iis verbis indicare Propheta? S. Bruno sic exponit illum versum Davidicum : Arcus pravus, cum prius intenditur, aliquantulum ejicit, postea vero paulatim remittendo ex toto deficit. Sic et ipsi prius in præceptis Dei valde intensi, et aliquantulum operati, paulatim remittendo ex toto defecerunt. Vitiosus arcus cum jaculum unum, alterumve ejecit, prorsum dissolvitur, ut nullus sit illius deinceps ad explosionem usus : sic et Hebræi olim, et hodie Christiani plurimi sunt, fueruntque arcus pravi, qui cum initio essent firmi et validi, postea fiunt laxi et ignavi, et oscitabundi ac remissi. Quanta sæpe asperitate macerant aliqui carnes suas inter prima virtutis rudimenta! Quam acriter mortificant suas passiones! Quam crebro adeunt Sacramenta! Quam sunt observantes silentii! Quam amantes latebrarum et recessus! At quam cito hæc omnia intercidunt! Quam facile desistunt! Communis hæc multorum est infelicitas : prius in præceptis Dei valde intensi, et aliquantulum operati, paulatim remittendo ex toto deficiunt. Idem, *in Vit. Abrah.* l. I, VI.

DAMNUM. — Vita nostra stationi bellicæ assimilatur a Propheta dicente : « Militia est vita hominis super terram, » quæcumque autem vel minima negligentia, et oscitantia sufficiens est, quæ nos prædam constituat inimici, multasque ei conciliet victorias; ideoque Vegetius hanc fusius prosequens materiam, tale posterius reliquit documentum : Multa sunt discenda atque observanda pugnantibus, siquidem nulla sit negligentiæ venia, ubi de salute certatur. De æterna animæ nostræ salute negotiamur ; ideoque qualiscumque etiam minima circa ejusdem assecurationem admissa negligentia, si denique in gravia peccata desinat, pœnis castigatur æternis. MANSI, disc. XV, n. 7.

Deus olim cum Hebræorum populo omnium primogenitorum oblationem, tam de hominibus, quam de animalibus faciendam præcepisset, ab hac oblatione solum asini primogenitum excipit dicens : « Primogenitum asini mutabis ove. » Sed quonam id mysterio factum fuisse putas? Certe non alio, quam quia asinus pigerrimum est jumentum, ideoque tardum habens gressum, ad properandum nonnisi sude et fuste adigitur. Audiamus hac de re S. Antonium de Padua in sermone quodam ita loquentem : « In asino semper reperitur torpor negligentiæ, quæ est sentina omnium vitiorum. » Unde dicitur asinus, quasi alta sinens; torpor enim negligentiæ non alta conscendere, sed per plana semper vult ire; unde, *Gen.* XXII, dixit Abraham ad pueros suos: « Expectate hic cum asina. » Pueri sunt pueriles et carnales affectus, qui expectant cum asinino torpore et tarditate. S. ANTONIUS PAD. Ser. *infra Oct. Nat.*

Nusquam constat, quod Israelitæ in Ægypto genua sua coram Idolis flexerint, vel murmurationibus et detractationibus suis justitiam Dei exasperaverint, præterquam in deserto, ubi cum mulieribus Madianitarum inverecunde fornicati sunt, aliisque enormibus excessibus sese commacularunt, in quorum condignum supplicium Deus illos per quadraginta annos velut vagabundos oberrare, et circuire juste voluit : at vero undenam ortum suum habuit hæc in Israelitis tam notabilis diversitas et alteratio, maxime cum potius in Ægypto omnem debuissent addidicisse impietatem, ubi nil nisi impia

quotidie videbant exempla, juxta illum : « Cum perverso perverteris. » Pro resolutione observandum est, quod paulo ante ex mente Psalmistæ diximus : « Operti sunt iniquitate et impietate sua, quia in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. » Contrariorum enim est eadem disciplina. Cum igitur in itinere ad terram promissionis, nec quicquam laboraverint, sed inerti otio dediti fuerint, cujus in Ægypto contrarium faciebant, inde consecutum fuit, quod se a tædio vinci permiserunt. Locutus est contra Dominum et Moysen, cujus unica hæc causa fuit, quia tædere cœpit populum itineris et laboris. Mox enim ut hoc rerum divinarum fastidium et nausea apud hominem locum habere incipit, lingua in murmuratione laxatur, et cor ad omnem concupiscentiam et effrenem appetitum sese pandit, nec ullum est vitium, quod non sectetur. MANSI, disc. III, n. 8.

Quis mysticum Prophetæ Evangelici non obstupescat calamum, dum Luciferum potius in Aquilonis lateribus, quam in quacumque alia re repræsentat? « Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis ? » Ventus aquilonaris frigus geluque importat, ideoque pigritiæ et algoris in divino servitio prædominantis est symbolum ; hoc autem vitium pulcherrimum Angelorum in naufragio et barathrum conjecit abyssi infernalis ; sedere namque volebat acediosus, nec quidquam gratiis donisque cooperari Altissimi ; ideo enim præsumptuose dicebat : « Sedebo. » Idem, disc. IV, n. 1.

Non sine mysterio spiritus infernales a Christo licentiam postularunt ingrediendi Gerasenorum immundissimos porcos. Porci enim hominum pigrorum et desidiosorum sunt symbolum, siquidem ad nihil aliud attendunt, quam ad se per continuam voracitatem saginandos, absque eo, quod ullum præstent laborem, et luto ac sordibus immersi gaudeant ; ita pariter spiritus immundi in hominibus acediosis, commoditatibus vitæ, otio ac pigritiæ deditis, omne suum gaudium positum habent. Idem n. 2.

S. Job infernalis hujus monstri, quod Behemoth vocat, caute aliquando vestigia sectatus, ubinam delitesceret, suumque haberet diverticulum, se assecutum fuisse probat, dum ait : « Sub umbra dormit, in secreto calami et in locis humentibus, protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis. » Quæ ultima verba admiratione non carent, potius enim credidissem, ipsum superbia sua (per quam gloriatus fuerat, dicendo : Super astra conscendam, similis ero Altissimo) exstimulatum, potius ambivisse circumdari cedris Libani, vel palmis Cades, vel platanis, quæ sunt trans Jordanem, quam salicibus torrentis ; hi enim genus quoddam sunt arborum sterilium, et infructuosarum. Cur igitur salicibus torrentis diabolus circumdatus esse dicitur ? Nimirum salices, arundines et junci, qui in stagnantibus nascuntur paludibus, verum sunt pigrorum et negligentium symbolum, a quibus dæmon, tanquam ab obsequiosissimis servis suis circumdatur. Audiamus hac de re Dionysium Cartusianum ita scribentem : Per quod insinuatur, quod diabolus in hominibus otiosis et voluptuosis mansionem sibi constituit in secretis concupiscentiarum latibulis, qui homines contra labores pœnitentiales et æstus pugnarum, quibus adversus humanæ salutis hostes pugnatur, umbras carnalium deliciarum, et refrigeria pausationis acediosæ optant et amplectuntur, ita quod umbra super umbram oritur eis, de quibus cantatur in Psalmo LXXII. « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur ; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum etc. » Denique cum sint arbores infructuosæ, per quas homines vitiosi a bonis operibus steriles designantur, omnes diabolo se adjungunt, et eum quasi circumdant.

Amalecitæ impetum fecerunt a parte australi in Siceleg, et percusserunt, et incenderunt eam igni, et captivas duxerunt mulierculas ex ea, a minimo usque ad magnum, I *Reg.* XXX. Amalec interpretantur lingentem animarum, id est, compunctionem lacrymarum lingere et devorare cupiunt. Isti a parte australi Siceleg invadunt. Auster est ventus tepidus, de quo *Job*, VI. « Considerate semitas Theman, itinera Sabba. » Theman interpretatur auster tepidus. Hæc est fluxa et otiosa conversatio vivendi, per quam tentat diabolus ; nam cum spiritus immundus domum invenerit remissam et otio vacantem, intrat in eam. S. Ephrem inquit : « Si acciderit fratrem aliquem ad monasticam ac solitariam vitam quacumque occasione venire, et non se vigilantem præbuerit ; protinus et e vestigio devorabit eum diabolus. » Paulo post vero modum insinuat, quo diabolus acediæ venenum animæ infundit, dicit enim : Infert inimicus dæmon cogitationem ace-

diæ : Hodie otiabor (ita intra se Religiosus loquitur) ut paululum me ipsum reficiam, et cras opus meum prosequar, faciamque duorum dierum opus. Interea in otio versatur. Postero die honestatis hostis dæmon vehementiorem fratri circumfundit acediam quam die præcedenti, in memoriam ipsi præteritum revocans diem, atque præsentem. S. ANTONIUS PAD. *in Dom.* 3 *Quad.*

Apud S. Lucam, cap. XII, recensetur, quid diviti illi evenerit, qui abundantem collegerat messem, pro cujus custodia granaria ampliare coactus erat : Cogitabat intra se dicens : « Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? » Et dixit: « Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi. » Dum autem hæc diceret, ab æternæ et primæ veritatis ore emanantem terribilem hanc audivit vocem : « Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te, quæ autem parasti, cujus erunt? » Circa quam parabolicam historiam quærendum venit, quanam in re miser et infelix hic homo deliquerit, siquidem non videtur ulla in eo culpa, quod præcavere voluerit, ne perirent aut marcescerent sub aperto aere fructus, grana, vel aliæ similes segetes, quas Deus illi dederat, cur igitur non poterat nova erigere ædificia, quando illa non nisi propriis sumptibus fabricare intendebat? Sed ecce tibi errorem manifestum, ob quem merebatur, ut in ejus perniciem ira de cœlo descenderet, nimirum, determinaverat in corde suo vitam deinceps transigere otiosam, socordem et desidem : Unde ait : « Quiesce, bibe, et epulare. » MANSI, disc. VI. n.

Compassione utique dignus est casus ille terribilis, qui ex dispositione Dei, qui omnia fecit, uxori Lot accidisse legitur. Etenim manserat hæc in Sodoma tot annis illæsa, vivens et irreprehensibilis, Angelos hospitio exceperat, simulque cum Lot et filiabus suis infame ex decreto divino effugerat incendium, quando ecce gradientem ira oppressit divina, et versa est in statuam salis; quæ tanti tamque severi supplicii causa? Respondebitis utique, ei cœlitus inhibitum fuisse, ne retro oculos convertens flammas aspiceret; quo spreto mandato, respiciens post se, versa est in statutam salis. Hujusmodi quidem legem etiam fuisse non nego, sed eam soli Lot intimatam astruo, conformiter ad sacrum textum inquientem : Locuti sunt ad eum dicentes : « Salva animam tuam, noli respicere post tergum. » Et interim in eodem capitulo de Abrahamo traditur, quod intuitus est Sodomam. Quare igitur infelix illa mulier, dum retro respexit, talem in se concitavit vindictam divinam? Pigritiam segnitiemque præfigurabat animæ, quæ ex Sodomæ incendio, id est, e peccati æternæque mortis periculis egressa est, ut ad perfectionis montem gradiatur, passus autem non modo promovet lentos, sed potius etiam retrocedit, nullo ad divinarum legum transgressionem habito respectu. Describitur mora uxoris Lot (inquit Cajetanus) non solum tardando gressu ad sequendum Lot, sed etiam vertendo se ad respiciendum; remanebat siquidem post Lot senem, contra madatum Angeli; sed et, si Josepho creditur, non semel, sed sæpe uxor Lot tardabat, vertendo se. Angelus quidem salutem evasionemque spoponderat, sed qua cum conditione, notetis velim: « Festina et salvare; » ubi salutem sollicitudini et fervori conjungit, prohibens ne, in procedendo, pigra sit et lenta. CAJETANUS, in c. XIX *Gen.*

Abulensis differentiam, quæ inter prudentes et stultas virgines intercedit in hæc verba assignat : Verisimilius est, quod prudentes dormitabant, et non dormiebant. Hoc enim pertinet ad prudentes, nam cum tenerentur cura expectationis sponsi venturi, non poterant dormire profunde, quin cura eas excitaret, sed dormitabant, id est, paululum et leviter rapiebantur sopore, et statim evigilabant; fatuæ vero, licet essent in expectatione sponsi venturi, quasi non esset eis aliqua cura, sine sollicitudine dormiebant, et ideo dormire, et non dormitare dicebantur. ABULENS. q. XVI in cap. XXV *Matth.*

Comparatur piger ferro, terræ, aquæ, vesti, scholari negligenti, homini stanti et non ambulanti. Ferrum, quod non tractatur, cito rubiginatur. Terra, quæ non colitur, malas herbas generat. Aqua, quæ non movetur, cito corrumpitur. Vestis, quæ non portatur, de facili a tinea corroditur. Scholaris negligens, qui non addiscit, de necessitate nihil scit. Homo stans, qui non cavet, facilius cadit quam ille qui semper incedit : sic acediosus, qui non exercet se in aliquo bono opere, ideo succumbit vitiis, et vincitur tentatione. S. BONAV. in *Diæt.* tit. I, IX.

MISCELLANEA.

FUGA ACEDIÆ. — Cum quædam virgo aliquando peteret, quid Deo gratissimum in Quadragesima facere posset, et quomodo illud tempus sancte transigere deberet, contingit ut dum templum adit, eidem jam appropinquans, in extasim rapta immobilis staret videretque clarissimum lucis globum ex Ecclesia prodire, directumque ad eam, medium scindi, luminosis ad ejus cor radiis conjectis : tam subito eo ipso in templi angulo, quo solebat præcari, elatam se cerneret, totumque illud jubar in SS. Sacramentum, quod patens aderat, reciperetur, simulque vocem Salvatoris illa audiret clarissime dicentem : Totus labor tibi, tota utilitas proximo, tota gloria mihi. Contigit hoc autem in domo Professa Poletana. NIEREMB. *Doct. Ascet.* I, LXXXIX.

Abbas Silvanus, cum quidam Frater alios operantes videret et diceret seni : Nolite operari cibum, qui perit; Maria optimam partem elegit; illum cum aliis Fratribus neque ad mensam vocavit, causamque rogatus ab eo dixit. Tu spiritualis es homo, et non indiges corporeo cibo. Cum ergo ille errorem suum agnosceret, dixit ei iterum senex : Puto, opus habet omnino Maria Martha, per Martham enim Maria laudatur. SPEC. EX. ad II, ex. 142.

Veteri apologo fertur rusticus cum curru et bobus in luto altius hæsisse. Ubi cum gemeret et Herculis opem imploraret, adfuit Hercules, et hominem increpans dixit : Abi, manus admove, boves urge, currum promove : ita Dii aderunt vocati et juvabunt ; pigros non juvant. DREXEL. in *Rhetor.* l. I, IV, § 2.

Joannes Moschus refert, quod Abbas Athanasius audierit choros laudantium Deum, cumque ipse etiam vellet ad eos ingredi, audierit : Nemo huc ingreditur negligens ; abite, certate, contemnite vanitatem sæculi. In *Prato spir.* cap. CXXX.

Alexander Magnus dicere solebat : Regium est laborare ; servile est otio et luxui vacare. FABER. con. II *in Sept.* n. 1.

Alphonsus Rex reprehensus ab aliquo, quod manibus laboraret, dixit : Numquid Deus et Natura Regibus frustra manus dedere? Idem de quovis homine dici potest. Ib.

Septuaginta interpretes ad sententiam illam Salomonis, *Prov.* VI. Vade ad formicam, o piger, etc., etiam hanc addunt : Vade ad apem, et disce quomodo operaria est ; operationem quoque quam venerabilem facit. Ib. n. 2.

Titus, Vespasiani filius, cum quadam nocte recordaretur in cœna, se nihil boni ea die fecisse, ad amicos conversus dixit : Hodie diem perdidi. S. HIER. in VI *Galat.*

M. Aurelius Imperator dicere solebat, solam illam regionem felicem merito dicendam esse, ubi singuli proprio labore fruuntur, et nemo de labore ac sudore alieno vivit. In epist. *ad Pollionem.*

Demetrius interrogatus, quomodo otiosi a laboriosis differrent? respondit, quo pacto impii a piis, spe nimirum bona. Sperant quippe, qui corpus laboribus exercent, pinguia laborum præmia ; desides autem semper præsentem intuentur paupertatem. POLYANTH, V *Labor*, f. 634.

Idem conspicatus juvenem valde industrium dixit illi : Perge, adolescens, nam optimum senectuti condis obsonium. Ib.

Diogenes cuidam monenti, ut in senectute quiesceret, dixit : Quid? si in stadio currerem et metæ jam prope vicinus essem, num oporteret cursum remittere et non magis intendere? LAER. l. VI.

Aristoteles dicere solebat, artium et laborum radices quidem esse amaras ; sed fructus dulces. Idem. l. V, cap. V.

Severus Imp. militum Tribuno symbolum dari jussit : *Laboremus*; ostendens hoc pacto, quantopere acediam fugiendam judicaret. LANGIUS *in Polyant. de labore.*

Rusticus quidam moriturus, ut filios ad laboris amorem et fugam acediæ incitaret, ad se convocatis dixit, se omnem, quam in eorum bonum compararat, pecuniam in vinea abscondisse. Quare eo mortuo, filii arbitrati thesaurum in vinea latere, hunc quidem non invenerunt, sed uberem laboris fructum tulerunt. ÆSOPUS.

Recte canit Claudianus :

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella legunt apes,
Herculem duri celebrant labores.
Ite nunc fortes ubi celsa magni
Duxit exempli via. (*In Nuptiis Honorii.*)

DAMNA ACEDIÆ. — Quæritur Ægystus quare sit factus adulter?

In promptu causa est, desidiosus erat. Ovid. I *de Remed. amor.*

Pediculi cum a pulicibus invitati ad pinguis hominis opiparas epulas, avidius prædulcem succum exugerent, ille hoc morsu concitatus, inimicum investigavit, et quia pediculi tardius reptabant, necavit; pulices vero, quia saltu insidias illius frustrati fuerant, salvos dimisit. Sic nempe inertia facultates, existimatio, ipsaque vita amittitur. Æsopus, fab. xxxviii, 2.

Otium et Reges simul et beatas perdidit urbes. Catullus *ad Cassium.*

Otia si tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptæque jacent et sine luce faces.
(Ovid. *de Amor.*)

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ?
(Idem I *Pont.* vi.)

Quo te cumque die nil sancti egisse putabis,
Hunc tibi, vel penitus disperiisse puta.
Ita nec in minimis ponas dispendia damnis,
Ære potest nullo vel breve tempus emi.
(Pictorius *in Epigr.*)

Si tibi perpetuæ vigil est cura salutis,
Otia perpetuo deliciosa cave.
Hostis apricantem quoties videt inferus hostem,
Semper victrici currit ad arma manu.
Sed timet implicitum manumve, pedumve labore
Aut mentis vigili sollicitæ studio. (Idem.)

Uxor pigra cum ob otium a viro graviter multata objiceret, se injuria verberari, cum nihil fecerit, responsum accepit a marito, hac ipsa de causa verberari, quod nihil fecisset. Pontan. p. I, *Attic. Bellar.*

Nux, asinus, campana, piger sine verbere cessant:
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille jacet.
Sed simul ut ferri plagam sensere, vel ulmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.
(Pontan. p. II, *Bellar.*)

ADAGIA.

Ut mala devites, aliquid fac, otia vites, otia dant vitia. Buclerus. *V. Otium.*

O mihi præteritos referat si Jupiter annos,
Sera nimis stultæ est cautio desidiæ.
(Ib. *V. Desidia.*)

AUCTORES.

Jacobus Marchantius in *Horto Pastorum*, tr. VII, per novem lectiones.

Joannes Busæus *in Panario.* V. Accdia et Pigritia, et Tepiditas.

Philippus D'Outreman *in Pedagogo christiano* p. I, cap. vii, § 8.

Jacobus Alvarez t. II, l. I, p. II, cap. xiii.

Bernardinus Rosignolius lib. II *de Discip. Christ.* c. xviii.

Cassianus l. X *de Instit. renunt.*

Henricus Engelgrave p. II. *Lucis Ev. Dom. Septuag.*

Matthias Faber. conc. ii *in Septuag.*

Petrus Canisius p. III, §. 9, f. 147.

Thomas Stapletonus text. v *in Dom. Sept.*

Josephus Mansi *Bibl. Morali* tract.

ADULATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est, juxta S. Thomam, excessus in aliis delectandis, verbo vel facto commissus. S. Thom. II, I, qu. iii, art. 1.

Vel juxta S. Augustinum, est facta cum fallaci laude seductio.

Divisio. — Dividitur a S. Thoma in *mortalem* et *venialem.* Mortalis est, quando quis vel de peccato mortali laudat alterum; vel ut graviter ei noceat in corpore vel anima. Venialis est, cum exceditur in laude alterius ex sola aviditate delectandi, vel boni alicujus consequendi, vel mali cujuspiam evitandi, idque sine alterius gravi detrimento contingit.

EX SCRIPTURA.

Qualitas. — In ore suo pacem loquitur cum amico suo, et occulte ponit ei insidias. Jer. ix, .

In malitia sua lætificaverunt Regem, et in mendaciis suis Principes. Oseæ vii, 3.

Simulator ore decipit amicum suum. Prov. xi, 9.

Homo, qui fictis blandisque sermonibus loquitur amico suo rete expandit gressibus ejus. Idem, xxix, 6.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis. Ib. XVII, 6.

FUGA. — Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. PROV. I, 10.

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ps. CIV, 5.

DAMNUM. — Qui justificat impium, et qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum. PROV. XVII, 15.

Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico loquitur, et occulte ponit ei insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? JER. IX, 8.

Qui dicunt impio : justus es, maledicent eis populi. PROV. XXIV, 24.

Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas! EZECH. XIII, 18.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Proprie Hæreticorum est adulari, et eorum qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo, hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, per dulces sermones subvertunt corda innocentium. Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio, pulchreque apud Philosophos definitur blandus inimicus. S. HIERON. l. I, *cont. Pelag.*

Collaudare delinquentes longe plus est, quod ad supplicii pertinet æstimationem, quam delinquere, idque jure optimo, eo quod hoc suffragium proficiscatur ab animo plane corrupto et insanabili morbo laborante; siquidem is qui, dum peccat, condemnat interim peccatum suum, poterit aliquando ad se redire, at qui laudat malitiam, is se privavit curatione, quam adfert pœnitentia. S. CHRYS. h. II, *de David et Saul.*

Adulatio omnibus applaudit, omnibus salve dicit, prodigos vocat liberales, avaros ait esse parcos et ad rem attentos, lascivos appellat urbanos et aulicos, obstinatis et pervicacibus constantiæ titulum assignat. S. GREG. l. XXX, *mor. c.* XX.

Falsa laus adulatio est, falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris. Propterea et homines, cum falsa laude aliquem irriserint, hoc etiam de illo dicunt : Unxi illi caput. S. AUG. *comm. in Ps.* CXL.

Tales mendacia diligunt, veritatis destructores, odiorum inventores, satanæ mediatores, Dei persecutores, fratres diaboli. Vos vero, fratres, si verberamini a lingua dolosa, humili et tranquillo animo dicite : Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Idem, *in Ps.* LIX.

Mortui mortuos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt. Quid enim est aliud peccare, quam occumbere? et sepelire, quam abscondere? sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. S. GREG. l. IV *Mor.* c. XIV.

Quisquis male viventibus adulatur, pulvillum sub capite jacentis ponit, ut, qui corrigi ex culpa debuerat, in ea fultus laude quiescat. S. GREG. *sup. Ezech.* hom. XI.

Quid de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. S. BERN. *sup. Cant.*

Oleum peccatoris, est dilectio simulata verborum, quæ adulationibus et blandimentis nostras mentes (velut olei pinguedo) libenter ingrediens, rigorem veritatis emollit, et ad noxias cogitationes amoris ficti, vel potius ostentationis, perducit. CASSIAN. *sup. Ps.*

Quid adulationis unctio, nisi donorum emunctio? Quid commendationis allusio, nisi Prælatorum delusio? Quid laudis arrisio, nisi eorumdem derisio? ALAN. *de complanct. natur.*

Adulatores a voluntate vultum, ab animo verbum, a mente linguam, ab intellectu loquelam, amplo dissensionis intervallo diffibulant. Plerumque enim exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria delusione defraudant. Foris vultu applaudunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo ; foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractionis evomunt tempestates. Ib.

Emolliri adulationibus non solum fortitudinis non est, sed etiam ignaviæ. AMBROS. lib. I *de Offic.*

Adulatio fallax et crudelis est. AUG. l. II, *contr. Lit. Petit.* c. LXVII.

Adulatio, si ad tempus suscipitur, augetur. GREG. l. VII, *super Ezech.*

Sicut finis oratoris est dictione persuasisse, et medici medicina curasse ; sic adulatoris est finis suaviloquio decepisse. CHRYS. *super Ep. ad Thess.*

Adulari est seductorum. Ibidem.

Adulari egregie norunt avari. Idem, *super Ep. ad Heb.* h. XV.

FUGA. — Ne credas tuis adulatoribus, qui cum te adulationibus foverint, asini auricu-

las post te agitant, aut ciconiarum colla curvant, aut æstuantis canis protendunt linguam. S. Hieron. *Epist. ad Rust.*

Non retineas amicos mensæ magis quam amicitiæ cupidos ; qui enim tales sunt, si delicias detraxeris, illi quoque amicitias dissolvent. S. Chrys. hom. lix, *in Matth.*

Beata mens, quæ perfecte hoc vitium vincit, nec adulatur aliquando, nec adulatori credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur. S. Aug. in ep. xvii *ad Demetr.*

Damnum. — Pessima vulpes occultans detractor, sed non minus adulator blandus. S. Bern. s. liii *in Cantic.*

Hoc est causa omnium malorum, hoc est quod virtutem maxime evertit, quod retardat ac reprimit studium multorum ad ea quæ sunt honesta : quando non solum non reprehendunt aliqui, sed etiam una cum iis, qui peccant, se oblectant, eisque gratulantur. S. Chrys. *apud Drexel,* p. 1. *Phaet.* II.

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. S. Aug. in sent. 137.

Duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium et laudantium ; sed plus persequitur lingua adulatoris', quam manus persequentis. Idem, *in Psal.* lix.

In multis, isto maxime tempore, regnat hoc vitium, quodque est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur : eo fit, ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur. S. Hieron. ep. xiv.

EXEMPLA CATHOLICA.

Fuga. — Christus, teste S. Hieronymo, etsi pauperrimus, nulli tamen adulari voluit ; ideo in urbe hospitium reperire non potuit, foris illud quærere debuit apud pecudes. S. Hieron. *in Matth.*

Sigismundus Imperator uni e proceribus nimias laudes in se congerenti colaphum impegit, dixitque : Cur me mordes, adulator? Æneas Silvius, l. I *Comm.*

Sed et Ladislaus, Rex Polonorum, simili astigatione adulatores castigavit, causamque rogatus respondit : Ego percutientes me repercutio. Drex. p. I *Phaeton.* iv, § 3.

Carolus Quintus, Parisiis, publica oratione laudatus, oratori respondit : Grata mihi est affinis Regis in me benevolentia, sed laudes tuæ, non qualis sim, sed qualis esse debeam' me docent. Ib.

Damnum. — Herodes Agrippa, cum a Tyriis et Sidoniis apud quos perorarat, adulatorie exclamatum audivisset : « Dei voces et non hominis; » et hac assentatione elatus, honorem divinum admisisset, ab Angelo Domini viscerum dolore ac putrefactione percussus dixit : En ego, ille vestra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Joseph. l. IX *Ant.* viii.

Justinianus Imperator, alioqui sagacissimus, quia Triboniano jurisconsulto cum assentatione dicenti, ipsum non moriturum, sed corpore animaque ad cœlos migraturum, credidit, et inde turgidior factus est, in hæresim postea prolapsus, misere periit. Fab. conc. I, *in Dom.* 22 *post Pent.*

Parisiis, os cloacæ ostenditur, in qua sepeliri se jussit quidam, quem sero pœnituit mali consilii et adulationis. Cum enim Regem propter angustiam rei pecuniariæ tristem et sollicitum videns, ei suasisset, ut ex minimis rebus a rustica turba in urbem importatis, unum, alterumve obolum per biennium dumtaxat exigeret ; Regem autem felici successu consilii comperto, plures et graviores exactiones, atque in longius tempus facere adverteret, nec avertere amplius posset, præ tristitia et desperatione mortuus, in cloacam illam, in quam totius illius fori sordes confluunt, sepeliri voluit, ut hac ratione et de seipso pœnam inconsulti consilii et adulationis sumeret, et alios, ne in idem vitium inciderent, admoneret. Ib. n. 10.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas. — Clisophus tantus Philippi Regis Macedonum assentator fuit, ut cum eodem exoculato et ipse oculo fasciis obligato prodiret, et cum claudicante claudicare inciperet. Si quem acrem cibum Rex ori admoveret, etiam ipsum vultum contraheret, quasi pariter acrimoniam sentiret. Ib n. 1.

Nicesias Alexandri Magni assentator, cum Rex a musca se compunctum quæreretur, ideoque velut sibi molestas alias quoque muscas abigeret : Aliis profecto muscis, ait, hæ longe præstantiores ac strenuiores futuræ sunt, ut quæ tam generosum sanguinem gustarint. Idem cum Alexandrum

sumpto medicamento cruciari torminibus videret : Quid , inquit, o Rex, nobis fiet, quando vos deos tormenta premunt? Ib. n. 2.

Antiochus, Rex Asiæ, cum mutata veste regia, cervum insecutus, a via aberrasset, et in casam pauperum divertens, quærensque quid de Rege homines dicerent, audivisset Regem quidem esse virum bonum, sed pravis consiliariis stipatum, quique seria regni negotia ob insanum venandi studium postponeret ; mane convolantibus iterum ad se aulicis dixit : Heri demum veritatem se intellexisse, nec a quoquam illorum ab eo tempore, quo ipsi servirent, liberiorem vocem audivisse. Ib. n. 6.

Fuga. — Alexander Magnus philosophum quemdam, quo antea familiariter utebatur, a suo consortio hac una de causa removit, quod nunquam Regem objurgaret : Si enim, inquiebat , mala quæ facio, non intelligit, insipiens est ; si intelligit et non arguit, est malevolus adulator; utrovis nomine dignus, qui a regia familiaritate plane arceatur. Ib.

Idem, cum Aristobulus de rebus ejus gestis librum scripsisset, multaque supra fidem conficta, coram ipso in navigatione recitaret, e manibus ei librum rapuit, et in Hydaspem fluvium projecit dicens : Te sic mergere deberem, tu hoc balneo dignior esses. Drex. *in Phaet.* p. I, cap. I, § 3.

Cum Antipater a Phocione iniquum aliquid jure amicitiæ peteret, respondit Phocion : Non potes, o Antipater, Phocionem et amicum habere, et adulatorem. Ib. § 4.

Cum Aristippus Diogenem olus in fonte lavantem videns dixisset : Si Diogenes vellet uti Regibus, ista non esset. Respondit Diogenes : Si tu ista comedere velles, Dionysio non adulareris, mallesque homo esse quam regius canis. Ib.

Augustus Imperator ludos spectans, pronuntiante mimo : O Dominum æquum et bonum ! mox adulationem populi applaudentis manu vultuque suppressit, et sequenti die edicto vetuit, se Dominum appellari. Fab. l. c. n. 3.

Agesilaus, Lacedæmoniorum Princeps, intelligens Thasios sibi templa divinosque honores decrevisse ob beneficia ipsis præstita, quæsivit e legatis, an civitas eorum posset homines in Deos convertere? Cumque illi affirmarent : Agite, inquit, vos ipsos primum Deos facite, eo facto credam vobis, posse me quoque a vobis in Deum mutari. Ib. n. 10.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut canicidæ dissimulantes et blande incedentes, subdole jaciunt laqueum et collis canum induunt; ita adulatores blando sermone sese insinuantes, incautos illaqueant homines. Ib. *Exord.*

Sicut umbra, quidquid agis, imitatur; ita adulator, quocumque te vertas, sequitur. Ib. n. 1.

Sicut heliotropium se cum sole circumagit, noctu vero velut desiderio solis contrahit florem; sic gnathones se per omnia Principibus accommodant, ubi vero se eisdem displacere viderint, tristitia contabescunt. Ib.

Sicut camæleontes omnium rerum, quas coram vident, colores induunt, ac mutant cum eisdem, solum rubrum et candidum non assumentes; ita adulatores se omnium moribus conformant, solum animi candorem ac sinceritatem, et rubrum colorem erubescentiæ respuentes, juxta illud Alciati : Et solum mores imitatur Principis atros, albi et pudici nescius. Ib.

Sicut specula intuentium imagines repræsentant inverso ordine, quæ dextra sunt, sinistra , quæ orientem spectant, ad occidentem spectantia; ita adulatores, quos voce commendant, corde vituperant , quos in faciem laudant, a tergo rident, præsentibus benevoli, absentibus infensi. Ib. n. 3.

Sicut meretriculæ bona omnia præter mentem amatoribus suis imprecantur ; ita adulatores iis quibuscum agunt. Ib. n. 5.

Sicut cervicalia et pulvilli videntur capitibus incumbentium reniti, et tamen cedunt potius, seque accommodant; sic adulator, licet fucatam dicendi libertatem assumat, et quædam carpere videatur, revera tamen magis se insinuat, et reprehensionem in laudem vertit, quo fortius eum irretiat. Ib. n. 7.

Sicut pediculi corpora extincta deserunt statim atque sanguis, quo alebantur, evanuit, et sicut vermes triticum nacti non discedunt, donec vacuum reddiderint; sic adulatores, quamdiu substantia illius, cui adhærent, salva est, manent, hac perdita ipsi quoque discedunt. Ib. n. 30.

Sicut paupertini fidicines quærere solent quod choreuma dominis placeat; ita adulatores omni hora serviunt auribus. Drex. II, part. I, § 2.

Damnum. — Sicut oleo perunctæ muscæ

aut formicæ moriuntur; ita Principes assentatione et obsequio palponum in exitium trahuntur, et ipsi trahunt Rempublicam. PLIN. l. I, c. XIX.

Sicut lupi titillando et scalpendo asinos, prædam sibi eos faciunt; sic assentatores in perniciem intenti, blanditiis et mendaciis se insinuant, ut eam corrumpant. DREX. l. c.

Sicut ancillæ infantibus servientes agitant cunas et cantum adhibent, ut infantem sopiant; sic adulatores maligno suo cantu in profundum peccati soporem præcipitant peccatorem. FAB. l. c. n. 4.

ASCETICA.

Duo sunt, quæ circa hoc vitium specialiter notare debet Asceta. Primum est, ut certo sibi persuadeat, nihil adeo adversari scopo, quem Asceta præfixum habere debet, quam hoc vitium; cum enim præcipuus Ascetæ finis et studium eo dumtaxat tendere debeat, ut Deo soli placeat, ejusque gratiam possideat, facile apparet quantopere ab hoc suo scopo aberraret, si per adulationis vitium hominum sibi favorem gratiamque conaretur conciliare. Hinc sapienter quidam Asceta dixit: Non decet subditum, ut Superiorum (quanto minus aliorum?) favores ambiat. Qui enim ab his amari velit, debet etiam placere velle; quantæ autem hinc adulationes et simulationes sequentur? Sin contraria incurras indicia, quis erit turbationum et offensionum modus? Universorum Domino placere, et ab eo diligi velle oportet, hominum de nobis sensa errabunde vagantur, aliorum invidiam creant, ac plurimum a spiritualis profectus libertate impediunt. Secure incedit, qui nunquam sibi amore digna adscribit.

Alterum est, ut solidum sciat modum, etiam se ab aliorum adulationibus innoxium conservandi, quem quidem solide docuit S. Gregorius sic loquens: Inter verba laudantium sive vituperantium, ad mentem semper recurrendum est; et si in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet. Et rursum si in ea non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si non omnes laudant, et conscientia liberos nos demonstret? Habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Job quoque dixit: Ecce in cœlo testis meus. S. GREG. l. XVIII *Mor.* c. V.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Quidam apud Senecam dicebat, adulatores dominorum suorum esse arrisores, arrosores, et quod his duobus conjunctum est, derisores. SEN. ep. XXVII.

Cum Alphonsi Regis, in Siciliam navigantis, navem gaviæ aves circumvolitarent, dicebat Rex ad suos: Sicut aves istæ tam officiosæ non sunt, ut hunc nobis honorem deferant, sed ut aliquid escarum projiciamus, qua obtenta mox avolabunt; ita aliqui ex meis tamdiu mihi serviunt, quamdiu munera expectant; his obtentis obsequio subducunt. DREX. p. I.

Alanus adulatores Palatinos canes vocabat, quos pulchre describens Hugo Victorinus ait: Adulator est amicus in officio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis inter adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. Ib.

DAMNUM. — Perniciosa adulatio perpetuum Regum malum est, quorum opes sæpius quàm hostes evertit. CULT. l. VIII.

Plato adulatorem vocabat bestiam humano generi pestilentem, similem venefico, imo impuro dæmoni, qui animos incautos funestis epulis fovet, et sordibus noxiis inquinat; item præstigiatori, qui judicium et rationem aliis eripiat. Apud FAB. conc. I, *in Dom. 22 post Pent.*

Plutarcus adulatores appellare solebat *patriæ et virtutis inimicos*; Epictetus *corvos*, ut qui perinde viventium animos excæcent, ac corvi mortuorum oculos effodiunt; Antistenes *meretrices*; Anaxilaus *opum vermes*; Constantinus Magnus *tineas et sorices*. Ibid.

Crates eos, qui cum adulatoribus vivunt, aiebat non aliter esse desertos quam vituli sunt inter lupos. Neque enim illos adesse, quos oportet; neque cum iis, qui adsunt, habere societatem, cum sint insidiatores. LAERT. l. VI, c. V.

Pastor quidam cani oves suas custodiendas dederat, ideoque optimis pascebat cibis. Quia tamen his non contentus canis, etiam oves devoravit, pastor eum occidere voluit. Quod advertens canis dicebat ad illum: Quid me, qui unus ex domesticis tuis sum,

perdere cupis, et non potius ovibus tuis constanter insidiantem lupum interimis? Cui respondit pastor : Hoc ipso tu magis quam lupus morte dignus es, nam hic palam se meum et ovium hostem profitetur ; tu vero sub amicitiæ specie quotidie imminuis gregem. LANGIUS in *Polianth.* V. eod.

Cum leo quondam graviter frebricitaret, ideoque eum in hara fœtida procumbentem reliquæ bestiæ visitarent, ex singulis quæsivit, num fœtoris quid persentiscerent? Ad quam quæstionem cum ursus, veritatem dicere volens, respondisset, intolerabilem se fœtorem sentire, vix ungues leonis indignantis evasit ; lupus vero, hanc indignationem effugere volens, omnia fragrantius quam balsamum olere dixit, ideoque ut falsus adulator a leone discerptus est; unde vulpes, priorum damno respiciens, respondit, se gravi catarrho laborare, atque adeo vim discernendi odores amisisse. Quo astu leonis iram evasit. ÆSOPUS et HERODOT. l. III.

Bias interrogatus, quod animal esset omnium ferocissimum et noxium ? respondit : Si de feris percunctaris, tyrannus ; si de mitibus, adulator. TYMPIUS VI, I, *Mensæ convi.* q. V.

Non male cecinit Seneca : Omne sub regno graviore regnum est ; quia licet omnes Reges et Principes populis suis imperent, ipsi ab adulatoribus vicissim reguntur. Ibid. q. I.

AUCTORES.

Mathias Faber conc. II in *Dom.* 22 *post Pent.*

Hieremias Drex. in *Phaetonte* p. I c. I, II et III.

Laurentius Beyrlinck in *Theatro vitæ humanæ.* V. eodem.

Josephus Langius in *Polyanthæa.* V. eodem.

ADULTERIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est illicitus concubitus conjugati vel conjugatæ, juxta S. Thomam ; vel juxta alios, alieni thori violatio. Et dicitur adulterium, quasi ad alienum thorum accessio, uti Gelasius Papa ait. S. THOM. II, II, q. CLIV, art. 8.

DIVISIO.— Dividitur in *Simplex*, cum scilicet alter ex concumbentibus est tantum conjugatus; et *Duplex*, cum uterque illorum matrimonio illigatus est.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Sic et omnis mulier relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio ; primo enim incredibilis fuit in lege Altissimi ; secundo in virum suum deliquit ; tertio in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi. ECCL. XXIII, 32.

Omnes adulteri, quasi clibanus succensus a coquente. OSEÆ VII, 4.

Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit ; furatur enim, ut esurientem impleat animam ; deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet : qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. PROV. VI, 30.

FUGA. — Attende tibi, fili mi, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. TOB. IV, 13.

DAMNUM. — Nolite errare; neque fornicarii, neque adulteri regnum Dei possidebunt. I COR. VI, 13.

Fovea profunda os alienæ ; cui iratus est Dominus, incidet in eam. PROV. XXII, 14.

Hoc nefas est, et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. TOB. XXXI, 11.

Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur. PROV. VI, 33.

Filii adulterorum in consumptione erunt, ab iniquo thoro semen exterminabi-

tur. Etsi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum. Etsi celerius defuncti fuerunt, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem ; nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes. SAP. III, 16.

Hæc in Ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur, non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur. ECCL. XXIII, 34.

Si quis tetigerit hominis uxorem, morte moriatur. GEN. XXVI, 21.

Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus; fornicatores enim et adulteros judicabit Dominus. HEB. XIII, V. 4.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Quid in omnibus peccatis adulterio gravius? Secundum enim in pœnis tenet locum, et in prohibitionibus quidem homicidio assimilatur adulterium. CLEMENS PONT. apud March., tr. IV, lect. IX, prop. 1.

Qui adulterium perpetrare desiderat, tenebras amat. GREG. l. V *Moral.*

Adulterium etiam voluntate committitur. AUG. l. I *De lib. Arbitr.* c. III.

Adulteria prolis cupiditate non excusantur. Idem *contra Jul.* c. VII.

Adulterium naturæ injuria est. AMBROS. l. V *Hexam.*

Adulterium etiam feris ac barbaris detestabile. Idem l. I *de Abraham.*

FUGA. — Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales vultis eas invenire, tales et ipsæ inveniant vos. Quis vivens est, qui non castam velit ducere uxorem? Et si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris; intactus esto. Puram quæris; purus esto. Non enim illa potest, et tu non potes. S. AUG. tr. XXVIII *De ver. Domin.*

Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam, præter uxorem tuam : tu autem exigis hoc ab uxore, et non vis reddere uxori? Cum debeas in virtute præcedere uxorem tuam (quoniam castitas virtus est) et tu sub uno impetu libidinis cadis, et vis uxorem tuam victricem esse, et tu victus jaces? Et cum tu caput uxoris sis, præcedit te ad Deum, cujus caput es. Vis tuam domum capite pendere deorsum? Caput enim mulieris vir est; ubi autem melius vivit mulier quam vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, melius debet vivere, quam mulier, et præcedere in omnibus factis uxorem suam. Idem , *de Decem chordis.*

Nemo alienum affectet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate, nec longiore mariti absentia provocetur. Adest præsul conjugii Deus, quem nihil latet, nullus evadet. Nemo irrideat vicem absentis mariti, servat excubias Deus, imo sine excubiis deprehendet reum, antequam faciat. In animis singulorum crimen agnoscit, et si maritum fefelleris, eum non falles ; si maritum evaseris et judicem, non evades Judicem totius mundi. Ille gravius ulciscitur injuriam inopis, contumeliam mariti imprudentis; major est enim injuria auctorem, quam custodem thalami sprevisse , et non considerasse. S. AMBR. l. *de Abrah.* c. II.

DAMNUM. — Adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus, omnia suspicans, vel ad umbram contremiscens, ad nullum liberis respiciens oculis, sed omnes pertimescens, et qui sciunt, et qui nesciunt, acutos videns gladios impendentes, lictores, judicia. In dolore semper est adulter, etiam in tenebris. S. CHRYS. in *Ps.* VII.

EXEMPLA SACRA.

FUGA. — Joseph castissimus sollicitatus ab uxore Putipharis ad adulterium, fugit, pallio in manibus ejus relicto. GEN. c. IX.

Susanna maluit cum summa ignominia mortem oppetere absque peccato , quam adulterii crimen committendo cum senibus, nullius apud homines peccati insimulari. DAN. XXIII.

B. Genovefa, Ducis Brabantiæ filia, cum discedente Sifrido Romani Imperii Palatino, marito suo, commissa Goloni militi, et ab hoc nequicquam ad adulterium sollicitata fuisset, apud redeuntem dein maritum a Golone velut thori violati rea accusata, et in fluvium cum infante præcipitari jussa est. Sed a famulis in silva deserta, opeque B. Virginis, cui se specialiter commendarat, sex annis totidemque mensibus servata, tandem a marito inter venationem inventa, agnita, magnoque gaudio in thalamum denuo recepta est. MARCHANTIUS tract. IV, in *Hort. Past.* lect. IX, pro.

Matrona quædam christiana, cum Maxentius Tyrannus uxores christianas passim violaret, et ipsa quoque jam ad eumdem abducenda esset, exiguum temporis spatium petiit, ut corpus decenti vestitu ornaret. Et tum cubiculum ingressa gladio pectus transfodit, statimque mortua concidit. Ibid.

Comes Mutinensis, cum ab Othonis III uxore Maria ad adulterium primo allectus et dein, quia consentire noluerat, de oppressione violenta etiam accusatus, ac jussu Imperatoris decollatus esset, uxor illius Imperatorem, in judicio sedentem, sic allocuta est : Ecce caput mariti mei innocenter occisi; cum hoc ignem intrabo, et si quidem illud mecum illæsum manserit, argumentum id innocentiæ mariti mei erit; sin vero combustum fuerit, debitam iterum sceleris commissi pœnam subibit. Quo dicto ignem ingressa, iterumque incolumis egressa, mariti quidem innocentiam, Imperatricis vero falsitatem et nequitiam probavit, effecitque, ut ipsa quoque in rogum conjecta, debitas suorum criminum pœnas lueret. BARON. 988, et LAUR. BEIR. lib. V *Adult.* l. CXXV.

Balduinus, Flandriæ Comes, qui et Imperator Byzantinus postea fuit, tantopere ab hoc crimine abhorruit, ut quotidie per præconem edici jusserit : Nemo in palatio meo pernoctatare audeat, qui alienam conjugem tetigerit. Ibid. fol. 124.

DAMNUM. — Davidi, post adulterium cum Bethsabea commissum, jussu Dei dixit Nathan Propheta : Quamobrem non recedet gladius de domo tua, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua. Sed et filius, qui natus est tibi, morte morietur. II REG. XII.

Cum in urbem Gabaa venisset levita alienigena cum uxore sua, et Gabaonitæ eadem cum tanta insolentia abusi essent, ut mortua conciderit, filii Israel tanti sceleris enormitate concitati, arma sumpserunt adversus filios Benjamin, urbeque succensa, viginti quinque millia ex illis occiderunt. JUD. XIX et XX.

In Parmensi oppido cum vicinus quidam maritum summo mane abiisse cognosceret, ad uxoris illius lectum in tenebris accessit, seque maritum simulans cum eadem congressus est. Quod ubi maritus rediens cognovit, cum conjuge sua, quæ et ipsa delusam se videns graviter dolebat, templum ingressus, multis lacrymis suum et uxoris casum enarravit; quod dum facit, auctor sceleris dæmoniaco spiritu correptus, pariterque Ecclesiam ingressus, tamdiu seipsum discerpsit, et modo ad terram, modo ad parietem allisit, quousque animam exhalavit. MARCH. tr. IV, lect. IX, prop. 2, ex S. DAMIAN.

Chiusquisacæ in agro Peruano, vir conjugatus decem totos annos confessionis officium intermiserat pellici turpiter addictus. Cujus hominis statum Sacerdos Soc. Jesu cum rescivisset, eum ad confessionem invitavit, et hujus obeundæ diem dixit. At adulter promissi penitus tempus destinatum non observavit; quin tota urbe otiosus cum ad defatigationem vagatus esset, domum rediit, cui occurrunt repente sex simii teterrimo aspectu ac minaci, quos pone sequens agebat, squallidus homo, facie horrenda oculis ardentibus, miram spirans crudelitatem. E vestigio jussit simios pallentem ac pavore contabescentem hominem vinculis constringere, adstrictoque acerba verbera infligere quod liberalius etiam fecerunt quam jussi esse videbantur, pessimeque affectum pro desperato reliquere. Forte uxor domo abfuerat, quæ reversa maritum humi jacentem, imo emorientem offendit, mox confessarium evocat ; qui protinus advolans, defectum sensibus cum reperisset, expectavit, dum se via ostenderet , qua juvari posset miser. Redit sensus, at linguæ vis loquendi defuit, oculis tantum omnia tacitus arbitratur, atque attonito similis, ubi esset ignarus, ac simiorum iterato aspectu perculsus, quo se verteret infelix non habebat. Consilium erat bestiarum infernalium, tantum terroris ac desperationis incutere homini, ut eo statu animam inquinatissimam recte in Tartarum abripiendam emitteret. Quare si quando oculos in Crucem attolleret, circumstantia monstra atrocissima quæque misero minitabantur. Sacerdos interim identidem lustrabili aqua cubiculum aspersit; et tandem cum simii usque infestarent ægrum , depromptis S. Ignatii reliquiis ejus os ita attigit, ut linguam contingeret, postulantibus interim Divi suffragium circumstantibus. Secundum has preces flatum æger vehementem pectore emisit, cujus graveolentia omni mephiti tetrior omnes procul abegit. Spiritus hic fœtens secum eduxerat vim et animum occupantis stygii Tyranni, sed non universam ; detumuerat lingua, vox redierat, rigebant tamen livida immodicis plagis brachia, ut nec erigi, nec colligi ad Crucis

signum efformandum possent. Verum ea iis admota S. Patris lipsana mox colorem ac dein vigorem omnem restituerunt. Agnovit adulter suæ impietatis et petulantiæ magnitudinem, proin resipiscens, omnem flagitiorum sentinam per confessionem ejecit, vitamque egit puriorem. *Annuæ Perv. Colleg. Chiusquis.*

Miles quidam de latere conjugis intempestivæ noctis silentio vice quadam exurgens, completo cum aliena flagitio, domum luna lucente redibat, cujus faciem per fenestram intrantis uxor eminus contèmplata clamat horrifice, ad ejus clamorem ancillæ domus, et famuli concurrentes, mox ad contuitum domini pariter convolarunt, quasi a conspectu dæmonis exturbati. Quod ut miles vidit, animadvertit faciem suam a forma propria recessisse, et divino judicio secundum qualitatem peccati confusionis ignominiam induisse. Ergo ubi delituit usque mane, properat vèrsus Ecclesiam, ut confessus Sacerdoti speciem propriam recipere mereretur, cui cum vaccæ et pecudes procedentes ad pascua obviarent, mox diros dedere mugitus, et quasi subito minaci fulmine retroactæ, quæque quoque possunt diffugiunt ; item pastores et obvii quique fecerunt. Sacerdos autem in ostio Ecclesiæ sedens ad dicendas horas, mox ut illum vidit, signavit se, et intrans Ecclesiam, ostium post se clausit. Tunc miles ante fores Ecclesiæ se prosternens : Miserere, inquit, pater sancte, miserere miserrimo peccatori. Non sum ille qui videor, sed hoc mihi peccatis meis exigentibus, accidit, ut mea larvalis facies videatur, sed pœnitenti injunge quod vis, et sic de me, quod Deus voluerit, expectabo. Nec mora, ubi miles cum mira contritione et lacrymis est confessus, larvalis illa confusio detersa est, et propriam faciem, cum sua integritate recepit. Thom. Cantiprat. lib. II *de Universo* c. xxv, pag. 40.

In Germania Otho Comes impudentissimus adulter, et pro adulterio a Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei judicio turpissime decollatur a militibus Ludovici Comitis, cujus uxorem publicis nuptiis, eo vivente, sibi nefandissime copulavit. Qui apud monasterium in prædio ipsius constructum a suis sepultus, jussu Constantiensis Episcopi ejicitur, et (ut scriptum est) ad sepulturam asini deputatur. Baron. t. xi, ann. 1089, iv ; Jerem. xxii.

Sub annum Domini nongentesimum nonagesimum quintum, Imperatrix, Maria nomine, Regis Aragonum filia, Othonis Tertii uxor, ob adulterium publice igne crematur. Albert. Crant. l. IV *Hist. Saxon.* c. x.

EXEMPLA PROFANA.

Fuga. — Cum ad Alexandrum Magnum quondam femella ducta fuisset, ut dormiret cum illo, et hæc interrogata, ubi tamdiu fuisset? respondisset se expectasse, donec maritus cubitum ivisset, Rex famulos acriter objurgavit dicens : Reducite eam; parum enim abfuit, ut vestra causa adulter fierem. Plutarc. *in Regnum et imper. apoptheg.*

Lycurgi temporibus tanta erat apud omnes uxores pudicitia, ut cum Geradas nobilis Spartanus rogaretur ab hospite, quas pœnas apud eos adulter daret? responderit, nullas pro hoc leges a Lycurgo præscriptas esse, quia nullus apud eos adulter daretur. Cumque hospes ulterius instaret : Quid si autem existat? Subjecit iterum Geradas: Bovem tantum dabit, ut porrecto ultra Taygetum collo ex Eurota bibat. Dicente autem hospite, id fieri non posse, Geradas quoque: Quo pacto, aiebat, apud Spartanos adulteri esse possunt, ubi divitiæ, deliciæ, et corporis adscititius cultus probro habetur : contra verecundia, modestia, ac obedientiæ Magistratibus debitæ observatio, decori laudique dantur? Idem *in Lacon.*

In Insula Patanæ Indiæ Orientalis, tam sancte servant conjugium, ut si quis adulterium commisisse deprehendatur, ad parentes per virum primarium deductus juguletur ab illis, consors vero similiter ab iisdem pugione confodiatur. Beirlinck. *in Theatr. Vit. Adult. f.* cxxii.

Damnum. — Aurelianus Imperator tantopere hoc vitium aversatus est, ut militem in adulterio deprehensum duarum arborum ramis implecti, sicque per eos discerpi voluerit. Ibid.

Saxones adhuc pagani, adulteram se strangulare cogebant, et super bustum illius incensæ et concrematæ adulterum suspendebant. March. tr. IV *de Charit.* lect. ix, prop. 2.

Ægyptii adulteris virgis mille ictus infligebant, adulteras vero ad perenne dedecus nares truncabant. Ibidem.

Cumani adulteram in foro ridendam exponebant, deinde asino per totam urbem

circumvehebant, ut tota vita esset infamis, nam propter hanc equitationem Onobatis vocabatur. Ibidem.

SIMILITUDINES.

Fuga. — Sicut satius est fame mori, quam Idolothytis vesci ; ita satius est defungi sine liberis, quam ex illicito concubitu stirpem quærere. S. Aug. *De thor. conjug.*

Sicut gubernator in portu naufragium faciens, haudquaquam impetraret veniam; sic nec is, cui conjugium concessum est, quo lapsum effugiat, si aliena scrutetur matrimonia, aut quamcumque aliam feminam curiosis scrutetur oculis. S. Chrys. *de verbis Isaï.* hom. III.

Qualitas. — Sicut quisque, sive Regis violaverit uxorem, sive pauperis, sive servi, pari ratione adulter est, cum peccatum non personarum differentia, verum ex voluntate improba id scelus admittentis judicetur; ita et hic, imo magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quam qui ipsam Reginam violaverit; illic enim plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia, forma, et ejusmodi, quorum hic nihil invenitur. S. Chrys. V *de Adult.*

ASCETICA.

Tria fere sunt, quæ de hoc vitio bene advertere debet Asceta. Primum est, ut gravitatem illius æstimare discat, aliisque similem æstimationem ingenerare studeat, quam quidem ex triplici injuria, quam facit, concipere poterit; nam 1. grandem injuriam facit ipsi Sacramento Matrimonii, atque effectui illius, cum enim hoc Sacramentum ideo institutum sit, ut sint duo in carne una, sicque inseparabilis unio Christi cum Ecclesia significetur; hanc utramque rationem, quantum in se est, conatur tollere adulter. 2. Etiam conjugi alteri gravem injuriam affert; cum potestatem corporis sui, quam non ipse, sed consors conjugii habet, eidem auferat; unde Marchantius infert, hoc furtum quovis alio furto gravius esse : nam in illis aliquid a se distinctum, in hoc autem seipsum, qui factus est una caro cum conjuge, eripit. 3. Ipsi etiam juramento, quo publice in Ecclesia fidem sibi mutuo dederunt conjuges, injuriam facit; quæ quidem violatio tanto gravior censeri debet, quanto digniores sunt, coram quibus editum est hoc juramentum nempe Christus in Ven. Sacramento existens ; Ecclesia, cujus auctoritate et imperio , ac approbatione contrahitur ; Sacerdos, a quo benedictio impertitur ; Baptismus, super quo juratur ; Cœlites, qui velut testes et vindices fidei datæ invocantur.

Secundum est, ut bene notat, conjugibusque inculcet memorabilem illam S. Hieronymi sententiam, dum ait : Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, ex quam honesta causa quis insaniat. Unde Xistus Pytagoricus in suis sententiis ait : Adulter est in suam uxorem ardentior amator. In aliena quippe uxore omnis amor turpis, in sua nimius. Sapiens judicio debet amare conjugem, non affectu. Non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum ; nihil enim est fœdius, quam uxorem amare ut adulteram. Certe qui dicunt, se causa reipublicæ et generis humani uxoribus conjungi, et filios procreare, imitentur saltem pecudes ; et postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios; nec amatores se uxoribus præbeant, sed maritos. S. Hieron. *contra Jovin.* lib. I.

Tertium est, ut ex gravitate adulterii corporalis colligat spiritualis adulterii gravitatem ; cum enim in hoc et persona, cum qua contrahitur, scilicet ipse Deus, sit infinities dignior ; et ipsa conjunctio, utpote quæ voto firmatur, arctior existat; et causæ recedendi longe minores, cum quidquid ex amore creaturæ sperari potest, in Creatore infinities perfectius habeatur, facile apparet, ex omnibus his circumstantiis magnopere augeri illius gravitatem, atque adeo sicut innocens conjux jure separare se potest a thoro adulteri, ita merito timendum esse, ne Deus quoque ejusmodi animam adulteram deserat tandem auxiliis suis.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Socrates dicebat, adulteros perinde facere, ac si quis nolit ex aqua superne effluente bibere, sed ex illa, quæ in fundo, et deterior est. Stob. ser. VI.

Adulteri maximam invidiam contrahunt, et non modo eos quos lacessunt, in se ultores provocant; verum maritos pene omnes, qui

eamdem contumeliam et injuriam formidant. Franc. Patr. l. IV *de Regn.*

Optimum medium pro adulterio vitando præscripsit Plautus, dum cecinit:

Bonas mulieres æquum est facere, ut absentes viros

Perinde habeant, quasi præsentes sint. Plautus in *Sticho.*

AUCTORES.

Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum,* c. iv, *de Charitate.*

Laurentius Beyrlinck, in *Theatro vitæ humanæ.* V. eodem.

Matthias Faber, conc. iv in *Dom.* 2 *post Epiph.*

Josephus Langius, in *Polyanthœa,* V. eod.

Joannes Major, in *Magno Speculo exempl.* V. eod.

Antonius Dauroltius, in *Catechismo historiali,* c. iii, tit. CIII.

ÆTERNITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.— Est, juxta Boetium, interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Boet. l. V *de Consol.* pros. vi.

Juxta Cornelium a Lapide, est Circulus in se recurrens, cujus centrum *semper,* circumferentia *nusquam* est. Juxta Drexelium, *Orbis* undique rotundus, in quo nec principium, nec finis est; Rota, quæ semper volvitur, et volvetur in omne volubilis ævum; *Annus* jugiter revolutus, qui ubi moritur et occidit, ibi et renascitur, rursumque oritur; *Fons jugis,* in quo per mæandros aquæ ad suam semper refluunt originem, ut iterum fluant; *Labyrinthus* innumeris se gyris intorquens, qui ingressos perpetuo circumducit. Est *Anguis* orbiculatim in se reflexus, caudam ore complectens, qui in sui fine rursum semper incipit. Est *duratio* semper præsens, et unum perpetuum *hodie,* quod nunquam transit in præteritum aut futurum. Est *principium* sine principio, sine medio, sine fine. Drexel. *Consol. ætern.*

Est, juxta S. Dionysium, *ævum ævorum,* quod non interit, sed eodem semper modo se habet. S. Dionys. c. x *de Div. nom.*

Divisio. — Dividitur in æternitatem *Beatorum* et *Damnatorum*; de quibus Christus, apud S. Matthæum, dixit: Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Matth. xxv, 46.

EX S. SCRIPTURA.

Veritas. — Ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes. Eccl. xii, 8.

Ipsi gloria nunc, et in diem æternitatis. II Petr. iii, 18.

Æternitas beatorum. — Circumdabit te Deus diploide justitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni. Baruc. v, 22.

Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Cor. v, 1.

Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. xii, 3.

Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam. Joan. vi, 40.

Quæ seminaverit homo, hæc et metet; quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Gal. vi, 8.

Æternitas damnatorum. — Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. Matth. xxv, 41.

Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. Deut. xxxii, 22.

Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus. II Thess. i, 9.

Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. Jud. 6.

EX SS. PATRIBUS.

Utilitas æternitatis consideratæ. — Æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. S. Ber. ep. iii.

Melior est modica amaritudo in faucibus,

quam æternum tormentum in visceribus. S. Aug. apud Drex. consid. vi *de Ætern.*

Si quis intra centum annos una solum nocte suave, lætumque somnium vidisset, et centenis ob id annis puniretur, an appetendum hoc somnium foret? Quod autem est somnium ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, immo multo minus, et quod est gutta ad pelagus, hoc anni mille sunt ad futuram æternitatem. S. Chrys. hom. xx *ad Populum.*

Quid appendis cum infinito quantumque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est, millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. S. Aug. in *Ps.* xxxvi.

Digiti ejus apprehenderunt fusum, hoc est, rectitudinem intentionis, per quam electi omnia opera, quasi fila in orbem æternitatis retorquent. Hugo *in Prov.* xxxi.

Quis tam insensatæ, tamque obstinatæ mentis homo uspiam poterit inveniri, qui non expavescat, et omnino abhorreat, transitoria carnis blandimenta tormentis æternis mercari, si diligenter aspiciat indesinenterque attendat, quam sint modica, seu etiam momentanea omnia ista carnis oblectamenta, quæ pertranseunt, et quam sint immania et atrocia tormenta illa æterna, quæ finem non habent, nec habere possunt? Rich. de S. Vict. *de Stat. inter. hom.*

Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. S. Hier. apud Drex. consid. vi.

Viri sancti præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, dum illuminatæ mentis oculo in considerationem æternitatis defigunt. S. Greg. l. VIII. *Mor.* c. xx.

Qualitas. — Nec putes, quia verbis finitis finitur æternitas. Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, in se sine fine est. S. Aug. in *Ps.* cxlv.

Cum homo de æternitate disserit, cæcus de luce loquitur. S. Greg. l. XXVII *Mor.* c. xxvi.

Æternitas nec tempus, nec pars ulla temporis est. Nazianz. orat. xxxviii *in Nativ. Chris.*

Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, affectet, sed totam se in soliditatem æternitatis figat. S. Greg. l. XI.

Utinam saperent, ut æternitatis imago reformetur in nobis, videlicet, ut præsentia moderemur, præterita per intelligentiam dijudicemus, novissima provideamus ad cautelam. S. Bern. S. *de SS. Petro et Paulo.*

In gloria cœlesti mira serenitas, plena securitas, æterna felicitas.

Ad æternitatis gloriam acquirendam, nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet.

Vera æternitas in solo Deo est.

Pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur; illa appetenda, illa magnopere diligenda quæ nec inventa transeunt, nec accepta deficiunt.

EXEMPLA CHRISTIANA.

S. David de seipso fatetur: Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. *Ps.* lxxvi, 6.

Fulco, homo ad mundi leges factus, cum quadam nocte dormire non posset, cogitare secum cœpit: Si hic in molli lecto jacenti, absque alio dolore, tamen tam molesta est cubatio, quantopere cruciabor, si in lecto igneo æternum jacere et cruciari debebo? Itaque per hanc cogitationem immutatus est, ut mox sacræ Cisterciensium congregationi nomen dederit. Drex. consid. v *de Ætern.*

Justus Lipsius, cum totis viribus se ad instantem mortis horam intrepido animo subeundam præparasset, tandem in hæc suspiria erupit: O Mater Dei, adsis famulo tuo cum tota æternitate decertanti, et non me deseras in hac hora, a qua pendet animæ meæ salus æterna! Ib. consid. iv.

S. Augustinus assiduo precari solebat: Domine, hic ure, hic seca, modo in æternum parcas. Idem, consid. v.

Olympius, senex in cœnobio Gerasimi, quæsitus quomodo in tam angusta cavea, tanto æstu, inter cyniphes et muscarum examina durare posset? respondit: Fili, ista tolero, ut cruciatus illos intolerabiles æternos evadam; cyniphes patior, ut vermem effugiam immortalem: hos æstus facile est perferre ei, qui ignem meruit æternum. Hæc mea, etsi molesta, tamen brevia sunt et finem habebunt, illa nullum. Ib. consid. ix.

Cum Troilus Episcopus, hortatu S. Joannis Eleemosynarii, liberalem eleemosynam in pauperes distribui jussisset, deinde vero pœnitentia ductus a S. Joanne eamdem pecuniam denuo accepisset, paulo post in somnis

amplissimas ædes vidit, et in earum fronte hunc titulum : Mansio æterna, et requies Troili Episcopi. Quo titulo conspecto dum vehementer gaudet, subito videt quempiam advenientem , et sociis dicentem : Tollite hanc inscriptionem, et istam ejus loco suffigite : Mansio æterna, et requies Joannis, Episcopi Alexandrini, empta libris triginta argenti. Quo somnio correptus Troilus, liberalior in pauperes esse cœpit. Ib. consid. I, § 3.

Cum Thomam Morum Aloysia uxor in carcere visitans rogaret, ne vitam et bona, quibus longo adhuc tempore frui posset, sibi præcideret, quæsivit ex ea quot annis putaret ipsum adhuc vivere posse ; cumque illa viginti responderet, subjecit ipse : Næ tu imperita es mercatrix, o Aloysia, et quasi una de stultis mulieribus locuta es, dum æternitatem viginti annis vis commutari ?

Alexander Pontifex militi flagitioso omnem medelam respuenti annulum suum tradidit, ea lege gestandum,ut quoties aspiceret, imminentis mortis, unde pendet æternitas, recordaretur. Vix paucis diebus gestarat, et supplex ad Alexandri pedes se abjecit, atque omni veneno ejecto, in novum hominem reformatus est. Engelgr., embl. I, § 4. *Luc.Ev.*

S. Franciscus tyrones suos identidem his verbis confirmare solebat : Fratres, magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis. Modica hic voluptas, sed postea pœna immensa ; modicus hic labor, sed postea gloria æterna. Ibid.

P. Leonardus Lessius S. J. et ipse animo suo æternitatem assiduo volvebat, et alios ad idem faciendum hortabatur, dicere solitus, nullam sibi ad vincendas tentationes ac pericula peccatorum cavenda efficaciorem cogitationem videri. Less. l. IV *de Perf.* c. IV.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Quidam percommode æternitatis magnitudinem sic declaravit : Finge, inquiebat, totum cœlum empyreum membrana obductum et meris numeris novenariis inscriptum, quot annos putas his numeris contineri, cum Clavius demonstret, unitatem cum quinquaginta duabus cifris, seu *nulla*, ut vocant, longe majorem numerum efficere, ac mundus totus usque ad concavum firmamenti arenulis repletus grana contineret, licet decem millia talium arenularum globulum grano papaveris æqualem dumtaxat conficerent. Si vero cifræ 70 ponantur, numerum arenarum contineret, qui mundum millies mille millionibus millionum nostro majorem impleret. Et tamen si post tot annos finitos unica arenula tolleretur, necdum quasi initium factum esset æternitati. Pædag. Christ., p. I, c. VIII, § 9.

Recte dixit Propheta : Etenim sagittæ tuæ (id est, calamitates hujus temporis) transeunt, vox tonitrui tui (qua dices : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum) in rota. Ps. LXXVI, 19.

Utilitas. — Sapienter pronuntiavit Tullius : Sapienti nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo. Cicer. III, *Tusc.*

Moysi olim præcepit Deus : Fac tibi duas tubas argenteas ductiles ; si semel clangueris, venient ad te Principes, et capita multitudinis Israel ; si autem prolixior, atque concisus clamor increpuerit, movebunt castra. Duæ hæ turbæ duas voces *nunc* et *semper* significant : qui priorem tantum audit, non movebit se ; sed si posterior auribus ejus insonet, tunc ad iter æternitatis se accinget. Drex. consid. IV, *de Æter.*

Zeuxes quæsitus, cur tanta diligentia sua opera pingeret ? respondit : Diu pingo, quia æternitati pingo. Idem facient, qui operum suorum præmium æternum fore credunt. Idem, consid. IX, § 3.

Ismenias Thebanus, ad Regem Persarum legationis causa missus, cum adorare Regem juberetur, annulum in terram labi permisit, seque ad eum tollendum inclinans, in mente dixit : Non tibi, o Rex, sed annulo me inclinavi. Simili modo, qui æternitatem considerant, in omnibus adversitatibus et humiliationibus dicunt : non tibi, sed annulo æternitatis. Ælianus, l. XI *Hist.* cap. XXI.

Philosophus quidam in extremis constitutus, cum rogatus fuisset ut salutare monitum relinqueret, calamum, quia loqui non poterat, arripiens, duo OO pinxit, quod licet varii varie interpretati sint, rectissime tamen memoriam duplicis æternitatis, miseræ scilicet et felicis significare dicuntur. Engelgr. *Embl.* I, § 3.

P. Christophoro Caro S. J. Christus apparens, hæc pauca animo verba volvere assiduo hortatus est : O æternum ! o momentaneum ! o longum ! o breve ! Ibid.

S. Gregorius illa verba ; Introduxit me

Rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem, interpretans : Quid, ait, per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? Et certe quicumque cogitationem hanc altius in mentem demiserit, gloriari poterit : Ordinavit in me charitatem. S. GREG. *in Cant.* II.

S. Theresia, cum horam indicari audisset, dicere solebat : Jam una hora vicinior sum patriæ et æternitati. ENGELGR. l. c. II.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Annos æternos in mente habui*, possunt auditoribus duo annuli pro xenio, aut alia occasione, offerri, unus ferreus, cui inscriptum sit : *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat* ; alter aureus, cui inscriptum sit : *Momentaneum quod cruciat, æternum quod delectat.* Et in primis utriusque hujus annuli usus et praxis in prosperis et adversis casibus per aliquot casus ostendatur. Deinde vero etiam fructus hujus usus ostendatur, quod scilicet eorum adminiculo quis *abstinere* et *sustinere* discat (in quibus duobus capitibus tota perfectio et sapientia hominis Christiani consistit) uti tum ratione, tum exemplis facile probari potest. Ps. LXXVI.

Ex occasione thematis : « Ibit homo in domum, æternitatis suæ, » potest narrari parabola Barlaami de civitate, in qua consuetudo erat ut Rex non nisi per annum regnaret, postea nudus in exilium expelleretur ; quod advertens quidam Rex sapiens, toto illo anno suos thesauros occulte in locum, in quem expellendum se sciebat, præmisit, unde postea expulsus, omnia cum gaudio invenit ac fruitus est. Applicetur postea parabola cuivis homini Christiano, atque ad thesauros bonorum operum præmittendos excitetur. ECC. XII, 5.

Ex occasione thematis : « Faciamus et ipsi nobis nomen, » potest enarrari, quod supra de Zeuxe dictum est, quod scilicet ideo tamdiu se pingere dixerit, quia æternitati pingebat. Excitentur proinde auditores, ut et ipsi firmiter sibi persuadeant, se æternitati laborare, atque adeo cum magna perfectione omnia sua opera perficere studeant. Quod ut tanto alacrius faciant, ostendatur nominis et præmii æterni, quod sibi per opera sua parare possunt, excellentia et magnitudo. I MACH. I, 57.

Ex occasione thematis : « Reposita est mihi corona justitiæ, » potest dici vitam nostram esse similem ludo eorum, qui ad annulum currunt, ubi qui lancea annulum penetrat et aufert, præmium et laudem acquirit. Dicatur autem hunc annulum esse æternitatem, lanceam esse considerationem et memoriam, qua quicumque annulum illum penetrabit, præmium optimæ vitæ in hoc sæculo, et gloriæ in futuro auferet, id quod facile copiosius ostendi potest. II TIM. IV, 8.

AXIOMATA.

Momentaneum, quod delectat ; æternum, quod cruciat.

Momentaneum, quod cruciat ; æternum, quod delectat.

Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas. S. BERN. apud ENGELGR. *embl.* I, § ult.

Nil leve quod æternum est.

Si vis beatus esse, hoc primum cogita, æternorum intuitu contemnere, et contemni.

AUCTORES.

Jeremias Drexelius *de Ætern.*

Joan. Baptistæ Mani *Circulus Æternitatis.*

Henricus Engelgrave *Embl.* I, *Lucis Evangel.*

Philippus D. Outreman p. I, c. VIII, § 9.

Daniel Bartoli, in germanicam linguam ex Italica, 1660, versus.

AMBITIO.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est dignitatis et honoris inordinatus appetitus. Per hoc enim a superbia differt, quæ est inordinatus appetitus excellentiæ in communi, et a vana gloria, quæ laudem indebitam immoderate appetit. S. Thom. II, II, q. xiii, a. 2.

Divisio. — Dividi potest in *Ecclesiasticam* et *sæcularem*. Illa est, qua ecclesiasticæ dignitates appetantur, de qua S. Gregorius locutus est dicens : Sunt nonnulli, qui intra Sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, videri Doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, primas in conventionibus quærunt cathedras. Qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad hujus humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Marchant. in *Hort. Pastor. Tub. Sacerd.* tr. lect. v.

Ista est, qua sæculares honorum gradus ambiuntur, qualem appetiit Aman, cupiens, ut quem Rex honorare vellet, veste regali indueretur, equoque regio impositus, et diademate regali coronatus per urbem circumduceretur, præcone acclamante : Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare. Esth. vi, 11.

Actus. — Hos pulchre in unum cumulum collegit Innocentius, dum dixit : Ambitiosus semper est pavidus, semper attentus, ne dicat quod displiceat. Innoc. *de vilit. condit. hum.*

Humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur, cunctos honorat, universis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplexatur, applaudit et adulatur ; ut in Absalone cernere erat.

Promptus et fervidus, ubi placere cognoverit ; tepidus et remissus, ubi putaverit displicere.

Improbat mala, detestatur iniqua, sed alia cum aliis probat et improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut reputetur ab omnibus, ut a singulis approbetur.

Statim ut ad honorem est promotus, in superbiam extollitur, in jactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse ; præsumit se meliorem, quia cernit superiorem ; priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, arrogans, gravis et importunus.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Noli quærere ab homine ducatum, neque a Rege cathedram honoris. Eccl. vii, 4.

Non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo. Sophron. iii, 11.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister ; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Matth. xx, 26.

Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Hebr. v, 4.

Damnum ambitionis. — Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata es, sed usque ad infernum demergeris. Luc, x, 15.

Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Luc. xvi, 15.

Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide. Job. xxx, 22.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Ambitio est quædam simia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Petrus Raven. in Serm.

O perversitas! O abusio filiorum Adam, quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et difficilius descendunt, parati ad honores et celsitudines graduum ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelis formidandos. S. Bern. s. ii, *in Ascens.*

O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques? omnibus places? nihil acrius cruciat, nihil molestius inquietat ; nihil ta-

men apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. S. BERN. l. III *de Consid.*

Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos; habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, et ut dominetur aliis, prius servit, curvatur obsequio, ut honore donetur; et dum vult esse sublimior, fit remissior. S. AMBR. l. II, *super Luc.*

Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat. S. CYPRIA. V. *de Jejun.*

Diabolica pestis est libidinis dominandi labes, quæ proinde insigne est primæ illius diabolicæ pravitatis indicium. S. BAS., c. X. *Const. Monast.*

Omnis honor sæculi, diaboli est negotium. S. HILARIUS, *in* c. III. *Matth.*

Quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur! Quem sequimini, miseri homines? An non videtis satanam tamquam fulgur de cœlo cadentem? Nonne est iste mons, in quem ascendit Angelus, et diabolus factus est? S. BERN. S. IV *de Asc.*

Ambitio priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos; vultum avertit, visum extollit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur. INNOCENT. III, l. II, c. XXX.

Ambitiosus humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur, cunctos honorat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplexatur, applaudit et adulatur. S. CHRYS. homil. II, *ad Tit.*

Ambitio hypocrisis mater est. BERNARD. serm. V *in Dom. Palm.*

Ambitio pessimus dæmon.

Ambitio reddit homines cæcos. BASIL. in Epist.

Potestatis ambitio Angelum potestate angelica privavit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. CHRYSOST. *super Genes.*

Omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potius quam, judicaturos, hi, qui præesse volunt populis, cogitarent. BERNARD. serm. *Orig. super Epist. ad Rom.*

FUGA. — Non quæramus honores, imo eos, cum oblati fuerint, repellamus et abjiciamus a nobis, et hujusmodi concupiscentiam extinguere omnibus modis studeamus; ista nos et ad Principes et subditos dicimus: Anima omnis quæ honoris tenetur appetitu et gloriam et homines quærit, non videbit cœlorum regnum; non mea hæc oratio est, a me ipso ista non loquor, hæc verba Dei Spiritus profert. Id. apud MANSI. tr. III, dis. X, n. 2.

Si novisses, quod Episcopus debet omnium onera gestare; quod aliis jacentibus datur venia, ipsi vero nequaquam; quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime, haudquaquam festinasses ad primatum.

Ex illo pendent omnium subditorum necessitates, probationes eorum, qui ordinantur, potus sitientium, cibus esurientium, vincti, viduæ, injuriam passi. ISID. PELUS. Epistol. *ad Tim.*

Episcopus idem est, quod superintendens, ut intelligat se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse; nec desiderare Episcopatum æstimandus est, qui suum desiderat lucrum, vel honorem, non plebis salutem; non enim dicitur: « Qui Episcopatum desiderat, » bonum gradum desiderat, « sed bonum opus desiderat, » quod in majori ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. S. ANS. in epist. *ad Tim.*

Ut omnem ambitionem Christus discipulorum cordibus eximeret, parvulum in medio eorum statuit, deque primatu certare prohibuit: « Qui major, inquit, est in vobis, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut ministrator; nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit?» Quis vero ignorat Clericum in medio Ecclesiæ esse, tamquam eum, qui ministrat? Quare meminerimus potius officii nostri quam dignitatis, neque enim ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. Non immerito S. Hieronymus, ut pestem quamdam fugiendos Clericos, ait, qui a speluncis domorum paternorum abstracti, et post in Ecclesia sublimati, ac Sacerdotiis ditati, vanæ gloriæ et superbiæ stimulis efferuntur. INNOC. III, l. IV, *d. con. Mun.* c. XXXV.

Pecunias quidem contemnere volenti satis est facile, honorem autem despicere multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, Angelicæ quidem cujusdam animæ ipsum cœlestis celsitudinis vertiginem tangentis. S. CHRYS. hom. XLIII *ad Pop.*

Damnum. — Supplicat et promittit, offert, tribuit, proh pudor! gratiam, quam gratis adipisci non potuit, per fas et nefas nititur adipisci, nec desistit adhuc, sed instat, et invadit violenter honorem, et imprudenter arripit dignitatem, amicorum suffragio, præsidio propinquorum, tantoque dominationis inflammatur ardore, tanta libidine præsidendi, ut nec schismata abhorreat, nec scandala formidet. Innoc. III, l. I, c. xxvii.

Hi sunt, qui subesse non sustinent, præesse non norunt, superioribus infideles, inferioribus importabiles. Hi inverecundi ad petendum, ad negandum frontosi. Hi importuni, ut accipiant, ingrati, ubi acceperint; docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua. Largissimi promissores et parcissimi exhibitores, blandissimi adulatores et mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, malignissimi proditores. S. Bern. l. IV, *de Consid.*

Potestatis ambitio Angelum felicitate privavit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. S. Bern. in quod. serm.

Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo; et inter servos Christi non computabitur, qui de primatu tractaverit. S. Chrys. in Dial. l. III.

Omne, quod supereminet, plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet. Quanto quisquis curis mundi majoribus occupatur, tanto facilius vitiis premitur; si enim vix animus valet peccata devitare quietus, quanto minus occupatione seculari devinctus. Isid. l. III, *de Sum. bon.* c. xlviii.

Ambitio docet, quod natura non novit; cupit, quod pietas ipsa horrescit; audet perficere, quod novo supplicio Deus cogitur vindicare. S. Chrys. hom. *de Absalon.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Vanitas est, honores ambire et in altum se extollere. L. I, n. 4, c. v.

Omnis quidem gloria humana, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata vanitas est et stultitia. L. III, c. xli, n. 6.

Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honorari et elevari, te autem despici, et humiliari. L. III, c. xli, n. 1.

Erige cor tuum ad me in cœlum, et non contristabit te hominum contemptus in terra. L. III, c. xl, n. 1.

Non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem plurimum, si vel uni te præponas. L. I, c. vii, n. 3.

Vere magnus est, qui in se parvus est, et pro nihilo omne culmen honoris ducit. L. I, c. iii, n. 6.

EXEMPLA SACRA ET CATHOLICA.

Christus, cum agnovisset, quod populus trans mare Galilææ ob patratum miraculum eum rapere et Regem facere vellet, mox in montem solus se proripuit. Joan. vi.

Moyses, cum eum adhuc parvulum Thermutis, filia Pharaonis, in sinum Pharaonis collocasset, et Rex blande excepto diadema suum imposuisset, indignabundus capiti detraxit ac in terram abjecit. Joseph, lib. II *Antiq.* c. v.

Sed et grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Heb. xi, 24.

S. Ambrosius, a populo et Imperatore Mediolanensi pro Episcopo postulatus, noctu ex urbe effugit, et cum Ticinum iter intendisset, non sine miraculo mane se in porta Mediolensi deprehendit. Paulinus, in ejus *Vita.*

S. Gregorius, electus in Pontificem, non modo aufugit, sed etiam Imperatorem Mauritium rogavit, ne consentiret electioni. Indicio tamen columnæ igneæ proditus consensit, et primus se in Epistolis servum servorum appellavit. Surius in *Vita,* 12 Mart.

S. Malachias omnem locum sublimem velut præcipitium reformidabat, ideoque Episcopatum non prius suscepit quam Episcopi congregati sub anathemate eum compulerunt. Pal. *Hist. Lausiac.* c. xii.

S. Dominicus rogatus, cur in Carcassona diœcesi libentius moraretur, quam in Tolosana, ubi tot Hæreticos converterat, respondit: In Tolosana multos invenio, qui me honorant, in Carcassona vero omnes impugnant. *Vita.* l. IV, c. x.

Adrianus Sextus interrogatus, quod supplicium capitali hosti imprecaretur: Pontificatum, respondit. Hinc tale ei epitaphium factum est.

Adrianus Sextus
hic situs est,
qui nihil sibi infelicius
quam, quod imperavit,
duxit.

Leo IX, ad extremum vitæ redactus, confessario suo in aurem dixit: Quam melius fuisset mihi, si monasterii, quam si cœli claves tenuissem! BEYERLIN. *Apopht.* fol. 477.

Paulus III, animam agens sancte, asseverabat: Mallem me subjecisse coco familiæ Capucinorum, quam hanc Deo proximam dignitatem decennio sustinuisse. ENGELGR. *Dom.* 16 *post Pent.* § 2.

S. Franciscus, a Papa interrogatus, an fratres suos ad Prælaturas promoveri æquo animo ferre posset, respondit: Domine, fratres mei, ideo vocati sunt minores, ut majores fieri non præsumant. Si vultis, quod fructum faciant in Ecclesia DEI, dimitte eos in statu vocationis eorum, et ad Ecclesiasticas dignitates ascendere nullatenus permittatis. MANSI disc. v, n. 7.

S. Chrysostomus de sua ad Episcopatum promotione ita scripsit: Ab eo ipso die, quo tu mihi Episcopatus suspicionem hanc injecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens tristitia meum animum occupavit. S. CHRYS. l. VI *de Sacer.*

S. Hieronymus refert de quodam olim electo Episcopo, quod, priusquam oblatum sibi Episcopatum acceptaret, quemdam ad Patruum suum, qui vitam agebat eremiticam, accessit, ut cum ipso, an dignitas illa sibi acceptanda esset, consilii causa deliberaret. Bonus igitur hic eremicola nepotem suum quamdam proxime vicinam valde altam et præacutam rupem ascendere jussit, qui postquam conscensa rupe descendisset, senique eremitæ dixisset se in eadem rupe in magno fuisse præcipitii horrendi periculo, sanctus ille senex subjunxit: Crede mihi, in longe majori periculo constitutus eris, ubi Episcopus factus fueris. S. HIER. in *Reg. Monach.* c. XV.

S. Anselmus, quo animo sedem Episcopalem conscenderit, hisce verbis de semetipso testatur: Quod ignorare nequiverunt, qui eo die vultum meum inspexerunt, quando me Episcopi, Abbates, aliique primates ad Ecclesiam trahentes et contradicentes rapuerunt; ita ut dubium videri posset, utrum sanum insani, an insanum traherent sani, nisi quia illi canebant, et ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pollebam. S. ANSEL. l. II, ep. I.

In vita S. Raymundi de Penafort, Ordinis Prædicatorum, refertur, quod, cum Archiepiscopatus Terraconensis, qui tunc Aragoniæ Metropolitanus erat, vacaret, Gregorius IX, ejus familiarissimus eidem præceperit, ut illum inter dies aliquot determinatos acceptaret; ipse vero, cum Papæ supplicasset, ne cum gravi hoc onere molestaret, nec tamen Papa in hanc ejus petitionem condescenderet, quin potius violentiam majorem ei intenderet, adeo ex hoc afflictus fuit, ut gravi febri correptus lecto affigeretur, donec tandem Papa erga infirmantem Raymundum compassione motus, eum ab hoc ei oblato honore liberum pronuntiaret; ex quo gratissimo ad eum transmisso nuntio adeo gavisus fuit, ut præ nimia lætitia immediate a gravi hac febri liberatus fuerit: ab hoc autem supremo honore acceptando ea lege et pacto a Papa liberatus fuit, ut ad eamdem dignitatem alium pariter dignum nominaret. Demum vero auctor vitæ hujus velut ingens prodigium notat, quod, cum Raymundus præfato Summo Pontifici longo tempore, meritis et virtutibus heroicis plenus, in variorum officiorum gravibus functionibus inservisset, ita tamen caute omnes honores, eum jure merito expectantes, declinarit, ut in eodem, quo Romam ingressus fuerat humili statu, ab eadem quoque alma urbe recesserit. MANSI disc. n. 11.

Nilamon, ante civitatem Geras, tuguriolum quoddam inhabitabat, quod adeo firmiter, ne ullus ad eum daretur aditus, occluserat, ut ipsas quoque domus fores muro obstruxerit. Cum vero mortuo loci illius Episcopo, populus sanctum hunc virum in defuncti locum elegisset, ipse vero omnibus modis sese ab eo acceptando excusaret, in eademque reluctantia firmus persisteret, Theophilus Alexandrinus ad eum promovendum cunctam eloquentiæ vim, qua mire præcellebat, adhibuit, tantumque profecit, ut cum sanctus hic monachus se hoc modo ab auctoritate et obedientia, quam tanto Prælato debebat, constrictum esse cerneret, instantiam maximam fecerit, ut saltem consecratio sua in diem sequentem usque suspenderetur, ut modico hoc temporis spatio Deo se pro felicibus tanti muneris auspiciis, tanto ferventius recommendare posset. Quod ut ei indultum fuit, Sanctus nocte illa tanto cum fervore et desiderio ab illa dignitate li-

berari petiit, ut illuscescente die, cum tugurium dejecto portæ muro apertum fuisset, jamque omnes, et inter cæteros Theophilus, magna cum lætitia ad ejus consecrationem accurrissent, ipse subito expirarit. Ib. n. 12.

De S. Gregorio, Episc. Agrigentino in Sicilia, legimus, postquam se a Summo Pontifice sui temporis per instinctum quemdam admirabilem in illius civitatis Episcopum electum esse intellexisset, a civitate Agrigenti fugiens, inter condensas arbores sese abscondit; ubi, postquam eum nonnulli, qui ipsum minime, quis esset, cognoscebant, invenissent, ut eorum, quos sibi insidiari credebat, manus evaderet, clamabat se magnis obnoxium et obstrictum criminibus; nimirum maluit æstimari homo facinorosus multorumque gravium delictorum reus, quam salutari Episcopus. Surius, 23 nov.

S. Pius V dicere solitus fuit: Cum essem Religiosus, sperabam bene de salute animæ meæ; Cardinalis factus, extimui, nunc Pontifex creatus, pene despero. (Cornel. a Lap. in II *Num.*

Sacerdos et populus de Lystris videntes Paulum et Barnabam, deos esse eos credentes, voluerunt ipsis sacrificare, quod ipsi prohibuerunt. Act. c. xiv.

Qualitas. — Arius, qui Arianæ hæreseos caput et auctor exstitit, toto animi conatu in Patriarchali S. Petri Alexandrina sede succedere studuit; ita enim de eo refert Tertullianus contra Valentin. c. iv, quod Episcopatum ambiens, quia et ingenio poterat et eloquio, sed alium ex Martyrii prærogativa in locum ejus positum indignatus, de Ecclesiæ authentica regula abrupit (ut solent animi, pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi), ad expugnandam conversus veritatem. Mansi disc. i.

Tertullianum Pamelius scribit, ideo ab Ecclesia defecisse, quod ab Episcopatu Carthaginensi turpem passus fuerit repulsam. Ibid.

De Novatiano hæresiarcha Annales Ecclesiastici pariter attestantur : Ne ab Ecclesia inglorius haberetur, qui inter ethnicos magnam fuerat gloriam consecutus, Romanus Pontifex voluit eum inter Romanæ Ecclesiæ presbyteros cooptare, sed qui semel fuerat ambitionis stimulis agitatus, eo infelix abductus est, ut quod jure non licuisset, malis sibi artibus Pontificiam dignitatem procaciter arrogaret. Factus est igitur Antipapa, variosque in diversas partes misit legatos, multasque diversis Ecclesiis imposuit commissiones, falsas fictasque S. Cornelio Papæ opponens calumnias. Ibid.

Percelebris illa PP. Capucinorum Religio inter alios primos fundatores, qui in ea instituenda et promovenda graviter laborarunt, Ludovicum quoque habuit de Fossambruno, qui munus Commissarii Generalis multis annis in ea laudabiliter administravit, variosque pro illius reformationis stabilimento sustinuit squalidos carceres, aliasque sine numero injurias; at vero, cum in quodam Capitulo Generali se simularet ex desiderio religiosæ quietis, a munere Commissarii Generalis totaliter alienum, tametsi id interius minime sentiret, jamque alius in ejus locum electus fuisset, omnem subito versus superiores suos deposuit obedientiæ respectum, et obedire detrectans, in præsentia omnium fratrum publice conscenso pulpito, dixit: Ego sum Ludovicus ille de Fossambruno, ego Ludovicus Tanaglia multa hactenus machinatus sum, pluraque machinari prævaleo, et machinabor deinceps quam plurima, ad quorum famam, sive rumorem pili capitis vestri erigentur. Prout revera postea ab ipso factum est, siquidem multas ac tantas excitavit in Religione sua seditiones, a qua tandem turpiter et ignominiose expulsus fuit. Ibid. n. 8.

Damnum. — Aman, quia honorem a Mardochæo negatum ægre ferens toti genti Judæorum interitum fuerat molitus, ipse in patibulum quod Mardochæo paraverat, suspensus est. Esther. c. vii.

Rufinus, cum Arcadio Imperatore regnum administrans, quia ipsam imperialem dignitatem sibi arrogare ausus est, caput amisit, quod publico in loco hastæ affixum est, dextera vero illius abscissa per urbem circa opificum officinas circumlata est cum hoc elogio: Date stipem inexplebilis ambitionis et avaritiæ viro. Niceph. l. XIII, c. i.

Absalon, ambitione regni impulsus, quia contra proprium patrem exercitum eduxit, crinibus in arbore suspensus, et triplici lancea a Joab transfossus, occubuit. II Reg. xv

Abimelech, quia septuaginta fratres interemit, ut solus regnare posset, misere postea a muliere per tegulam capiti impactam percussus lethaliter, ab armigero proprio interemptus est. Judic. v.

Herodes, Judææ Rex, ambitione regni re-

tinendi septuaginta senatores regiæ stirpis, uxorem Mariannam et tres filios interfici jussit. Moriturus vero nobilissimos quosque ex Judæa ad se evocavit, et circo inclusos omnes a militibus occidi curavit. Lipsius in *Expolit.*

Herodes Agrippa, Rex Judæorum, qui divum Jacobum fratrem Joannis occidit, sedens pro tribunali, regio cultu vestitus, concionabatur ad populum, quo acclamante, Dei voces et non hominis, statim percussus est ab Angelo, eo quod non dedisset honorem Deo, sed sibi tribueret, et consumptus a vermibus expiravit. Actor. xii.

Athalia, interfecto toto semine regio, regni solium occupat, sed ipsa postea interempta, documento fuit ambitiosorum casus non procul abesse. IV Reg. ii.

EXEMPLA DOMESTICA.

Fuga. — S. Ignatius honores summe fugiebat; hinc summopere laboravit, ab initio quidem, ne Generalis fieret, postea vero ut honorem deponere posset; ob eamdem causam etiam omnibus honoribus in Societate aditum præclusit. Ribad. l. V, c. iii.

S. Franciscus Borgia ideo etiam Societatem, abdicato Ducis titulo, elegit, quod viam honoribus in ea præclusam cerneret. Generalatus vero honorem, sicut coactus suscepit, a non semel abdicare voluit. *Vita* l. III.

P. Jacobus Laines non tantum varios Episcopatus et Cardinalatum, sed etiam Pontificatum, pro quo duodecim jam habebat suffragia, recusavit. *Hist. Soc.* p. 21, l. VIII, n. 2.

P. Joannes Nunnius dicebat, se malle totam vitam in catena transigere, quam Patriarchatum Æthiopicum suscipere; unde non nisi obedientia cogente suscepit. *Hist. soc.* l. XIV, n. 15.

P. Andreas Oviedo cum ei Episcopatus Hierosolymitanus nuntiatus esset, ita consternatus est, ut statim S. Ignatio scripserit, se in omnibus quidem obediturum, hac una in re non posse, proinde Pontifici scripturum, cujus tamen jussu suscepit munus. *Vitæ compend.*

P. Melchior Nunnius dicebat, se, si professio honorem afferat, libentius coquo coadjutorem futurum; sin vero cruces, accepturum. *Hist. Soc.* l. VI, n. 97.

Claudius Jaius, in quem primum e Societate honores incurrere, primus etiam, et quidem, ut hominem et imperatoria illa Ignatiana decuria decuit, fortissime de illis triumphavit. Nec temere invehebantur honores, verum magnis suffulti judiciis Ferdinandi I Cæsaris, Purpuratorum aliquot Patrum, Pontificis demum ipsius, cui Ferdinandi vehementius in rem incumbentis gratia, ut summo jure, atque pro imperio cum Claudio ageret, propemodum persuaserat. Verum quamquam undique petitus Claudius, et sua virtute, et vero etiam Ignatii Romæ ultima omnia moventis, ope stetit incolumis, quanquam, quousque Ignatii litteris de Societatis moribus certior factus Ferdinandus ab actione non destitit, minime tutus. Rhod. l. VII, c. x, n. 12.

Ab eadem Ferdinandi benevolentia, a qua primo periculum creatum est, iterum Societatis tentata est virtus atque constantia. Etenim Petrus quidem Canisius, quum alia omnia ageret, ingentium virtutum admiratione Ferdinandum eo consilii adduxit, ut illi vacuam pastore Viennensem deferret Ecclesiam, sed qua se dignum infulis illis ostenderat, eadem, an etiam aliquanto majore virtute, Ferdinando admirante, atque repulsam æquo animo ferente, contempsit. Et non irritatum Regis animum, sed probatam illi magis ac magis disciplinam satis ostendit conatus ille, quanquam ab eadem sociorum virtute irritus, quo sex subinde alios ex illius alumnis Episcopos creari a Pontifice postulavit. Magna plane tentatio, nisi major eorum virtus fuisset, quos, ut magistros veneramur. Ibid. n. 3.

Et eorum quidem exemplum non veteranis modo, verum etiam candidatis animos in modestiæ, atque privatæ vitæ amore confirmavit; Antonius certe Corduba, cujus et perantiquæ nobilitati, et litterarum gloriæ petente Philippo Principe, purpuram Julius Pontifex designaverat, quamque tantum non induerat, voto de Societate ineunda concepto, illius amplissimæ dignitatis desiderium sedavit primum, ac paulo post extinxit omnino, unaque antiquissimi sanguinis claritatem, ac purpuræ Vaticanæ splendorem, post Societatis habuit humilitatem. Ibid. n. 4

Incesserat Clementis VIII animum Neapolitano amplissimo Archiepiscopatui Claudium Aquaviva imponendi cupido, unde illi ad prope domesticam purpuram non admodum difficilis gradus fuisset. Hoc simul atque auditum est, tum ejus, cujus petebatur caput, tum sociorum, qui erant in urbe, ve

luti publico in Societatis funere consternati sunt animi. Nullus in ea ordo fuit, quem non attingeret dolor. Itaque pro se quisque obluctari, votis, sacrificiis, suppliciisque Deum ciere. Tum in quibus aliquid humanæ opis, viros Principes adire, atque obtestari, ad Clementem, quem Claudii repulsa in sententiam obfirmaverat, allegare ut prudentissimum Principem de justissima Claudii ac Societatis causa docerent. Et hæc quidem foris apud amicos quærebantur præsidia; domi vero, qui per ætatem, aut studia attinebantur, divinam iram (sic enim interpretabantur illam Pontificis voluntatem) solemnibus artibus avertere ac Societati pacem avitamque modestiam sartam tectam impetrare conabantur. Tum primo Claudium, quem per incredibilem, quæ in illo fuit, animi magnitudinem, nulla unquam fortunæ fregerat iniquitas; socii pavidum ac mœstum videre. Sed exorato tandem Deo alia Pontifici mens est injecta. Quod effuse lætantibus sociis universis, Claudius publica ipse concione sibi gaudens gratulatus est, maximi omnium, quæ ad eam diem plurima sustinuerat, certaminis victor, etc. Ibid. n. 6.

Longe minori contentione gravius admodum periculum declinavit Jacobus Lainius, vetus hujus belli miles nec unius pugnæ victor. Primum enim Labacenses infulas, quibus inclyta sapientiæ fama illum tantum non exornarat, constanti humilitate vitavit. Deinde purpuræ a Paulo IV obfirmatissimi animi Pontifice destinatus, pavido Ignatio, qui Pontificis ingenium nosset, novo ambitus genere Cardinales adeundo, atque prensando, precibusque acriter apud Deum agendo, evasit incolumis, ad extremum virtute ac sapientia, ipso insuper honorum contemptu clarissimus Pontificatu Maximo a duodecim Patribus habitus, intra comitiorum conclavia per speciem consultandi advocatur. Sed suspicacem ex præteritis periculis humilitatem, statim favoris aura perculit, itaque ex illo comitio, tanquam ex aliqua tempestate festinus sese ejecit, atque conspiratorum Patrum studia et conatus præpropera fuga debilitavit. Dignus profecto, qui primus ab Ignatio tam illustri modestiæ magisterio Societatem temperaret universam. Idem n. 6.

Franciscus Villanova dignus, quem virtutis ergo laudaret Ignatius, regebat Placentiæ collegium; cumque Episcopus ædes, quæ tam maxime attollebantur, inspectum venisset, atque aquæ defectu, quæ parce fabris subministraretur, parum urgeri opus doleret, quæsivit de rectore, an non agasonem haberet, qui asello affatim conveheret? Opportune, inquit rector, ac prorsus in tempore patrio e pago advenit Martinus Timon frater meus, quem huic operi destinabimus. Quod cum abnueret Episcopus, neque Martino Timoni honestiorem domi suæ locum defuturum affirmaret. At ille, inquit rector, ad alia omnia ineptus, huic rei a natura factus est. Obstupuit Episcopus generosam hominis modestiam, cessitque postulatis. Itaque rectoris collegii frater Martinus Timon asellum agens, præ se tamdiu vitam toleravit, quousque Francisci fratris virtutem imitatus, Deo se totum dicavit. Ib. n. 10.

Ierat forte Nonnius Barrettus, jam Æthiopiæ Patriarcha, dum navigationem Indicam exspectat Ulysippone, ad expiandum Æthiopicum mancipium, uno tantum de sociis comite. Vidit prætereuntem Ludovicus Lusitaniæ Princeps, atque aulicum misit, qui pone sequens, quo se conferret Patriarcha, explorate renuntiaret. Ubi audivit Æthiopici mancipii gurgustio successisse, hominique aures dare, ac blandiri: enim vero in amplissima Patriarchatus dignitate modestiam suspiciens, insterni illico mulam, et nobiles aulicos Patriarchæ accedere, atque domum honorifice deducere jussit. Verum pervicit Nonnii modestia, affirmantis nullo amplissimæ dignitatis dedecore ire se peditem, Christi Domini atque Apostolorum exemplo. Porro quam ex animo nihil scenæ serviens, rem ageret humilitatis, tota ejus vita testis fuit. Patriarchatu enim, quo Summi Pontificis adactus imperio se ornari permiserat, abdicare se non semel voluit. Et quoniam, ut sibi fas esset, non tenuit, ad exactissimæ modestiæ normam sese totum composuit. Itaque et vestes suis ipse manibus consuit, et peregrinis pedes de genu abluit, et Societatis præsidibus, qui secundus a Christi Vicario esset, honorem habuit, quasi unus de sociorum grege, demum toto oris ac corporis habitu eam demissionem animi, modestiamque prætulit, quam Æthiopia non meruit. Ibid. n. 23.

De societate universa. — Non est igitur, quod per singulorum decora eam laudem deducam, quam universæ Reipublicæ communem habemus. Prima enim Societas suas leges solemni auctoramento professas, non modo ad honorum ambitum fugiendum, eo-

rumque repulsam; sed ad ambientium peragendum indicium gemini voti religione interposita obstrinxit. Scio religiosis quibusdam familiis moris hujus placuisse imitationem, sed uni confirmatis jam moribus frustra tentatam, aliis inter condendum cessisse felicius; integra Societatis laude, quæ rigidam illam virtutis formam pristinæ redditam severitati a suis amari voluit, occlusis ad excubantem in vicinia virtutis ambitionem diverticulis, ut id facilius facere condiscerent. Saluberrimum hoc profecto fuisse consilium consecuta tempora docuerunt; quum enim viris sive a generis claritate, sive a sapientiæ ac virtutis laude præstantissimis (absit verbo invidia) abundet Societas, res sane plenissima semper erit admirabilitatis, illorum nullum limina potentiorum terere, aut dignitatum aucupandarum gratia, sed in privatæ vitæ amore ita perstare omnes rigidos, ut plerique æmuli contumaciam interpretentur. Felix enim vero contumacia, qua contra blandum ambitionis malum, atque pellacem honorum ambitionem obarmamur. Placet hic cruda quædam obluctandi obstinatio, nullo Principum quorumcumque respectu, quorum gratiam atteri quam disciplinam hac ex parte molliri præstat. Tot igitur habeo honorum fuga gloriosos, quot illis dignos educat Societas, cujus cognita constantia ineluctabilis, pacem plerisque omnibus, et sine prælio victoriæ contulit tranquillitatem. Ib. n. 8.

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Senecio quispiam fuit, qui omnia grandia habere volebat; unde servos nonnisi grandes, similemque concubinam, vasa quoque grandia eligebat, et ut ipse quoque grandior appareret, summis pedum digitis insistebat. TEXTOR. *Offi.* l. V, c. XXIV.

Menecrates medicus nullam ab his mercedem solebat accipere, quibus medebatur, sed tantum hoc petebat, ut liberati se ipsius servos esse faterentur, eumque Jovem dicerent. Ibidem.

Alexander Magnus Jovis Ammonis filius dici voluit. Ibidem.

Domitianus primus se Dominum et Deum appellari jussit, edixitque ne scripto, aut sermone aliter nominaretur. Statuas in Capitolio non nisi aureas, argenteasque poni jussit. Ibidem.

Ochus, Persarum rex, cum fratres haberet centum et undecim, ex iis octoginta interfecit, ut regnum securius solus possideret. JUSTINUS c. X.

Phrahartes, Herodis Parthorum regis ex pellice filius, et patrem senem et triginta fratres, regnandi libidine accensus interfecit. Idem l. XXIV.

Agrippina, Neronis mater, cum nato vix Nerone astrologus ei prædixisset, eum regnaturum, sed matrem necaturum, subito exclamare cœpit: Occidat, modo imperet. SUETON.

Humeias quidam, qui a Cordubensibus militibus rex creari postulabat, excusantibus, quod sæpe male cessisset regnum ambientibus, dixit: Hodie regem dicite, cras perimite. MARIANA l. VIII *Hist.* c. X.

C. Julius Cæsar consul cum M. Bibulo unus omnia in republica, et ad arbitrium administravit, ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum testandi gratia signarent, non Cæsare et Bibulo, sed Julio et Cæsare coss. actum scriberent, bis eumdem præponentes, nomine atque cognomine; utque vulgo mox circumferrentur hi versus:

Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare factum est,
Nam Bibulo fieri consule, nihil memini.
(SUETON. in *Cæsare.*)

Rex quidam Travancoris invidebat Brachmanibus quod eorum origo sua, qui Rex esset, nobilior haberetur. Quare unum e Brachmanibus rogat, num fieri possit, ut et ipse salva Regis dignitate, posset fieri unus e Brachmanibus; cui alter respondit, facile id esse, si curaret fundi vaccam auream intus excavatam, et ita capacem ut ipse in ventrem introiret, velutique noviter conceptus posset per ejus os exire. Ibi enim in eo ventre posse illum Regis et Brachmanis personam nancisci, ut Rex sit simul et Sacerdos, prius non amittens, et secundum nanciscens. Rex gaudio gestiens, curat mox vaccam ex auro fieri, et eam jam senex subintrat, et per os exit jam novus sacerdos, et festum haberi eum diem, ut natalem suum voluit; ac ut esset facti memoria lætior, illius anni tributum populo remisit. Interim Brachmanes aurea vacca gaudebant. Hunc errorem regi quidam e vulgo ingeniose detexit. Ubi enim didicit diem huic secundæ nativitati destinatum, cum jumento in foro apparet, quod erat macrum, gracile et parvum, id spectante rege pectinabat eburneo pectine, aqua odorata lavabat, blandiebatur manu ac lautius ei pabulum dabat, ita denique

tractabat, ut rex inde recreatus, scire voluerit quis ille joculator esset; ubi vero intellexit eum hominem prudentem ac ingeniosum esse, ad se vocatum rogavit, cur ita blande asinum illum tractaret? Cui alter respondit: Ut asinus iste fiat equus. Tunc rex : Recte dixi, inquit, hunc hominem stolidum esse; quis enim unquam vidit, asinum fuisse mutatum in equum? Cui alter : Ego, ait, stolidus habeor, quod ex asino fieri equum velim : et rex ille sapiat meus, qui sibi persuadet, posse se e Rege fieri Brachmanem ex aurea vacca. Philipp. de Marinus *in Miss. pro lap.* l. I, c. x.

Quædam mulier volens vocari Domina, finxit se catellum perdidisse, quare per præconem pronuntiari jussit, amissum esse catellum, quem, qui repererit, ad Dominam N. uxorem Domini N. referat. Lyr. in *Trisag. Mar.*

Euphorbus aliquis videns quemdam singulari dignitate Comitis aut Marchionis auctum, ac unice sollicitum, quomodo res hæc in publicum veniret, hoc ei suggessit consilium : Finge, inquit, patentes regias tibi excidisse, et cura præconis voce per urbem totam promitti magnam mercedem ei, qui eas reperisset litteras, quibus rex te Comitem, aut Marchionem creavit, et eas ad Excellentiam tuam reportet. Ibid.

Damnum. — Themistocles, gloriæ amore insaniens, cum Miltiadis ad Marathonem victoriam secum reputaret, noctes insomnes duxit, et symposiis consuetis abstinuit, dicens, somnum sibi adimere trophæa Miltiadis. Plutarc in *Them.*

Jasoni totus fere Oriens, ut conditori, divinos honores et templa constituit : quæ Parmenion, Dux Alexandri M. post multos annos dirui jussit; ne cujusquam nomen in Oriente venerabilius, quam Alexandri esset. Justinus l. XLII.

Walterus, Atholiæ Comes, Jacobi I Regis in Scotia patruus, audierat a saga, se publice coronandum; spe igitur regni Regem occidi curavit, sed ille dein affectus variis suppliciis, et curru per urbem vectus, populo ad ludibrium nudus fuit ostensus, corona candenti capiti imposita. Le Blanc, *in Ps.* vii, n. 48.

In Hispania, jussit Wamba, Gothorum Rex, ut Paulus quidam, qui Regis nomen et insignia occuparat, sibi cum pompa redeunti præiret, ludibrii causa corona ex nigro corio facta capiti imposita. Mariana l. VI, c. xiii.

In Sicilia, cum quidam in Regem Ammergium rebellasset, regnumque affectaret, comprehenso jussit coronam æream cum quatuor foraminibus in caput magnis clavis defigi, atque ita hominem abire jussit, his verbis : Habes coronam, quam voluisti, nemo tibi invidet. Is vero vertigine oborta humi prolapsus, paulo post exspiravit. Le Blanc. *in Ps.* vii.

Anno 1671, Leopoldi I Cæsaris jussu, nomen mutavit Nicolai Serini filius, et jussus est, se scribere ac nominare *a Corona*; quia compertum est ejus patrem, qui creditus ac dictus est ab apro occisus, affectasse coronam imperii Hungarici. *Ex litter.*

Sacerdos quidam Nicolaus Romæ spe cupiti honoris excidens, indignatus in Orientem abiit, ubi plurimos Saracenos a se in fraudem inductos, a veri Dei cultu ipse jam alienus, suasit, ut idola desererent; sed sequerentur non aliam doctrinam, quam ipse eis traditurus esset. Ibi in Mahometem incidens eum erudivit, promisitque Regem eum Saracenorum se facturum. Id astu egit. Columbam enim ex nido sumpsit, eamque assuefecit, e Mahometis auribus cibum capere. Ista columba sensim assueta ejus auribus, ubi primum Mahometem vidit, ad humerum ejus advolans, rostrum auribus applicabat. Ubi ergo omnes sui sequaces Saracenos Nicolaus collegit, dicebat expedire, ut eum Regem sibi deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma columbæ delapsus monstraret. Assentientibus, mox dato consciis fraudis signo columba emissa, pro veteri consuetudine in humerum Mahometis insidens, auri rostrum admovet. Eo miraculo, ut credebant, moti Saraceni Mahometem Regem pronuntiarunt. Silv. *Var. Lect.* p. IV, cap. i.

Diocletianus Imperator post triumphum de Persis actum, hanc tantam felicitatem, tamque prosperum fortunæ obsequium capere animo non potuit, siquidem moderatione prorsus in superbiam versa, eousque insolentiæ prodiit, ut se posthac mortalitatis oblitus, tanquam Deum adorari voluerit. Nam projicere se homines humi venerabundos, atque osculum pedibus figere pati cœpit, et gemmas vestibus calceisque inseruit; cum ante ipsum omnes Imperatores consulari tantum salutatione contenti fuissent, et solam clamydem purpuream privato habitui adjecissent. Is autem, ut ait Nicephorus, divinis expetitus plagis, toto primum corpore, tumorem ingentem concepit; quo deinde varie disrupto, lente ita emarcuit ut blasphe-

mia ejus et impia lingua, quæ iniquitatem in actum evomuerat, intra fauces ipsas vermium vim proferret, qui ex ore illius prorepentes fœtore pessimo locum habitationis omnem replebant. Postremo autem more canis quam maxime latrans, sceleratam et nefariam cum violentia quadam exhalarit animam. CAROL. SIGON. l. I *de Occident. Imp.* An. Dom. 297, ex NICEPHORO l. VII, c. XX.

Anno tertio Heraclii imper. qui fuit LXI a Cæsare Augusto, permittente Deo flagellari populum suum per sævitiam paganorum, Chosroes, Persarum rex, omnia fere regna terrarum suo imperio subjugarit. Jerusalem veniens, a sepulchro Domini territus rediit, sed tamen partem Crucis sanctæ, quam Helena ibidem reliquerat, asportavit. Volens coli ab omnibus ut Deus, currum ex auro inter subtiles etiam et occultos ductus, quasi Deus, desuper aquam infundebat, et in specu subterraneo equi quadrigas trahentes in circuitu, ut quasi currum moverent, et tonitru simularent. Filio igitur suo regno tradito, in tali fano profanus residens, et juxta se Crucem Domini collocans, appellari se ab omnibus Deum volebat, et sicut legitur in libro de naturali officio, ipse Chosroes in throno residens, tanquam Pater lignum Crucis a dextris posuit, loco Filii, et gallum a sinistris, loco Spiritus Sancti, se vero Patrem jussit nominari. At Heraclius devicto ipsius filio improviso ad eum pervenit, et in throno aureo eum sedere reperiens, eidem dixit : Quia lignum sanctæ Crucis secundum modum tuum honorasti, si baptismum et fidem susceperis, adhuc vitam et regnum a pacis obsidibus obtinebis ; sin vero implere contempseris, gladio meo te feriam et caput tuum præcidam. Cum ille acquiescere nollet, extracto gladio protinus eum decollavit.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut Bucephalus, Alexandri M. equus, phaleris regiis indutus, nullum insessorem præter regem admisit, cum tamen hisce ornamentis exutus, quemlibet dorso suo insidere permitteret ; adeoque ornamenta et phaleræ illæ regiæ superbos elatosque et spiritus videbantur imprimere; eodem prorsus modo multos hodie videmus, qui in statu fortunæ privatæ humiles existunt, cunctisque se humiliter submittunt, neminem dedignantur, omnibus sese benignos et affabiles exhibent, mox vero, ut ad honores et dignitatum infulas sublimantur, adeo inflantur et extolluntur, ut jam non iidem, qui antea, sed prorsus diversi esse videantur. Ejusmodi est serpentis natura, qui ad solis calorem venenum suum evomit, veterique pelle deposita novam prorsus induit. MANSI, disc. I, n. 9.

Sicut fumus ascendendo deficit, et sese dilatando evanescit; sic videlicet fit, cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, quia ostenditur, ut altus sit, inde agitur, ut non sit. S. GREG. l. I *Reg.* ep. III.

Sicut quanto major est umbra, magisque crescit et exaltatur, tanto est defectioni vicinior; ad eumdem quoque modum dignitates humanæ quanto prosperius fluunt, tanto sunt occasui magis propinquæ. MANSI, disc. VII, n. 1.

Sicut arundo in exteriori quidem apparentia aureum præ se colorem refert, et lucida est, interius autem inanis et vacua ; ita quoque honores dignitatesque terrenæ prima quidem facie, ob auctoritatem, pompam, atque divitias, quas secum adferunt, speciosi et appetibiles esse videntur, verumtamen interius in Principum illorum cordibus, gaudia illa et consolationes, quas nos quidem illis inesse somniamus, minime reperiuntur, tametsi enim sceptra ipsorum aurea sint, non tamen solida, sed intus inania et vacua existunt. Hac arundine, vel sceptro ficto, Salvatoris capiti spinas validissime imprimebant, ad significandum, quod territorium subditorum regimen et dominium curarum, anxietatum et molestiarum spinas (quibus tanto magis abundant, quanto majus possident dominium) in verticibus coronatis, quam maxime multiplicent. Idem. disc. IX, n. 10.

Sicut ignis, licet non sit diversus, diversa tamen agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit ; ita quoque, experientia teste, una eademque dignitas hominem aliquem magnis virtutibus et meritis præditum quam maxime conspicuum, omnique existimatione et veneratione dignum efficiet : cum e contra si ejusmodi dignitas in indignum ceciderit, ejus vitium, et ignorantiam omnibus innotescere faciet. Gloriam sapientes possidebunt, stultorum exaltatio ignominiosa. S. AUG. *in Psal.* XXI.

Sicut si statuam quamdam ruditer elaboratam et defectuosam super basim quamdam eminentius collocaveris, efficit ut ejus in sublimi positæ defectus facilius animadvertantur, quam si humi semper jacuisset ; ad eumdem quoque modum multorum defectus non observantur, aut notantur, quamdiu privatim vivunt : cum tamen, mox ut in altari, omniumque oculis expositi fuerint, defectus eorum omnibus manifesti evadant. S. Bernardus de aliquo, qui de eorum numero erat, ita scribit : Eo deformior, quo illustrior. Numquid potest civitatis supra montem positæ desolatio abscondi, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Lyranus quoque super illa verba Sapientis : Ignominiosa exaltatio , quia tunc magis apparet turpitudo suæ fatuitatis ; adducit aptissimam simiarum in altum ascendentium similitudinem, dum ait : Sicut turpitudo posteriorum simiæ magis apparet, quando ascendit in altum. Mansi, disc. xii, n. 2.

Sicut quando legati Romam in solemni pompa equestri ingrediuntur, muli circumquaque superbissime adornati oneraque utrimque tegminibus auro, argentoque præfulgidis contecta circumferentes, omnium ad se oculos cum stupore singulorum attrahunt ; at vero postquam equestris illa pompa finem suum accepit, muli prædictis omnibus illis phaleris pretiosis exuti, ad stabula reducuntur, solitisque denuo sordibus, aliisque oneribus portandis applicantur : idem quoque multis accidere solet, qui sine ullo merito ad honores promoventur; quamdiu enim potentia et favor illius, a quo ad talem dignitatem promoti fuerunt superstes manserit, æstimantur, honorantur, seu, ut melius dicam, timentur ; at vero mox ut illo mortuo depositi fuerint, ad eamdem denuo revertuntur vilitatem, et contemptum, in quo antea erant. Idem n. 10.

Sicut in Piscina Probatica e tam ingenti infirmorum numero unus duntaxat sanabatur, non obstante, quod omnes firmissimam recuperandæ salutis spem haberent ; ita quoque in aulis, dignitate aliqua vacante, multi sunt bene meriti prætensores, unusquisque proinde sperat, verumtamen in fine unus duntaxat consolationem accipit, cæteris omnibus delusis remanentibus. A Salvatore quoque juxta eamdem Piscinam unus per miraculum pristina fuit sanitate donatus, hic autem triginta octo annis languidus in lecto decubuerat ; ita quoque, tametsi contingat, quod aliquis prætensionum suarum portum extraordinario modo assequatur, id tamen forte accidet, postquam omnes fere ætatis suæ annos in laborioso quodam servitio consumpserit. Idem, disp. xvii, n. 8.

Fuga et Damnum. — Sicut si homo quispiam solus esset in mundo, utique nullum honoris desiderium haberet; ita et nunc cum omnes homines sint quasi nihilum coram Deo, merito omne honoris desiderium abjicere debet. Ruiz.

Sicut ex magna appetitus corruptione provenit, ut ægroti quidam terram avidissime comedant ; ita ex grandi judicii corruptione oritur, ut homo famulorum comitatu, et aliis similibus honorum obsequiis tantopere delectetur, ut propter hæc paranda et tuenda divinas, humanasque leges ac jura violare non horreat. Lud. Gran. in loc. com. f. 595.

Sicut lapis deorsum cadens non sistit, donec ad fundum veniat, et in ipso motu modum tenere non potest, sed quo diutius movetur , tanto celerius labitur ; ita ambitio moderationis fines egressa, nullum ambiendi modum facit. Staplet. in *Dom.* 2 *post Pent.* them. iv.

Sicut canis famelicus ad mensam domini assistens, bolos ipsi objectos momento deglutit, et alium incessanter petit ; sic ambitiosi novos semper honores appetunt, nec unquam acquisitis satiantur. Ibidem.

Sicut cibus nimio sale conditus nulla arte ad temperatum saporem reduci potest; ita qui altiores semper honores appetunt, ad saniorem mentem vix ullo medio revocari queunt. Idem, in *Dom.* 16 *post Pent.* them. vi.

Sicut imago, quo artificiosius est depicta, et rem ad vivum repræsentat, tanto magis fallit, quia res ipsa existimatur (uti Zeuxem Parrhasius fefellit, dum tapetem tam artificiose pinxit, ut Zeuxis verum esse tapetem ratus removeri jusserit); ita honores hujus mundi, quanto majores sunt, tanto magis decipiunt, cum omnis mundi gloria nonnisi umbra sit, et vapor ad modicum parens, teste S. Jacobo. Idem, in *Dom.* 4 *Quadr.*

Sicut Phaeton, dum mature nimis habenas sibi vindicavit, totum orbem accendit, et se perdidit ; ita et ii, qui dignitates et imperia immature sibi arrogant, et se, et subditos perdunt. Ovid. *in Metam.*

Sicut pueri, dum papilionem in aere volitantem insequuntur, subito in scrobem cadunt; ita ambitiosi, dum oculos semper ad honores in alto positos erigunt, eosque sectantur, plerumque vel in scrobem mortis, vel in aliud grave malum præcipitantur. STAPLET. *in Dom.* 2 *post Pent.* them. VI.

Sicut Eleazarus, dum elephantem et Regem supra se stantes dejecit, simul cum illis contritus periit; ita plerumque ambitiosi, dum alios de suo gradu dejicere conantur, seipsos misere opprimunt. I MACH. VI.

Sicut ab illis cibis et potibus maxime cavendum est, qui etiam saturos et non sitientes ad edendum et bibendum provocant, quia naturam incaute obruunt et extinguunt; ita honoris possessio maxime vitanda est, quæ nulli necessitati, sed soli voluptati servit. STAPLET. *in Dom.* 2 *Pent.* them. VI.

Sicut arbores per præcipitia nascentes non hominum, sed corvorum usibus serviunt; sic honores indebiti actiones non Deo, sed diabolo servientes proferunt. Ibidem.

Sicut hi, qui absque fame et siti bibunt aut comedunt, etiam ea, quæ sumpserunt, revomunt, et dum superfluis se onerant animentis, etiam necessariis privantur; ita ambitiosi, dum novos semper honores ambiunt, nec illis, quos habent, potiuntur diu. Ibidem.

Sicut sævi venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, ut et arena cum undis misceatur; sic ambitio et turpis quæstus animam subeuntes omnia subvertunt. S. CHRYS. h. XLIII *Ad popul.*

Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiamsi tenuis aura flaverit, movetur; sic sublimes homines in culmine dignitatum existentes, etiam levis nuntii fama conturbat, sicut Principes Edom robustos Moab obtinuit tremor. S. quoque Hieronymus dicit: Regum talis conditio, feriuntque summos fulmina montes. *Auctor op. imp. h.* MANSI, dis. XVII, n. 10.

Sicut is, qui in exercitu cunctis aliis supereminet, non solum propter auctoritatem, verum etiam ob staturam, vel armorum splendorem et ornatum, inter alios primus erit, qui ab hoste conspicitur, vel vulneratur; eadem quoque magnatum conditio esse noscitur, qui præ cunctis aliis, insidiis, mortisque periculis subjiciuntur. Eodem tempore, quo Scriptura Sacra ob oculos nobis ponit Antiochi fastum et arrogantiam, dicens: Is qui videbatur sibi fluctibus maris imperare, mox illum simul et semel velut cadaver quoddam fœtore et scaturientibus ex omni corporis parte vermibus horridum repræsentat. MANSI dis. X, n. 10.

MOTIVA.

Christi exemplum; de quo S. Gregorius sic loquitur: Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus discerent, favores mundi fugere. Ubi Cajetenus apte observat, quod Evangelista de hac turba non dicat, illam Christum in thronum collocare, eidemque sic magnifice considenti obedientiam promittere voluisse, sed tantum eos de ipso in Regem eligendo inter se consultasse. Non dicit, quod tunc facturi erant ipsum Regem, sed quod venturi essent, significans quod ipsi dispositi erant ad tractandum cum aliis, et redituri ad hoc, ut facerent eum Regem. At vero quonam ducebantur motivo ad hoc, ut eum Regii sceptri administratione dignum et habilem esse existimarent? Num forte ideo, quia eum sæpe miracula patrare viderant? Non certe, quia alias quoque multoties in miraculis faciendis liberalem prorsus et admirabilem sese exhibuerat; aut forte ideo quia adeo prodigiose panes piscesque multiplicaverat? Neque id dici potest quia alias quoque idem miraculum, innumeros homines modicissima annona perfectissime satiando patrarat, nec tamen ullus de ipso in Regem sublimando cogitaverat. Pro resolutione igitur notanda sunt verba illa: *ut raperent eum*: ex his enim colligitur quod, quia Christum ab omni semper pompa et gloria mundana alienissimum et sceptro gubernando aptissimum esse conspexerant, ideo ipsum imperio dignissimum maximeque idoneum esse judicabant. In quo monstratur (inquit idem Cardinalis) quod cognoscebant Jesum alienum esse ab appetitu regni, utpote quem oportebat rapere: hi enim vere sunt illi, quorum in moderandis animabus imperium felicissimo semper fine clauditur, quo ab omni fastu alieni sunt, et quoad possunt dominari detrectant: bene imperant,

qui non libenter imperant. S. Greg. p. I *Past.* c. III.

Brevitas honorum; pro qua cognoscenda legatur duntaxat catalogus Imperatorum exacte conscriptus, et quam subito, quamque violenta morte potior illorum pars interierit, protinus inveniemus. Inter Summos quoque Pontifices, quam sint pauci, qui Pontificatum suum etiam usque ad integrum anni spatium producere potuerint. Severinus qui et Lucius II, undecim duntaxat supervixit menses; Leo II et Alexander V menses tantum decem; Benedictus X et Joannes XX, octo solum menses vixerunt; Stephanus V, septem; Eugenius I, sex; Innocentius V et Cælestinus V quinque tantum rexerunt mensibus. Alii duo Joannes XVI et Lando quartum tantummodo mensem attigerunt. Gregorius VIII et Innocentius IX in duo usque menses Pontificale solium insederunt. S. Antherus M., hujus nominis unicus, regiminis Ecclesiæ universalis unicum dumtaxat mensem numerare potest; at vero longe angustioribus limitibus, breviorique periodo vitam suam alii clausere Pontifices, qui suum non nisi ad dies aliquot producere potuerunt Ecclesiæ imperium; etenim Leo XI et Pius III in Pontificatu solum supervixere viginti sex diebus; Damasus II diebus viginti tribus; Marcellus II diebus duobus supra viginti; Sisinnius, hujus nominis unicus, diebus viginti; Cælestinus IV diebus septemdecim; Bonifacius VI diebus quindecim; Urbanus VII diebus tredecim; Stephanus II et Valentinus quatuor dumtaxat dies attigere; adeoque justam habuit Beatus Petrus Damianus exclamandi rationem: O termini dominandi! qui etiam in extrema miseria videri possent angusti, quid ni in suprema gloria angustissimi videantur? Verum enim vero specialissimus hic est divinæ providentiæ modus, ad humanam tanto efficacius supprimendam superbiam, ut humano generi, quam despicienda sit temporalis gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat.

Instabilitas honorum, de qua David recte dixit: Deus pone illos ut rotam. S. Bernard. autem de rota optime his verbis scribit: Sicut rota nunquam stat, sed perpetua volubilitate circumagitur, ita in hac vitæ rota nulla stabilitas aut securitas reperiri potest. Fortunatus quidam ex aulæ proceribus, suoque Principi cum inter primos charus, a Duce quodam, num in fortuna sua melius quid desideraret interrogatus, unicam dumtaxat rem sibi deesse respondit; cumque ulterius ad edicendum, quidnam illud esset, urgeretur, subjunxit se clavum aliquem, quo volubilem fortunæ rotam sisteret, ne a statu, in quo nunc est, verti aliqua ratione posset, unice desiderare: quod quidem responsum prudentissimum fuisse, nemo dubitabit. Mansi disc. VI, n. 4.

Etenim verissima est illa S. Ambrosii sententia: Bona hujus sæculi instabilia sunt, et rotarum in morem cum ipso sæculo volvuntur. Sapiens divinam sapientiam pila in hoc mundo ludere perhibet: Ludens in orbe terrarum. Lusus autem hic pilæ, quem Deus in hoc mundo exercere dicitur, alius, ut ego quidem arbitror, non est, quam continua illa sceptrorum, regnorum, dominiorumve ab una manu in alteram per gyrum, ad purum Dei beneplacitum, ad instar pilæ facta transmissio. Mundus enim communiter ad instar globi seu pilæ in forma sphærica ab omnibus describitur. Id quod Boetius Severinus optime ad propositum nostrum hisce verbis exponit: Hunc continuo ludum ludimus, rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Hinc prudentissime factum, quod præcelsioribus Principibus Serenitatis titulus attribuatur; coronæ item in figura solis, sceptra vero in florum specie efformentur. Etenim sicut hi subito languent, clari quoque diei serenitas a repentino quodam turbine ex proviso offuscatur, ipse sol sub caliginosis nubibus persæpe absconditur; ita quoque per hæc symbola humanarum dignitatum instabilitas haud incongrue designatur; id quod expertus est Salvator noster, qui in triumphali illo in Jerosolyman ingressu ab omnibus urbis illius civibus, imo et pueris, festivo cum gaudio veluti verus Messias solemnissime receptus fuit. Turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, « Hosanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini! » Et tamen ad vesperam ejusdem diei, in vastissima illa civitate neminem, qui illum hospitio excipere vellet, reperire potuit; unde in Bethaniam foras secedere coactus fuit. Imo idemmet populus, qui illum hisce verbis: « Benedictus qui venit in nomine Domini! » honoraverat, postea exclamavit: « Tolle, tolle, crucifige! » Qui antea se propriis vestibus exuerant, ut easdem in ejus obsequium in terram prosternerent, ipsum paulo post suis-

met despoliaverunt vestibus; qui ipsum projectis in terram olivarum ramis, palmasque triumphales manibus suis gestantes læti exceperant, paulo post ingentem ligni truncum eidem in patibulum præpararunt : O quam dissimile est : « Tolle, tolle, crucifige! » ab illo, « Benedictus, qui venit nomine Domini ! » Quam dissimile : « Rex Israel » et « Non habemus Regem nisi Cæsarem ! » Quam dissimile, rami virentes et crux ; flores et spinæ ! Cui prius sternebant vestimenta aliena, ecce suis exuitur, inquit S. Bernardus. S. Bern. s. ii *in Ps.*

Curarum et insidiarum copia ; uti Parabola de arboribus Regem sibi eligentibus indicat, in qua quidem primo oblatum sibi sceptrum oliva repudiavit, cujus exemplum imitatæ mox fuere ficus et vitis ; atqui postquam et rhamnum regiæ dignitatis ultronea oblatione honorassent, hoc inde responsum retulere : « Si vere me Regem constitui tis, venite, et sub umbra mea requiescite. » Quo facto ambitiosi edocentur, quod in populorum gubernatione, sceptrorumque administratione anxietatum, sollicitudinum, laborum, periculorum, vigiliarum, similiumque ærumnarum spinæ et tribuli minime desint. Uti clarius Innocentius III indicavit dicens : Sed esto, quod sublimetur in altum, statim curæ succrescunt, sollicitudines cumulantur, vigiliæ producuntur, ex quibus natura corrumpitur, spiritus infirmatur, abrumpitur somnus, amittitur appetitus, debilitatur virtus, attenuatur corpus, et sic in seipso deficiens, non dimidiat dies suos, sed miserabilem vitam miserabili fine concludit. Hinc Deus e medio rubi Moysen ad regimen vocavit, ut ex hac visione cognoscere posset, thronos magnificos, in quibus Magnates resident, laborum, curarum, anxietatum, aliarumque molestiarum puncturis plenissimos existere. Judic. ix.

De Adriano IV legimus, ipsum solitum fuisse dicere : Pontificam sedem quaquaversum spinis acutissimis plenam cinctamque esse, quæ uniuscujusque Pontificis humeros quantumvis generosos et fortes rumpere et dilacerare non desinunt. Platina pariter de alio quodam Adriano Papa hujus nominis VI refert, hunc lapidi sepulchrali verba sequentia insculpi jussisse : « Adrianus VI hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperavit, duxit. Innoc. III, l. II, c, xxix.

Specialiter vero hoc ipsum Dionysius Tyrannus servo suo Damocli ostendit ; cum enim hic Principum statum admodum felicem et desirabilem esse crederet, Rex ut hunc ejus errorem corrigeret, isque graviter se deceptum esse videret, eum die quadam ad mensam suam invitavit, jussitque ensem nudum ex tenui subtilissimoque filo pendulum super loco, quem is occupaturus erat, suspendi, quem cum cœnaculum ingressus cum horrore vidisset, pœnitere eum cœpit, quod Regi ipsum invitanti tanta cum facilitate acquievisset, cumque Regem deprecaretur, ut a mensa abesse liceret, hoc a Rege responsum tulit : Scito, hanc esse Regibus propriam conditionem, quod etiam in mensa et deliciis positi, in continua sint mortis iis inferendæ formidine. Cicero l. V *Tusc.* qq.

ALIA MOTIVA.

Quia ambitiosus sit dissimilis Christo, et similis Lucifero, qui propter ambitionem de cœlo præcipitatus est; unde sicut Luciferum Deus et omnes boni summe oderunt; ita et ambitiosus Deo et hominibus exosus est.

Quia ambitio primos parentes et nos cum illis sua felicitate privavit, et in supremum exitium præcipitavit. Quis autem interfectorem suorum parentum, suumque et fratrum suorum capitalissimum hostem odio non prosequatur, et hospitio excipiat ?

Quia ambitiosus perpetuis spei, timoris, et iracundiæ motibus agitatur, imo omnino denique per hos tres affectus, non aliter ac Absalon ambitiosus per tres lanceas, perimitur.

Quia ambitio in apostasiæ, aliorumque gravium vitiorum periculum præcipitat ; nam, ut S. Gregorius ait, unusquisque Rector toties ad apostasiæ culpam dilabitur, quoties præesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur.

Quia honor onus potius est, quam animi levamentum ; nam, ut bene Seneca advertit, est inter onus et honorem non tam allusio vocis, quam rei ipsius expressa veritas ; honor quippe ex onere venit, aut potius ex honore onus. Senec. c. ii *de Brevit.*

Quia perpetuo vitæ periculo exponit ; uti bene agnovit Saturninus, dum ad Imperium invitatus dixit : Nescitis, o amici, quid mali sit imperare ! Gladii et tela cervicibus nostris imminent, impendent utique hastæ et spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur ; non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio,

non arma pro studio sumuntur. Drexel. *Aurifod.* p. III, c. v.

Quia difficilem reddit coram Deo rationis redditionem; nam, ut recte S. Gregorius dixit : Prælatus, si perversa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit. S. Greg. III. *Past.* l. V.

Sed et S. Chrysostomus : Si novisses, inquit, quod Episcopus debet omnium onera gestare; quod aliis irascentibus datur venia, ipsi vero nequaquam ; quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime, haud quaquam festinasses ad primatum. S. Chrysost. h. iii *in Acta Apost.*

Quia fugiendo honor melius et justius obtinetur; nam, ut S. Chrysostomus ait : Primatus fugientem se desiderat, desiderantem se onerat. Quicumque ergo desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem; non enim, qui major fuit in honore, ille major; sed qui justior, ille major. Idem, *in Math.*

Hinc S. Bernardus de Sanctis dixit, quod de contemptu gloriæ gloriosius sublimati, et sublimius gloriati sunt. S. Bern. in ep. cxiii.

Quia ars artium et scientia scientiarum est, hominem regere, teste S. Gregorio Nazianzeno, animal maxime varium et multiplex; quemadmodum si quis belluam variam et multiplicem ex multis belluis magnis juxta, parvisque feris mitibusque conflatam cicurare et ducere aggrediatur, huic in natura adeo varia et prodigiosa gubernanda maximus proculdubio labor subeundus est. S. Greg. Naz. *Apoc.* i.

MEDIA.

Exemplum Christi frequenter ponderare : non enim debet discipulus esse supra magistrum, nec servus domino major, si ergo Christus fuit opprobrium hominum et abjectio plebis, quomodo homo affectabit esse superior hominum.

Sui et peccatorum suorum notitiam procurare: quis enim vas stercorum honore dignum æstimet? Quis Judæ Christum tradenti exhibeat honorem? Atqui deteriorem et stercore et Judæ quivis peccator se æstimare debet.

Vilitatem honoris et gloriæ humanæ perpendere: nam, ut S. Chrysostomus ait : Nihil hominum gloria vilius. Dic enim mihi, si puerorum parvulorum videas multitudinem, lactentium dico, numquid ab eis gloriam concupisces; sic erga cunctos homines disponaris propter gloriam. S. Chrys. hom. xliii *ad Pop.*

Exitum honoris considerare : ut idem sanctus hortatur, dum ait: Cogita, cum gloriam concupiscis, quod eam sis assecutus, et disce finem, et nihil invenies. Cogita, quantam ea res habeat jacturam, quot et qualibus bonis privet. Labores quidem sustinebit et pericula, fructibus autem privabitur et certaminum præmiis. Ibidem.

Humilia officia sectari : nam ut recte cecinit Horatius;

> Auream quisquis mediocritatem
> Diligit, tutus caret obsoleti
> Sordibus tecti, caret invidenda
> Sobrius aula. Horat. l. II *Od.* x.

Severitatem rationis reddendæ frequenter animo volvere : nam omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potius, quam judicaturos hi, qui præesse volunt populis, cogitarent. Orig. *super Epist. ad Rom.*

ASCETICA.

Tria in primis specialiter circa hoc vitium nosse et bene perpendere debet Asceta, naturam scilicet, indignitatem, et modum curandi. *Natura* in eo consistit, ut aliquis honorem velut sibi, et non Deo in ipso, exhibendum appetat, eo fere modo, quo mulus olim in solemni supplicatione, Isidis Deæ effigiem portans, et homines ante se prosterni videns, sibi honorem illum exhiberi putavit, ideoque ab agasone in ventre fodicatus audivit: Non tibi, sed Isidi.

Indignitas ex eo patet, quod ejusmodi homines ambitiosi omni titulo, ob quem honor exhiberi solet, careant, virtute scilicet, quæ sola, ut ait S. Bernardus, mater gratiæ est. Sola enim est, cui gloria jure debetur, secure impenditur; quæ autem sine virtute est gloria, profecto indebite venit, propere affectatur, et periculose captatur. Hinc jam olim Romani duo templa ædificarunt Honori et Virtuti. Sed ita, ut per Virtutis templum prius transeundum esset illi, qui in Honoris templum intrare vellet, ut hoc pacto ostenderent, solam virtutem esse viam ad verum honorem; et merito, quia, cum honor sit externa testificatio internæ bonitatis, bonitas autem a sola virtute habeatur, recte infertur solam virtutem esse radicem et matrem gloriæ et honoris. S. Bern. in Serm.

Modus curandi in eo consistit, ut et vilitas honoris et gloriæ humanæ perpendatur (nam ut S. Chrysostomus, hom. XXXIV *ad Pop.* ait : Nihil hominum gloria vilius ; dic enim mihi, si puerorum parvulorum videas multitudinem, lactentium dico, numquid ab eis gloriam concupiscis? Sic ergo erga cunctos homines amaris propter gloriam) et exitus illius consideretur, ut idem sanctus hortatur, l. c. dum ait : Cogita, cum gloriam concupiscis, quod eam sis assecutus, et disce finem et nihil invenies, quantam ea res habet jacturam, quot et qualibus bonis privet. Labores quidem sustinebit et pericula, fructibus autem privabitur et certaminum præmiis.

In primis nosse oportet Ascetam, quomodo dignitates vere suscipi, et administrari debeant, id quod pulchre Cardinalis Hugo indicavit, dum illa verba : « Redde rationem villicationis tuæ », ponderans, ita scribit : Revolvenda erit a quolibet Prælato triplex quæstio : prima erit : Amice, quomodo huc intrasti? id est, in Prælationem. Quis te introduxit? Nummus vel Christus? Ad quid venisti ? Ad honores, vel onus? Per quam portam intrasti? Charitatis, aut cupiditatis? Postea ad secundum examen descendet, quod circa vitam, quam Prælaturæ tempore duxerunt, instituetur. Quomodo vixisti? Scilicet, sicut Episcopus, vel sicut rusticus? Sicut homo, vel sicut equus? Sicut pastor, vel sicut pecus? Tertium examen habebitur circa regimen, quod administrarunt : Quomodo rexisti? In quibus pascuis gregem meum pavisti? Quomodo a lupis et latronibus custodisti? Quantas vigilias et labores pro grege meo sustinuisti? HUGO in c. XVI *Ecc.*

Nosse debet, qualitates veri Regentis, de quibus recte Basilius dixit : Verus Princeps non per hæc externa insignia internoscitur, cujusmodi sunt purpura, torques, seu amiculum pertenue ac molliculum et diadema, sed per id, quia in primis virtutem obtinet Principe dignam. S. BASIL. in c. VI *Isaiæ.*

Quod clarius significans Stephanus Cantuariensis super illa Esdræ verba : Esdras paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret, et doceret in Israel præceptum; et judicium scribens, tres considerat conditiones, iis, qui regimini publico admoventur, cum primis necessarias : « Ad illa tria debet Prælatus præparare cor suum, id est, ad scientiam, vitam et doctrinam : ut investigaret, ecce scientia ; ut faceret, ecce vita ; ut doceret, ecce doctrina. » STEPH. CANT. in I *Esdræ*, VII.

Hinc recte Aurelius Cassiodorus dixit : Fasces accipimus, ut graves esse debeamus; tribunalia conscendimus, ut morum gradibus evehamur, nil vile, nil cupidum judices decet. Pergit postea ulterius, et quidem ad propositum nostrum aptissime : Claras enim suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt, alioquin expedit non videri, quam cunctorum reprehensione signari. AUREL. CASS. l. XII, ep. I.

Nosse debet, quo sensu S. Paulus dixerit : « Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; » quem quidem S. Thomas sic declaravit, dum ait : Tria in Episcopatu posse considerari. Primum est operatio, per quam saluti proximorum intendit. Secundum altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur. *Matth.* XXV. « Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. » Tertium honor et reverentia et sufficientia bonorum temporalium. Appetere ratione reverentiæ et honoris, vel sufficientiæ bonorum temporalium, non licet, quia est ambitio et cupiditas, item ratione gradus alti, quia est præsumptio. At vero quandonam casus daretur, in quo Episcopatus desiderium foret licitum? Quando nimirum desiderium nullum alium finem respicit, quam pure servitium et obsequium Dei, et subsidium saluti animarum impendendum. S. THOM. II, II, q. CLXXXIII, ar. 1.

Aliter eadem verba explicat Salmeron dicens : Episcopatus in primitiva Ecclesia sine honore et sine divitiis erat. Nihil aliud erat, quam Crucem optare et opus charitatis impendere ; nunc vero ubi Episcopatus cum magno honore et divitiis conjunctus est, non nisi periculose appetitur. Idem hoc diu ante Sanctus Anselmus hisce verbis monuit : Notandum, quia quando Apostolus hoc dixit plebibus, quicumque præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur ; tunc ergo laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quasi ad martyrium festinaretur. Eamdem quoque expositionem legi apud Dionysium Carthusianum, in libro de regimine Præsulum : Non advertunt (de ambitiosis loquitur) quod Apostolus dixit hoc, quando Episcopi trahebantur primi ad amarissimas pœnas, et acerbissimas mortes martyrii, ita quod tunc in Episcopatu non poterat amari, nisi opus bonum. Quidam hujus nostri sæ-

culi insignis Orator dicit, quod, quando S. Paulus sæpe dicta thematis verba edixit, omnes Episcopatum refugiebant, quia ovium greges tales erant, ut iis gubernandis vix ulli reperiri possent pastores; et tales pastores erant, ut pro gregibus pascendis vix pascua inveniri possent; adeoque tempora illa talia erant, in quibus simul stare poterant, dignitas cum humilitate, et dominandi fortuna cum miseria serviendi. Sacerdotes tunc aurei erant, calices vero lutei, vel lignei; mitræ plus curis quam gemnis onustæ erant; Episcoporum clamydes paupertate potius, quam acupictura perforatæ erant. Erant eo tempore Pastores sine baculo vel clava, oves sine lana, lupi sine timore, dignitates sine dignitate, Ecclesiæ sine dote, honores infamia pleni, eminentiæ præcipitiis conjunctæ, curæ curarum plenissimæ, denique ejusmodi in statu tunc primatus erant, ut majorem quis pareret ambitionis suspicionem dignitates fugiendo, quam illas desiderando. SALMERON. tom. IV, tr. XXVII.

Nosse debet et bene notare S. Ambrosii sententiam, quando dixit: Mensura oneris pro mensura debet esse gestantis, alioquin impositi oneris fit ruina, ubi vectoris infirmitas est. S. AMBR. 1, *de Vid.*

Nosse et ponderare debet, quod illi, qui est in gubernationis dignitate et officio constitutus, gravis ratio de omnibus subditis sit reddenda, nam unicuique Prælato dici posse videtur, quod lib. III *Reg.* c. XX legimus, nimirum: « Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus. » De qualibet enim anima obstrictus est rigidissimum reddere computum. « Durissimum judicium his, qui præsunt, fiet. » Non enim illis solum de seipsis reddenda est ratio, verum et de omnibus aliis ipsorum curæ commissis. « Ubi est grex (inquit Deus ad Jeremiam) qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? » Quid dices, cum visitaverit te? Hinc S. Chrysostomus dixit: Ab eo ipso die, quo tu mihi Episcopatus susceptionem hanc injecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens tristitia meum animum occupavit! S. CHRYS. t. VI *de Sac.*

Nosse debet honorem, qui ab aliis defertur, non homini sed Deo exhiberi, uti sequens factum pulchre ostendit. Cum olim Minervæ statua in jumento quodam, veste attalica auro, argentoque intertexta exornato, honorificentissime accommodata, processionaliter ab idololatris quibusdam passim per plateas magna cum solemnitate circumferretur, accidit, quod dum unusquisque in plateis illis, quas processio illa obibat, Minervæ statuam summa, qua poterat, reverentia veneraretur, asinus honorem illum sibi delatum esse existimans, quemlibet caput inclinando resalutabat, quod alius quidem, qui asinum sequebatur, videns, eumdem acriter fustigatum sic est allocutus: Non tibi, sed Deæ. Idem quoque moneri possunt indigni ad dignitates præter omne meritum evecti; honores enim quos recipiunt, non sibi sed magistratui, quem administrant, aut dignitati qua gaudent, attribuere debent, cujus veritatis tunc pridem evidentia manifeste cernitur, quando honoribus (ut sæpe talibus accidit) exuuntur, tunc enim patet, quam viles et contemptibiles, risuque digni existant. MANSI. disc. XII, n. 9.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: » II COR. I, 12.

Narrari potest in primis, quod superiori §. n. 2. de duplici templo a Romanis ædificato dictum est, et ostendi solam virtutem esse matrem gloriæ et honoris, quia illa 1. Juvat maxime ad honorem *obtinendum*, cum sola conferat bonitatem internam, cujus testificationem præbet honor. 2. Juvat ad eum legitime *possidendum*; quia ipsa docet, nihil sibi, sed omnia Deo attribuere, atque adeo semper in ore habet illud S. Pauli: Soli Deo honor et gloria. I TIM. I, 17.

Ex occasione thematis: « Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, » Ps. CXXXVIII, 17.

Ostendi potest amicitiam Dei, quæ in virtutis possessione consistit, esse optimam viam ad honores acquirendos 1. Quia est via *certissima*, cum ipse Deus dixerit: Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum. Quis autem magis eum glorificat, quam virtuti deditus? PROV. XII, 21.

2. Quia est via *brevissima* seu *rectissima*, cum illis ambagibus et difficultatibus careat, quas subire coguntur illi, qui honores humanos venantur, uti ex § 1. patet. 3. Quia est via *securissima*, cum non

contristet justum, quidquid ei acciderit, teste Salomone, sed diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. PROV. XII, 15.

4. Quia est *jucundissima*, cum secura mens sit quasi juge convivium; et, si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possideat puri cordis homo, uti Thomas Kempensis ait. L. II *de Imit.* c. IV.

Ex occasione thematis: « Nec sibi quisque sumit honorem. » ROM. VIII, 28.

Ostendi potest honorem, cum sit extrinsecum bonum, et ab aliis obvenire debeat, non debere a nobis ipsis quæri et ambiri. 1. Quia, ut S. Bernardus ait, talis honor hoc ipso, quod sine virtute humilitatis quæratur, *indebite venit;* sola enim virtus est mater gloriæ 2. *Præpropere affectatur;* sicut si ædificio nondum solidato magnum onus imponitur 3. *Periculose captatur;* quia perinde se habet, ac si infanti culter peracutus usurpandus offeratur. Hinc Christus non suscepit officium Pastoris et Prædicatoris, donec post triginta annorum exercitium in virtutibus a Patre æterno approbatus, et Spiritu sancto eductus est.

Ex occasione thematis: « Gloria et honore coronasti eum. » PS. VIII, 6.

Ostendi potest inprimis, quam parum optandus sit honor humanus, ut qui cum labore magno acquiritur, cum timore magno possidetur, cum dolore magno amittitur. Ostendatur deinde, quam omnia contraria sint in honore Dei, ut qui sine labore magno obtinetur, absque timore conservatur, et cum dolore amitti omnino non potest, quæ omnia facile ex superioribus §§ probari possunt.

Ex occasione thematis: « Nescitis quid petatis. » MATTH. XX, 22.

Potest ostendi, quænam sit radix ambitionis, quia scilicet fragilitatem propriam ambitiosi non considerant, sed ad omnes functiones honorificas, quas ambiunt, respondent: *Possumus* illas cum dignitate sustinere; unde plerisque contingit, quod Phaetonti Ovidius fingit evenisse, ut scilicet ob imperitiam regendi, et se et alios in grandia mala præcipitent; merito ergo illis dicitur: Nescitis quid petatis.

Ex occasione thematis: « Venite, et sub umbra mea requiescite. » JUDIC. IX, 5.

Ambitiosi comparari possunt rhamno, quia ab initio, dum aucupantur honores, valde molles sunt et officiosi; sed ubi dignitates acquisiverint, indurescunt, aculeantur, et spinosi efficiuntur, sed et ignem perversæ conversationis de se emittunt, et se ac subditos igne infernali comburunt. E contrario vero viri sancti et humiles, qui sunt oliva per suavitatem conscientiæ, ficus per dulcedinem devotionis, vitis per hilaritatem spiritualis lætitiæ, recusant et fugiunt ejusmodi honores, ne deserere pinguedinem et dulcedinem suam cogantur. Quæ omnia fusius per partes explicari queunt.

Ex occasione thematis: « Non possum in monte salvari, ne inveniat me malum et moriar. » GEN. XIX, 20.

Ostendi possunt in prima parte concionis pericula, quæ incurruntur ab iis, qui in alta dignitate constituuntur, præcipue conscientiæ lædendæ, devotionis et quietis amittendæ, vitæ corporalis et spiritualis perdendæ; quem in finem narrari potest de B. Ganfredo, cœnobii Clarevallensis priore, qui postquam Episcopatum Tornacensem ab Eugenio Pontifice et S. Bernardo oblatum recusasset, paulo post mortuus cuidam religioso apparuit, dixitque: Salvus sum, mihique feliciter cessit fuga Episcopatus. Si enim fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnatorum. Ita mihi SS. Trinitas revelavit. MARCH. *Tub. Sacer.* t. lect. V.

In altera parte concionis explicari possunt sequentia verba ab eodem Loth prolata: « Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. » Quæ sententia pulchre potest ad humilitatem applicari, utquæ ab omnibus supra enumeratis periculis libera est.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. —Valde considerabile est, quod Josephus Hebræus de Archelao Herodis filio refert, nimirum, quod, cum is de gravibus quibusdam delictis apud Imperatorem accusatus esset, quorum idem nonnullorum quidem judicio reus, aliorum vero sententia innocens esse judicabatur; verum ex mente eorum, qui causæ illius examinandæ præfecti judices erant, vera existimabantur delicta ab illo patrata, etiam illa, quæ eidem per calumniam fuerant imposita. Et quidem ob hunc præcipue respectum credibilia videbantur, scilicet propter naturam suam, quod fieri posse judicabant a juvene tam accenso regnandi cupiditate. Unde Didacus Stella

optime hunc in modum scribit: Est adeo detestabile vitium ambitio, ut ex ejus cupiditate quodvis malum possit præsumi; nullum est flagitium, quod ambitiosus facere non tentet. JOSEPH. lib. VI *Antiq.* XVII, c. XIV.

Hugo Cardinalis optime notat, quod Salvator noster quantumvis alias mitis et mansuetus fuerit, attamen in ejiciendis templi profanatoribus, et specialiter quidem in expellendis bobus, qui ibidem ad sacrificandum vendebantur, tanto fuerit indignationis motu correptus, ut hoc facinus propriis manibus suis exequi non dubitaverit. Bos est animal ordinatum ad laborem, et significat illos simoniacos, qui promittunt et exhibent laboriosa servitia pro præbendis; adducitque præfatus Cardinalis illum Proverbiorum textum, quo dicitur: « Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est; ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis. » Ambitiosi enim velut indefessi boves esse videntur, quotiescumque tam de temporalium bonorum lucro, quam de honorum assecutione agitur. Unde Chrysostomus ait: Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, multaque machinaris? Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei! Quibus verbis de muniis seu officiis loqui intendit. HUGO in *Joann.* c. II.

Axioma vulgatum, quod dicitur: Honores mutant mores, adeo verum est, ut S. Paulus ad Ephesios scribens, deque Christi in cœlos Ascensione tractans, specialiter nos erudiat, Christum etiamnum, dum ad æterni Patris dexteram cum tanta majestate gloriose considet, eumdem prorsus nihilominus sine ulla sui mutatione perseverare: « Qui ascendit, ipse est qui descendit. » Verum dicat aliquis: Quænam esse poterat dubitandi ratio, ob quam dubitari poterat, num Christus ad dexteram Patris residens idem sit, qui antea in carne passibili vivens erat? Ratio illius hæc est, quia nimirum inter nos ita fieri videmus, ut ad honores evecti non jam sint amplius iidem, qui antea, sed potius faciem, mores et affectus suos, prorsus in diversos a prioribus, commutent. MANSI, disc. IV, n. 9.

In statua a Nabuchodonosore visa pulcherrimum quoddam observandum est mysterium. Sicut enim Deus in statua illa monarchiarum repræsentat honores et præcellentias; ita quoque eodem tempore easdem proponit, ut præcipitio proximas; « Abscissus est de monte lapis sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos, et tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, argentum et aurum, et reducta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis. » Circa quæ verba Hugo Cardinalis ait: Statuam percutit in pedibus, quando majores aliquos in sæculo, qui mundum videbantur sustinere et portare, dejicit in paupertatem vel mortem. MANSI, disc. VI, n. 9.

Valde consideranda sunt illa Oseæ verba: « Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. » Etenim hæc est aquarum omnium naturalis conditio, quod, quando obortis tempestatibus intumescunt, seseque in altum erigunt, in littore, quod allidunt, spumas illas protinus gignant, quæ aquæ ex igne effervescentis videntur esse bullitus; porro intumescentes hæ aquæ dominiorum et imperiorum sunt symbolum, in quibus ambitiosi totaliter evanescunt: hæc autem dominia instabilia sunt, ad eumque modum, quo spumæ, velociter disparent. Quod et S. Gregorius optime confirmat, dum ait, per hanc similitudinem nobis insinuari, quod dignitates et honores hanc habeant naturalem proprietatem, quod etiamnum vix emicantes subito evanescant; sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, sed eo celerius disruptæ depereunt, quo inflata citius extenduntur, cumque excrescunt, ut appareant, crescendo peragunt ne subsistant. S. GREG. lib. XVI *Mor.* c. V.

Simon Machabæus super sepulchro demortui gloriosi patris sui naves quasdam exsculpi fecit, ut hac ratione unusquisque naves hasce cum aliis possessorum honorum insignibus conjunctas videns, inde honorum mundi hujus instabilitatem tanto clarius agnosceret: naves enim in maxime volubili elemento continuo fluctuant, adeo ut nunc deprimantur usque in abyssum, mox vero ad stellas usque evehantur. Legantur magnifici illi applausus, quos in Saulis primi Israelitarum regis electione universus populus Israeliticus edidisse scribitur: « Et clamavit omnis populus, et ait: vivat Rex! » Postquam vero omnes ipsum adorassent, dimisit Samuel omnem populum singulos in domum suam; at vero vix pedem suum pro adeundis domibus suis moverant, cum ecce mox adversus eum quædam rebellionis species excitata fuit: « Filii Belial dixerunt:

Num salvare nos poterit iste? et despexerunt eum. » I MACH. c. XIII.

Tertullianus unico verbo, eoque valde significante et expressivo, ambitionem describit, dum illam versiformem appellat. TERTULL. l. *de Pallio* c. II.

In Isaia quoque scribitur : « Ecce gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt. » ISA. XL, 15.

Sapiens similiter ait : « Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. » SAP. II, 22.

Arabicus loco momentum legit, tamquam depressio linguæ bilancis. At vero scire percuperem, in quonam illa, inter dominium, quod obtinetur in subditos et stateram, sive roris antelucani guttam, consistat proportio; quidnam enim statera, quæ ad emendum et vendendum facta est, commune habet cum sceptris et dominiis? Pro responsione notandum est, quod bilances eriguntur et deprimuntur, ascendunt sursum et descendunt deorsum; idem quoque in conspectu Dei fit, quoad honores mundi hujus; quos enim superbi procurant, et ambiunt honores, nunc ascendunt, paulo post descensuri. Hunc continuo ludum ludimus, rotam etc.

Dominus Deus noster Aaronis summum sacerdotium prænuntiare volens, id ipsum florescenti quadam virga mediante præstitit : « Invenit germinasse virgam Aaron; » at vero haud importuna hoc loco moveri potest quæstio, cur scilicet non potius ad hunc effectum oraculo, quo in Arca dari solebant desiderata responsa usus fuerit, aut vera revelatione quadam Moysi specialiter facta? Nimirum Deus, qui omnia in sapientia fecit, Aaroni per hoc insinuatum esse voluit, ut supremam illam dignitatem haud secus labilem atque fugacem esse agnosceret, ac labilis est species seu pulchritudo elegantissimi floris, qui mane in lucem editur, et vesperi efflorescit et interit; ut summam haberet humilitatem, sciens commissum sibi florem potestatis. MANSI. disc. VII, n. 12.

Divina quoque dispositione factum est, ut, quando Lucifer Christo omnia totius mundi regna obtulit, et spectanda proposuit, idipsum in unico duntaxat momento factum fuerit; ita enim expresse S. Lucas scribit : « Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis. » Ubi S. Ambrosius ita ait : Bene in momento temporis sæcularia et terrena demonstrantur, non enim tam conspectu celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, et sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. S. AMBR. c. IV. *in Luc.*

Theodoretus ingeniose prorsus considerat, quod quatuor nobis in Scriptura Sacra repræsententur statuæ aureæ, quarum prima fuit vituli aurei, quam ingratus ille Dei populus in Oreb adoravit. Secunda fuit Samaritanorum statua aurea sub Jeroboam erecta. Tertia Babyloniorum pariter aurea. Quarta vero Nabuchodonosori Regi in somno commonstrata fuit, non quidem totaliter aurea, sed partim ex auro, partim etiam ex argento, ære, ferro, et terra coagmentata. Verum dic, sodes, quodnam in eo putas latere mysterium, quod tres primæ totaliter aureæ fuerint, absque ulla alterius metalli interveniente mixtione; quarta vero ex aliis metallis diversis, auro multum inferioribus, mixta, immo et ex terra et luto composita fuisse dicatur? Nimirum statuæ istæ dignitates præfigurabant humanas. Et quidem tres statuæ hominum manibus fuere fabricatæ, atque ex puro auro fusæ, quia homines omne id, quod in mangalibus splendet, oculosque intuentium ad se rapit, aurum esse sibi imaginantur, cum tamen in oculis et judicio Dei revera ita non sit : ideo namque in statua illa, quam Deus superbissimo illi Monarchæ in somno videndam præbuit, solum caput aureum erat, deinceps vero semper ex ignobiliori et indigniori metallo conflata cernebatur, siquidem brachia et pectus argentea, venter æneus, tibiæ ferreæ, pedes vero cretei seu lutei erant, ut per hoc innuatur, quod, tametsi in Principibus vere sit aurum, argentum, et æs divitiarum, auctoritatis et dominii, hæc tamen omnia in illis ferro, id est, bellorum tumultibus cernantur esse conjuncta, imo et luto infirmitatum, multarumque aliarum molestiarum et inquietudinum, quæ capita coronata divexare et torquere communiter solent. THEODOR. orat. III *in Dan.*

Quærit S. Gregorius Nyssenus, cur sancta illa et felix patria, in qua Beati sempiterna gaudent quiete, vocetur Regnum. Primum quippe sermonem, quo doctrinam suam Magister cœlestis initiavit, (ut auditores attraheret) a tali nomine est exorsus, inquiens : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum » *Matth.* V. « Beati qui hujus vitæ bona temporaria dolentes, liben-

terque propter me dereliquerint, quia in futura vita Reges erunt, qui hic spontanei sunt pauperes. » An forte non erat nomen aliud aptius, quo donari posset illa cœlestis habitatio, quam Regni? Aut non poterat alia re validius, efficaciusque ad se adducere Dominus, quam una pollicitatione Regni? GREG. NYSS. l. II *Polit.* c. I.

Non infirmum huic veritati ministrabit suffragium Hugo Cardinalis, cujus ea est observatio, quod sacrorum fastorum scriptor, cum plurima de multorum populi Hebræi Regum gestis, et moribus dixit, talibus verbis narrationes fere singulas absolvere solet: « Verumtamen excelsa non abstulit; » quod III *Reg.* XV, 14 et IV *Reg.* XII, 3. et II *Paralip.* XX, 33, et alibi reperies, et hunc habet sensum: Quidquid hic, vel ille Rex fecerit, hoc tamen non fecit, ut loca profana et sacrilega in locis editioribus constructa demoliretur, in quibus turpis cultus deastris, et inanibus dæmoniorum simulacris, ad insignem veri Dei injuriam deferebatur. Hugo ait: De paucis dicitur, quod excelsa abstulerint. Quamquam nonnullorum Regum virtutes aliquas regia historia memoret, ut Asæ, Joas, aliorumque, descriptiones tamen vitæ pene omnium sic concludit: Verumtamen excelsa non abstulit, idolorum aras in montibus, collibus, aliisque sublimiorabus locis excitatis non evertit, cum multa alioquin bene laudabiliterque gesta post se reliquerit. Soli Ezechias et Josias communem hanc notam et reprehensionem evasisse nec meruisse videntur. Tali quadam censura, inquit Hugo, perstringi posse videntur pene omnes totius mundi homines, atque in iis etiam non pauci, qui virtutibus magis exculti majorem perfectionem sunt assecuti. Fere omnibus convenit illa exceptio, quæ toties in libris Regum reperitur: « Verumtamen excelsa non abstulit. » Sed nec multi Religiosi auferunt hæc excelsa; vix quisquam est, de quo non possit affirmari, quod in libris Regum de regibus illis plerisque dicitur, hoc unum fere multis eorum præclare factis defuisse, quod excelsa non abstulerunt. Quotusquisque enim est ex omnibus totius orbis terrarum hominibus, si in his etiam exercitatissimos Religiosos et perfectiores anachoretas recenseas, qui inter quantosvis virtutum profectus excelsa cupiditatis dominandi prorsus dejecerit? Ambitionis idolum et libido imperandi ex loco superiori, supremam animi arcem pene apud omnes obtinet. Fere omnibus convenit illa exceptio; regnandi appetitus, dominandi aviditas, a primo parente hæreditario accepta, contagium est tam commune, tam vulgaris pestis, malum tam late diffusum, ut mortis, quæ nemini parcit, simile videatur. Non relinquit perfectum, non præterit laxum, invadit magnum, tentat parvum, oppugnat pastorem, aggreditur vilem, et vix reperias aliquem, cui caput a vana dominandi cupiditate non intumuerit. Quis tam agrestis paganus, tam sylvestris montanus, qui oblatam Præturæ virgam non lætus excipiat, non quærat ambitiosus? Cui unquam displicuit locus sublimis, et sedes superior; cujus animus exhorruit dignitatem, reformidavit imperium et fugit præfecturam, non secus ac Moyses suam in serpentem transmutatam virgam? Hid.

Quærit Plutarcus, *Problem.* X, istud: Quid est, quod Honori aperto capite rem divinam faciunt? Videtur Plutarcus subindicare sacerdotes, cum cæteris diis victimas litabant, tecto id capite fecisse; nisi enim ita esset, non tantum mysterii in eo poneret, quod Honori, quem ut deum quemdam, et numen cæca gentilitas venerabatur, suos déoperto vertice honores, sacrificiaque offerebant. At cur ea ad illius deastri cultum utebantur cæremonia? Respondet ille: Quia splendidum quiddam, et illustre, et apertum, et late patens gloria est. Quando procerum, aut magnatum quispiam plateas obit, non illum omnes passim nudato capite honorant, sed noti solum, et quotquot urbani, et comes videri amant. At cum Rex compita transit, omnes assurgunt, omnes ad regiæ coronæ majestatis observantiam et reverentiam submittunt poplites, nec quisquam est, qui non sibi detrahat pileum. Sic nunc ait Plutarcus: Honori aperto capite rem divinam faciunt, tanquam pluribus dixisset: Reliquis diis, Marti, Veneri, Mercurio tecto capite res divinas faciebant; nam iræ, turpi libidini, immoderato quæstus studio hic, aut ille, et de toto hominum grege nonnulli tantum suos animos contradunt, et reverentiæ cultum deferunt; at vero gloriæ, honori, dominatui, imperio, majestati nemo est, qui non detecto se capite submittat. Honori aperto capite rem divinam faciunt, non unus, et alter solum, non etiam pauci tantum, aut plurimi, sed omnes. Nam dominandi appetitus tam est insitus velut a natura genitis hominum animis, et regnandi cupiditas, et

gloriæ existimationisque præclaræ studium ita corda eorum subigunt, ut vix sint, qui illorum tyrannidem effugiant, vix qui ab illa contagiosa infirmitate immunes evadant. Ibid.

S. Ambrosius describit hominem, quem peccata omnia pro bonis, sive (ut verius dicam) pro malis, quæ ab iis habuit, tanquam debitorem in prætorium ad tribunal pertraxerint primum, dein vero, cum viderent non esse solvendo, certatim appetierint, sed una vehementius ambitio invaserit, idque jure majore, et antiquiore, quam vitia reliqua. Venit libido, inquit ille, et dicit : Meus es. Venit avaritia, et dicit : Argentum et aurum, quod habes, servitutis meæ pretium est. Venit luxuria, et dicit : Meus es ; ecce concurrentes adversus debitorem hominem creditrices noxas, ecce litem uni a tam multis intentatam, ecce chirographa, testificationes, indicia, quibus libido, gula, avaritia, luxuria, et vitia certa suarum creditarum rerum tempora, et exactionis justitiam, æquitatemque asserunt. Sed unam hic ex omnibus peccatis ambitionem desidero. Ubinam illa hæsitet, aut qui fiat, quod illa, quæ scelerum princeps est et creditrix facile primaria hominis, nihil ab illo suum repetat? Illane vero absit, ubi homo talium debitorum nomine incursatur, et nihil exigat. Audite, quid sanctus Mediolanensium Archiantistes inquiat : Venit ambitio, ait ille, et dicit : Plane meus es, neque opes tantum tuas, sed et teipsum, quantus es, magno et notorio jure mihi vendico. Nonne videtis, quo juris discrimine, et quam imparibus verbis ac meritis, hominem sibi vitia adscribant? Nam cum cætera dicant simpliciter : Meus es ; sola ex omnibus ambitio fidentius loquitur, et audacter affirmat : Plane meus es, manifesto indubitatoque jure ad me spectas, nemo æque ac ego, te sibi arrogare potest, luculentioribus testimoniis, quam mihi, non es obnoxius, devinctusque alteri ulli. Hinc videas, quam libere, et clare hic loquatur ambitio. Tametsi enim peccata reliqua, libido, gula, avaritia, maledicentia, et quæ sunt hujus generis alia, convenire hominem, et dicas ei scribere possint, sed nulla fronte apertiore, quam ambitio ; nulli enim vitio ita succumbit homo, ut illi, nec ab ulla æque opprimitur passione, ut ab una dominandi aviditate. S. AMBROS. *in Ps.* CXVIII.

Hujus dicti veritatem, et cupiditatis vim, potestatemque satis indicarunt duo infantes, qui intra uterum matris positi confligere cœperunt. Primus inde prodibat Esau, et Jacob, velut jam tunc intellexisset fore ut ab eodem sibi præriperetur et primogenitura, et paternæ domus locus dignior, a quo prævertebatur exitu celeriore egrediens plantam fratris tenebat manu. *Genes.* XXV, 25. Esau in pedes se conjiciebat, ut fratrem cursu præveniret : Jacob autem manum alteri pedum illius injiciebat, ut moras abscurrere volenti afferret, et præoccupare illum posset. Primatum namque ambire, et nolle ab alio quoquam anteverti, tam est naturale homini, ut, quando etiamnum aliud nihil scit, jam hoc noverit, quomodo primarium locum quærere, et cavere debeat, ne quis illum alius dignitate aut gradu antecellat. In hac sententia est Oleaster, quam talibus verbis expressit : Non mirum, si tanta pro primogenitura sit inter fratres discrepatio, postquam videmus, quæ pueri faciant propter hoc. Prorsus nihil novum, quod fratres adultiores de imperio corrixentur, et pro dominatuum administratione altercentur, quando et pueri nondum in lucem editi tam acriter, ardenterque de primatu, et dignitate dimicant. NYSSEN. l. c.

Ut Abrahæ solidam erga se fidelitatem promptamque obsequendi voluntatem toti mundo testatam Deus faceret, hæc ei quondam imperabat : « Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum. » *Gen.* XXII, 22. Oleaster hoc loco aliquid notavit dignissimum observatu, nempe quod Deus Pater solum Filium suum voluit de ambitione monarchiæ mundi tentari, cum ei dæmon regna mundi semel omnia obtulit, quod scierit, apud illum solum nihil obtenturam hujusmodi tentationem. Quia noverat neminem, nisi Christum victorem evasurum ex præsentata mundi monarchia, eum solum voluit illa tentari, inquit ille, velut dixisset Dominus : Tentare possum Abrahamum sacrificio filii, qui illi unigenitus est, neque tam charus tamen, quin pro me facile victimam mactabit. Possum alios tentare ærumnis, explorare et exagitare adversis ; atque ea illi propter me animo æquo, et magno ferent. Monarchiarum vero et amplissimorum honorum oblatione neminem tentabo, nec enim quisquam est, qui regnandi ambitum superare, et opprimere possit. Filio meo hic servatus triumphus, sola illum ea expectat victoria, qui solus

aspernari imperia, et calcare monarchias posse videtur. « Quia noverat neminem, nisi Christum victorem evasurum ex præsentata mundi monarchia, eum solum voluit illa tentari. » Idem, perioch. III, *Dom.* 15 *post Pent.*

Quærit Abulensis, quam ob rem Christus, qui vivam omnium virtutum imaginem de se nobis exhibere potuit, atque ad earum exercitationem sæpe exhortari solitus fuit, solius mansuetudinis, et humilitatis prototypon se nobis præstituere voluit dicens: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Loquebatur alibi de jejunio, et quamquam ipse quadraginta dies, totidemque noctes inesus transmisisset, solum dicebat: *Tu autem cum jejunas*, etc. *Matth.* VI, 17, neque ait: Discite a me jejunare. *Luc.* VI, 12. *Erat pernoctans in oratione Dei*, cumque studium ejusdem rei tam utilis, et ex qua salutis nostræ momenta plurimum dependent, persuadere nobis vellet, hoc solum ait: « Tu autem cum oraveris, etc. *Matth.* VI, neque dicit: Discite a me, qui totas orando noctes exegi, quomodo recte precari debeatis. Rursum cum sit ipsa liberalitas, ut nos ad largitatem excitaret, inquit: *Date eleemosynam, Lucæ* XI, 41, et non ait: Discite a me munificentiam, cujus tanta est benignitas et liberalitas. Idem est de reliquis virtutibus. Ad quid causæ, quod solius humilitatis formam a se desumi voluit? Respondit magnus Doctor, quæst. LXVI in cap. XI *Matth.* dicendo, quod hoc fuit, quia Christus dixit: Discite a me; ipse autem ostendebatur sicut perfectissimus; in viro autem perfecto non est magnum quod non sint quæ ab omnibus ut vitia reputantur. Qui meritis vitæ sanctioris aliis præit, et ad altiorem virtutum gradum evasit, non debet gloriæ ducere, quod vel absque vitiis sit, quibus inquinati sunt alii, aut virtutes habeat nec alias, nec majores, quam cæteri. Vincit quispiam gulam, et jejunat, quid ille magnum facit? Amat alius orare, quid hoc mirum in misero et egentissimo Dei mendicabulo? Alius in pauperes stipem erogat, quid ea in re arduum atque operosum? Sed illam famem gloriæ, illam imperandi sitim extinguere, et repudiare dignitates, et calcare obvia sceptra, et per humilitatem cordis proclivem ad pompas animum coercere, ut ne sursum tendere cupiat, hoc eximium quiddam et æterna fama dignum facinus est. Quod secum reputans Christus, aiebat: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.» Magnus enim magister, et vir perfectissimus hoc solum laudi sibi ducere debet, quod dicat et faciat magna, quibuscum comparari nequeant, quæcumque ab aliis vel dicuntur, vel fiunt. Ibidem.

Plutarcus auctor est, coiisse quondam Philosophos, ut unum quoddam comminiscerentur nomen, quod homini, nativæque ejus proclivitati quam maxime conveniret, et post diligentem consultationem non occurrisse aptius, quam ut græce φως appellarent, quod latinis Lux dicitur. Rationem vero nominis affert Plutarcus, in *Moral.* lib. II, talem: Opinor autem dictum a luce, propterea quod omnibus vehemens quædam insita sit cupiditas innotescendi. Prudentissime lucis nomine donarunt hominem; ut enim ea in omnes partes diffunditur, nec rimulam præterit, per quam non se insinuet, ita homo, ut plurimum amat videri et eminere, et superior esse aliis, sic nullam prætermittit occasionem, qua primatum obtinere sperat. Neque hoc admodum miror; hanc enim ab ipso matris suæ utero ostendit propensionem. Versabatur S. Petrus Chrysologus in consideratione maturationis, qua fœtus naturæ vinculis eximi, et maternæ alvi prodire angustiis festinat, sic ut constituti temporis terminos prævertere soleat, septimoque sæpe mense erumpere, neque nonum aut decimum expectare. Quid causæ est, quærit Chrysologus. Illud, quod versari in luce, et innotescere amat et expetit: Disruptis temporum moris, inquit ille, serm. LVI, et rudi latrocinio, et fractis viscerum claustris, repentina vivendi lucra quærunt et rapiunt nascituri. Tam ardenter expetunt homines esse illustres, et conspicui. Idem, per L. in fer. IV, *post Dominic.* 2 *Quadr.*

Potuit David Saulem, cum eum in antro invenit, obtruncare, et ita potiri regno. Sed abstinuit a cæde manum, Deique providentiæ omnia reliquit. Postquam tamen spelunca egressus est Saul, vocibus illum prosecutus, omnium quæ acciderant certiorem fecit, dicens: « Considera et vide hodie; » tanquam, ex S. Joannis Chrysostomi commentario hom. *de David* et *Saul* tom II, dixisset: Nihil loquor de anteactis, mihi ad probationem satis est hæc dies, nolo vetera mea in te officia, quæ nec parva sunt, neque pauca, commemorare, quando id, quod hodie a me factum, mei in te animi testis esse locupletissimus, luculentissimusque no-

test. Quare autem dies illa poterat testatissimam facere sanctitatem et integritatem Davidis, supra quam eá, quæ diebus cæteris fecerat? Nimirum illa die adire regnum Saulis potuit, dum vitam illi adimeret, modo voluisset. Quod vero homo sursum evadendi occasionem prætermittat, et nactus imperii adeundi occasionem negligat, id sanctitatis omnium maximæ et consummatissimæ virtutis indicium est. Ibidem.

Damnum. — Cum Redemptor noster cum Apostolis suis de passione et morte sua jam imminente familiariter dissereret, ecce protinus duorum illorum ambitiosorum fratrum mater coram Christo se statuens, arrogantem illam porrexit supplicam: «Dic, ut sedant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, alter ad sinistram in regno tuo. » Ac proinde valde notanda est dictio illa, *tunc*, qua S. Evangelista hanc recensens historiam utitur, dicens: « Tunc accessit » ; id est, ex illo Salvatoris de amarissima passione et morte sua habito discursu, occasionem sumpsit, supplicationem hanc Christo porrigendi pro filiis promovendis. At vero quamnam patibulum crucis cum throno regio, sceptra cum clavis, chlamys regia cum lacerata, sordida, et obsoleta purpura, corona spinea cum diademate regio proportionem habet? Etenim vero aliud ad huic difficultati respondendum non occurrit, præterquam trita illa S. Bernardi sententia: O ambitio, ambientium crux! Etenim incarnata sapientia specialiter ita disposuisse videtur, ut hæc mulieris et filiorum ambitio, cum Christi tormentis concurrerent, ut inde omnibus manifestum fieret, quod regum throni et imperia gravia sint, eos admodum torquentia, animorumque patibula. Mansi, dis. ix, n. 1.

« Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem ». Porro fulgura et fulmina, balistæ cœlorum dici possunt; et ideo, quando Christus dicit: « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, » idem est ac si diceret; superbus ille et arrogans de cœlo in terram, instar alicujus e balista ejaculati fulminis, præcipitatus fuit, in signum quod omnes suos conatus in id dumtaxat directurus esset, ut mediante ambitione rixas, et discordias, et contentiones jugiter seminare posset. Inter hos superbos (inquit Sapiens) semper jurgia sunt. Ibid. Stella illa S. Lucæ verba: Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur major, ponderans, ita scribit: Habes hic, ex quo fonte bella et dissidia oriuntur, nempe ex ambitione. Hæc fuit causa, quod Romani totum orbem macularunt sanguine humano, immo, quod valde deplorandum est, discordiæ. rixæ et dissensiones etiam inter Prælatos Ecclesiasticos propter præcedentiam, quam ambiunt, sæpenumero locum habent. Unde Salmeron ait: Omnis in Ecclesia Dei tentatio, et altercatio de sedium est primatu et eminentia. Videas enim Principes hujus mundi de loco certare inter se, et cum Ecclesiasticis. Videas Ecclesiasticos de eadem re contendere; videas etiam interdum ipsos qui mundi contemptum profitentur, contensiose inter se de honore loci decertare. Salmer, c. iv, t. XXVII.

Ingeniosa prorsus est illa Hugonis Cardinalis observatio, nimirum quod Salvator noster in die purificationis Mariæ ab eadem matre sua delatus, seu portatus fuerit Hierosolymam; in fuga sua, qua Herodianam declinavit sævitiam, abvectus fuerit in Ægyptum, ac denique jejunans in deserto delatus fuerit supra templi pinnaculum. Porro per Hierosolymam vita contemplativa designatur, quæ pace fruitur et quiete altissima; Ægyptus vero vitam præfigurat activam, quæ turbationibus et inquietudinibus intime est conjuncta. *Joan.* xvi. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Desertum denique Religionis figura existit, in qua vita in sanctæ solitudinis recessu traducitur, et dæmon continuis victoriis subjugatur. Mons vero altus, in quem Christus a dæmone translatus fuit, superioritates denotat et prælaturas; templi vero pinnaculum, sedem denotat seu cathedram magistralem, ex qua per Sacerdotes erudiebat populum. In his quinque locis (verba sunt præcitati Eminentissimi Cardinalis) est Jesus, id est, salus; unde in his locis quærendus est Jesus, sed unde quis portavit Jesum, et in Jerusalem, et in Ægyptum, et in desertum; et quis in montem, et in pinnaculum? Porro Hierosolymam Christus deportatus est per S. Josephum et Beatissimam Virginem; in desertum deductus est per Spiritum Sanctum; *ductus a Spiritu*. In Ægyptum, et in Jerusalem stella maris, et augmentum, fides et charitas; Spiritus autem Sanctus duxit eum in desertum. In montem vero, et super pinnaculum duxit eum diabolus: ideo timendum est tam prælatis quam magistris, ne eos diabolus in montem prælationis portaverit, et istos in sedem magistralem. Cæsarii

etenim Arelatensis veridica sententia est: Quisquis superbus est, dæmone plenus est. Hugo, in c. II *Luc.*

Primus Christi in terra Vicarius, qui tantas de Christo ad mortem usque consectando, futuræ fidelitatis et constantiæ suæ promissiones fecerat, pedem suum aulæ Caiphæ vix intulerat, quando e vestigio Christum Magistrum et Dominum suum esse, turpissime negavit. Unde glossa optime dicit: Non in monte, non in domo sua, non in templo Petrus negat, sed in prætorio Judæorum, in domo Principis sacerdotum, ubi non est veritas, ubi Christus captus et ligatus est. Hugo Cardin. similiter scribit: Petrus semel intravit curiam, et ibi vigorem animi perdidit, et Christum negavit: quid si diu permansisset in curia? Quinimmo addendum est insuper, Petrum aulam ingressum fuisse Principis sacerdotum, phrenetica illa ambitionis febri minime ardente, quin potius cum intentione Christum in ipsam usque mortem consectandi, et defendendi, et tamen adeo fuisse ignominiose prolapsum; ac proinde cogitate, quanto facilius et probrosius lapsuri sint illi, qui ibidem non alio fine commorantur, quam ut ad ambitiosarum prætensionum suarum metam tandem aliquando pertingere possint. Advertendum quoque est, Petrum aliis mediantibus in Pontificis domum fuisse introductum: « Petrus autem stabat ad ostium foris; exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. » Quo in facto Petrus illos præfigurasse perhibetur, qui ad honores admittuntur, vel ecclesiastica aut temporalia munia consectantur, per viam solius alieni favoris, per viam autem meriti minime promoventur; hi etenim in millena præcipitia corruunt, eo etiam usque, ut ipsum quoque Christum per quotidiana scandala pernegent. Nullibi enim Christus (quod bene advertendum est) tot fuit injuriis, colaphis, sannis, flagellis, spinis, aliisque diversis improperiis et tormentis affectus, quemadmodum in Annæ-Caiphæ, Pilati, et Herodis (qui omnes Magnates et Principes fuere) maledictis aulis. In aulam quoque, muliere mediante, introductus fuit: « Dixit ostiariæ, et introducit Petrum; » quia nonnunquam etiam per similes mediatrices in dignitatum culmina conscenditur. Hugo quoque Cardinalis de Petro insuper notat, quod etiam non ibi, sed foris pœnituit, et egressus foras flevit amare; quasi Evangelista dicere vellet, quod, quamdiu homo in ambitionis culmine consistit, pœnitentia ne quidem per umbram aditum habere possit. Mansi, disc. III, n. 4.

Petrus Blessensis in ea est opinione, quod Etymologia hujus dictionis, *curia*, derivetur a nomine cruor, quasi totum ambitiosorum aulicorum negotium nulli alteri rei intenderet, quam, ut unus alterius eruat oculos, vel sanguinem effundat. Scholiastes Tertulliani a Baeza relatus, olim vetustissimum Ecclesiæ morem fuisse scribit, dandi in Missa pacis osculum cunctis præsentibus, præter quam aulicis; cujus hanc protinus rationem subnectit: Circumferatur patena pacis inter fideles, præterquam tamen inter aulicos, quos unanimes esse et pacificos non sinit ambitio. Et hinc est, quod S. Bernardus superborum implacabilis persecutor et hostis, ita scribat: Displicuit mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nuntiatur, et quia gloriam usurpant, turbant pacem. Petr. Bless. ep. VI.

S. Bernardus, in libris de consideratione, ita scribit: Claustrum quosdam malos recipit, quos ut plurimum bonos efficit; at curia bonos facilius recipere, quam facere consuevit. S. Bern. lib. IV *de Consid.*

S. Bernardinus Senensis nonnullos considerat scopulos, in quos nos dæmon impingere facit, ut sic eos, qui ad dignitates sublimantur, in multa ruere vitia faciat, bonosque eorum mores corrumpat: Mentes enim, inquit, quæ non sunt multis virtutibus habituatæ et roboratæ, cito deficiunt, ex multa distractione distrahuntur ab adulatoribus, qui circumstant; nemo talium magnatibus aperit veritatem, nemo sinit eos cernere peccata sua, sed in illis laudantur. Adducitque illum psalmi textum: « Ascendunt usque ad cœlos, » scilicet per gloriam et honorem, « et descendunt usque ad abyssos » per multiplicationem gravium peccatorum. Moxque rationem reddit ex eodem Psalmista hujus tam turpis in peccata præcipitii: « Anima eorum in malis tabescebat, » id est, in peccatis resolvebatur. S. Bernardin. t. I, § 59, v. 4.

Idem thronum Darii Regis regium septem gradibus constantem nobis describit: Omnes autem hi gradus ex variis erant lapidibus pretiosis confecti, præter ultimum. En ipsissima sancti hujus scriptoris verba: « Rex Darius fecerat sibi thronum de auro, et per

septem gradus ascendebatur ad eum; primus erat de amethysto, secundus de smaragdo, tertius de topazio, quartus de granato, quintus de adamante, sextus de auro, septimus de luto. » Magis autem dicat fortasse aliquis, necessarium videbatur, ut gradus ultimus, utpote majestati regiæ proximæ vicinus, omnium esset pulcherrimus et pretiosissimus; cur igitur ex luto sive creta fabricatus fuit? Respondeo igitur, id factum esse, ut per hoc Principibus viris insinuaretur, quod, quanto sunt potentiores et formidabiliores, tanto quoque majores patiantur insidias, ipsique morti viciniores existant. Vel etiam dici potest, ita factum esse, ad denotandum, quod eo tempore, quo quis ad altissimum honoris gradum usque pervenit, tunc inconstans fortunæ rota communiter vel maxime mutari et gyrare soleat, ita ut, qui antea consistebamus in vertice, mox mutato fortunæ statu jaceamus in luto, cunctorumque pedibus conculcemur. Idem, t. IV, § 25.

Fuga. — Moyses, utpote existimatus genuinus filiæ Pharaonis filius, et hæres regius, quadraginta annis in ejusdem Pharaonis regia, regni moderatus est sceptra; demum vero in sylvestribus Madian se abscondit, ibique totidem annis ovium gregibus pascendis intentus fuit, donec tandem ab altissima Majestate divina populo Israelitico quidam Dei locumtenens generalis præfectus fuit. At vero postquam honorificentissimo hoc munere insignitus esset, audite, qualiter sub hoc onere ingemiscens lamentatus fuerit: « Cur afflixisti servum tuum? Quare non invenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? » Quis, obsecro, novum hunc in cunctis sæculis inauditum sermonem non obstupescat? Variæ quidem quotidie audiuntur humani generis querelæ, dum varii se a Deo abjectos existimantes, mœsti vivunt ac tristes, eo quod in statu humili semper perseverent; nemo enim est, qui in hominum existimatione esse, et honorari, auctoritateque ac dominio præfulgere non diligat? Et tamen Moyses a Deo, ad honores subvectus contrarium sentit, dicens: « Cur afflixisti etc. Quare non invenio gratiam coram te? » Ambitiosi gratia Dei se excidisse arbitrantur, quando ad mundi gloriam non subvehuntur; et tamen iis, qui verum lumen cœlestiumque bonorum notitiam habent, verissimum est, quod honores onus secum gravissimum adferant, sub quo consequenter misere ingemiscunt. Unde optime S. Bernardus scribit: Meditantibus honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt atque formidini: non autem omnes capiunt hoc verbum; multi enim non tanta fiducia, et alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera, gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Porro Moyses sub hoc sibi a Divina Majestate imposito onere lamentans, hanc planctus sui reddidit rationem: « Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo? » Universam, obsecro, Scripturam sacram pervolvite, nec tamen unquam Moysi hoc a Deo impositum fuisse præceptum reperietis, ut populum hunc sibi commissum inter brachiorum suorum amplexus, imo et sinu suo portaret, quin potius eum jussu divino generalem populi sui ducem factum esse, eique eumdem gubernandi auctoritatem, dominiumque collatum fuisse deprehendetis; cur igitur mandatum sibi esse ait, ut ipsos in sinu suo portaret? Scitisne quidnam ad hoc responderi debeat? Nimirum idem prorsus esse, dicere, Moysen Israelis dominio et gubernaculo fuisse admotum, quam ipsum erga populum hunc patris, matris, et nutricis officium exercere jussum fuisse, asserere; hoc enim est pondus et onus, quod gubernatori plebis alicujus censetur impositum, ut scilicet se sollicitum erga sibi subditos patremfamilias exhibeat, eisdem in infirmitatibus suis summa cum amoris et benevolentiæ significatione subveniendo, ablandiendo, et compatiendo. Hinc etenim factum est, quod prudentissimus vir ille apud Isaiam, sponte sibi oblatum a populo regni sceptrum constanter recusarit, dicendo: « Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me Principem populi. » Quasi diceret, illi, qui erga sibi commissos paternæ charitatis viscera non habet, qui subditorum necessitatibus sollicite prospicere, infirmitates eorum curare, eosque, ubi opus fuerit, vestimentis congruis induere et fovere nescit, imperium etiam sponte oblatum, nequaquam acceptandum esse. Septuaginta loco verborum illorum: «Non sum medicus,» legunt: «Non ero Princeps.» Pagninus: «Non ero Dominus. » Chaldæus: « Non sum dignus ut sim caput, aut Princeps.» S. Bern., ep. xlii.

Nonnulli optime observarunt, nusquam de Christo Salvatore nostro legi, quod in toto triginta trium annorum decursu equo aut jumento aliquo usus fuerit, tametsi varia alias loca eundo peragrarit : « pertransibat benefaciendo » præterquam in solo et unico die triumphi sui, in quo veluti Rex asino insidens honorificentissime exceptus fuit ; neque existimandum est, id Christum forte fortuito fecisse, siquidem dedita opera nonnullos e discipulis suis in proximum castellum misit, qui asinam et pullum ligatos solverent, et adducerent, imo expresse adjecit, quod si quis eorum conatui reluctaturus et jumentorum adductionem impediturus esset, dicerent : quia Dominus his opus habet. Respondetur igitur, quod, quando Salvatori nostro decretum erat Regis titulum sibi acclamatum admittere, non uno, sed duobus jumentis vicisssim seu per vices uti voluerit, asina nimirum et pullo ejus, animalibus scilicet natura sua gravibus portandis oneribus destinatis ; ad denotandum gravitatem, et difficultatem oneris, quod portare debent, qui aliis præsunt et dominantur. MANSI, disc. X, n. 4.

In cujus confirmationem notandum est, quod, quando Samuel venturo Sauli extemporaneum præparabat convivium, in quo ipso Regem declaraturus erat ; modus quidam specialiter observandus sit, quo Samuel in ferculis appositis distribuendis uti voluit ; per hunc namque modum futuro Regi indicatum esse voluit ; quod regno, ejusque oneribus portandis humeri ipsius submittendi essent : Dedit locum in capite eorum, qui fuerant invitati ; dixitque Samuel coquo : « Da partem, quam dedi tibi, et præcepi, ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem coquus armum, et posuit ante Saul. » I REG. IX, 24.

Hæc autem carnis portio a Propheta a Deo illuminato, Sauli nequaquam casualiter proposita fuit, quia idem Propheta mox subjungit : « Ecce quod remansit, pone ante te, et comede, quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi, et comedit Saul. » Nequaquam dubito, quin curiosi sitis ad intelligendum, quænam sit inter sceptrum et armum seu humerum bovis proportio ; atque ideo pro meliori hujus mysterii intelligentia, quamdam Gregorii Magni sententiam prius audite : Tantorum quippe pondera, inquit, sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Etenim Propheta Samuel, qui judex populi erat, Saulem commonitum esse voluit, ut se suosque humeros ad Domini sibi commissum onus et pondus fortiter portandum bene præpararet ; nam juxta verissimam S. Gregorii sententiam, onus sive pondus hoc, non unum dumtaxat est, et simplex, sed quot sunt in regno subditi, totidem quoque onera portanda esse, existimandum est. Ex qua sententia evidenter colligitur, quod, qui majori dominio, copiosiorique subditorum numero præest, is quoque fortiores robustioresque humeros ut habeat, necesse sit. Unde optime ad propositum auctor quidam de Saule tractans ita scribit. Quod, cum armus maxime valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret se non ad lusum ac voluptates, sed ad maxima onera ferenda vocari. *Antiq. convival.*. Lib. I, c. XXXIII.

Non defuit, qui indigne promotos ambitiosos homines Ezechielis currui similes esse pronuntiaret. Hic enim currus quatuor facies referebat, quarum prima erat leonis, quia superbus leonis instar ad gradus sublimes violenter ascendit. Postquam vero in editiori loco conspicuus sedet, faciem aquilæ induit (hæc enim est facies secunda) adeo alte evolando, ut jam neminem eorum, quibus alias familiariter uti consueverat, agnoscat. Tertia facies hominis erat, quia paulatim postquam illo sibi acquisito honore exciderit, iterum se hominem aliis similem esse commonstrat. Quarta facies bovem referebat ; quam etiam ambitiosus ille tandem induit, quia omnibus tandem, stolidum et ignorantem ipsum esse, manifestum evadit. Unde majori quam unquam aliis ludibrio exponitur. Stultorum exaltatio, ignominia. Idem, disc. XII, n. 11.

Porro advertendum est, quod, quando Christus perspicuis verbis dixit : « Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, » expressam fecerit servitutis mentionem. Ubi Lucas Burgensis ait : Vobis prorsus addictus, nullatenus liber. Plus est servum esse, quam ministrum, nam minister liber esse potest ; servus autem totus est domini sui ; quidquid habet in bonis, sive naturæ, sive fortunæ, totum addictum est servituti domini ; idque totum in iis superioribus specialiter exemplificat, quibus regimen incumbit animarum : adeo servitio vestro obnoxium se esse sciat, ut quidquid habet bonorum, sive animi, sive corporis, adeoque et vitam suam, ubi fuerit opus, seque ipsum

totum impendere debeat, tutandæ saluti vestræ. Porro prius dixerat: «Sit vester minister, » sed quasi parum nimis se dixisse videretur, subjunxit : « Erit vester servus. » Unde S. Thomas ambitiosos monet dicens : Si aliquis desiderat habere primatum in Ecclesia, sciat, quod illud non est habere dominium, sed servitutem ; in cujus confirmationem illam adducit ab Apostolo factam declarationem : « Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci. » Ac proinde auctor operis imperfecti valde impense miratur, neque causam se invenire posse dicit, cur dignitates tam anxie, tantaque cum aviditate procurentur : Primatum Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa, quia neque justum est, neque utile; quis enim sapiens ultro se subjicere festinat servituti, labori, dolori, et (quod majus est) periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia apud justum judicem, nisi forte, qui non credit judicium Dei, nec timet, ut abutens primatu suo ecclesiastico sæculariter, convertat eum in sæcularem. Luc. Burg., *in cap.* XX *Matth.*

Memorandum est, quod, dum a Pharaone e carcere eductus Joseph a compedibus ascendit ad thronum, traditumque est ei in universam Ægyptum absoluti dominii sceptrum, simul etiam ab eodem Pharaone rege catena quædam collo ejus injecta fuerit, postquam enim dixisset : « Tu eris super domum meam, et ad oris tui imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni solio te præcedam,» ut omnem quoque auctoritatem, potestatemque regiam ei delegaret, collo torquem auream circumposuit. Catenis et compedibus liberasse eum dicitur is, qui mox collo ejusdem aliam non minus ponderosam et gravem catenam injecit? Ita profecto res se habet; verum per hoc insinuare nobis voluit, quod licet carceribus exire Josephum jusserit, non tamen per hoc illum ab omni servitute liberum effecerit, quin potius eamdem novis denuo incrementis adauxerit, dum eidem, in throno collocato, imperii sceptrum in manus dedit, et ideo catenam collo ejus injecit. Verum quidem est, quod catena hæc aurea fuerit, quia servitus, sub qua Reges, Principes et Magnates ingemiscunt, honorifica et splendida est, ut diximus, tametsi Seneca optime dixerit : Stulti est, compedes suos quamquam aureos adamare. Porro libertas per collum liberum exprimitur; et hinc est, quod Deus significare volens populum suum sibi minime subjectum, dixerit de eo : Duræ cervicis es; dumque se Hierosolymam in pristinam libertatem repositurum esse, promittere voluit, eidem dixit : Solve vincula colli tui, filia Sion ; adeoque quod Pharao catenam, qua antea Josephi pedes obstrinxerat, nunc collo ejusdem injiciat, id nequaquam ea mente factum est, ut eum liberaret, sed potius, ut eidem tacitus innueret, quod ea in dignitate graviori quam antea, servitutis jugo subjectus et pressus esset. Mansi, disc. XVI, num. 4.

Quando S. Propheta Elisæus de Elia, charissimo magistro suo, loquebatur, qui tanquam sacri Prophetici gregis caput omnibus Prophetarum filiis summa in veneratione erat, edicere solitus fuit : « Pater mi, currus Israel, et auriga ejus. » Quibus in verbis illud specialiter notandum venit, quod Elias uno eodemque tempore currus pariter et auriga appelletur? Quis est, qui nesciat currum et aurigam duas res esse inter se distinctissimas? Cur igitur respectu unius et ejusdem hominis eadem simul unit et conjungit? Currus viatorum sarcinas, aliaque viarum impedimenta intra se portat, auriga vero currum per loca magis pervia ducit, dirigit, ac proinde imaginari vobis debetis, hanc veram quamdam figuram esse eorum, qui imperant et gubernant; hi enim, tametsi leges subditis imponendi, eosque, prout illis placet, gubernandi et dirigendi auctoritatem habeant, cum hoc tamen stat, quod eodem prorsus tempore illis necessarium sit, ut pondus subditorum portent, miseriis et calamitatibus subditorum universalibus et particularibus compatiendo, alimoniæ sufficientem illis annonam procurando, urbes et oppida fortificando, eisdemque de munitionibus et militum sufficienti numero prospiciendo, atque quieti et saluti publicæ invigilando. Unde Drogo Ostiensis ait : Currus Israel et auriga ejus, portas et regis, sustinens et gubernans. Ibid. n. 6.

Ex unanimi multorum sacrorum Expositorum interpretatione certum est, quod columna illa, quæ populo Israelitico in deserto ducis et rectoris loco inserviebat, cœlestis quidam nuntius fuerit, ad hunc specialem effectum a Deo cœlitus missus. At vero dicito, sodes, quamnam ob causam Angelus ille columnæ similitudinem induerit? Nimirum quia columnam ad ædificii pondus sustentandum destinatam esse scimus, ac proinde Angelus ille insinuare nobis voluit,

quod, qui populos regendo, illisque imperando dux et gubernator est aliorum, eodem tempore, quo a subditis obedientiæ debitum accipit, eosdem quoque portare et sustentare debeat. Ibid. n. 7.

Justinus historiam refert, quod per pronuntiatam ab oraculo sententiam talem aliquando Regem eligendum esse, statutum fuerit, qui primus omnium solem orientem conspexisset; factumque inde esse, quod omnes suos orientem versus oculos deflexerint, unico dumtaxat excepto, qui ut altissimorum montium cacumina, quæ omnium primum a sole oriente irradiari solent, aspicere posset, occidentem versus oculos suos defixit, atque ideo quia in solis luce conspicienda primus fuit, idemmet votis omnium Rex proclamatus fuit. Ex qua historia non sine rationabili fundamento hæc potest deduci optima moralitas, nimirum eos qui dignitatum non orientem (id est, delicias, honores, thesauros, imperia et dominia) respiciunt, sed occidentem (id est, terminum, in quem tandem in fine resolvendi sunt) considerant, humilitatem in se conservare, et modestiam, seque ad illarum legitimam administrationem meritissimos reddere, maximeque idoneos. Unde S. Greg. ait : Lux miseris datur, quando, qui se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriæ potestatis accipiunt, et tolerare insuper honoris onera compelluntur. S. Petrus, Damianus superbos ad Magnatum mausolea spectanda hisce verbis invitat: Ubi sunt modo tot potentes sæculi, tot invictissimi Reges, et qui cœlo videbantur superextolli, et totam pene mundi latitudinem sub suæ potestatis imperio possidere? Nonne si ad horum sepulcra respicias, corpus illud, sub quo mundus tremere cogebatur, vix unius libræ pondus invenitur. JUSTIN. l. XVIII, *Hist.*

S. Isidorus et alii Patres decreverunt : Tantum ab ambitu debet esse sepositus Antistes, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi. Et paulo post subjungit : Profecto indignus est, nisi fuerit ordinatus invitus. S. ISID., op. 125.

Oleaster ad dignoscendum eum, qui imperiis gerendis idoneus sit, hoc infallibile signum esse statuit : Quemcumque videris sub præfectura quasi onere gemere, crede illum optime demandatum munus administrare; quem vero lætum ac gaudentem de hac re conspexeris, dicito illum utilitatem et vanitatem in dignitate quæsiisse. OLEASTER, in c. XI *Num.*

MISCELLANEA.

FUGA AMBITIONIS.

Curia dat curas; ergo si vivere curas,
Et bene secure, non sit tibi curia curæ.
(ENGELGR. in *festo S. Jacob.* § 2.

Quid sub dignitatibus lateat, recte nonnemo hoc distycho expressit.

Cur tibi crux triplex, Gregori, triplexque corona est?
Anne suam sequitur quæque corona crucem?
(Idem in *Dominica Palm.* § 1.)

Urbanus VII, quoties amiculum e subtili tela superinduebat, alto pectore ingemebat: Quis crederet, sub tam levi sindone tantum ponderis delitescere! Ibidem.

De S. Brunone aliquis geminos hos versus composuit;

Oblatum renuit sibi Bruno Pontificatum,
Cernens esse statum magnatum, raro beatum.
(ANONYM.)

DAMNUM.—Phavorinus philosophus aiebat ambitiosos esse partim ridiculos, quod ad majora aspirarent; partim odiosos, quod ea consequerentur; partim miserabiles, quod spe sæpius fallerentur. STOBÆUS, serm. II *de Provid.*

Timon vero vocabat ambitionem et avaritiam elementa malorum, eo quod ex illis omnia vitia, perinde ut omnia mixta ex elementis, generarentur. Idem, ser. VIII *de Instit.*

Recte de honoribus vitandis monuit Ovidius :

Vive tibi, quantumque potes, prælustria vita;
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
(OVID. lib. I *Trist.*)

Alphonsus, Rex Aragonum, asinos dicebat melioris esse conditionis quam Reges, siquidem illis clitellæ quandoque a dorso auferantur, his nunquam. FABER, conc. I, *in Festo S. Jac.*, n. 1.

Carolus quintus, Bruxellis principatum Belgii in filium suum Philippum secundum deponens, cum lacrymis dicebat : O fili, magnum tibi onus impono ! Ibidem.

Eremicola quidam juveni cuipiam cognato suo ad Episcopatum postulato præcepit, ut super mensam primum, dein in plana terra jacens, aliquoties se revolveret, et quænam

volutatio securior esset, inde colligeret. Qua instructione eruditus juvenis cum Episcopatum utpote periculis plenum refugisset, postea post mortem instructori suo gratia agens apparuit, dixitque : Scito, pater, quoniam nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum. Ibid. n. 2.

Robertus Holkot ambitionem equo histrionis cujusdam comparabat, qui doctus ab eo fuerat genua submittere, quoties ille : « Flectamus genua » dicebat; iterumque surgere ad verbum *Levate*. Quem cum famulus ei surripuisset, ipse eum insecutus ad equum in medio fluminis consistentem solita verba: « Flectanus genua » pronuntiavit; quibus auditis equus se et sessorem aquis immersit, et ad verbum *Levate* iterum surgens, sine famulo ad herum recurrit. Sic enim et mundus joculatur cum ambitiosis et ludicre honorem oblatum repetens possessorem cum ignominia deponit; unde Boetius in persona mundi sic talem ambitiosum alloquitur : Ascende, si placet, sed ea lege, ut ne, cum ludrici mei ratio postulat, descendere injuriam putes. Ibid. num. 3.

Dionysius, Rex Siciliæ, Damocli assentatori beatum ipsum prædicanti beatitudinem Regum demonstraturus in sella juxta mensam selectissimis cibis instructam collocari, sed simul e lacunari nudum gladium e seta equina super caput pendentem imminere jussit, ut ex hoc facto colligeret, in quanto semper timore, periculoque versarentur Reges et omnes alii in honoribus constituti, quamque omnes eorum deliciæ et felicitates per hunc timorem corrumperentur et fastidium generarent. Ibid.

Etiam illud ambitiosos non parum vexat, quod Seneca his verbis expressit : Ambitioso non tam jucundum est, multos post se videre, quam aliquem ante se habere molestum. Apud Fab. l. c.

Recte quoque cecinit Juvenalis :

> Quid Crassos, quidquid Pompeios evertit ? et illum,
> Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites ?
> Summus nempe locus nulla non arte petitus
> Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
>
> (Juvenal. *Sat.* x.)

AXIOMATA.

> Ecquid honos ? Onus est, et nil nisi sarcina quædam,
> Quæ nulla quemquam commoditate beat.
> Si quæratur honos, non fugiatur onus.
>
> (Buchlerus V *Honor.*)

Vis ut honoreris ? Virtutem fac venereris.

Honores mutant mores, sed raro in meliores. Idem.

Si re priveris, neque nomen habere mereris.

Hoc est regnare, nolle regnare, cum possis. Plinius.

Qui recte faciet, non qui dominatur, erit Rex.

> Tunc omnia jure tenebis,
> Cum poteris Rex esse tui.
>
> (Juvenalis.)

Imperare sibi, maximum est imperium. Seneca.

AUCTORES.

Jacobus Marchantius in *Horto pastorum*, et *Tuba Sacerd.* lect. v.

Joannes Busæus in *Panario* V. Ambitio.

Ludovicus Granatensis in locis commun, f. 593.

Thomas Stapletonus in *Promptuario Morali Domin.* 3 *Adv.* text. vi, et text. vi, in *Dom.* 16 *post. Pent.* et text. iii, in *Dom.* 2 *post. Pent.*

Laurentius Beyrlinck in *Promptuario Morali* text. iv, in *Festo SS. Innocentium*, et text. i, in *Festo S. Michaelis*.

Josephus Langius in *Polyant.* V. Ambitio.

Josephus Mansi in *Bibliotheca Morali*, tract. iii.

AMICITIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.— Est, juxta S. Thomam, amor mutuæ benevolentiæ, super aliqua communicatione fundatus. S. Thom. II, II, q. xxiii. a. 1.

Juxta S. Augustinum, est omnium humanarum, divinarumque rerum cum benevolentia et charitate summa consensio. S. Aug., epist. xlv.

Divisio. — Dividitur a S. Thoma in: *Naturalem*, quæ inter Patrem et Filium, cæterosque consanguineos inter quos communicatio rerum ad naturam pertinentium esse debet, reperitur ; *Domesticam* vel *Œconomicam*, quæ est inter Domesticos in his, quæ

ad domum dispensationem pertinent ; *Civilem* vel *Politicam*, quæ inter Concives invenitur per operum civilium communicationem; *Divinam*, qua homines in uno corpore Ecclesiæ communicant inter se et cum Deo. S. Th., l. c.

Actus. — Primus est *Benevolentia in affectu*, per quam amicus propter se, et non propter sua bona diligitur; nam, teste S. Ambrosio, virtus est amicitia, non quæstus, quia non pecunia paratur, sed gratia. S. Ambr., l. III *de Off.*

Concordia in sensu ; nam in amicis non res quæritur, sed voluntas, ut sapienter S. Hieronymus dixit : Eadem velle, et eadem nolle, firma amicitia est. S. Hier. *ad Demetr.*

Beneficia in effectu ; seu communicatio bonorum ; quam ob causam amicorum omnia bona communia dicuntur. Arist. l. VIII *Eth.*

Fides et Constantia in adversis ; nam ut S. Augustinus recte pronuntiavit : Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio. S. Aug. lib. XII, qq.

Et, ut Cassiodorus ait : Qui vere amicus est, omni tempore diligit ; nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. Cassiod. in Epist.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Omni tempore diligit, qui amicus est ; et frater in angustiis comprobatur. Prov. xvii, 17.

Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut et in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius, permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis. Eccl. xxii, 28.

Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget : si humiliaverit se contra te, et a facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam. Eccl. vi, 11.

Utilitas. — Amicus fidelis protectio fortis : qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est ponderatio digna auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis, et qui metuunt Dominum, invenient illum. Ib. 14.

Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur. Prov. xxvii, 9.

Beatus, qui inveniet amicum verum. Eccl. xxv, 12.

Falsitas. — Est amicus secundum tempus et non permanebit in die tribulationis. Est autem amicus socius mensæ et non permanebit in die necessitatis. Eccl. vi, 8 et 10.

Sicut noxius est, qui mittit sagittas et lanceas in mortem; ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus, dicit : Ludens feci. Prov. xxvi, 18.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Vera illa amicitia est, et Christi glutine copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor et divinarum scripturarum conciliant studia. S. Hier. in epist. *ad Paulinum.*

Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera. S. Ambr. *de Offic.*

Amicitia parem aut facit aut accipit. Ubi inæqualitas, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia, quam adulatio est. S. Hieron. *sup. Mich.*

Necessitas amicum probat, et intimæ charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat. Cassiod. in qu. *ad ep.*

Amicitia tanto certior est, quanto vetustior ; quia facile mutari non potest, quod per longa sæcula custoditur. Idem.

Non potest homo homini esse amicus, qui Deo fuerit inimicus. S. Ambr. apud Engel. emb. xiii.

Quid est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas, atque applices, et ita misceas, ut unum velis fieri e duobus ; cui te tamquam alteri tibi committas, a quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui inhonestum petas ? Non enim vectigalis amicitia, non quæstus, quia non pecunia quæritur, sed gratia ; nec licitatione pretiorum, sed benevolentiæ. S. Amb. l. V *de Offic.* c. ult.

Virtus est amicitia, non quæstus. Amb. l. III *de Offic.*

Habet vera amicitia nonnunquam objurgationem, adulationem nunquam. Bern. Ep. xxiv.

De amicitia omnis tollenda est suspicio, et sic cum amico tanquam cum astro se est loquendum. Hieron. in Epist.

Ubi amicitia permanet, nihil facile credi-

tur, nihil facile recipitur, quod dissidium possit operari. Chrysost. *super Mat.*

Novæ dignitates veteres solent amicitias mutare. Cassiod. in quadam epist.

Amicitia amoris est vinculum. Chrysost. in dicto *Joann.* : *Vos Amici mei.*

Amicitia nescit superbiam. Ambros. l. III *de Offic.*

Necessitas. — Sine amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine quorum solatio vivere, esset mori. Cassiod. in Epist.

Utilitas. — Solatium hujus vitæ est, ut habeas, cui pectus aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur; facilis vox et communis : *Totus sum tuus*, sed paucioris est effectus. S. Ambros. l. III *de Offic.*

Amicitia et prosperas dulciores facit, et adversas communione temperat, et leviores reddit; quia dum in tribulatione amici consolatio adjungitur, nec amicus frangitur et minus eadem patitur. Ibid. l. III *de Summ. Bon.*

EXEMPLA SACRA.

Jonathas dilexit David quasi animam suam, quia anima illius erat conglutinata animæ David; hinc et expoliavit se Jonathas tunica sua, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum. I Reg. xvi i, 1.

Cum in navigatione Indica, fracta navi plerique in lembum adhærentem insiliissent, et propter periculum submersionis decretum esset, aliquot homines in mare ejicere, et præter alios etiam sors Gasparem Ximenium tetigisset, Ferdinandus, frater ipsius junior, dixit, non passurum se, ut Gaspar ejiceretur, sed se potius vicarium caput offerre; atque adeo nequicquam urgente fratre, ut ipse velut sorte destinatus in aquas produceretur, persuasit, ut in undas abjiceretur. Sed quia a Deo roboratus, totum pene diem per 360 passuum millia natando lembum secutus est, tandem placato mari a vectoribus iterum in lembum receptus est. Rhod. *Hist.* l. IV, c. iv, § 15.

In Belgio, cum vir quidam insignis in extrema lucta, in primis uxorem, deinde filios et filias, et demum servos et ancillas rogasset, ut opem ferrent, et singuli responderent, non esse hoc in sua potestate, in has voces et gemitus erupit : O vanas hominum curas ! O quantum est in rebus inane ! Ecce ego tibi, uxor, vobis, o filii et filiæ, laboravi, sudavi, vires et valetudinem impendi, quin et animam meam forte oppignoravi, et ecce hæc est merces mea, ut in hora novissima implorem opem vestram, et non inveniam ! O quam satius fuisset, si Deo servissem ! Si amicos in terra, et in cœlis mihi comparassem, qui in hoc articulo mihi adessent ! O si vivere liceret, quam saperem ! Engelgr. p. II, *Luc. Evang.* Embl. xiii, § 3.

Quidam moribundus cum calicem amaræ potionis tremula manu teneret, et quidam ex adstantibus cum hortaretur, ut amicissimo calicem hunc propinaret, Christum e Cruce pendentem intuitus dixit: Tibi amicorum meorum dilectissimo hunc calicem propino, qui salutis meæ causa calicem passionis epotasti. Ibid.

EXEMPLA PROFANA.

Pericles amico roganti, ut pro se falsum testimonium diceret, se quidem amicum esse dixit, sed ad aras usque. Plutarc. l. *in Apoph.*

Rutilius, cum amico injustum quid petenti negasset, et is diceret : Quid ergo tua mihi opus est amicitia, si quæ peto, non impetrem? Respondit : Quinimo quid tua mihi prodest amicitia, si inhonesta propter te facere cogar? Val. Maxim l. VI, c. iv.

Scipio dabat operam, ne aliquando a foro rediret domum, priusquam aliquem eorum in quos incidisset, sibi familiarem et amicum effecisset, sentiens nullam esse homini possessionem meliorem. Plutarc. *in Apoph.*

Dionysius senior admiratus egregiam fidem Damonis et Pythiæ (quod scilicet Damon ad mortem damnatus, cum facultatem impetrasset domum prius eundi et res suas componendi, et Phytias interea vadem se obtulisset, ad constitutum tempus redierit): Rogo, inquiebat, ut me quoque in amicitiam vestram recipiatis; simulque vitam damnato donavit. Erasm. l. V *Apoph.*

Epaminondas dicere solitus erat, non prius optimo viro interdici discedendum e foro esse, quam sibi aliquem novum amicum conciliaret. Ælian. l. XIII.

Philippus, Macedonum Rex, Hiparchi Euboici mortem cordicitus ægre tulit; dicente vero quodam, attamen mature ac tempestive mortuus, et statim respondit: Mihi certe nimis propere; prius enim diem obiit quam a me dignam amicitia nostra gratiam receperit. GUIDO *Exemplorum* lib.

Brutus fugiens a Mutina, ut ad se interficiendum ab Antonio missos equites advenisse cognovit, quodam in loco justæ pœnæ debitum spiritum tenebris furari conabatur, eoque jam facta irruptione, Terentius fideli mendacio obscuritate ipsa suffragante, Brutum se esse simulavit et corpus suum trucidandum equitibus objecit. Verum cognitus a Furio, cui Brutianæ ultionis officium mandatum fuerat, nece sua amici supplicium discutere non potuit. Sic invitus, fortuna cogente, vixit. MAX. l. IV.

Ultimo prælio quod in Philippicis campis commissum fuit, Brutum fugientem barbari equites Antoniani graviter insequebantur; quod conspicatus Lucilius, dum Brutum se fingit esse, insequentes tamdiu remoratus est, ut Brutus ab eis longe abesset; capto igitur Lucilio, Antonius ad quem is perducebatur, obviam se lætitiæ plenus Brutum esse arbitrabatur, præbebat. Cum autem Antonio Lucilius jam ita propinquus esset, ut invicem audiri possent, magna voce exclamavit: Antoni! ne unquam Brutum virum vinctum expecta; ego cum hos Brutum insequi equites cernerem, Brutum me finxi, ut is fugiendi tempus haberet; et ita ad te perductus sum eo animo, ut quæcumque in me statueris perferam. Quare attonitus Antonius tantæ amicitiæ reverentia, Lucilium servavit atque in amicorum numero habuit. B. FULG. l. IV.

Res illa, qua Demetrius erga Mithridatem amicum et comitem usus est, non mediocris amicitiæ argumentum fuit. Nam cum a patre Antigono accepisset, se somniis monitum, statuisse Mithridatem occidere; quanquam jurejurando pater eum astrinxisset, ne cui eam rem aperiret, pluris amicitiam quam sacramenti religionem, aut paternum imperium fecit; spaciatum enim e more cum Mithridate profectus, aliquantisper ab aliis secedens, hasta, quam manu tenebat, in terra descripsit: Fuge, Mithridates. Quam rem is ut prudens cum vidisset, nocte proxima profugit in Cappadociam, ubi ipse posterique ejus postea diu regnarunt. BAPTIST. FULG. l. IV.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut equi virtutem in bello exploramus; ita amicum in calamitate et infortunio probamus. MAX. s. VI.

Sicut diligenter compingitur navis, quæ variis in tempestatibus usui est futura; ita diligenter prius probandus est amicus, quo quis constanter est usurus. PLUTARC. in *Moral.*

Sicut suavius est antiphonum, quam si vox eadem semper audiatur; ita jucundior est amicus ita concordans, ut tamen interdum, ubi opus est, dissideat, quam adulator per omnia semper assentiens. SENEC. in *Simil.*

Sicut oculus unus verti non potest, nisi et alter ad idem objectum vertatur; ita inter amicos, quidquid unus voluerit idem et alter volet. S. CYPR. *De singul. Cleric.*

Sicut cervi per fluvium natantes capita tergo antecedentis imponunt; ita et amici, ut commodius per mare hujus mundi transeant, onera sua amicorum humeris imponunt. S. AUGUST. s. XXI, *de Verb. Ap.*

UTILITAS. — Sicut medicus ægrum etiam non sentientem sanat; ita amicus, etiamsi ignoretur, amicum juvat. PLUTARC. in *Moral.*

Sicut apem propter aculeum non odio habemus, sed potius propter fructum toleramus; ita amicum propter amicam objurgationem non aversari, sed potius propter benevolentiam amare oportet. CATO, apud MAX. s. VI.

FALSITAS. — Sicut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt; sic amici falsi sereno tempore præsto sunt, at simul ubi fortunæ hyemem viderint, aufugiunt. CICER. l. IV *ad Heren.*

Sicut baculi arundinei, dum eis inniti volumus, franguntur; ita amici falsi, dum opem eorum expetimus, non juvant. FAB. con. XIV, *in Ser.*

Sicut argentum vivum, licet auro sit arctissime copulatum, in igne tamen id deserit; ita amici falsi, etsi viventi amico fortissime adhæserint, morientem deserunt. Ibid.

MEDIA.

Timor Dei; juxta illud Siracidis: Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam,

quoniam secundum illum erit amicus illius. Eccl. vi, 17.

Mansuetudo et affabilitas ; juxta illud ejusdem Siracidis : Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. Ib. 3.

Communicatio bonorum ; sic Antalcidas docuit, qui interrogatus, quo pacto quis amicos sibi facere posset ? Respondit : Si loquatur illis jucundissima, et utilissima præstet. Plut. in *Lacon.*

Hinc communis persuasio orta, amicitiam tribus foveri, pileo (obvium amico salutando) charta (litteras scribendo) et vitro, (haustum amico offerendo ;) uti olim Alphonsus, Rex Aragoniæ, dicere solebat.

Tolerantia malorum pro amico susceptorum ; hinc de SS. Martyribus canit Ecclesia : Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt. Engelgr. embl. xiii, §. 1.

Consensio voluntatum ; hinc Christus dixit Apostolis : Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Joann. xv, 14.

ASCETICA.

Duo sunt, quæ Asceta specialiter circa amicitiam observare debet. Primum est, ut sciat, quænam potissimum amicitia quærenda et conservanda sit, ea scilicet, de qua pius asceta sic loquitur : Sine amico non potes bene vivere ; et si Jesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis et desolatus. Thom. Kemp. l. II, c. viii.

Ob binam autem causam hic præ cæteris in amicum est eligendus. Priorem idem auctor indicat, dum ait : Dilectio creaturæ fallax et instabilis ; dilectio Jesu fidelis et perseverabilis. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili ; qui amplectitur Jesum, firmabitur in ævum. Illum dilige, et amicum tibi retine, qui omnibus recedentibus te non relinquet, nec patietur in fine perire. Teneas te apud Jesum vivus et moriens, et illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus, solus te potest juvare. Posteriorem S. Augustinus his verbis indicavit : Nihil delectabilius Deo ; nam in homine sunt, quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam. Dei amicitia, quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur a te, non invenies. Et non est Deus, qui te offendat, si tu eum non offendas ; nihil eo pulchrius, nihil dulcius. S. Aug. l. L *Hom.* xxxviii.

Hinc alibi idem auctor sic animam alloquitur : O anima mea, dilige eum, a quo tantum dilecta es. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturæ tuæ cum omnes amici tui recedent a te, ille te non derelinquet, sed tuebitur a rugientibus præparatis ad escam. Idem in *Manual.* c. xxiv.

Quanti vero æstimanda sit hæc amicitia paucis sed efficacibus verbis indicavit S. Gregorius, dum exclamavit : O mira divinæ bonitatis dignatio ! Servi digni non sumus, et amici vocamur. Quanta dignitas est hominum, esse amicos Dei ! S. Greg. ap. Eng. embl. xiii, §. ult.

Porro quibus mediis hæc amicitia procuranda et conservanda sit, pulchre indicavit libellus de Imit. Christi, dum ait : Magna ars est, scire cum Jesu conversari, et scire Jesum tenere, magna prudentia. Esto humilis et pacificus, et erit tecum Jesus. Sis devotus et quietus, et manebit tecum Jesus. Potes cito fugare Jesum, et gratiam ejus perdere, si volueris ad exteriora declinare. Etsi illum effugaveris et perdideris, ad quem fugies, et quem tunc quæres amicum ? Nonne hoc est majus damnum, quam si totum perderes mundum ? Quid potest tibi mundus conferre sine Jesu ? Lib. II, c. viii.

Alterum est, ut norit discernere et fugere particulares et noxias amicitias, quod ut tanto certius præstet, primo, nosse in genere debet, quænam particulares et noxiæ amicitiæ dicendæ sint, scilicet omnis illa, cujus causa et fundamentum non est Deus. De qua clarius locutus S. Basilius : Charitatem quidem, inquit, habere inter se mutuam debent fratres, non ita tamen, ut duo, tresve seorsim a cæteris sodalitatem ineant. Basil. c. xxx *Constit. Mon.*

Quandoquidem hoc non charitas, sed carnalitas, sed seditio et divisio foret et eorum, qui sic coeunt, improbitatis judicium. Secundo nosse debet species harum amicitiarum, quarum tres enumerat Alphonsus Rodriquez, p. I, tr. IV, c. v et seqq.

Prima est eorum qui ob similitudinem naturæ, aut amabilitatem, formamque corporis se mutuo plus quam alios diligunt. Altera eorum, qui certis quibusdam personis, a quibus promotionem ad honorata officia sperant, adhærent, eorumque gratiam et favorem variis obsequiis aucupantur. Tertia et pessima est eorum, qui inter se coeunt ad novitates in Religionem inducendas, et constitutiones ejusdem convellendas, de quibus

proin jure dicatur illud Canticorum: Filii matris meæ pugnaverunt contra me. CANT. I, 6.

3. Nosse debet indicia, per quæ cognosci possunt ejusmodi amicitiæ, quæ quidem clare S. Laurentius Justinianus, sequentibus verbis indicavit: Hic amor, cum in corde imprudentis exortus radices mittere ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem habitare, cum eodem loqui desiderat. Sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentia contristatur. Solus vult cum eo, quem diligit sensualiter, loqui; solus cum eo conversari, quia in illius mente habitare jam cœpit; livore quippe invidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, et cum eodem conversari prospexerit. Absentiam etiam ipsius, magnam sibi delectationis jacturam æstimat. Sicut enim amat singulariter, ita et amari vult, atque cæco seductus errore ignorat, se vesano amore percussum. S. LAUR. JUSTIN. *De dis. monast.* . c. XXII.

4. Nosse debet damna, quæ ex talibus amicitiis oriri solent, et ad tria fere capita revocari possunt, dum scilicet Deo subtrahitur debitus amor, aut certe in creaturas dividitur; quam ob causam, ut observavit S. Chrysost. Christus post resurrectionem suam non est versatus cum Discipulis quadraginta diebus, sed per quadraginta dies; advolabat enim, ac devolabat rursum. Cur ita tandem? Subducebat animos illorum ad altiora, nec patiebatur illos similiter erga ipsum sic affectos esse, quemadmodum prius fuerant. Siquidem sic erant affecti, ut admodum ægre ab illo divellerentur. Unde et consolans illos dicit: « Expedit vobis, ut ego vadam. » S. CHRYS. hom. I, *in Acta Ap.*

Deinde ipsi quoque *Communitati* seu *Religioni* graviter nocent; nam inducunt varias divisiones, clancularios congressus, conspirationes, odia, suspiciones, invidias, inimicitias, atque adeo deterrima pestis Religionum merito vocantur. Denique iis ipsis, qui eos fovent, nocent gravissime, dum et omni merito eos privant (nam teste D. Thoma, dilectio amicorum apud Deum mercedem non habet, quando propter hoc solum amantur, quia amici sunt) et gratiarum divinarum influxum impediunt. S. THOM. V, II, qu. XXVII, a. 7 ad 1.

Nam si, ut bene discurrit S. Bernardus, Apostoli carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta erat, Spiritu Sancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ (et carnalibus sociis) adstrictus et conglutinatus illum meracissimum Spiritum ne putes te posse suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris. S. BERN. s. *de Asc.*

Id quod bene advertit S. Gertrudis, hinc cavebat maxime in verbis, ne cujusquam hominis cor sibi attraheret, neve in hujus se amicitiam insinuaret, unde quavis post occasione retraheretur. Omnem enim amicitiam humanam, cujus advertere potuit causam, fundamentumque non esse Deum, ut virus lethale abhorrebat, malebatque obsequiis ac beneficiis cujuscumque carere, quam admittere ut humano secum favore cor cujusquam esset occupatum. L. I *Inst.* c. VII.

Ejusdem animi Joannes de Luca ex ordine S. Francisci erat, qui cum a quodam interrogatus fuisset, cur tantopere Fratrum consortium vitaret? respondit: Id se ob ipsorum bonum facere; quanto magis enim ipse Deo unitus foret, tanto plus eorum commodis se prospecturum; teneriores vero cum iis amicitias a Deo retrahere, adeoque sibi et ipsis officere. RODRIQ. p. 1, tr. IV, c. XVIII.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Vera amicitia tria requirit maxime: virtutem tanquam honestam, familiaritatem ut jucundam, et usum tanquam necessarium; nam ubi judicas amore dignum recipere debes, et congressu lætari, et uti, si eges. MAX. s. *de Amic.*

Si aliquem amicum existimas, cui non tantum credis, quantum tibi, vehementer erras, et non satis nosti vim veræ amicitiæ, inquiebat olim Seneca. SENEC. ep. III.

Tarquinius Superbus exul factus dixit, se tum denique cognovisse, quos fidos amicos haberet, quos infidos, cum neutris gratiam referre posset. ERASM. l. VI *Apoph.*

Recte cecinit Poeta:

> Donec eris felix, multos numerabis amicos;
> Tempora si fuerint nubila, solus eris.
>
> (OVIDIUS.)

Cum quondam hirundo ad matrem dixisset, se turdum perquam commodum amicum reperisse, respondit mater: Erras, o filia, nam male tecum conveniet, cum tu calorem, ille frigus amet; tu ver sequaris, ille brumam petat. LANGIUS, in *Polyant.*

Cum carbonarius quondam fullonem ad

ædes spatiosas secum inhabitandas invitaret, negavit id fullo dicens: Quid commercii nobis esse potest, cum, quæ ego eluendo nitida effeci, tu fuligine obusces? Ibid.

Cato censorius in annulo hoc symbolum gestabat : Esto amicus unius et inimicus nullius. PLIN. in Ep.

Vere Ovidius cecinit :

> Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,
> Vulgus amicitias utilitate probat.
>
> (OVID. l. II *de Pont.*)

Non male gemini illi aulici, teste S. Augustino, discurrerunt, qui considerantes quanto molimine gratia Principum acquiratur et conservetur, ad se mutuo dixerunt : Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Amicus autem Dei esse, si voluero, ecce jam fio. S. AUGUST. *Conf.*, c. XXIV.

Lilius Giraldus sic amicitiam depinxit : Juvenis stabat detecto capite, rudi tunica indutus, in cujus fimbria scriptum erat *vita* et *mors*, in fronte *æstas* et *hyems*; habebat que latus apertum, digitum vero cordi intentum cum hac epigraphe : *longe* et *prope*. Cujus figuræ hæc erat expositio : Juvenis significabat amicitiam semper florentem esse debere ; nudum caput indicabat nihil aliud quam amici bonum quærendum ; rude indumentum, tolerantiam laborum; vita et mors, societatem perpetuam; æstas et hyems, prospera et adversa; latus apertum, candorem et simplicitatem; nudum cor sinceri amoris exhibitionem; longe et prope, ejusdem in omni loco constantiam significabat. ENGELGR., Embl. XLV, P. II, § 2.

Interrogatus quidam, quid esset amicus? respondit : Alter ego. Unde et Cicero dixit : Est is amicus quidem, qui est tanquam alter idem, alterum enim acquirit, cujus animum ita cum suo commisceat, ut efficiat pene unum ex duobus. Hinc Sysigambi, Darii uxori, Hephestionem pro Alexandro salutanti, et cognito errore deprecanti, respondit Alexander : Non errasti, nam et hic Alexander est. Ibid.

NECESSITAS.— Recte dixit Sallustius : Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt, sed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio et fide parantur. SALLUST. in *Jugurt.*

DIGNITAS. — Nec male S. Gregorius Nazianzenus dixit :

> Fidis amicis nil puta præstantius,
> Quos casus asper parturit, non pocula.
>
> (Apud ENGELG. embl. XLIII, § 2.)

JUCUNDITAS. — Excepta sapientia, inquit Cicero, nihil melius datum est homini a Diis immortalibus quam amicitia. Quid enim dulcius quam habere, cum quo omnia audeas sic loqui ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æque ac tu ipse gauderet? Adversa etiam ferre difficile esse sine eo, qui illa gravius etiam quam tu ferret. CICERO *de Amicitia.*

Nihil æque ægrum reficit, quam amicorum affectus : non judico me mori, cum illos superstites reliquero; puto, inquam, me victurum non cum illis, sed per illos. SENEC, ep. LXXIX.

FALSITAS. — Vere de falso amico cecinit Martialis :

> Hunc, quem vina tibi, quem mensa pararit amicum,
> Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
> Vinum amat, et cyathos, et sumina, et ostrea, non te :
> Sublato vino nullus amicus erit.
>
> (MART. l. II.)

Antigonus Diis sacrificans precabatur, ut se a simulatis servarent amicis; cumque quis interrogaret, cur hoc peteret? respondit : Quia hostes, cum cognosco, caveo. MAXIM. s. *de Amicit.*

Pulchre falsos amicos a veris discernere docuit Barlaam, dum dixit, fuisse quempiam, qui ex tribus quos habebat amicis, duos omni benevolentia prosequebatur, tertium nihili faciebat. Quem tamen, ubi ad judicem citatus opem petiit, solum fidelem patronum et comitem expertus est, cum primus non nisi vestem obtulerit, secundus ad parvum dumtaxat intervallum commitatus est. Ex his autem amicis Barlaam primum divitias, secundum uxorem et reliquos consanguineos, tertium opera bona significare dixit. *Vita* BARLAAMI, c. XIII.

AXIOMATA.

Amicorum omnia sunt communia.

Mores amici noveris, non oderis.

Novos parans amicos, ne obliviscere veterum.

Neque nulli sis amicus, neque multis.
Amicus certus in re incerta cernitur.

Tempore felici multi numerantur amici,
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.

Ubi opes, ibi amici.

AUCTORES.

Aristoteles in *Magnis moralibus.*
Cicero in *Lælio.*
Josephus Langius in *Polyant.* V. eod.
Franciscus Petrarcha l. I Dial. L, et seq.,
Matthæus Tympius in *Mensa Theologo-Philosophica.*

Henricus Engelgrave p. II. *Lucis Evang.* embl. XIII et VL.

Alphonsus Rodriquez *De particularibus amicitiis.* p. I, tr. IV, c. XVIII, XIX et XX.

Adrianus Leyræus l. III *Apopht.* I, *De part. amic.*, ubi hoc axioma S. Ignatii explicat : Ut inter homines tuto verseris, æquus sis omnibus, nemini obnoxius.

S. Franc. Salesius in *Introd. ad devot. vitam,* p. III, c. XVII, XIX, XX, XXI et XXII, ubi totam hanc materiam egregie pertractat, et quomodo vera amicitia a falsa discernenda sit, solide ostendit.

Bernardinus Rosignolius *De disciplina Christ. perf.* l. IV, c. XXVII. PYTH., apud GELLIUM; LANGIUS in *Polyanth.* V. eod. TULLIUS BUCHLER. V. eod. *Florileg. polit.*

AMOR SUI.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum; unde alio nomine amor concupiscentiæ vocatur, ad distinctionem amoris amicitiæ, quo bonum voluntas appetit, non ut proprio, sed alieno subjecto bonum et conveniens est.

DIVISIO. — Dividitur in *bonum* et *malum*, seu *communem* et *proprium*. Communis et bonus est, quando homo seipsum et alia propter Deum amat; atque ideo *communis* vocatur, quia idem est cum amore, quo Deus ejusmodi objecta amat. Proprius et malus est, quando homo in se aliisque rebus amandis, seipsum finem amoris statuit; hinc amor iste *proprius* vocatur, quia in propriam personam desinit; *malus* vero seu *perversus* appellatur, quia quantum est in se, pervertit ordinem, quem Deus secundum divinam suam providentiam homini, cæterisque creaturis præscripsit, ut nimirum ad se tanquam ultimum finem omnia tendant, et in se desinant. JULIUS. FAT. c. VI, consid. V.

De quo amore S. Augustinus sic loquitur: Duo amores, alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non se simul in uno capiunt peccatore, et ideo si quis præter te aliud diligit, non est charitas tua, Deus, in eo, amor dulcedinis et dulcedo amoris, amor non crucians, sed delectans. S. AUG. in *Medit.*

S. Thomas, post Aristotelem, dividit amorem sui in *exteriorem*, seu secundum partem irrationalem et sensitivam (qualis est bonorum corporalium et temporalium, puta divitiarum, honorum voluptatum corporis etc. amor) et *interiorem*, seu secundum partem rationalem, quo bona æterna et spiritualia appetuntur; unde dicit S. Doctor, amare seipsum, quantum ad exteriorem hominem, est vituperabile ; sed quantum ad interiorem est laudabile. S. THOM. in III, dist. XXV, q. I, a. 6.

ACTUS AMORIS SUI VITIOSI. — Se pro fine habere.

Nolle premi, aut subesse.

Pro suo commodo semper laborare.

Honorem et reverentiam desiderare; confusionem vero, et contemptum timere.

Otium et quietem corporalem amare.

Appetere curiosa et pulchra, abhorrere a vilibus et grossis.

Gaudere ad lucra terrena, tristari de damno.

Amare propria et privata, inclinare ad vanitates et discursus.

Solatia sensibilia venari.

Gaudere de multis amicis et propinquis, gloriari de nobili loco et ortu generis.

Arridere potentibus, blandiri divitibus, applaudere sibi similibus.

De defectu et molestia cito queri.

Appetere scire secreta et nova audire ; velle exterius apparere, et multa per sensus experiri.

Desiderare agnosci et agere, unde laus et admiratio procedit. TH. KEM., l. III, c. LIV.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. I Cor. II, 14.

Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. ROM. VII, 18.

Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. Ibid. 21.

Ego ipsemet servio legi Dei, carne autem servio peccato. Ibid. 25.

Sensus et cogitatio hominis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. GEN. VIII, 21.

DAMNUM. — Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. JOAN. XII, 15.

In novissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, voluptatum amatores magis quam Dei. I TIM. III, 1.

Qui delicate a pueritia nutrit servum suum (amorem proprium, aut carnem suam) postea sentiet eum contumacem. PROV. XXIX, 21.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Sic condita est mens humana, ut nunquam sui non meminerit, nunquam se non intelligat, numquam se non diligat. S. AUG. c. XIV, *de SS. Trin.*

FUGA. — Dominus communi disciplina, communi vita, communibus studiis delectatur. Usquequo, miser, diverticula captas, et consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas? Et quid faciam, inquis? Ejice ancillam et filium ejus. S. BERN. in Serm.

Magna sane ac mira sententia, quemadmodum fit hominis in vitam suam amor, ut pereat; odium, ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Noli amare ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. S. AUG. tr. LVII *in Joann.*

Melior ac sanctior nostri amor locum in nobis accipiat; non enim fuerit, quo intret ad te amor Dei, nisi exulet amor tui. Ubi seipsum aliquis quærit, ibi ab illo amore cadit, solus namque hic dominari vult, qui præcipit, ut feraris in Deum ex toto corde et tota anima. Parem non accipit, gloriosæ indolis est, totum deposcit, ut totum tibi largiatur. TH. KEM. l. III, c. V.

DAMNUM. — Stipendium amoris proprii mors est, initium omnis mali. S. BASIL. ap. LYRÆUM l. II *Apoph.* I.

Amor sui, est corporis ratione carens amicitia, ex qua quidem nascitur gulositatis ratio, et inanis gloriæ cupiditas. Ex his autem nascitur universus malorum numerus. MAXIM. ap. GRAN. loc. com. f. 637.

Valde claudit oculum cordis amor privatus. S. GREG. h. IV *in Ezech.*

Prima hominis perditio fuit amor sui; si enim se non amaret, et Deum sibi præponeret, Deo semper esse subditus vellet; non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, et faciendam voluntatem suam. Præpone his voluntatem Dei, disce amare te, non amando te. S. AUG. s. XLVII, *in* c. XXVII *Matth.*

Si totum hominis bonum est amare Deum, totum hominis malum est amare seipsum. S. AUG. c. XXVI *Man.*

Tanto amplius se quisque amat, quanto amplius se pro Dei amore non amat. S. LEO apud LYRÆ. l. II *Apoph.* II.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Scito quod amor tui ipsius magis nocet tibi quam aliqua res mundi. Secundum amorem et affectum, quem geris, quælibet res plus vel minus adhæret. L. III, c. XXVII.

Si quæris hoc vel illud, et volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum et proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liber a sollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus et in omni loco erit, qui adversetur.

Ex hoc vitio, quod homo semetipsum nimis inordinate diligit, pene totum pendet, quidquid radicaliter vincendum est, quo devicto et subacto malo, pax magna et tranquillitas erit continuo. L. III, c. LIII.

Qui libere mecum ambulare desiderat necesse est, ut omnes pravas et inordinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ privato amore concupiscenter inhæreat.

Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est; si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc longe est; et si habuerit virtutem magnam et devotionem nimis ardentem, adhuc multum sibi deest, scilicet unum, quod summe sibi necessarium est. Quid illud? ut omnibus relictis se relinquat, et a se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat. L. II, c. XI.

Fili, oportet te adhuc multa discere, quæ necdum bene didicisti. Quæ sunt hæc, Domine? Ut desiderium tuum ponas totaliter secundum beneplacitum meum, et tui ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator. L. III, c. XI.

Si temetipsum perfecte viceris, cætera facilius subjugabis. Perfecta victoria est, de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat mihi, hic vere victor est sui et dominus mundi. L. c. LIII.

EXEMPLA SACRA.

S. Franciscus Salesius, ut de ipso confessarius testabatur, usque adeo omnem commodi et incommodi rationem negligebat, ut dicere solitus sit, se, si vel levem aliquam amoris proprii festucam in corde suo residuam nosset, illico eam ferro flammaque persecuturum. *Vit.* l. IV, 5.

B. Angela de Fulginio plus ab amore proprio, quam ab ipso dæmone sibi metuebat, ut qui, nisi per eum, nihil in nos potestatis habeat; per eum vero, quasi vulpeculam semper e grege nostrorum affectuum pecus aliquod abripit. Hinc dicere solebat: Filii charissimi, nihil est in hoc mundo, nec homo, nec diabolus, nec aliqua res alia, quam tantopere habeam suspectam, quantum hunc amorem. Mentem namque penetrabilior omni gladio ancipiti transit, ac cor totum pervadit; et, nisi coerceatur, animam millenis calamitatibus invadit. *Vit.* c. LXIV.

Fredericus Imperator, victis in Hungaria Gunziensibus, magnum, inquiebat, actum est opus, nunc autem majus restat, ut scilicet vincamus nos ipsos atque avaritiæ et ulciscendi nos cupiditati frenos injiciamus, quo fiat ut de privato publicus, de falso verus nostri amor triumphet. LYRÆUS l. II *Apoph.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius adeo puram in se charitatem aluit, ut omnem sui ipsius amorem prorsus a se amandaverit. Hinc sciscitanti cuipiam, quæ optima esset via in studio virtutum proficiendi, respondit: Hoc unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius et commodi proprii affectione sese abstraxerit. Propterea in Constitutionibus gravissimum et capitalem omnis ordinis et unionis hostem appellabat. BARTOLUS, l. IV *Vit.* § 27.

S. Franciscus Xaverius constanter bellum proprio amori indixit; hinc omnis cibi potionisque modus naturali necessitate, non voluptate finitus, ita ut ne pane quidem expleret famem. Hinc assiduo in ore habebat, suisque inculcabat: Vince teipsum. Causamque tam frequentis repetitionis rogatus, respondit: Quia hoc præceptum S. P. Ignatii est; et si fiat, sufficit. LYRÆUS l. II *Apoph.* XI.

S. Franciscus Borgia, quidquid amori proprio contrarium erat, sive in victu, sive in habitatione, sive in officiis, avide desiderabat, sollicite exquirebat, et cum gaudio amplectebatur, ex quo studio maximos ad omnem virtutem progressus fecit.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut vulpes mortuam se simulat, ut gallinas occupet: canis latratum imitatur; ut custos pecoris, non hostis existimetur; sic philautia affectus suos sopit, et charitatis vocem ac larvam mentitur. Hinc sponsa ait: Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas nostras. CANT. II. 15.

DAMNUM. — Sicut apes, quia mel suum summopere amant, ad alvearia propius accedentes efferatæ invadunt et aculeo figunt; ita qui sibi, suisque voluptatibus serviunt, omnes, qui in earum fruitione obsistunt, impetunt ac vulnerant.

Sicut Cæcias ventus nubes ad se cogit, nec tamen depluere sinit; sic amor proprius omnia ad se rapit, nec tamen quidquam aliis impertitur.

Sicut ferrum nulla re magis atteritur et destruitur, quam rubigine, quam producit ex seipso et fovet; ita nihil est, quod ita ani-

mam debilitet enervetque in via spirituali, ac rubigo proprii amoris, quam ipsa ex se producit, et in se fovet ac nutrit. JULIUS FAT. VI *de Mor.* consid. III.

MOTIVA.

AD AMOREM SUI EXUENDUM. — *Quia amor sui impedit cultum Dei* nam quantum est in se adimit ei divinitatem, utpote cujus solius est omnia ad se tanquam finem dirigere. Hinc ab aliquibus philautia species idololatriæ appellatur. STAP. conc. X, *in Dom.* 1 *Quadr.*

Quia impedit proprium profectum ; hinc Thomas Kemp. monet : Si ad hunc apicem (perfectionis) scandere gliscis, oportet utiliter incipere et securim ad radicem ponere, ut evellas et destruas occultam inordinatam inclinationem ad teipsum, et ad omne privatum et materiale bonum. L III, c. LIII.

Quia impedit Religionis augmentum et pacem ; cum nihil adeo charitatem et unionem dissolvat, quam proprii et privati commodi amor. Hinc S. Thomas amorem proprium fontem omnis mali vocabat, ex quo,quamdiu fluxerit, nihil aliud quam exitium ac pestis timenda sint. S. TH. II, II, qq. LXXVII, a. 14.

MEDIA.

AD EUMDEM FINEM. — *Radicis extirpatio* ; juvat enim, ut recte notat Thomas Kemp. non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta et decisa ex corde radicitus. L. III c. XXVII.

Resignatio sui perfecta ; sic enim idem auctor indicavit, dum dixit : Hoc desidera, ut ab omni proprietate possis expoliari, et nudus nudum Jesum sequi, tibi mori, et illi æternaliter vivere. Tunc recedet immoderatus timor, et inordinatus amor morietur. L. III c. XXXVII.

Id quod confirmans S. Augustinus exemplo filii prodigi : Quid, ait, de illo dicitur ? Et reversus est ad seipsum. Si ergo reversus est ad se, exierat a se. Quia ceciderat a se, et exierat a se, redit prius ad se, ut redeat in illo, unde ceciderat a se. Sicut enim cadendo a se, remansit in se, sic redeundo ad se, non debet remanere in se, ne iterum exeat a se. Surgam, et ibo ad patrem meum ; ecce unde ceciderat a se, ceciderat a patre suo. Redit ad se, et pergit ad patrem, ubi tutissime servet se. Si ergo exierat a se, redeundo ad se, ut eat ad patrem, neget se, subducat se sibi, ut hæreat Deo. S. AUG. s. XLVII *in c.* XVII *Matt.*

Oratio et mortificatio assidua ac fervens ; sicut enim ferrum ignis ardore et ictibus malleorum, excussa rubigine renovatur, sic igne ferventis orationis, et mortificationis ictibus assiduis, amoris proprii rubigo excutitur. JUL. FAT. c. VI, consider. VI.

Amor Dei; ut enim clavus clavo pellitur, ita per Dei amorem omnis amor proprius effugatur.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta de amore sui inordinato nosse debet. Primum est, ut bene cognoscat indicia proprii amoris, quæ quidem Julius Fatius sequentibus verbis indicat : Sicut ex effectibus cognoscuntur causæ ; ita ex nimia sollicitudine, quam plerumque habes de tua existimatione, tuis commodis, et teipso, ex nimio etiam dolore ob adversa, quæ tibi solent accidere, facillime colligere poteris amorem hunc, qui in te regnat, esse amorem tui ipsius.

Alterum est, ut bene cognoscat modum extirpandi amorem proprium, quem quidem Lyræus pulchre ostendit, dum ait : Quemlibet in se duos homines continere, animalem scilicet et rationalem, quorum prior discolo et arroganti Esau, posterior probo ac miti Jacob non immerito comparetur ; unde sicut Rebecca Jacobum dilexit, Esau autem odio habuit; ita voluntas quoque humana animalem hominem odisse et persequi, rationalem autem diligere, eique obsequi debet. Quod idem alius ingenioso emblemate explicavit, dum amoris proprii naturam exprimere volens titionem pinxit una sui parte ignitum, altera frigentem ; hoc lemmate adjecto : Qua non nocet, arripe. Unde more suo sapienter Seneca : Fateor, inquit, insitam esse nobis corporis nostri charitatem. Fateor nos hujus gerere tutelam, nec nego indulgendum illi, serviendum nego. LYRÆUS l. II *Apoph.* XI.

Multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam sine corpore non possimus. Hujus

nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis objicit, honestum ei vile est, cui corpus nimis charum est. Agatur ejus diligentissima cura, ita tamen ut, cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit. SENEC. ep. XIV.

Tertium est, ut bene cognoscat, quam noxius sit amor proprius omni quidem homini, sed maxime Religioso et perfectionis studioso; id quod sequenti discursu sapienter Julius Fatius declarat: Considera, inquit, si ea est conditio boni, ut sese diffundat et propaget; non posse non magnum esse malum, amorem proprium; quippe qui efficiat, ut homo illud, quod in aliis cernit bonum, ad se totum pertrahat, nec de suo vel minimum quid cum aliis communicet. Quod si tanto majus aliquod malum est, quanto majori privat bono, erit certe amor proprius malum maximum; privat enim hominem bono, quo majus in hac vita haberi nequit, hoc est, amore Dei. JUL. FAT. c. VI, *De mort. consid.* V.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Magnetem, aiunt, duas inter ferri lacinias positum, magno naturæ miraculo alteram attrahere, ex eo scilicet latere, quo septentrionem respicit; alteram repellere, videlicet quæ ex latere meridionali ab eo respicitur. Idem cor humanum facere debet, attrahere scilicet ea, quæ divino beneplacito et rationi consona sunt; repellere vero, quæ sensualem vitam sapiunt. LYRÆUS, l. II, *Apoph.* 11.

Cometæ quidam adeo stellis sunt similes, ut ipse Ptolemæus stellas secundas nominaverit, cum tamen peritiores astronomi eos e terra natos, et in tertia regione aeris consistere, et pestilentes effectus producere deprehenderint. Simili modo amor sui quibusdam verus et ordinatus amor videtur, cum tamen ex effectibus pestiferis colligatur ex vitio ortus et non nisi terrenas affectiones sapere.

UTILITAS. — Hanc breviter et bene Horatius explicavit, dum dixit :

> Quanto quisque sibi plura negaverit,
> A Diis plura feret.
> (HORAT, l. III, oda XVI,)

DAMNUM. — Revera usu venit, ut omnium malorum, quibus hominum vita involvitur, nimius sui amor causa existat. Is enim, qui amat, circa id, quod amat, sane obcæcatur; ac proinde de rebus justis, bonis, honestis male judicat, cum in ea est sententia, ut opinetur majorem sibi quam veritati honorem tribuendum. Non tamen decet eum, qui vir magnus sit evasurus, in suis rebus acquiescere, sed ea potius complecti, quæ vel apud se ipsum, vel apud alium quempiam juste fieri videantur, itaque unusquisque a cæco illo sui amore abhorrere debet, et seipso meliores sequi, ut hujusmodi quidem in re nullam verecundiam prætexat, qua a rebus præclare agendis impediatur. PLATO l. V *de Legi.*

S. Maria Magdalena de Pazzis dicere solebat, duos esse oculos amoris proprii, alterum, propriam reputationem; alterum, proprium commodum, ab his, nisi eruantur, omnem fascinationem amoris proprii oriri. *Vit.* p. IV, c. XXXIV.

AXIOMATA.

Tantum quisque vivit Deo, quantum moritur sibi. S. CATH. SEN. in Dial.

Tanto quis se amplius amat, quanto amplius se pro Dei amore non amat. S. LEO apud LYR. *Apoph.* XI, l. II.

Tantum in Deum transit homo, quantum a se exit. TH. KEM. l. III, c. LVI.

Charitas incipit a se ipso.

Proximus quisque sibi.

Qui sibi nequam, cui bonus? ECCL. XIV, 5.

AUCTORES.

Julius Fatius *de Mortif.* c. VI, consid. V.

Adrianus Lyræus l. II *Apophtegm.*; S. Ignatius *Apoph.* VII.

Bernardinus Rosignolius *de Discipl. Christ. perf.*

Ludovicus Granatensis in *Locis commun.* f. 626.

Thomas Stapletonus conc. X, *in Dom.* 1 *Quadr.*

Nicolaus Lancizius opusc. XVIII, c. XIII.

Joannes Bassæus in *Panario* V. eodem.

Josephus L[illegible] in *Polyant.* V. eod.

ANGELUS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est substantia creata, spiritualis, intellectiva, completa, per quam ultimam particulam ab anima rationali distinguitur. S. Joannes Damascenus fusius eum sic describit : Est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, et gratia, et non natura immortalitatem suscipiens, cujus substantiæ speciem et terminum, solus, qui Creator est, novit. S. Joann. Damasc. l. IV, c. iii.

Divisio. — Dividitur in tres Hierarchias a S. Dionysio Areopagita ; quarum prima est, quæ immediate illuminationes a Deo recipit, et in tres choros subdividitur, nempe *Seraphinos* ab excessu charitatis appellatos ; *Cherubinos*, sic vocatos, ob scientiæ excessum; et *Thronos*, sic appellatos, eo quod in Deo immediate rationes divinorum operum recognoscant, sicque in illis Deus, velut in throno, specialiter resideat.

Secunda hierarchia est eorum Angelorum, qui ab Angelis primæ hierarchiæ illuminantur, et iterum in tres choros subdividitur, nimirum *Dominationes*, qui præcipiunt agenda, quod est dominorum proprium ; *Potestates*, qui ordinant actiones divinas, quas superiores in inferiores agunt, eas sursum ducendo ; *Principatus*, qui primi sunt in eorum, quæ imperantur executione. Tertia hierarchia est eorum , per quos homines illuminantur, utpote ad quorum salutem procurandam mittuntur, pariterque in tres choros dividuntur : *Virtutes*, qui excessum fortitudinis ad divinas operationes important, unde per eos infirmitates curantur; *Archangelos*, quorum munus est nuntiare ea quæ sunt majoris momenti, suntque velut principes inferiorum ; *Angelos*, quorum munus est nuntiare minora, hominumque salutem procurare. Laur. Beyrl. in *Theat. vit. hum.* V. eod.

Ex his novem choris priores quatuor Dionysius *Assistentes* vocat, eo quod semper assistant Deo ; posteriores vero quinque appellat *Ministrantes*, eo quod ad varia ministeria deputentur. S. Dionys. *Coll. Hier.* c. viii et xiii.

Intellige de ordinaria via, nam extraordinarie etiam aliquot ex superioribus choris mitti S. Thomas et alii arbitrantur. S. Th. p. I, q. cxvii, a. 4.

S. Bonaventura illorum nobis distinctionem eodem fere modo explicat, dum ait : Distincti sunt in triplici hierarchia, scilicet suprema, media et infima. Suprema est Altissimi majestati assistentium ; media autem est Angelorum contrariis sese potestatibus opponentium ; infima denique est humanis necessitatibus ministrantium, adeo ut ex novem Angelorum choris major pars nostris sit obsequiis destinata. Eamdem distinctionem S. Gregorius tradit, dum in infimam hierarchiam collocat Angelos, Archangelos et Virtutes; in secunda ponit Potestates, Principatus et Dominationes; in suprema denique Thronos, Cherubinos et Seraphinos. S. Bonav. serm. *de Angel. unit.*

Officia. — Alia sunt, quæ erga Deum ; alia, quæ erga homines exercent. Prioris generis sunt : Intueri, admirari, laudare, adorare, amare, servire. Posterioris : *Offerre* preces et alia opera, uti S. Raphael Tobiæ fassus est dicens : Ego obtuli orationem tuam Domino. Tob. xii, 12.

Illuminare, id est, ea quæ futura sunt, aut ad salutem pertinent, per inspirationem, aut alia media docere; *Defendere* tam a corporis, quam animæ periculis et malis; *Castigare*, pædagogi in morem, id quod non semel Angeli præstiterunt; *Solari* et roborare in adversitatibus, uti tribus pueris in Babylonica fornace existentibus fecit, dum excussit Angelus flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi rorem flantem. Dan. iii, 40.

Quemadmodum et S. Paulus Apostolus omnes Angelos non solum ad obsequium et ministerium Dei, verum etiam ad servitium et ministerium nostrum destinatos esse existimat, dum ait : « Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. S. Paul. Hebr. i, 14.

In specie vero aliqui officium eorum sic explicant, ut *Angelorum* quidem officium sit, ut nos custodiant; *Archangelorum*, ut in divina lege, mysteriisque cœlestibus nos erudiant; *Principatuum*, ut vitam nostram gubernent et recte ordinent; *Potestatum*, ut rebellium spirituum insultus a nobis pro-

pellant; *Virtutum*, ut ad virtuose operandum nos exstimulent; *Dominationum*, ut ad inordinatas passiones nostras superandas vires sufficientes nobis subministrent; *Thronorum*, ut nos in bono cœpto stabiliant, nobisque in eo perseverantiam ad finem usque concedant; *Cherubinorum*, ut mentem et intellectum in divina sapientia illuminent; *Seraphinorum*, ut corda nostra divino amore accendant; adeo ut merito non solum de duabus, sed de omnibus tribus hierarchiis et novem choris dicere liceat, quod vere sint salutis nostræ ministrales. Apud MANSI tr. VI, d. I, n. 4.

NUMERUS ANGELORUM. — Daniel Propheta visionem quamdam habuit, quam ipsemet, cap. VII. Prophetiæ suæ, describit, in qua innumerabilem quemdam vidit Angelorum, thronum Dei circumstantium, numerum, qui omnes ad Divinæ Majestatis nutus exequendos erant promptissimi; cum qua visione mire consentit visio illa, quam S. Joannes in Apocalypsi se pariter habuisse scribit; vidit enim, quod erat numerus eorum millia millium. Porro S. Gregorius Magnus rationem reddit, cur Spiritus S. illos cœlestis curiæ exercitus in numero quodam definito describat, cum tamen ille nobis pro infinito habeatur : Supernorum civium numerus infinitus est, et definitus exprimitur, ut qui Deo numerabilis est, iste esse hominibus innumerabilis demonstretur. S. GREG. l. XVII *Mor.* c. XII.

Sanctus Bernardinus per adductam Dionysii Areopagitæ auctoritatem (an vero per exaggerationem loquatur, non satis liquet) dicit : Angeli in Paradiso existentes sunt plures, quam sint stellæ, quam sint arenæ maris et terræ, quam sint folia et herbæ, et quam sint omnia quæcumque creata.

EX S. SCRIPTURA.

EXISTENTIA. — Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Ps. CII, 20.

Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et Angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. APOC. II, 7.

Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. DAN. VII, 10.

Vidi, et audivi vocem multorum Angelorum in circuitu throni, numerus eorum millia millium. APOC. V, 11.

Accessistis ad civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem et multorum millium Angelorum frequentiam. HEBR. XII, 22.

Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis. LUC. II, 23.

CUSTODIA. — Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes et revertentes. ZACH. IX, 8.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes; quia non dimittet, cum peccaveris, et est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. EXOD. XXIII, 20, seq.

Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. HEB. 2, 14.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ps. XC, 11.

Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, Angeli enim eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. MATTH. XVIII, 10.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Vel, ut S. Hieronymus vertit: Circumdat Angelus Domini in agro timentes eum. Vel ut septuaginta: Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum. Ps. XXXIII, 8.

Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me gaudentem in victoria sua. JUDITH, XIII, 20.

Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. LUC. XVI, 22.

Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes habentes gladios, et ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur ejus propter timores nocturnos. CANT. III, 7.

Deus misit Angelum suum, et obturavit ora leonum, et non nocuerunt mihi. DAN. VI, 22.

Super muros tuos, Jerusalem, constitui Custodes, tota die et nocte in perpetuum non tacebunt. Is. LXII, 6.

Princeps regni Persarum resistit mihi, et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta Regem Persarum. DAN. X, 13.

Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodiveris, dabo tibi ambulantes de iis, qui nunc hic assistunt. ZACH. III, 7.

Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei, et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. APOC. VIII, 3.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Ministrantium ordinibus injunctum est particulare hoc regimen universum, ad quod perficiendum nec tabescunt tædio, nec labore succumbunt, neque seducuntur errore. S. LAUR. JUST. ser. *de S. Mich.*

Quantæ virtutis et potestatis fuit, omnes Ægyptiorum primogenitos una nocte occidere? Maris fluctus siccare? Currus et exercitum Pharaonis submergere? Tot gentes et tam robustas subvertere, et populum Israel in terram eorum introducere? Quæ tamen omnia unus Angelus, cui populus a Deo commissus est, qui eumdem in deserto in columna præcedebat, operatus est. S. TH. VILLAN. con. I *de S. Mich.*

Non valde mirabimur hæc, si orbes illos cœlestes tam vastos et amplos singulos a singulis spiritibus tanta velocitate, et uniformitate, tot sæculis, sine ullo velocitatis aut tarditatis augmento vel decremento moveri, consideraverimus. Ad vocem Archangeli totus suscitabitur mundus, totum terrarum orbem a summo usque deorsum, a convexo cœli usque ad infimum abyssi penetrabit illa vox. Ibid.

Vix audierunt vocem divini præcepti, statim faciunt verbum ejus, ut quamvis Divini Verbi præceptum antecedat, tamen tanta illorum in exequendo velocitas et intentio est, ut nescias pene, quid prius est, voxne sermonum Dei, an illorum in exequendo celeritas. S. AUG. *in Ps.* CII.

Vide quanta sit Angelorum charitas, qui in cœlo empyreo creati, tanquam in loco sibi convenienti, et apto divinæ contemplationi, pro divina obedientia et charitate ad proximum, habitant nobiscum in terra, in loco obscurissimo, si cœlo empyreo comparetur, licet divina contemplatione non careant, quia Deum ubique contemplantur. S. BON. s. I *de Ang.*

Dicunt inter se: Si ille descendit, et descendit in corpus, si mortali indutus est carne, et sustinuit crucem, et pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? Quid parcimus nobis? Eia, omnes descendamus de cœlo! Ideo et multitudo militiæ cœlestis erat laudantium et benedicentium Deum, quando natus est Christus. ORIG. ho. I *in Ezech.*

De excelso cœlorum habitaculo, ad consolandos, visitandos, et adjuvandos nos, attrahit supereminens charitas Angelos, propter Deum, propter nos, et propter seipsos: Propter Deum utique, cujus tanta erga nos pietatis viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur; propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem admirantur; propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis, toto desiderio præstolantur. S. AUG. s. IX, c. *de dilig. Deo.*

Angeli boni proniores sunt ad adjuvandum quam dæmones ad infestandum; atqui dæmones nunquam ab infestatione hominis cessant usque ad mortem: ergo neque Angeli custodes cessant aliquando in custodia hominum. ABULENSIS *in cap.* XVIII *Matt.* q. LXVII.

Quotidie illos ad nostri custodiam deputatos multipliciter offendimus et offensam negligentia cumulamus, ipsi autem licet a nobis frequenter injurias patiantur, sustinent tamen, et compatiuntur peccantibus, nec minor illorum circa nos custodia, imo major sollicitudo, cum boni custodis sit infirmis magis quam sanis, operam exhibere. S. PETR. DAM. apud MANSI, disc. X, n. 12.

Annuntiant Deo Angeli opera nostra cuncta, nec non orationes, non ut ipse discat quæ nesciebat (nihil enim est, quod ignoret); sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo, quid erga se, vel erga nos fiat; sive consulendo quid faciat, qui pius mentis affectus est, ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur. S. ANSEL. in cap. XVI *Luc.*

Noli, o homo, tale conditoris tui negligere munus, noli custodis tui Angeli benevolen-

tiam spernere, suffragium abjicere, et ignorare consilium. Sta super custodiam tuam, et dum oras, legis, sedes, ambulas, loqueris, vel aliud agis, attende diligenter, quæcumque versantur in te; tibi assistunt Angeli a dextris boni, a sinistris mali, eorum singuli ut te rapiant ad se, illisque consentias. S. Laur. Justin. c. *de Vit. solit.*

Vigilat super nos indefessus ille divinæ providentiæ oculus, mittens et remittens administratorios illos Spiritus, qui nos custodiant in omnibus viis nostris, et cavendum est nobis a malis factis, aut verbis, cum sciamus Deum ad nos incessanter Angelos destinare, qui omnia nostra bona et mala eidem renuntient; et considera, quanta aviditate nostras res audiat, qui ad ostium accedit, ad nuntios suscipiendos. Oleaster *in c.* xxviii *Gen.*

Angeli ad ministerium pro nostra salute semper mittuntur. Gregor. in *Past.*

Angeli adstant orantibus et credentibus. Idem *super Ezech.* Hom. vii.

Per Angelos Deus patribus locutus est, et apparuit. August. *de Trinit.* lib. III.

Angelus tuba Dei est. Idem *de Æternitate divin.*

Angeli præsunt hominibus, Archangeli præsunt Angelis. Gregor. in *Past.*

Dignitas. — In supernis Spiritibus non solum admirabilis dignitas est, et dignatio amabilis invenitur, sed tanta gloria est, quod lingua vel cor humanum nullatenus dicere valet, vel cogitare. S. Aug. s. xlvi *ad Frat.*

Domestici Dei sunt, cœli Cives, Principes paradisi, scientiæ Magistri, Doctores sapientiæ. Ibid.

Angelo nostro debemus reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Idem, ibid.

Beneficia. — Propter nos inserviunt nobis, miserantur enim sortem nostram, videntes periculum nostrum, et laborem vitæ nostræ, qui conspiciunt nos in magno discrimine positos, in medio scilicet inter gloriam et gehennam, quibus aut perpetuo regnandum est, aut ardendum, et tanto discrimini obnoxios omni sollicitudine curant in bonam partem deflectere. S. Th. Vil. conc. ii, *de S. Mich.*

Castra Dei hæc sunt, quia ad modum castrorum nos muniunt, qui sumus faciles ad seducendum, fragiles ad resistendum, debiles ad operandum, et ideo occurrunt nobis tanquam potentissimi coadjutores, ut eorum auxilio muniti discamus hostium potentias non timere. S. Bonav. apud Mansi dis. i, n. 4.

Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem et fletum, Dei scientiam ingerunt, timorem filialem docent, pacificant mentem, cogitationes ordinant, spei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, custodiunt unitatem, legis instruunt servare mandata, obtemperare Deo, subesse majoribus, pacem diligere, humilitatem sectari, et cuncta odisse, quæ norunt repugnare virtuti. S. Laur. Just. c. xvi, *de Vit. sol.*

Propter nos laborant, circa nos cursitant, et ut dixerat quispiam, nobis serviunt, hoc est, eorum ministerium, propter nos in omnes partes mitti. S. Chrys. hom. iii *ad Heb.*

Benedicantur cœlestes Spiritus (verba sunt Damasceni), qui tametsi eximia naturæ dignitate et perfectione longe nobis supereminent, non tamen aspernantur nostri curam et custodiam; sed mira humilitate nobis condescendentes omnem exhibent sollicitudinem, ut tandem cohæredes et consortes ipsorum efficiamur in cœlis. S. Jo. Damasc. l. II *Fidei orth.* c. iii.

Assidua vigilantia comitantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in negotiis, in itineribus semper exhortantes ad bonum, detestantes malum, protegentesque a malo, si tamen intenta cordis aure eorum sacra monita audire velimus. S. Laur. Just. c. vii, *de Obed.*

Isti sunt, per quos sustentamur, per quos in mari et in terra juvamur, per quos mente et corpore illuminamur, per quos in tribulationibus et angustiis consolamur, per quos ab infirmitatibus frequenter liberamur. S. August. ser. xlvi *ad Frat.*

Hinc est, quod nos in hujus peregrinationis naufragio, ne periclitemur, protegunt, præbent consilia salubria, deprecantium orationes perferunt, coram Deo offerunt vota, supplicationes impetrant, reportant gratiam, torporem excitant, de ignotis erudiunt, instruunt ad certamen, spirituales arcent nequitias, atque indeficientem imbecillitatis humanæ custodiam exhibent. S. Laur. Just. ser. *de Euch.*

Si orant, eorum preces offerunt Deo, nec vacui revertuntur ad nos; si pugnant, æque ipsi cum eis pugnant; si quiescunt, ipsi excubias agunt, ne quid mali ab adversariis patiantur; si ignorant, docent eos; si cadunt, erigunt; si pusillanimes efficiuntur, sanctis

exhortationibus roborant et accendunt; et qua parte humana curvatur iniquitas, ea parte se opponunt casuris. Id. c.v, *de Discip. Monast.*

Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gratiam, discurrit medius inter dilectum et dilectam, vota offerens, et referens dona. S. BERNAR. ser. XXXI *in Cant.*

Tunc offendimus pedem ad lapidem, cum oblata occasione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi, labimur in peccatum, unde bonum æternum amittimus, et sempiternum supplicium incurrimus; sed qui habitant in adjutorio Altissimi, ab Angelo custode juvantur ut vel occasio illa tollatur, id est, affectu elevato a terra, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, facile contemnatur, et malum temporale, quod sine peccato vitari non potest, patientissime toleretur. BELLAR. *in Ps.* XC.

Pessimi dæmones nostram cupiunt perditionem usque adeo, ut videre sanguinem humanum effusum in bellis, eorum luxuria sit, et non nisi humano sanguine invocati a Magis, respondeant ad quæsita, tanta est eis humani sanguinis sitis; Angeli autem e converso has truculentas bestias a nobis abigunt, atque pro nobis decertant adversus eas, ac veluti parvulos sua protectione tuentur. S. THOM. VILL. ser. X *de S. Mich.*

Grandis est eis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis erga nos, et hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, quæ dilexisti nos, diligunt enim quos tu diligis. S. AUG. *Soliloq.* cap. XXVII.

CUSTODIA. — Adest unicuique nostrum etiam minimo, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris, qui in cœlis est. ORIG. in n. 66.

Angelis non eget natura, sed imbecillitas; nihil eorum, quæ agimus, ignorat Deus, sed infantia nostra ad erogandum et promerendum hos tales desiderat oratores. S. HILAR. in p. 129.

Magna dignitas fidelium animarum ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodia sui Angelum deputatum, imo plures. S HIER. *sup. Matt.* XXIII.

Fidelis Paranymphus discurrit medius inter dilectam et dilectum, vota offerens, et referens dona; excitat istam, placat illum. S. BER. ser. I, *de Ang.*

Angeli nostros sudores, non suos, nostras; non suas lacrymas offerunt Deo, nobis quoque ejus munera referunt. Ibidem.

Ipsi amant nos, quia Christus nos amavit. Dicitur certe vulgari proverbio: Qui me amat, et canem meum amat. Nos vero, o beati Angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli autem cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos! Ibidem.

Quantum, putatis, desiderant cives cœlestes instaurari civitatis suæ ruinas? Quomodo discurrunt medii inter vos et Deum, fidelissime ad eum portantes gemitus nostros, et ipsius gratiam nobis devotissime reportantes? Plane non dedignabuntur, ut simus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri. Idem l. II *in Vigil. Nativ.*

Bene tecum agitur (o Sponsa), bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ, de cœlo et de terra venit tibi auxilium. Qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt custodes tui, Angeli sancti, vigiles tui Spiritus. Idem s. LXXVII *in Cant.*

Magna sunt beneficia tua, Domine, quibus nos honorasti, dans nobis Angelos tuos in ministeria nostrorum; dederas enim nobis, quidquid cœli ambitu continetur et quasi parva reputas hæc, quæ sub cœlo sunt, nisi adderes ea, quæ super cœlum sunt. S. AUG. *Soliloq.* c. XXVII.

Gloriantur in cœlo Angeli de profectibus hominum, ipsi enim velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc parvuli sumus, velut tutoribus et actoribus committimur usque ad præfinitum tempus a patre. ORIG. h. LXXX *in c.* XXI *Gen.*

Anima nusquam est sine Angelorum custodia. Et ne dixeris in corde tuo: Ubi sunt? Quis eos vidit? Vidit eos Propheta Elisæus, et fecit ut videret etiam Giezi; tu non vides, quia non es Propheta, nec puer Prophetæ. Vidit Patriarcha Jacob, et ait: Castra Dei hæc sunt. Vidit et Doctor Gentium qui dicebat: Nonne omnes administratorii Spiritus? Ergo Angelicis suffulta ministeriis et superno stipata agmine sponsa incedens, similis est equitatui Domini, prout in Canticis dicitur: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. S. BERN. in II, *Joan.* 8.

Vide, o homo, quanta sit dignitas animæ, quanti eam æstimet ipse Deus, qui a momento nativitatis tuæ assignatum tibi de cœlo

voluit custodem Angelum, et hunc tantæ potentiæ, ut citius ictu oculi possit universum mundum invertere; tantæ majestatis, ut S. Joannes, tametsi cum Christo ipso familiariter conversari soleret, ad conspectum Angeli provolveretur in terram, eum adoraturus, tam inexplicabili scilicet ipsius vultus dignitate et claritudine coruscabat. Et tamen, o homo, hic Angelus tam potens, tam splendidus ac venerandus, a Deo tibi in tutorem adjungitur. S. Hier. apud Albertin. c. iii, *de Ang. Cust.*

Cultus. — Habetote familiares Angelos, fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione et devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam et consolationem. S. Bern. s in ii *Ps.*

Simus devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, quantum possumus, quantum debemus, affectuose, tanquam futuros aliquando cohæredes, et nostros interim actores, et tutores a patre positos, et præpositos nobis; adhuc enim parvuli et sub tutoribus et actoribus sumus. Id. in s. *de Ang.*

Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, directorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione enim neque dormitat, neque dormit, etiamsi videatur quandoque ad tempus dissimulare. Ibidem.

Væ nobis, si quando provocati sancti Angeli peccatis et negligentiis nostris, indignos nos judicaverint præsentia et visitatione sua, qua nos protegere, et propulsare inimicum poterant! Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda est nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus novimus eos maxime oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis invenire delectant, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cœlum gemitus, et super hæc omnia veritatem et pacem a nobis exigunt. Ibidem.

Tu ergo, si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, et tentationibus resiste diaboli. Id in s. xl *sup. illud*: Accesserunt Angeli.

In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam exhibe, nec audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. Adsunt igitur tibi non tantum præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant; adsunt ut prosint. Id. *in Ps.* Qui hab.

Vult Dominus, ut Angelis assimilemur, ut ardeamus amore cum Seraphim, divinorum scientia fulgeamus cum Cherubim, spirituales facti omnia judicemus cum Thronis, nobis ipsis dominemur cum Dominationibus, fortiter resistamus inordinatis motibus cum Virtutibus, regnum animæ in pace gubernemus cum Potestatibus, provideamus cum Principatibus, magna proximis exhibeamus cum Archangelis, minora indigentibus subsidia impertiamur cum Angelis. S. Bon. op. *De septem. itin. æter.*

Si homo non acquiescit monitis Angeli, qui sibi deputatus est ad salutem, auferetur maceria ejus, et erit in proculcationem. Quod si princeps meus, Angelum dico, qui est mihi consignatus, commonuit me de bonis, et locutus est in corde meo, sed ego contemptis ejus monitis, et spreto conscientiæ retinaculo præceps in peccato corruo, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu monitoris, vel pro scelere commisso. Orig. ho. xx, in c. xxv *Num.*

Si vita nostra tam prava videtur, et squalida, ut etiam carne vestitis hominibus fœteat, qualis putas est Angelis, qui jugiter semper eminent in spiritualis munditiæ culmine? Unde et illud formidolose pensandum est, ne illos, qui ad custodiam nostram deputati sunt, Angelos vitæ nostræ fœtor offendat, ut potius apud Deum conqueri, quam sua nos debeant attestatione tueri. S. Petr. Dam. l. VI, ep. xxxii.

Cave, homo, ne quando relinquat te Medicus, sive Angelus Dei; manifestum est, quia abscessio eorum condemnatio tua sit, ut irremediabilis, nolentisque curari; cum autem te deseruerint, quid tibi aliud eventurum est, nisi quod solet his accidere, qui a medicis desperantur, utentes voluntate morbi sui, ut ad pejora demergantur. Orig. h. ii *Jerem.*

EXEMPLA EXTERNA.

Custodia. — Christus Dominus in monte Oliveti sese ab Angelo confortari passus est. Luc. xxi, 43.

B. Virgo a S. Archangelo Gabriele salutata est, et nuntium Incarnationis Christi per ipsam peragendæ accepit. Ib. c. i.

Cum D. Ambrosius Auxentium Episcopum Arianum provocasset, ut se disserentem in Ecclesia audiret evenit, ut quidam vir de

hæresi Arianorum, acerrimus disputator, ad Ecclesiam se conferret, qui, cum loquente Episcopo vidisset Angelum ad aures adstantem, et quæ diceret inspirantem, conversus fidem, quam oppugnaverat, ipse defendere cœpit. PAULIN. in *Vita*.

S. Francisca Romana duos semper secum Angelos habebat, unum ex Archangelorum choro, qui nunquam ab ea discedebat ; et alium ex quarto ordine, qui non quidem assidue, sed frequenter tamen se illi ostendebat. Hos sæpe præsentibus aliis, sed nihil videntibus, hac fere specie intuebatur. Vestes erant candore plerumque niveo, aliquando cæruleo, rarius purpureo colore ; alter impressa semper in crucis modum brachia pectori apprimebat; alter ex auro tres palmæ ramulos dextra præferebat : uterque, quamvis vicini essent virgini (alter enim semper dextrum claudebat latus) in cœlum defixos habebat oculos : utrique promissa et aurea cæsaries; utrique ea claritas vultus, ut præ altero sol ipse minus luceret, præ altero nubeculæ instar obscuræ videretur. GUIL. BALDES. c. II, *Stim.* c. II.

Wenceslaus, Bohemiæ Rex, occurrens in finibus Duci Curimensi, qui fines regni hujus vastabat, ei singulare certamen obtulit, ut multorum cædibus parceret. Ubi ventum est ad manus, Angeli apparuere, qui Wenceslaum protegentes, arma ministrabant. Quo viso Dux petiit veniam, eaque obtenta discessit. LUITPR. c. II *Hist.*

Cæcilia, Valeriano desponsata, prima nocte nuptiarum illi dixit: Ego, Valeriane, in tutela Angeli sum, qui virginitatem meam custodit, quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur. Quibus verbis commotus Valerianus eamdem attingere non est ausus, quin etiam addidit, se in Christum crediturum, si eum Angelum videret, quod et præstitit, postquam ab Urbano Papa baptizatus eumdem Angelum divino splendore fulgentem, et pone Cæciliam consistentem vidit. *Vit.* apud SUR. 22 Nov.

Cum S. Jacobum Germanum, Ordinis. S. Dominici, diabolus perpetuo vexaret, et quoties orabat, verberibus oneraret, eo discedente Angelus adfuit, dixitque : Serve Dei, esto fidelis usque ad mortem, expecta Deum, viriliter age et confortetur cor tuum; ingentia sunt quæ tibi pro labore parvo atque certamine præmia proponuntur. SURIUS, 1 Oct.

Joanna Urbeventana, virgo Ordinis S. Dominici, adhuc parvula orbata parentibus dicebat, se ab Angelo custode fidei et pietatis documenta accepisse, unde gratiam baptismalem ad mortem usque servavit. RADERUS in *Virid.* p. II, c. IV.

In Mexicana Provincia, cum quispiam infirmus metu mortis graviter consternatus esset, evenit, ut die quapiam pulcherrimum juvenem admiranda luce circumdatum sibi appropinquare videret, montes aureos, et in iis ingentem numerum personarum monstrantem, qui visu summe recreatus nihil nisi mortem desideravit. *Lit. ann. Soc. Jesu*, 1587

Cum anno 1144, exercitus Christianorum in periculosa viarum discrimina incidisset, et certo ab hostibus insidiantibus delendus esset, subito miles ignotus albo equo insidens, et rubeum vexillum opportans apparuit, et eos Hierosolymam usque salvos perduxit. FAB. conc. III, *in festo S. Mich.* n. 1.

Liffardus monachus cum humilem vitam pertæsus, jamjam fugam ex monasterio pararet, ab Angelo ad sepulchra mortuorum deductus, offenso cadaverum horribili aspectu, a meditata fuga abductus, et in proposito religioso confirmatus est. *Spec. Ex.* V. eod. ex. XVI.

S. Isidoro agricola pietati et orationi in templo vacante, S. Angelus Custos illius aratro interea terram secabat, pascebat mulos, et lupos a gregibus arcebat. *Vita.*

Apud Lucanos in Hetruria ancilla quædam, Sita nomine, cum e templo serius ad coquendos panes domum rediisset, Angelus interea massam subegit, formavit, et in mensa paratos panes posuit, ut mox in clibanum mitti potuerint. *Ped. Chr.* t II, p. I, c. IV, sect. V, n. 12.

Paulo ante quam Hierosolyma subverteretur, auditæ sunt voces Angelorum, qui ad custodiam templi adhibiti erant, dicentium : Migremus hinc. JOSEPH. I, c. XII.

Cum quondam in monte Gargano cujusdam taurus in speluncam fugisset, et sagitta, qua dominus taurum configere volebat, retorta in ipsum sagittarium fuisset, occasione hujus miraculi didicerunt Sipontini incolæ, specum illam spectare singulariter ad custodiam S. Michaelis. *Breviar. Rom.* 8 Maii.

Juditha, devicto Holoferne, ad suos rediens, cum gaudio dixit : Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertem, et revocavit me Dominus gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et li-

beratione vestra, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari. JUD. XIII, 20.

Cum S. Onuphrius in solitudine deambularet, comitem se illi Angelus adjunxit, dixitque : Ab hora nativitatis tuæ ductor ac socius tuus extiti. Et cum eodem in visibili forma sex integra milliaria confecit, ut hæsitantem de itinere erudiret. ALBERT. c. XI, *de Ang. Cust.*

Postquam Agar, Saræ ancilla, ob heræ asperitatem domo exiisset, displicuit hoc factum custodi Angelo, ideoque spectandum se illi præbuit, et acriter eam objurgans dixit: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manibus illius. GEN. XVI.

Monachus quidam in solitudine degens, cum in morbo Angelum aliquot hebdomadis ministrantem habuisset, postea advenientibus visitationis gratia aliis monachis, ejusdem præsentia privatus dixit ad illos : Abite, quæso, fratres mei, quia vobis supervenientibus Angelus meus custos, a quo visibiliter præsente solatium et plenissum obsequium habui, repente dilapsus est. Quo dicto mortuus, et Angelum suum secutus est. *Spec. Ex.* dist. II, ex CXVIII.

In Civitate quadam diœcesis Trajectensis cum juvenis quidam juvenibus discolis et lascivis se sociasset, eorumque exemplo propemodum puritatem mentis, et florem virginitatis perdidisset, ubi postea domum rediit, Angelum formosissimi juvenis specie obvium habuit, qui accedens, alapamque infligens, deinceps cautiorem esse, malasque societates defugere jussit, ac subito iterum disparuit. Ibid. dist. XIV, ex. IX.

In vitis Patrum legitur, senem quemdam ac sanctum virum conspexisse Angelos hilari ac sereno vultu adstantes, sicubi monachi sermonem de rebus sanctis miscebant; si autem de rebus vanis et inutilibus loquerentur, recedentes indignantesque, et succedentes in locum ipsorum atros dæmones, qui sub specie spurcorum animalium circumeuntes, impuras cogitationes eorum mentibus adhalabant. ALB. c. VI, *de Ang. Cust.*

Abbas Theodosius de seipso fassus est, quod ante quam vitam solitariam profiteretur, Angelus ipsum dextra apprehendens in immensum theatrum duxerit, in quo ex una parte innumeri homines albis vestibus induti, et ex altera parte totidem nigris vestiti sedebant. Ubi cum vir inusitatæ magnitudinis prodiisset, ab Angelo cum hoc pugnare jussus est; verum cum is timore consternatus pugnam deprecaretur, Angelus hortatus est, ut pugnæ duntaxat initium faceret, mox enim se adfuturum, et parta victoria caput ipsius cœlesti diademate coronaturum, id quod, et fecit, quam primum obsecutus Theodosius, et gigantem aggressus est. Ibid. c. IX.

Ætate Serionis Abbatis, cum monachus quidam in Missa verba hæc recitaret : « Supplices, te rogamus, Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum » ; vidit quamplurimos Angelos circa altare, quorum unus cæteris altior sacram Hostiam Deo, tamquam ibidem visibiliter præsenti, offerebat, et mox eadem supra altare collocata disparuit. Ib, c. XV.

S. Codratus infans, cum adhuc in cunis matrem amisisset, Angelus illi nutritius fuit, qui e nube ipsum cœlesti lacte pavit, et educavit ad eam indolem, ut postea per flagra martyrii cantando iret ad mortem. NADASI *An. angel.* XVII, n. 6.

B. Deodomo in Ecclesia deserta omnia ad Sacrificium necessaria paravit Angelus, ejusque ad Missam inserviit; postea vero ad iter prosequendum, equum, frenum, ephippium, sellam, stapedes, famuli instar aptavit. ENGELGR. *in Cœlo Sidereo, in festo S. Mich.*

Theodorus adolescens, cum sub Juliano Apostata equuleo tortus et acutis testis suffossus sic se gereret, ac cantaret, quasi nihil sentiret, ideoque a Juliano, ne ludibrio haberetur, vinculis solutus fuisset, interrogatus postea, qui habuisset se in tormentis? Respondit, se quidem non omnino doloris sensu caruisse, sed adstitisse Angelum, qui tenuissimo linteo sudorem abstergeret, et aqua frigida corpus aspergens, ardores restingueret, et dolores sublevaret. FAB. con. IV, *in festo S. Mich.*

Basilides, mare cum sociis trajecturus, Christum ad clavum sedentem gubernatorem, Angelos vero remiges habuit, quibus feliciter optatum portum appulit. ENGELGR. *in festo S. Mich.*

Cum B. Joannes Angelus in infirmitate venam aperiri ex medici consilio jussisset, Angelus ejus custos tamen, et alia necessaria ministravit, et sanguinem pelvi excepit. Ibid.

S. Ferreolum Martyrem suis alatis humeris per Rhodanum novi Ariones devexerunt. SURIUS, 8 sept.

Evolpho puero, morti vicino, extremam unctionem Angelus contulit. ENG. l. c.

Fulgentia Romana cum ob spurcitiem com-

missam a dæmone personato coram judice, etiam adductis testibus accusata fuisset, ubi opem a B. V. et S. suo Angelo custode petiit, omniaque meliora pollicita fuit, ab hoc sub specie formosissimi adolescentis ad judicem comitatur, potenter defensa, et feliciter in judicio absoluta est. Ibid.

Cum in Hispania vir quidam nobilis S. Angelum custodem peculiari veneratione et amore prosequeretur, atque in ejus honorem quotidie corollam Marianam recitasset, Angelus ei hoc obsequium præclare rependit; nam cum illustrem dominam ædibus suis vicinam, quoties vel ex ædibus prospicientem vel transeuntem ex humanitate salutasset, maritus illius dominæ, zelotypiæ spiritu accensus, uxorem in suburbanum hortum invitatam stricto gladio coegisset, ut per litteras nobilem illum in villam invitaret, et marito peregre profecto se solam ibi versari scriberet; et ipse nihil mali suspicatus jam iter illud equo vectus adornasset, ubi prope patibulum transiit a reo recenter suspenso vocatus, sistere gradum, accedere, funemque resecare jubetur, quod ubi fecit, reus equi tergo incidens incolumem ad villam deducit. Ad quam ubi venerunt, equo nobilem descendere, sibique clamydem suam porrigere jubet, simulque periculi admonet, ipse vero intrepidus villam ingreditur, in quam vix pedem intulit, cum ecce armati viri ad id constituti e latebris irruunt, et misere lamentantem variis vulneribus confodiunt, et in latrinam abjiciunt; ex qua tamen vivus exurgens ad nobilem redit, clamydem reddit, vulnera ostendit, quæ illi parata esse dixit, iterumque conscenso equo, ubi ad patibulum ventum est, descendens corpus in furcam denuo suspendit, et se Angelum ejus tutelarem esse affirmavit, qui obsequia sibi exhibita hoc beneficio rependere voluerit. Nobilis ergo domum reversus, dum sequenti die indictis in honorem S. Angeli custodis Sacris, in templum se contulit, gratiisque pro beneficio agendis immoratus est; famuli a zelotypo submissi, ut explorarent, quis rumor in occisi domo exortus esset, ubi in templo versari audierunt, ibique quæsitum et incolumem reperissent, cum ingenti stupore id suo domino nuntiarunt, qui mox ad nobilem accurrens, intellecto miraculo, in amplexus ejus ruit, veniam petiit, et uxorem summo deinceps amore prosecutus est. Ib. § 2 ex Alphonso Andrada p. II *Hist. itin.* anno 1640.

Hildegundis virgo, cum, ut pudicitiæ suæ consuleret, sub viri specie, et Josephi nomine iter ingressa, pro fure, quem Oppidani quærebant, apprehensa, fustibus cæsa, et laqueo in collum injecto, ad furcam pertracta et suspensa fuisset, Angelus ejus custos, ne laqueus fauces comprimeret, tantisper eam sustentavit, et suavissima musica aerem complens opilionem accersivit, qui eam e patibulo deponeret, ipse vero equo candidissimo impositam, Veronam ad suos incolumem perduxit. Rader. p. I, *Virid.* p. XII, ex eo Faber. con. III *in festo S. Mich.*

Cum Nicolaus quidam Angeli tutelaris statuam inauratam ære tum suo, tum ab aliis quæsito, in prædio suo collocari jussisset, postea in Vesuviano incendio Neapolim profugiens, ibidem rogatus, num prædium suum ex illo incendio damnum aliquod fuisset passum? Respondit, nullum equidem se credere passurum fuisse, eo quod Angelus tutelaris ad limites illius collocatus, omnem ignis injuriam propulsurus speretur. Quod, et factum, nam imago illa erecto vertice extare undis, et adstare ripis prædio imminentibus est reperta, quasi limites custodiret. Engelg. § 4.

Cum Dux Bojariæ Maximilianus, anno 1620, in rebelles Bohemos castra movisset, et de nocte hostes loco, milite, et temporis commoditate superiores, eumdem opprimere parassent, non modo a via, peritissimis licet ductoribus usi, aberrantur, sed etiam ad conspectam in oppositis castris incognitam legionem, tanto terrore consternati, et in fugam acti sunt, ut plures in fuga, quam pugna cæsi et oppressi sint. Drex. in *Hor.* hora 5 noct. cons. XII, c. II.

Anno 1622, cum Georgius Fredericus, Marchio Durlacensis, in Bavaricum exercitum magno furore et animo, et quasi certus de victoria, militem suum duxisset, jamque conflictus dubia alea per tres horas duravisset, subito eques niveo equo vectus incredibili ausu et celeritate, plumbeis glandibus frustra in illum convolantibus, hostilem aciem prætervectus, a tergo hostium pyrio pulveri ignem injecit, sicque milites illius metu consternatos partim in fugam egit, partim catholico exercitui cedendum objecit. Ibid.

Abbas quidam rogatus quænam ejus esset quotidiana exercitatio, respondit: Ego Angelum meum mihi assistentem juxta me exspecto, et custodio meipsum, quod scriptum

est reminiscens : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Timeo ergo eum, ut custodientem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum, et insinuantem actus meos et verba. *Vit. PP.* l. VII, c. XLIV.

Divum Paulum in mari consolatur Angelus Domini et omnes qui cum eo erant in mari inter tempestates conservat. ACT. c. XXVII.

Venerunt duo Angeli ad Lothum, percusserunt incolas Sodomæ cæcitate, et piam quasi violentiam inferentes eum manu e periculo civitatis eduxerunt. GEN. XIX.

Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, quando recedebat populus de Ægypto, stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel; unde in Exod.: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via et introducat ad locum quem præparavi. EXOD. c. XIII.

Anno incarnationis Domini septingentesimo septuagesimo quarto, pius Rex Carolus in Italiam profectus est, atque dum ibi esset, Saxones ad præsidia Francorum cum exercitu exeuntes, obsidentesque quoddam castellum Buriaburg; quamdam ecclesiam concremare a foris a castello voluerunt, quam sacraverat beatus Bonifacius Martyr. Subito autem apparuerunt duo juvenes miræ claritatis et candoris, videntibus tam christianis, quam paganis, qui ipsam ecclesiam defendere videbantur. Horum aspectu terribili perterriti Saxones in fugam versi sunt, sicque castrum illud ab obsidione liberatum. ADO. VIENNENSIS in *Chron. ætat.* VI, sub ann. Dom. 774.

Anno Domini 1144, cum exercitus Christianorum insidiis circumventus, et in extremas angustias conjectus ab obsidendo Bostro metropoli Arabum recederet, duce cœlesti nuntio incolumes omnes ad propria redierunt. Cum ergo in inevitabilia incidissent discrimina, et errarent omnes in invio et non in via, et angustiis locorum interculsi essent, ab ingruentibus hostibus cædendi, nec haberent ducem, qui agmina præiret et locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam, ecce subito cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum bajulans, lorica indutus curtis usque ad cubitos manicis, antecedebat exercitum. Hic tanquam Angelus Domini exercituum viarum sequens compendia et ad aquas prius incognitas congruis et commodis stationibus castrametari ducebat. Qui illis deductis Hierosolymam usque illo admirabili perfunctus ministerio ab omnium mox evanuit oculis. GUILHEL. TYR. l. VI, c. XII; ann. 1144.

BENEFICIA. — Tobias junior de se fassus est : Me duxit, et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli; et bonis omnibus per eum repleti sumus. TOB. II, 3.

Quando tempore S. Gregorii Magni urbs Romana sævissima flagellabatur pestilentia, adeo ut præ cadaverum multitudine, urbs illa vastissima visa fuerit ingens quoddam esse mortuorum cœmeterium, placata demum divina justitia Angelus quidam supra molem Adriani visibiliter sese conspiciendum præbuit, qui strictum habens, cruentumque gladium in vaginam recondebat; in signum quod mortalis illa, quæ hactenus sævierat, influentia jam penitus cessaret; unde moles prædicta deinceps castrum S. Angeli denominata fuit. MANSI, disc. I, n. 15.

In Annalibus Ecclesiasticis legitur : Quod cum quidam, cui nomen Gainas erat, urbem Constantinopolitanam armorum suorum vi et potentia in exterminium animo statuisset adducere, accidit ut quidam immensæ magnitudinis Cometes, qui ad terram usque pertingeret, conspiceretur ; ipse insidias suas palam futuras esse metuens, milites suos, palatium, immissis ignibus, aggredi et infestare jussit; qui prope palatium venientes ingentem quemdam armatorum militum excessivæ magnitudinis, et grossitiei admirabilis numerum conspexere, ex quo viso, metu et terrore consternati, retrogressi sunt, unde venerant. Tyrannus autem alios denuo milites ad idem palatium emittens, eosdemque non minus, quam primos ab eodem spectaculo perculsos esse cernens, tandem ipsemet in propria persona ad idem se palatium recepit, eamdemque armatam multitudinem oculis propriis cernens, eosdemque de foris ad palatii custodiam missos milites esse credidit, adeoque tandem a perverso suo attentato destitit, qui tamen postea milites illos Angelos civitatis illius tutelares esse certo cognovit; utpote qui clientibus suis ab omni ærumna, et gravi tribulatione eripiendis, sollicite et graviter invigilant. BARON. ann. 400, n. 46.

Cardinalis Baronius de Theodosio Imperatore refert, quod is Persarum Regem formidabilem quemdam exercitum congregasse præsentiens, fiducia sua in Deum totaliter collocata, suum tametsi modicum et rarum militem adversus hostem urserit. Cumque in urbe Constantinopolitana ob ancipitem prælii futurum eventum ingens omnes timor incessisset, nonnullis in Bithynia Christi fidelibus multi apparuerunt Angeli, eisdem præcipientes, ut ad populum Constantinopolitanum consolandum abirent, eumdemque de reportanda per Theodosium victoria, securum certioremque redderent, eo quod multi Angelorum a Deo expediti essent, ut in hoc prælio ministri et Duces essent; unde cæsa fuerunt ex inimicis fidei nostræ centum millia, quorum major pars in Euphrate submersa fuit. Id. ann. 420.

Arabes Cordubam de facto inhabitantes, adversus Catholicos Hispanos centum quinquaginta millia peditum, et quinquaginta millia equitum conscripserant. Dum vero Ramirus Rex de cœlo sibi mitti postularet subsidium, subito ante Catholicorum militum exercitum cœlestes comparuere Spiritus, militari habitu induti, quorum præsidio et ductu Ramirus cæcidit 80 millia, reliquis totaliter profligatis, et dissipatis. Id. ann. 958, n. 1.

Memorabilis quoque illa victoria fuit, quam Sanctus Joannes Capistranus ante Belgradum a Turcis obsidione cinctum, sub Pontificatu Callisti III reportavit, in quo prælio Mahometus Christiani sanguinis avidissimus, qui in propria persona eidem prælio præsens aderat, una cum ducentis millibus pugnatorum vulneratus est, et occubuit. Et quidem de Sancto Joanne præfato Annales memorati dicunt : Cum duobus fratribus ipse solus cum per parvam transiret naviculam, visum est Turcis innumeram armatorum multitudinem contra eos transisse, cum in rei veritate essent solum tres personæ, et ideo rabidi canes in sese mutuo sævierunt, et ad numerum viginti quatuor millium interierunt. Raynald. ann. 1456, n. 13.

De S. Paulo Simplice, S. Antonii discipulo, sequens narratur visio : Hic enim die quadam multos serenam præ se ferentes faciem, atque ab Angelo eorum custode associatos jucundos et hilares Ecclesiam ingredi vidit. Inter alios vero unum postea nigrum, a dæmonibus capistro per nares alligatum, ejus vero Angelum e longinquo mœstissima facie subsequentem conspexit. Ex qua visione S. Paulus plurimum contristatus fuit, licet eum Deus postea subito per immissam ei consolationem denuo erexerit : siquidem cumdem, dum ab Ecclesia regrederetur, omnino ex atro et deformi in candidum valdeque speciosum mutatum, ejusque Angelum ante eum maxima cum hilaritate præcedentem, dæmonem vero procul ab eo positum et afflictum conspexit. Cumque S. Eremita visionis hujus significatum summo cum desiderio scire cuperet, divina ex revelatione accepit, illum ideo nigra fuisse facie antea visum, quia fornicationis peccato multo tempore immersus fuerat. Verba autem sequentia Isaiæ audiendo, nimirum : « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum de animabus vestris coram oculis meis, discite bene facere. Et si fuerint peccata vestra sicut coccinum, tanquam nix dealbabuntur ;» perfecte compunctum fuisse, seriamque egisse pœnitentiam. *Spec. Ex.* ex. v.

In Annalibus Ecclesiasticis de quodam Hispaniarum Rege, cui nomen Vamba erat, refertur, quod, cum exercitum suum adversum fidei rebelles ducturus esset, primo et ante omnia sollicitus fuerit, ut milites suos armis spiritualibus timoris Dei, virtutumque Christianarum communiret. At vero cum deinceps multos sub signis suis merentes adulterii crimen commisisse intellexisset, justam de illis capturus vindictam, partes eorum secretiores amputari jusserit, dicens: Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum. At vero, qui tot militum passus fuerat jacturam, quosnam postea habuisse putatis, quos adversus exercitum inimicum in sui regni defensionem opponeret? Visus est Angelorum excubiis protectus noster exercitus, et ipsos Angelos super castra corusca volitatione protectionis suæ signa protendere. Baron. ann. 674.

In speculo exemplorum refertur unum e senioribus eremitis die quadam vidisse, quod dum eremitæ sui spirituales inter se conferentias, sive colloquia miscerent, Angeli valde læta et hilari facie iisdem adstiterint, quasi significare volentes magnam se ex devotis colloquiis voluptatem percipere ; e contra vero dum de aliis rebus vanis et inutilibus confabularentur, sese iidem cœlestes Spiritus velut indignabundi subduxerint, eorumque in locum animalia quædam successerint immunda, luto turpiter defæ-

data, quæ in medio monachorum sese circumvolutabant, voluptatem nimirum indicantia, quam dæmones ex vanis et inutilibus discursibus hauriunt. *Spec. Ex.* ex. II.

Petrus ab Alva et Estorga, in portento gratiæ ex diversis revelationibus et authenticis scriptoribus astruit S. Franciscum, per Angelum a Deo missum in Assisiam civitatem ad matrem ejus Picam, fuisse annuntiatum, additque, in ejus conceptione quatuor mira contigisse : 1. Quod conceptus ejus annuntiatus sit ab Angelo. 2. Quod fuerit in utero matris sanctificatus. 3. Quod anima ejus fuerit infusa corpori, 25 Martii, quo die Christus est conceptus. 4. Quod statim, ut anima ejus corpori fuit infusa, tantus splendor in valle Spoletana apparuerit, ut omnes dæmones exterriti judicium timuerint; cum autem mater ejus dies plures ægre parturiret, quidam dæmon accedens in specie peregrini, dixit in stabulo eam parituram, nec prolem in sericis sed in fœno edendam. Ita in stabulo et fœno natus est. *Bibliot. pauper.* S. BONAV. v. *Angeli boni.*

Religiosus quidam pietatis causa in Armenia volebat montem conscendere, ubi dicitur Arca Noe quiescere, ut illam videret; idque conatus est magno labore; sed cum tota nocte, qua potuit celeritate, fuisset progressus, mane ad montis radicem se reperit, Angelum que vidit Arcæ particulam deferentem sibi cum dicto : Accipe has de Arca reliquias; supra montem ascendere nulli mortalium licet; his dictis evanuit. PHILIPP. A SS. TRIN. in *Itin. Orient.* l. I, c. XIII.

In Paraquaria, quidam prænoxio pudore scelera in confessione reticens, in vitæ discrimine, quod morbus creabat, vidit spectrum horrendum sibi imminere; quare unum e nostris vocat, confitetur sincere; monstrum evanescit; succedit Angelus, (utique custos) in juvenis forma formosissimus, coronam gerens in vertice auream, gemmis distinctam, dextra linteum ferebat. Hæsit in limine tantisper vultu ad severitatem composito, tum jacenti propior : Sume, inquit, linteum hoc, et lacrymas exterge. Linteum vix manu tetigit, tum subito sic se commoveri sensit ad deflenda scelera, ut doloris impatiens in gemitus et lamenta proruperit. Dolentem subinde excepit suavitas cœlestis, qua eousque apersus est, dum Angelus evanuit, relicto in prodigii fidem strophiolo. Id. ann. 1635.

Christianus quidam, Lucas nomine, cum gentili inimicitias exercebat, qui ei magicis artibus illusurus, sub lecto Lucæ fascinum posuit. Iturus igitur cubitum Lucas, vidit per suum cubile dæmonem discurrere cum lancea in una manu, in altera cum gladio, et infra pedes accensam flammam; quo exterritus Lucas socium suum Benedictum vocat; tunc dæmon ei ictum infligit : unde magis territus, opem Angeli sui custodis invocat, qui mox comparet, et eum jubet vicissim ictum cultro, quem ad cervical habebat, spectro infligere. Quod ubi Lucas fecit, mox humi concidit homo stramineus, dæmoni similis, qui discurrebat, et Angelus evanescit. Sequenti nocte adest idem dæmonium; simul Angelus Custos iterum a Luca invocatur, hortans eum, ne timeret, sed, ut heri, spectrum percuteret, dum cecidit, alius stramine efficitur homo. Addebat Angelus, sub scamno cubiculi alia adhuc latere ejusmodi terriculamenta tredecim, quæ jussit eum protrahere et calcare, neque deinceps sibi timeret. Paruit Lucas, remque totam sua manu ad nostros Patres perscripsit, tunc in Regis palatio Tunquinensis existentes; qui legerunt, medico regio audiente, (sunt enim his locis medici fere magiæ dediti) tum medicus subjunxit : Eum, qui has incantationes fecisset, esse insignem magum; sed eum, qui has ei solvit, esse utique potentiorem et scientiorem. Et fuit utique S. Angelus dæmone potentior. *Relat. Japon.* 1644.

Mancipium Bengalense, Macao in Chinas profugum Christianum, quadam die Dominica templum ingressum, audiendi Sacri causa, cum ei videretur longius, impatiens moræ, post dimidium Sacrum egressus est templum, fastidio plenus; unde Christiani offensi sunt. Vix pedem extra limen templi extulit, cum coram eo duo juvenes comparent, quorum unus injecta in pectus manu eum sistit; alter tam sonantem ei colaphum inflixit, ut in toto templo audiretur. Unde Christiani versi ad locum, unde sonus ille prodibat, videre hominem hunc prostratum et sensu destitutum, ut vitæ indicio careret. Demum se erigit, et ad se redit; tremebundus tamen Christianis, quid sibi a duobus Angelis (ut ipsemet dicebat) ad sui emendationem accidisset, retulit. BARTOLI in *China*, l. IV, f. 1069.

Ammonas, prope Diolcon, in eremo aliquando offerens Deo cultum, ut habet Palladius, serm. LXVI *Lausiac. hist.* vidit Angelum

stantem a dextris Altaris, et signantem fratres accedentes ad Sacramentum (SS. Eucharistiam) et scribentem in libro eorum nomina. Cum autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies mortui sunt. WADING. *Cœn.* III, c. XXII.

Nicolaus quidam obscuri generis, sed pius admodum, in Vesuviano incendio inauratam statuam, quam tutelari Angelo fieri curaverat, et in pagi, Porticus dicti, æde sacra collocarat, sensit sibi profuisse : templo enim illo per torrentem igneum deleto, Nicolaus relicta casa et prædiolo, Neapolim profugit interea, et rogatus ab amicis, numquid detrimenti esset passus in prædio, respondit : Omnino nihil ; nam meus tutelaris Angelus adstat ad agelli mei limites, et vim ignis prohibet. Ita ille divino utique afflatu. Paulo post aliqui prope portum navigantes, viderunt pueri speciem veluti littori adnantis, putant mersum in aquas, dum cæteri in igne pereunt, eo remis contendunt, propius vident, statuam esse Angeli tutelaris, erecto vertice exstantem undis, adstantem ripis, quæ Nicolai prædio prominebant. JUL. CÆS. *Recupitus de Vesuvii incendio.*

Duo erant fratres Eremitæ, quorum unus obvium thesaurum saltu superavit ; alter vero eo sumpto urbem ingressus, monasterium, xenodochium etc. ædificavit. Cui tamen Angelus ita fratrem prætulit, ut ei dixerit : Fratrem uno illo saltu plus meruisse, quam ipsum omnibus operibus, quæ illa pecunia effecit, et ob id se fratri suo vere prætulit. Addit, eum posthac non amplius aut fratris, aut suo aspectu fruiturum, quoad annis 49 pœnitendo eam gratiam recuperet. Ergo extra urbem Edessam annis 49 columnæ institit. Anno autem quinquagesimo Angelus redux eum consolatus est, ab eo die meruit videre Angelos, et dæmones pellere. Vidit etiam homines peccatis obstrictos longo intervallo Angelos sequi bonos, et mœrentes clientis sui casum ; dæmones vero agminatim eos circumstare, ac vinculis constringere. Contra vidit, si ad se vir bonus accederet, bonos Angelos esse eorum antea ambulones, tripudiantes, ac lumina præferentes radianti veste ; dæmones vero longo intervallo sequi. *Virid.* RADERI, p. III.

Mariæ de Escobar, præter Custodem Angelum, decem alii Angeli in formam juvenum scitissimorum aderant, semper ad solatia, opem et auxilia. *Vit.* l. I, c. VIII.

S. Jacobus de la Marca dum versus carnificinam, seu locum ubi rei plectebantur, inter orandum oculos reflecteret, admirabili visu Deus oculos aperuit. Prospiciebat isthuc per fenestram cubiculi sui Jacobus, et ecce Angelorum cohors præfulgida loco imminebat, auditaque vox, ideo advenisse, quia plurimi ex eis, qui plectuntur inibi, cœlesti gloria potiebantur ; quibus cum justa funebria pro more hominum non fuissent persoluta, voluisse Deum ut ab Angelis persolverentur. LYRÆUS *de Imit. Chr.* l. VII, c. I, doct. VI.

In Gallia, mulier ægra a B. Virgine fuit monita, ut se in vicinum montem curet deferri, ibi eam convalituram, ac velle se ibi coli. Angeli comites interrogati, eam Dei Matrem esse dixerunt, jubentes fœminam adire Episcopum Georgium, eique rem totam aperire. Probat is visum, et cum muliere, et sociis montem adit. Mons nive tectus erat, etsi dies 11 Julii esset. Et mox cervus exiliit, qui cursu suo templi topographiam expressit, quam statim Episcopus voluit sepimento notari, donec fabricam inchoaret ; qua feliciter absoluta, accedentes Angeli templum B. V. dedicarunt. Et hæc Aniciensis illa B. V. Ecclesia est, in Avernis miraculis clara. Id. l. II, modo XXXI.

Cum Alexander Bertius sepeliretur, ejus exequiis etiam Angeli præsentes fuisse dicuntur. Nam quatuor feretrum accipere atque ad maximam aram catervatim cœlitibus affluentibus, deportare conspecti sunt ; cum primum funus illatum est templi sacrario virgineum corpusculum, longa tabe consumptum, colorem vividum induere animadversum est, maximis postea miraculis claruit, qui totus fuit miraculum. *Vita Alex.*

Erat vir pius Ecclesiasticus, qui sæpissime B. V. salutabat iis verbis : Beatus venter, qui portavit æterni Patris Filium, et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. Quod aliquot annos solitus facere, gravi morbo opprimitur, cujus vi et vehementia ille dentibus labia et linguam laceravit, commiseratione omnium dignus. Tunc Angelorum unus (utique ejus custos) ad pedem lecti conspicuus, versus ad B. V. per hujus ægri fidissima obsequia obtestatus est, ei sanitatem restitueret, cum quadam pia et reverenti expostulatione, quod os et linguam illam ejus obsequiis sacram pateretur tam acerbe lacerari ; vix finivit Angelus, cum B. V. aliquot guttis lactis ex ubere expressis

ejus labia et linguam aspersit; qui illico totus convaluit, gratiisque de genu actis Religionem iniit, ubi moriturus B. V. vidit adventantem cum ingenti Sanctorum numero, et Angelorum, a quibus ad cœlum deduceretur morientis anima. BARR. *Anni Sancti* p. I, c. v, devot. III *pro 4 Febr.*

B. Henricus Suso solebat B. V. ante solis ortum salutare, quod fuit a SS. Angelis doctus, quos audivit mane, cum sol immineret, admirando concentu B. V. salutare, cujus Cantici thema fuit istud : Stella Maria maris hodie processit ad ortum. Ibid. p. II, c. II, dev. I *Hebd. 2 post Pasch.*

Anno 1621, femina fuit in Japonia, quæ adhuc gentilis, Amidæ (qui est Deus Japoniorum) nomen quotidie centies quadragies millies pronuntiabat, in quem finem summo mane surrexit, adjuta per spiritum familiarem sive dæmonem. Postea conversa ad veram fidem, toties Jesu et Mariæ nomen pronuntiavit, ad quod obsequium maturandum deinde fuit ab Angelo Custode excitata. Ibid. p. II, c. II, dev. XIV, die *Merc. 5 post Pasch.*

Fuit in deserto senex Anachoreta, qui diu ab omnibus in suo ultimo morbo destitutus, habuit demum ministrum Angelum, qui ei septem dies inservit. Interim vicini eremitæ memores, se diu cum hoc sene non fuisse, statuunt se eum adituros, et si æger esset, opem laturos. Adsunt igitur, quibus fores pulsantibus Angelus evanescit; cum interim senex æger clamat: Ite, recedite! quod videret ab iis Angelum fugatum. Denique vi emoto pessulo ad senem ingrediuntur, a quo clamoris causam percunctati cum essent, senex respondit : Dum vos cunctamini me ægrum invisere, Angelus mihi minister septem dies adfuit; cum vero vos portæ imminetis, ille abscessit, et ad cœlos rediit. Hæc ultima ejus vox fuit, et illico obiit. *Vita P. P.* l. V, libell. VII.

B. Passideus subinde habuit in purgandis ollis lancibusque adjutorem, Custodem Angelum. *Pædagog. Chr.* t. II, p. I, c. IV, § 5, n. 12.

Apud Lucanos in Hetruria, ancilla quædam sancta, Sita nomine, e templo, ubi Deo vacabat, serius ad coquendum panem domum rediisset, nisi Angelus fermentatam massam interim subegisset, inque panes efformasset, et in mensa posuisset, ut clibano immitterentur.

Sed longe mirabilius est, quod narrat Ximenes Hierosolymitanus de Falcone quodam, in primis nobili juvene Constantinopolitano, qui in Angeli sui Custodis honorem, voto nunquam mentiendi se obstrinxerat, illudque dum sancte servat, etiam cum mortis periculo, eo, per Angelum miro modo liberatur. Cum enim bonus ille, orta sine arbitris rixa ad manus cum sodale quodam venisset, eumque confodiens occidisset, posset vero negando factum evadere, voti memor mentiri noluit. Fassus ergo scelus protinus ad judicem trahitur; et lata prompte in eum mortis sententia, inde ad supplicii locum nihil tergiversatus, re Angelo suo commendata, alacer et fiducia plenus deducitur. Ibi flexis humi genibus cervices in ictum parat; et expedito jam gladio instat lictor, quando ex adverso videt rara pulchritudine juvenem stricto illi ense, ni abstineat, minitatem. Territo visu lictori gladius excidit; a circumstante populo, qui frequentissimus ad spectaculum confluxerat, murmuratur, exclamatur; submittitur alius ab irato judice, qui protinus caput eodem situ expectanti demetat; sed nec ille quidquam audet, neque tertius quartusque, qui ab Angelo territi omnes pedem referebant. Erat ex occisi propinquis unus aliquis, qui ipse se ad ulciscendam amici mortem, de istorum ignavia indignabundus, judici offert, et impetrata licentia theatrum conscendit, ac vindicta ardens, gladium in ictum extollit; verum et illi se continuo Angelus videndum offert, vetatque voce distincta, ne clientem suum, qui negando homicidium evadere poterat, sed ejus honore et reverentia mentiri nolens morti se obtulerat, ipse tangeret, sed ad judicem iret potius deprecaturus pro liberatione illius, quem sciret olim in virum magnum evasurum. Fecit hic quod jusserat Angelus, et dimittitur reus liber, meliori se mox in monasterio mortis generi submissurus. Ubi cum veste monachali nomen assumpsit Angeli, vitamque inibi ac mortem obivit Angelicam. Ibid. n. 3.

Petrus de Natalibus narrat de cive quodam Aurelianensi, qui suscepta ad D. Jacobi Compostellam peregrinatione, iter hoc suum S. Archangelo Raphaeli commendarat, eum enim, et ducem habuit a via aberrans, et servatorem in persequentium latronum incursu, et fluminis transvectorem, ne in istorum jam jam imminentium manus veniret. Quin et ab eodem in patriam, peracta peregrinatione, ex loco, ubi prius latronum ma-

nus evaserat, ac simile jam periculum metuens progredi non audebat, interim dum somno correptus quiescit, translatus est. Ibid. n. 11.

In vitis PP. legitur de Abbate Moyse, qui cum gravi carnis tentatione pulsatus, ad S. Isidorum consilii ac opis causa confugisset, nec productis ab eo Sacræ Scripturæ sententiis, satis sibi ille adversus tentationis impetum armatus videretur, timeretque abs sancto sene recedere, duxit eum ad editum cellæ locum Isidorus, et aperta occidentem versus fenestra, ingentes cacodæmonum turmas, tamquam ad prælium instructas; deinde ad orientem conversus, innumeram cœlestium spirituum multitudinem, arma aurea gestantem ostendens : En, ait, Fili, quos ad occidentem vidisti, spiritus nequam sunt ad oppugnandos homines semper parati; contra vero quos ab oriente videndos dedit Deus bonos Angelos, eos paratos semper esse vult idem Deus ad homines defendendos. Non est ergo, cur timeas, plures enim nobiscum sunt, quam contra nos. Ibid. n. 2.

Circa annum reparatæ salutis 1635, Cordubæ apud Paraquarios Indiæ occidentalis, fuit provectæ ætatis homo, quem libidinibus diu ac multum assuetum suis, detestata exaggerataque vitæ turpitudine, eo impulit ut vitam pertæsus, salutemque desperans, ipse sibi mortem laqueo offerre cogitarit. Et jam collum resti erat inserturus, quando voce Angeli absterritus, ac de facienda peccatorum confessione monitus, ad mentem rediit, et continuo se domo proripuit, sacerdotem, cui conscientiam expiandam offerret, quæsiturus; sed id ut fieret, passus non est stygius latro, qui viri, cui ille ob acceptum beneficium multum debebat, indutus formam, factus obviam, variis moratum sermonibus sensim sana hominis elisit, illusit que consilia; adeo ut non difficile fuerit (quæ est naturæ nostræ ad malum potius, quam ad bonum adnata proclivitas) ad lubricitatis inveteratam redire consuetudinem, cui postquam sex ipsos annos iterum immersus cum vixisset, sui ac Dei immemor, majoribus quam ante cœpit conscientiæ agitari stimulis, salutisque desperatione vehementissime urgeri. Et de vita actum erat, et æterna salute, nisi Angelus etiam ea vice hominem collum laqueo inserentem clara voce absterruisset, et de peccatorum venia per pœnitentiæ Sacramentum impetranda iterum commonuisset. Et tametsi tunc quidem vitæ emendatio in confitendi voluntate steterit, dæmone amicum, ut ante sex annos, simulante, et a confessionis tribunali, quo properabat, alio divertente; non diu tamen post audito pro concione sacerdote vehementer in eos, qui de salute sua desperarent, invehente, tandem monitoris Angeli consilia secutus, ad sacerdotis pedes accessit; ubi præteritæ vitæ turpitudinem multis cum lacrymis eluit, factus acerrimus suimet accusator; quam autem id serio fecerit, testata est vita, quam deinceps duxit non vulgari virtutis exemplo laudabilem. Ibid. n. 14.

In Brabantia, Villa Bandem, fuit virgo religiosa, qua præsente, cum sacerdos in villa sacrum faceret, vidit corpus sacerdotis et sacras vestes mire decoras. Cum vero S. Hostiam elevaret, vidit duos Angelos miræ pulchritudinis hinc inde assistere, et ejus brachia sustentare; et cum S. Hostiam deponeret, manicas utriusque manus, ne quid eas tangeret, decenter constringere; qui etiam elevatis manibus, et inclinato capite depositam adorarunt. Circa tempus sumptionis vidit corpus sacerdotis tam clarum et perspicuum, ut velut per phialam crystallinam corpus hominis videretur. Missa completa, dum sacerdos vestimenta deponeret, illa ad se reversa, vidit corpus sacerdotis paulatim inspissari et in formam pristinam redire. Hæc puella, Oda dicta, habuit gratiam digne communicantes ab indignis discernendi, et aliquando in Paschate vidit tantum decem homines digne communicare. *Discipulus*, lit. M. ex. XLI.

B. Alanus testatur, cum esset B. Virgo adhuc in vivis, tanti Salutationem Angelicam fuisse æstimatam, ut eam Christus, Angeli et Apostoli pronuntiarent. Addit, B. Virginem sibi apparentem dixisse: Quia vim angelicæ salutationis probe intellexi, ipsamet ego singulari devotione pronuntiavi. Ego Maria juxta humanam naturam et esse, oravi et invocavi Mariam secundum esse gratiæ et gloriæ. Angeli quoque in cœlo salutant ea salutatione Virginem Mariam, non signis sed animis. Norunt enim per eam salutationem sedes Angelorum lapsorum vacuas repletas, Deum hominem factum, et mundum redemptum esse. B. Alanus l. II *de Ortu Frater*. c. XII.

Veteris Germanicæ pietatis magnificentia, quæ olim amplissimis templis excitandis maxime inclaruit, ne superiori sæculo vulgata per eas oras hæresum pestilentia pe-

riisse crederetur, Guillelmus Bojus, raræ, ac nulla unquam prædicatione satis celebrandæ religionis Princeps, Monachi posito templo augustissimo effecit. Eo nihil inter Principum opera hoc sæculo Germania majus habet aut elegantius. Id vero cœlestium legionum fidissimi ac fortissimi Imperatoris Michaelis nomine augustius esse voluit, quod ejusdem sacra die lucis hujus usuram primam hausisset, atque in ejus perpetuo patrocinio vita omni traducta, in æternæ possessionem mittendum se haud dubie confideret. Hoc habent principes viri, quod suæ pietatis perennatura statuere possunt monumenta. Joann. Rhod. l. III, c. iv, exemp.

Acceptam a S. Francisco Paulano familiæ Minimorum parente, pietatem constantissime filii hodieque servant; ille quum modestia præcelleret, ratus, surgentem familiam sine aliquo valido patrono se tueri non posse, Angelorum omnium Imperatorem adoptavit, et præcipua quadam religione a suis coli voluit. Id illi cum aliis obsequiis plurimis faciunt; tum ejus præcipue festis diebus solemni abolitione omnium offensionum, sine quibus, quamquam sub ipso charitatis vexillo, hominum tamen vita non transigitur. Præclare factum, atque ex Reipublicæ christianæ sensu, quæ per eadem solemnia Angelum pacis a Deo mitti, publicis votis precatur. Non aliam ob causam arma induit Michael, quam ut cœlestis aulæ pacem tueretur. Quare qui cœlo dedit, terris etiam unus omnium optime dabit. Ibid. ex. iv.

S. Benedictus cum de loco, cui Sublacus nomen erat, ad montem Cassinum transmigraret, ad omne bonum duo ei Angeli occurrebant, viam qua ire deberet, præmonstrantes. Sigebert. ad ann. Dom. 529.

EXEMPLA DOMESTICA.

Custodia.—S. Ignatius creditur Archangelo in tutelam datus esse. Eidem sæpius apparuerunt Angeli; sæpissime etiam dum Constitutiones scriberet, suavissimos cœlestes concentus audiebat, quorum harmonia ineffabili totus dissolvebatur in lacrymas, ac cœlesti amore fervebat. *Bibl.* l. V, c. iii, *Gloria S. Ign.* c. iv.

Novem primi Patres Romam euntes prope Basileam cum divertissent, et a Lutherano parocho, quem vicerant, carcerem expectare jussi essent, mane illius diei homo adfuit formosa facie, Patresque germanice allocutus, nutu ex conclavi educit, et cum per nives periculosas et altas sæpe subridens eos duxisset, illique magnam in corde lætitiam sensissent, repente, ubi ad regiam viam perventum est, evanuit; agnovere illi idcirco S. Angelum Custodem fuisse. *Hist. Soc.* l. I, n. 114.

P. Petrum Canisium a monasterio Ethal in Ameriano flumine equitantem, deque equo jam lapsum, ita ut uno pede in stapede hæreret, vir quidam per medias aquas insecutus est, denuoque in equum sustulit. Invitatus dein ad proximum hospitium ante portam evanuit. *Vita.*

P. Joan. Fernandus Hispanus in Belgium missus, cum aliquando in loco campestri solus descenderet, superveniunt improviso hæreticorum turmæ, quorum aspectu territus ille, cum equum tam cito ascendere non poterat, magna cum fiducia S. Angelum Custodem invocat, et ecce repente quasi validi hominis brachiis sublevaretur, vidit se in equo suo collocatum, stapede ne attacto quidem, itaque aufugit. Alias cum solus equitaret, incidit in equitem hæreticum, qui statim intentata hasta, cursu concitato, equum in ipsum incitavit. Periisset Pater, nisi Angeli ope servatus esset; ubi enim eques ad ipsum venit, repente subsistens rogat: Jesuitane esset? cumque Pater forti animo annuisset, miles confestim ferocia deposita blande hominem alloqui, manum ad osculandum petere, ac demum sine ulla injuria abire. *Annal. Castell.* Coll. Mac. 1596.

P. Balthasar Alvarez cum Romam appeteret et cum socio aquas ingressus, ex una parte progredi vereretur, ex altera vero timeret, ne in latronem incideret, subito per aquas equitem splendidum venientem vidit, qui eos salvos et incolumes ex aquis eduxit. *Vita*, c. xxv.

P. Bernardinus Colnagus Romæ frequentissime Angelum Custodem suum viderat, a quo et quotiescumque in occasione venialis peccati fuit, admonitus est. *Vita.*

Gregorius Vederus, philosophiæ professor Ingolstadii, si dubium aliquod nullo labore dissolvere poterat, illud S. Angelo Custodi proposuit per preces, et statim ea ipsa nocte solutionem in somno accepit. P. Mich., sp. 1612.

Joannes Carera coadjutor in dubiis semper S. Angelum Custodem interrogabat, a quo mox responsum accepit. Sed et mane

semper ab eodem excitatus est, qua tamen gratia privatus est, cum semel excitatus non statim surrexit, nec nisi post multas lacrymas iterum obtinuit. *Hist. Soc.* p. I, l. X, n. 66.

P. Jacobo de Samniago S. Michael, quem præcipuo cultu colebat, non tantum auxilium ad Indos convertendos promisit, sed etiam eumdem ad loca, quæ ipse adire minime cogitabat, ultro perdocebat, ut tum infantes aqua salutari ablueret, tum aliorum animam egentium confessione exciperet. *Syllab. Pr. serv.*

Cum Antonius Faustinus coadjutor mortuus esset, et ex dæmone in energumena quæreretur, quis ei morienti potissimum adstitisset? Respondit iste : B. Virginem, S. Ignatium. et S. Angelum Custodem astitisse, qui non passus sit eum a quoquam tentari. *Annuæ* 1604, f. 116.

Guillelmus Elfinstonus in morte aliquandiu cum Angelo Custode collocutus, quasi oculis eum aspiceret, ab eodem sibi narratum dixit, se per Purgatorii ignem quidem transiturum, sed celerrime evolaturum. Pat. Chr. q. c. iv, s. v.

Joannes Thenensis coadjutor, licet profundi esset somni, totis tamen, quibus excitatorem egit, triginta annis, non alio instrumento, quo excitaretur, usus est, quam S. Angelo suo Custode, cui ante somnum serio se commendavit. *Annuæ Belg.* coll. Lovan. 1670.

B. Stanislao, cum Viennæ ægrotaret, nec haberet qui SS. Eucharistiam porrigeret, Angeli eamdem ministrarunt. *Vita.*

Ludovico Freredoux, Burgundo, Angelo Custodi devotissimo, in examine respondenti Angelus Custos in aurem, quid quove loco respondendum esset, suggessit. Nadasi, in *Ann. Angel.* heb. 20, n. 2.

Flagitium esset, dum de Angelis colendis agimus, Aloysii, quem Romanæ Rotæ Patres amplissimo honoris titulo Angelicum Juvenem appellarunt, dissimulasse virtutem; etenim appellationem eam, quam ille castissimis moribus, vitaque ab omni mortifera labe immuni meritus sit, hæc tamen si deessent, ipso Sanctorum Angelorum cultu consequi potuisset. Sane si minutis etiam officiis, sed constantibus ea ratio tota continetur, qualis quantusque in his fuerit Aloysius, edita de Angelis meditatio liquido manifestat ; qui enim de illis adeo præclara sentiret, ac facienda præscriberet, illis diu multumque assuevisse sit necesse. Rhod. l. III, c. iv ex nostris ex. vii.

Et domesticis curis Angelos præesse voluit Deus; ea propter illorum familiaritatem omni conatu illos ambire decet, quibus religiosarum familiarum cura est demandata, quod cum Petro Cottono manifeste illos fecisse accepimus, occulte plerumque peragentes, quæ in rem sunt, admonent, ac in partem veniunt sollicitudinum, vigiles nunquam dormiturientes. Sed Cottonus non exquisito cultu ac veneratione tantum, sed qui Angelis homines associat, illibato pudicitiæ flore, quem constantissime vernantem servaverat, ut sibi frequens adesset Tutelaris, illoque familiarissime uteretur, merito fuerat consecutus. In Angelum transmigret, qui illorum frui optat consuetudine. Ibid. ex. iv.

Jacobus Samaniegus perpetuis ac diligentissimis obsequiis ita totius cœlestis exercitus Imperatorem Michaelem sibi demeruerat, ut post multa beneficia, quibus Clientem suum in dies cumulabat, ad extremum mira quadam dignatione, se videndum illustri specie collucentem objiceret, ac bonæ spei plenum ad barbarorum regiones penetrandas, inferendumque cæcis gentibus Evangelii lumen hortaretur, seque tanti operis adjutorem futurum polliceretur. Manet adhuc impetus ille nunquam remittendus, quo impressione facta in idololatriæ architectos, ac divinorum honorum usurpatores consceleratos exclamavit : *Quis ut Deus*? Quo veluti tonitru attoniti ac fulmine icti conciderunt. Ibid. ex. iii.

Guillelmus Elfinsthonus, patria Scotus, sanguine et ingenio, et virtute admodum nobilis, cum pene adolescens nondum integro mense, postquam in Societatem nostram admissus fuisset, in lethalem febrim incidisset, incredibilem semper alacritatem et verbis, et vultu, et factis ipse præ se tulit, cum satiari non posset gratiis Deo agendis, quod in Religione moreretur. Extremo autem ferme spiritu, cum fratres in cubiculum confertim introeuntes videret, in hanc ipsam vocem erupit : O gloriosam, inquit, mortem, tot Angelorum agminibus constipatam? Quin etiam ingenti atque insolito elatus gaudio : Non videtis, inquit, non videtis Angelos? Simulque Angelum suum Custodem compellans, aliquandiu ita cum eo locutus, quasi eum oculis aspiceret, a quo sibi deinde nuntiatum narravit, se per purgatorii quidem loca transiturum, sed celerrime evolaturum.

Quærente autem, nescio quo, qua specie et qua forma is Angelus esset, adolescentem quemdam, qui tum aderat, indicavit, cui simillimum esse dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mixtoque fervore ita completa est ejus anima, ut corpus ipsum, licet gravitate morbi et mortis propinquitate fractum, aliquandiu tamen insolitis motibus super lectulum quasi exiliens et gestiens agitaretur, cum omnium admiratione, qui numquam simile aliquid viderant. Simul etiam oculos retro post cervical, cum magna quadam exultatione reflectens, ac nescio quæ, quæ a nullo percipi potuere, submurmurans, indicabat se aliquid ibi spectare, quo majorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repente consistens, tamquam placidissimo somno consopitus, spiritum exhalavit. *Pædag. chr.* t. III, p. I, c. IV, s. V. n. 14.

Cultus. — Ut hominibus sæpe ex propinquo decidit veneratio, quam e longinquo intenderet opinio, fama, quo propius ad ejus acceditur cubile, ut in fluminibus accidit, decrescente; ita contra cœlitibus, quo familiarius cognoscuntur, majorem inesse illis dignitatem, admirabilitatemque palam est, quibus et reverentia promptior, et cultus diligentior debeatur. Igitur quum Ignatio non semel se beatus ille Aligerum spectabilem videndum præbuerit exercitus, illum ego in hac etiam religionis parte admirabilem fuisse conficio. Et sane singulos per ordines venerari, atque in illis rerum bene agendarum spem maximam collocasse accepimus, quum ardua quæque pro Dei gloria apud mortales amplificanda aggrederetur. Illius etiam prudentissimum ab illorum imitatione documentum non dissimulaverim, quo eorum, qui aliis præsunt, anxietatem tranquillabat. Aiebat enim, ut Angeli nihil eorum omittunt, quæ pro clientum salute sibi præstanda esse intelligunt; neque ideo tamen, si res minus cedat ex sententia, pace tranquillissima non fruuntur; ita Præsidibus satagendum quidem esse, verum ut res cedant, sine pacis amatæque magnis animis quietis ullo detrimento. Rhod. l. III, c. IV, ex nostris ex. I.

Eximiæ atque attentissimæ religionis vir Petrus Faber fuit, qui cum per Europam fere omnem Pontificis imperio vitiis, atque hæresi bellum peregrinando circumferret, quo feliciter sibi cederent omnia, Superum opem quæsitissime implorabat, ut ad oppidum urbemque accedebat, tum conceptis rite votis, sacrisque Psalmorum carminibus Tutelarem ejus loci Angelum, Archangelumve salutabat, utque subeunti præsens ac favens adesset, quasque moliretur res, ad communis Dei gloriam promovere vellet, suaque ope juvare, haud dubia bonæ frugis spe precabatur. Gratam cœlestibus eam fuisse Religionem, non dubiis docemur experimentis; ubicumque enim ille pedem posuit, non modo alte impressa sanctimoniæ vestigia reliquit, verum etiam animarum lucra inde reportavit. Nusquam libentius vocati adsunt Angeli, quam si in partem laboris ac curarum pro mortalium salute susceptarum evocentur. Hic illis optimis geniis genius est; nam animorum salute, illorum suppletur Respublica. Quod etiam confirmat Hist. Soc. hunc in modum de eodem scribens. Id. ex. VII.

P. Petrus Faber secundam feriam semper S. Angelo Custodi dedicavit, eique se de nocte ac die jaculatoriis precibus ardentissime commendabat. Idem quoties oppidum, aut pagum ingressus est, prius Archangelum, Angelosque Custodes ejus loci in auxilium vocabat. *Hist. Soc.* l. III, n. 29.

Alphonsus Rodericus, Angelorum vigilias æmulabatur, vitamque omnem illorum cultu metiri didicerat. Quoties enim velocissimæ temporis fugæ, vitæque furto per momenta nobis sublatæ, campani æris sonitu ex rotati horologii partitione admonemur, toties ille unum ex viginti quatuor, quos sibi Angelos in patronos delegerat, apposito sacro carmine consalutabat. Mira dictu res: vigilabat noctu pietas, excitabatque singulas ad horarum significationes alumnum suum, ut illud faceret officium salutationis. Salve igitur unus omnium mortalium, quos legerim, omnium non modo vigiliarum, sed horarum vir, ac proinde immortalitate dignissimus! Rhod. l. III, c. IV, ex nostris ex. V.

P. Balthasar Alvarez omnes quidem Angelos religiose admodum venerari, sed quatuor singulari cultu didicerat. Gabrielem divinæ illius atque incomparabilis Dei adversus homines benevolentiæ ad Virginem olim legatum. Tum illum, qui Christo in horto adeo graviter anxio, et ad preces tertio incumbenti Summi Patris mandata detulit; et victoriæ per eam pugnam paulo post referendæ amplitudinem aptissimis ad consolandum verbis explicavit. Tertio illum, cui nostrorum sacrificiorum quædam est demandata provincia, ut illa juxta precantium vota

Deo offerat. Postremo Tutelarem ac patronum suum; et quum Collegia, aut Provinciam regeret suorum omnium subditorum illis profectum commendabat, ut eos, et sibi faciles, et in virtutum exercitatione strenuos validosque præstarent. Duos illos primos sua satis munera commendant, ut pro omni ratione, illorum sit amplitudo. Ibid ex. VIII.

De Josepho Arriaga et Francisco Abbato, sive litterarum ac sapientiæ, sive demissionis ac laboriosæ modestiæ laude quis præcellat Angelorum familiaritatem obsequiis cultuque diligenti posse promereri videtur. Arriaga mirum quanta pietate Custodem coleret suum, eique sapientiam, qua erat instructus, commendaret. Abbatus item, licet nulla litteratura, idem facere non omittebat. Utrumque familiaria cum Angelis miscuisse colloquia memoriæ proditum est. Et Abbatus quidem, cui etiam pinsenti adfuisse dicebantur, adeo libera simplicitate hoc præ se ferebat, ut quum solitudinem captaret, secederetque ab arbitris, interrogatus quo se reciperet, ad colloquendum Angelis responderet. Neque id quidem mirum erit, servos cum simplicibus sermonem habere, quibuscum Dominus ipse sermocinaturum se pronuntiavit. Ib. ex. IX.

S. Franciscus Xaverius, ubi Goam attigit, antequam pro Dei gloria laborare inciperet, Deum prius, et Archangelum Indiæ præsidem invocavit, ac tunc primum Episcopum adiit. *Vita* l. II, c. II.

Joannes Berckmannus, Societatis scholasticus, assueverat eorum, qui obviam sibi fiebant, Angelos Custodes salutare. *Vita* p. I, 31.

SIMILITUDINES.

Sicut regnum, aut civitas obsessa a numeroso exercitu, et intus plena conspirationibus, factionibusque contra personam Regis, nec nisi ac debilibus sauciisque, ac paucissimis militibus defensa conservari non posset, nisi aliunde subsidium acquireret; ita nec anima ab innumeris hostibus exterius impugnata, et intus a propriis passionibus infestata prævalere non poterit, nisi Angelorum præsidio a Deo submisso. ALBERTIN. c. IX *de S. Ang. Cust.*

Sicut in aulis Principum necessarii sunt Œconomi, qui inferioribus servis, eorumque necessitatibus prospiciant, nec tamen ex simili servitute detrimentum honoris patiuntur; ita, et hominibus, eorumque necessitatibus oportebat per Angelorum sollicitudinem provideri, idque illi potissime faciunt, quia sciunt, hac ratione se debitum Supremo Regi Deo cultum, obedientiamque exhibere, nec quicquam inde de suo honore et auctoritate decedere. Id. c. X.

Sicut pro defensione urbium muri sunt necessarii, qui in circuitu undequaque hostium insultus arceant; sic ad custodiam hominis Angelorum præsentia et auxilium est necessarium, utpote per quos fortius, quam ullo muro hostium infernalium conatus eluduntur. S. BASILIUS *in Psalm.* XXXIII.

UTILITAS. — Sicut Angelus terruit asinam Balaami, ne dominum suum veheret ad nefariam maledictionem; ita Angeli corripiunt suos clientes, ne ad Deum per peccata maledicendum procedant. FABER, conc. IV, *in fest. S. Mich.* lit. F.

Sicut Angelus tenuit manum Abrahæ, ne feriret et immolaret filium; sic Angeli tenent dexteram Dei, ne perdat eorum clientes. Id. conc. III, lit. B.

Sicut lacertula, Sania nomine, si videat serpentem homini dormienti insidiantem, involat in faciem hominis, et vellicando excitat, ut a periculo sibi caveat; ita Angelus Custos cernens hominem in peccato sternentem, internis hortatibus excitat, ut a serpentis infernalis insidiis sibi caveat. Id. conc. III, lit. D.

Sicut mater abscondit cultrum, ne infans eum arripiens seipsum lædat; sic Angeli sæpe occasiones peccati subtrahunt, ne eorum clientes sibi ipsis noceant. Id. lit. E.

Sicut si solis radii in concavum et mundum speculum incidunt, iisque stupa applicetur, protinus ignem concipiet; ita cum amoris divini radii in Angelos velut specula purissima vibrentur, mox animas nostras ejusdem amoris igne accendent, si per fiduciam et amorem eiisdem jungantur. BEYERL. text. VI in *Festo S. Mich.*

Sicut vitrea vasa mollibus integumentis includuntur, ne ad duriora corpora allidantur et frangantur; ita vasa misericordiæ Deus Angelica protectione sepit, ne per peccatum aut violentiam dæmonum perdantur. Idem.

Sicut hominibus per viam non tutam ambulantibus saluberrime ductores adjunguntur; ita et cuivis homini, quandiu viator est, merito SS. Angeli velut ductores fidelissimi

et potentissimi sociantur, ut per eosdem a latronum infernalium insidiis protegatur. S. TH. p. I, q. CXIII, n. 4.

CULTUS. — Sicut discipulus omnem suo pædagogo reverentiam exhibet, nec insolenter se gerere audet præsente illo; ita cum Angeli velut pædagogi dati sint homini, omnem illis oportet ob hoc reverentiam et cultum exhiberi. FAB. conc. III in *Fest. S. Mich.* lit. I.

Sicut apes, utpote castissima animalcula, quæ ex concubitu non gignuntur, oderunt venereos; ita Angeli, quia sicut carnis, ita et Veneris sunt expertes, obscænos oderunt, castos vero amant, et protegunt. Id. conc. IV, lit. I.

Sicut fumus apes fugat, et fœdus odor columbas expellit; sic Angelum vitæ nostræ Custodem abigit multa lacrymarum aspergine dignum ac graveolens peccatum. S. BASIL. hom. XLIV, *in Psalm.* XXXIV.

Sicut ingratissimus merito judicatus fuisset Tobias junior, si comitem suum Raphaelem non quotidie salutasset, honorasset, et familiariter cum eo egisset; ita ingratissimi quoque merito censendi sunt, qui, cum eadem a S. Custode suo beneficia accipiant, vix semel in die eumdem salutant et honorant, multo minus vero ullam ad eum fiduciam ostendunt. FAB. in *Festo S. Mich.* conc. V.

MOTIVA.

CULTUS ANGELICI. — Quia sunt *Aulici* Dei; si ergo aulicos hujus mundi propter majorem propinquitatem et familiaritatem cum Regibus et Principibus terrenis tanti æstimamus et honoramus; quanto magis Angelos propter summam familiaritatem et propinquitatem cum Rege Regum et Domino Dominantium summe æstimare et honorare par est?

Quia sunt *Pædagogi* nostri ab ipso Deo nobis propositi; si ergo filii Principum magno honore et amore prosequuntur moderatores suos, quia sic parentem suum velle sciunt, quidni parem honorem et amorem exhibeamus Angelis, velut moderatoribus a Deo constitutis, non in profana, sed cœlesti sapientia nos instruentibus?

Quia sunt *Custodes* nostri; si ergo tantopere fovetur salvaguardia, seu milites pro præsidio dati; quanto magis fovendi et amandi erunt illi præsidiarii, qui nos ab ipso dæmone et interitu æterno custodiunt?

Quia sunt *Comites et Ductores* nostri; si ergo jucundus comes est vehiculum viæ, si fido et perito ductore nihil gratius est viatori iter periculosum peragenti; quantopere nos gratulari debemus nobis, dum tam fidos, jucundos, et peritos ductores nactos nos esse conspicimus?

Quia sunt *Amici* nostri fidelissimi, summeque nos diligentes; si ergo, juxta Siracidis testimonium, amico fideli nulla est comparatio, et qui illum invenit, invenit thesaurum bonum, medicamentum vitæ et immortalitatis; quanto magis de talibus amicis gratulandum, illique omni obsequio demerendi sunt?

Quia sunt *Cohæredes* nostri; si ergo olim jucundissime illis convicturi, et communi felicitate gavisuri sumus; quidni, et nunc istam familiaritatem cum illis inchoemus, et jucunde convivere studeamus?

Quia Angeli in morte soli propemodum adstant et defendunt. Nam experientia quotidiana nos docet, quod, dum morti appropinquamus, amici ut plurimum a nobis recedant: etenim filii nihil nisi hæreditatem cogitant; uxor de dote sua assecuranda laborat; parentes de temporalium bonorum dispositione nos urgere tunc solent; medici totam curam suam in corporis salute procuranda collocatam habent; at vero quis est, qui de animæ suæ salute, de sacramentis conferendis, de suggerendis salutaribus monitis et cogitationibus bonis inspirandis sollicitus existat? Is est solus Angelus, hic enim sese in defensionem adversus dæmonem armat; is facit, ut infirmus ad confessionem anhelet; is parochos vel alios religiosos ad eum visitandum acriter monet, is denique ipsemet de procurandis ad æternam salutem remediis sollicite cogitat. MANSI, disc. IX, n. 4.

In Annalibus Cisterciensibus legitur, quod ejusdem Ordinis sacerdos quidam novitiatus sui tempore, quod ingenti cum fervore transegerat, cum jamjam moriturus esset, hæc duobus ejusdem monasterii et ordinis fuerit visio exhibita: Cohortes namque Angelicas e cœlo descendentes Ecclesiam ingredi, ibidemque ab illis officium defunctorum celebrari et viderunt, et audierunt. Animam solemni officio Deo commendabant, et divinæ præconia laudis usque ad cœlum sonoris vocibus extollebant. Insuper iidem monachi signum ad conventum pro assistentia

moribundi congregandum, dari solitum, sonare audierunt. Unde clare liquet, quam sint Angeli in illo articulo pro nobis solliciti, ut nos in eo momento orationibus et intercessionibus suis adjuvent, multosque alios fideles ad idem faciendum promoveant. *Ann. Cisterc.* an. 1135, ar. 3, c. LXX.

Sed in vita S. Philippi Nerii, cujus magnus ille Dei servus P. Camillus de Lellis, filius spiritualis, necnon religionis Clericorum infirmis ministrantium primus fundator exstitit, legimus, quod die quadam, ut nonnullos dictorum Patrum in hoc sancto charitatis exercitio perseverare faceret, iisdem dixerit, se Angelos vidisse, qui duobus illius instituti Patribus morientium animam recommendantibus, verba suggerebant, quibus infirmos alloquerentur. *Vit.* l. I, c. VII, n. 9.

Quia specialiter illuminant; ad quod probandum S. Bonaventura illum c. X Apoc. textum adducit: *Accipe librum de manu Angeli*, et dicit: Quid hoc est, nisi per eum instrui et doceri? Si omnes homines, ut philosophus ait, scire desiderant, (nec scire possumus nisi doceamur) quantum illos amare debemus, a quibus continue non in vanis, sed salutiferis edocemur? Quis adeo malus esset, qui, si cæcus esset, illum non amaret, qui sibi lumen redderet? Angelicus Doctor super illa verba: *Quis revolvet nobis lapidem?* scribens, citat S. Remigium dicentem: Significat autem revolutio lapidis reserationem sacrorum, quæ littera legis tegebantur, lex namque in lapide scripta fuit, et ideo per lapidem signatur. S. BONAV. ser. I *de Angel.*

Quia sedulo ministrant; quod beneficium Josephus Mansi sic elucidat: Si Rex aliquis, vel magnus alius mundi hujus Monarcha in personato servi habitu nobis se in via comitem jungeret, nobisque serviret, quis ejus respectus futurus esset? Vel quam ei reverentiam et gratitudinem exhibituri essemus? Aut quænam consiliis, ne dum nutibus ejus, obedientia a nobis sperari posset? Utique nulla, vel admodum exigua? Jam vero ex fide nobis certum est, quod Angeli, qui veri sunt Reges cœlestis Paradisi (fecisti nos Deo nostro Regnum, et regnabimus), nos custodiant, nobis tamquam servi ministrent, nosque instruant, sed in habitu non solum personato, sed nec unquam a nobis viso, absit tamen, ut propterea illos despiciamus, aut servitia, aut obsequia nobis ab eisdem exhibita contemnamus. Ex despensatione divina, inquit S. Bonaventura, sunt nobis præsentes, et ideo est ministerium ipsorum continuum. Optime regius Propheta novit, quam illis reverentiam deberet, ideo ut se ad debitam illis exhibendam reverentiam excitaret, hisce semetipsum verbis monuit: *In conspectu Angelorum psallam tibi*; circa quæ verba reflectens S. Hilarius ita scribit: Scit se sub specula Angelorum omnem vitam, moresque agere, et ubique hæc divinorum mysteriorum auxilia fidelibus cunctis assistere. MANSI disc. XIII, n. 15.

S. Bernardus ejusdem Psalmistæ verba: « Ut custodiant te in omnibus viis tuis » glossando dicit: Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam; reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habeas; tu ne audeas illo præsente quod vidente me non auderes. An præsentem esse dubitas, quem non vides? Nos enim non solum Angelos adeo de nobis benemeritos benefactores nostros, offendimus, sed etiam ipsammet divinam et supremam Altissimi majestatem, quæ in vultu et facie ipsorum immediate resplendet, « siquidem Angeli semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est » offendimus. Quod absit, ut faciamus. Neque enim Angeli ex alio motivo nobis sunt venerandi, quam quia imaginem Dei sibi infertam, imo ipsummet in se Deum circumferunt. S. BERN. ser. XII *in Psalm.* XC.

Quia plurima alia beneficia conferunt; uti citatus auctor sequenti discursu declarat: Si aliquis nobis per quinquagina vel sexaginta annis servisset in mari, inter syrtes et scopulos, inter procellas et tempestates, inter naufragia et alia similia; si custodisset ab innumeris maritimis monstris, piratis, Turcis, etc. illæsos nos conservando et incolumes; si præterea nos qualibet hora, per tot annos, eripuisset a morte, insuper thesauros, sceptra, et regna lucrari nos fecisset, quam mercedem daremus ei? Aut quid dignum poterit esse beneficiis istis? Talia autem sunt bona infinita, quæ nobis in hujus vitæ procelloso mari præstantur ab hisce cœlestibus nuntiis; hoc mare magnum etc. qui nos post laboriosam hanc navigationem æternaliter cum Deo regnaturos ad beata Paradisi littora feliciter perducunt; quod si autem hanc nobis assistentiam et servi-

tutem gratuito, et sine ullo ipsorum interesse aut lucro præstitissent, quanto amplius hæc nostra erga ipsos obligatio adaugeretur? Talis autem est custodia et ministerium Angelicum, quod nequaquam ad aliquod a nobis tamquam servis suis stipendium recipiendum ordinatur, sed potius huc spectant tantum, ut nobis benefaciant, nosque omnibus naturæ, fortunæ et gratiæ bonis locupletent; sunt enim ipsi in eo statu, in quo nostro stipendio nequaquam indigent. Bonorum nostrorum non eget, « Angelus qui eruit me de cunctis malis, » inquit S. Patriarcha Jacob, quando se in ultima et decrepita ætate ipsorum ope tot infortunatos ipsi occurrentes eventus feliciter evasisse deprehendit. Gen. iv, 16.

Quodsi vero homo aliquis reperiretur adeo ingratus, qui beneficia a suo benefactore recepta nequaquam agnosceret, imo cogitationibus suis ad illa sese nunquam reflecteret, quam atrocibus pœnis talis mulctari mereretur? Et tamen quot reperiuntur animæ fideles, quæ in totius vitæ suæ decursu Angelorum custodum ne vel semel quidem recordantur, multo minus aliquod illis gratitudinis donativum exhibent! Ibid. disc. xvi, n. 3.

MEDIA.

Ad eorum amorem conciliandum.—*Oratio crebra*; nam, ut S. Chrysostomus sapienter dixit : Cætera illorum omnia, et nostra, ut natura, victus, sapientia, et quidquid dixerit quispiam, longo intervallo inter se distant, precationis autem officium commune est hominibus cum Angelis. Hæc te Angelis jungit, hac brevi sane illorum Reipublicæ, illorum vitæ, vivendique rationi, dignitati, nobilitati, sapientiæ, intelligentiæ adjungetur, qui omnem sibi vitam in precibus ponendam putabit. S. Chrys. orat. ii *de Precat.*

Animorum concordia; uti S. Bernardus indicat dicens : Sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, et orationes cum lacrymis, et cordis intentiones; attamen super hæc omnia unitatem et pacem a nobis exigunt Angeli pacis. Quidni enim maxime delectentur his, quæ formam quamdam suæ civitatis repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra? Et paulo post : Quomodo civitatis illius participatio est in idipsum, sic et nos id ipsum sentiamus, id ipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata; nihil vero æque offendit, et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones. S. Bern. ser. i *de S. Mich.*

Humilitas, de qua sic idem Bernardus loquitur : Quid est, quod sola ab Angelis commendari videtur humilitas, nec tamen sola a pastoribus invenitur? Forte specialius commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. S. Michael, qui supremus est cœlestis militiæ Princeps, templum quoddam in monte Gargano in Sanctorum Angelorum honorem dedicari et consecrari voluit; qua autem ratione id factum sit, velim audire: In Monte Gargano venerabilis memoria S. Michaelis Archangeli, ubi ipsius nomini consecrata habetur Ecclesia, vili facta schemate, sed cœlesti prædita virtute. Idem ser. iv, *de Nativ.*

Chrysostomus tabernaculum, in quod S. Abraham Patriarcha tres Angelos hospitio suscepit, hisce verbis considerat : Non auro tectum linivit, sed apud quercum illam tabernaculum figens, foliorum umbra contentus erat, et tam splendidum ipsi erat diversorium, ut nec Angelos apud ipsum manere puderet, non enim quærebant domus splendorem, sed animæ puritatem; sciebat etenim, quantum Angelis modestia et humilitas placeret, quam insuper deinceps a Creatore suo in ejus in terram descensu didicerunt. Jacob Angelos vidit in scala illa ascendentes et descendentes; et vere ita est, nam miseriis, humilitati, et vilitati nostræ Angeli compatiendo condescendunt. S. Chrys. apud Mansi disc. xiv, num. 8.

Labor sedulus; novimus enim oblectari Angelos labore, quia in continuo motu versantur. Unde S. Bernardus ait : Agnoscant homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur, agnoscant, quam placeat supernis civibus labor. Quæ verba mellifluus Doctor scripsit, dum illos pastoribus, agricolis et laboratoribus, non vero iis, qui Hierosolymis otio et deliciis vacabant, apparuisse consideravit. Idem quoque S. Doctor Angelos in scala Jacob in continuo motu versari conspiciens, vidit Angelos ascendentes et descendentes, nullum quiescentem. Eamdem quoque doctrinam tradit Doctor Seraphicus, cujus hæc sunt verba : Simus obedientes, in divinis operibus laborantes, si Angelos volumus

habere assistentes, nam non laborantibus, non obedientibus, sed voluptatibus et deliciis vacantibus resistunt Angeli. S. Bern. ser. III *de Nativ.*

Patientia generosa; nam ut recte Laurentius Justinianus advertit, numquam Angeli lassantur ab opere salutis nostræ, et a profectuum nostrorum studio numquam deficiunt, potissime si prospiciunt nos Deum diligere, devotioni insistere, sectari virtutes, spiritualiter conversari, mundum spernere, æquanimiter adversa tolerare, terrena calcare, et desiderare cœlestia. S. Laur. Just. l. *de Obed.* c. VII.

In sacris Canticis legimus. « Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus. Cant. VIII, 12.

Gratitudo; nam Angelis specialiter eam deberi, S. Ambrosius sic ostendit : Canis viator et comes Angeli est, quem Raphael non otiose sibi et Tobiæ filio adjungendum putavit, mutæ specie bestiæ Sanctus Raphael, Tobiæ juvenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum, quis enim non erubescat, gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Ab hac igitur sanctus ille juvenis ad gratitudinem Angelo benefactori suo maximo exhibendam magis magisque exstimulatus fuit; unde cuncta ab Angelo recepta beneficia sigillatim patri suo recensendo dixit : « Quam mercedem dabimus ei ? Aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? S. Ambr. apud Mansi disc. XVI, n. 2.

Timor, ob præsentiam; uti sanctus quidam abbas indicavit, qui dum interrogaretur de honore et reverentia, quam Angelo suo custodi deferebat, respondit, quod Angelos veneraretur, memor verborum illorum: « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear » : Timeo ergo eum, ut custodientem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum, et insinuantem ei actus meos et verba. Quod si nos sciremus quemdam Regis intimum amicum et familiarem nobis adesse, qui cuncta verba, gressus et actus nostros consideraret, ut quidquid agimus, Domino suo referre posset, quam futuri essemus in verbis circumspecti, quantum studeremus ad ejus nobis benevolentiam conciliandam; omne illi ex parte nostra exhibendo obsequium et reverentiam? Tobias junior Angelum Raphaelem magna reverentia semper prosequebatur, tametsi simul cum ipso in peregrini seu viatoris habitu iter ageret; id namque ex verbis illis : « Domine, invadit me! » clare deducitur. Et quidem Domini titulum ei attribuit, dum eum ignoraret, quis esset; at vero postquam sese illi et parentibus ejus, quis esset manifestavit, ipse, et pater ejus trementes ceciderunt super terram in faciem suam ; enim vero si Angelus nobis visibiliter appareret, quantum ei delaturi essemus honorem? Jam vero fides nostra nos docet, ipsos semper nobis præsentes esse propter custodiam, quam nobis exhibent, ac proinde non minus eos revereri debemus, quam si visibiliter nobiscum consortium haberent. *Vit. PP.* l. V, c. XLIV.

Puritas mentis et corporis; cum enim ipsi sint purissimi spiritus, et nihil æque amorem conciliet ac morum similitudo, merito ii præ cæteris amari ac foveri ab Angelis creduntur, quos puritate hac geminata sibi similiores esse conspexerint.

Amor ardens Dei; cum enim illi eumdem Deum ardentissime diligant, et a nobis etiam similiter diligi desiderent, nulla profecto ratione efficacius eos nobis demereri, atque eorum amorem conciliare possumus, quam si per amorem cum Deo, velut uni tertio conjungamur, ut eadem opera etiam cum iisdem conjungamur. Hinc cum Tobias peteret, quid pro obsequiis ac beneficiis præstitis rependere deberet, non aliud audivit, quam hæc verba: Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei. Tob. XVIII, 6.

Fiducia singularis; si enim Christus olim S. Gertrudi fassus est, per similem fiduciam de ipsius in nos charitate et promptitudine ad benefaciendum, cor sibi transverberari, quidni idem etiam de SS. Angelis sentiamus?

Familiaritas crebra; sic enim S. Bernardus suasit dicens : Habetote familiares Angelos, fratres mei, et frequentate eos sedula cogitatione, et devota oratione, quia semper nobis adsunt ad custodiam et consolationem. Et paulo post subjungit: Si ergo tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus delectari. S. Bern. ser. I *de Ang.*

ASCETICA.

Plura sunt quæ de Angelis Asceta bene nosse debet; et primo quidem, ut, quemadmodum par est, hanc Angelorum custodiam inter primos favores et beneficia sibi collata numeret, gratissimoque animo agnoscat. Quem in finem proderit sequentem S. Bernardi admonitionem bene ponderare: Angelis suis mandavit de te. Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit, studiose consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? Cujus sunt Angeli? Cujus mandato obtemperant? Cujus obediunt voluntati? Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Majestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit de te, illis utique sublimibus, tam beatis, et tam proxime sibi cohærentibus, et vere domesticis mandavit. Tu quis es? Quid est homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam reputas eum? Quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis? Sed quid, putas, mandavit de te? Ut custodiant te. S. Bern. *in Psalm.* Qui habitat.

Nosse debet solidum modum colendi et amandi SS. Angelos, qui quidem in tribus capitibus a S. Bernardo iterum assignatis consistere videtur, dum ait: Quantum tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. *Reverentia* itaque consistit in hoc, ut non audeamus illis præsentibus, quod alio homine præsente facere non auderemus, sicque dicemus cum Esther: Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum. *Devotio* consistit in prompta voluntate varios honores illis deferendi, obsequendi omnibus eorum consiliis, sicut illi habent promptissimam voluntatem nostra commoda et salutem promovendi. *Fiducia* denique consistit in assiduo recursu ad opem eorum, ita ut quemadmodum D. Bernardus monet, quoties gravissima cernitur urgere tentatio, aut tribulatio vehemens imminere, invocemus custodes nostros, adjutores nostros, in opportunitatibus, in tribulatione, inclamemus eos et dicamus: Domine, salva nos, perimus. Et hoc tanto audacius faciamus, quanto clarius nobis constat, quod fideles, prudentes et potentes sint.

Nosse debet, quomodo in agendo cum proximo, quantum fieri potest, Angelos imitari debeamus, quemadmodum S. Ignatius a suis operariis requisivit. Consistit autem hæc imitatio in tribus potissimum capitibus. 1. Ut, sicut ipsi nobis purissime propter Deum inserviunt, atque adeo nullum respectum personarum faciunt, sed cuivis etiam vilissimo homini tam libenter inserviunt, ac pluribus, iisque præstantissimis operam suam impendunt, nihil interea de sanctitate sua, ac familiaritate cum Deo remittentes; ita idem quoque Asceta faciat, aliosque ut faciant doceat et hortetur. 2. Ut, sicut illi omnem conatum et diligentiam adhibent in nostra salute procuranda, ut suo modo illud Davidis dictum usurpare possint: Totis viribus præparavi impensas domus Domini, non enim homini præparatur habitatio, sed Deo. I Paral. xxix, 2.

Ita similis cura ab Asceta salutis alienæ studioso adhibeatur. 3. Ut, sicut illi, quocumque eventu secuto, in suavissima Dei voluntate conquiescunt; ita idipsum etiam imitari Asceta studeat, memineritque ipsum etiam Deum non semper optatum operum suorum successum sortiri.

In primis nosse debet, *quibus dentur Angeli?* Ad quam quæstionem S. Augustinus sic respondet: Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam. S. Aug. in l. 83 *Quæst.*

Et forte id ipsum S. Bernardinus ex eodem quoque fundamento asseruit, licet is nonnihil universalius, assertionem videlicet suam ad animalia quævis minutissima extendendo, loquatur, et Damasceni auctoritatem alleget, sic enim scribit: Non solum hominibus dantur Angeli ad custodiam, sed Damascenus, in sua prima parte cap. x, dicit, quod muscæ, et pulices, et formicæ, et omnes creaturæ habent unum Angelum secundum species suas.

Nosse debet, a quo tempore homines habeant custodes Angelos: Pro quo dubio S. Thomas citat Origenem, qui aliquos in ea opinione esse refert, quod Angeli nobis a tempore collati baptismi assignati fuerint; alios autem existimare deputatos nobis esse

a die nativitatis. Estque hæc opinio a S. Hieronymo approbata, et rationabiliter, inquit Doctor Angelicus. Beneficia enim, quæ dantur homini divinitus, ex eo, quod est Christianus, incipiunt a tempore baptismi, sicut perceptio Eucharistiæ, et alia; at ea, quæ providentur homini a Deo, in quantum habet naturam rationalem, ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit; et tale beneficium est custodia Angelorum. Ulterius idem sanctus Doctor ait, quod quoadusque homo est in utero materno, pars est matris, sicut fructus est pars arboris, ac proinde spectet ad Angelum tutelarem illius, custodire etiam fructum ventris sui, donec ab ea separetur. S. Thom. p. I, qu. cxiii, a. 5.

Nosse debet, cur Angeli tot mala interdum infligant hominibus; de quo sic discurrit Mansi: Advertendum est, quod sponsa per quam anima a Deo electa denotatur, lamentetur dicens: « Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Mansi disc. vi, n. 11.

Quod si enim sponsa symbolum est animæ a Deo singulariter dilectæ, qua ratione tot ei ærumnæ accidunt? Ubi est custodia Angelica, quæ ipsam defendit? Imo potius ipsimet Angeli esse videntur illi, qui adeo indignis modis eam tractant. Respondet igitur: Modus quidem ille tractandi, quo sponsa excepta fuit, oculis nostris displicere videtur, non tamen displicens, aut adversus esse videtur in conspectu Dei, imo nec in oculis ipsarummet animarum, quæ adeo indigne tractantur. Siquidem quo magis anima aliqua a Deo diligitur, nec non quo ardentius Deum diligit, tanto magis pro ipso pati desiderat. Pœna interroget, si quis veraciter amet; ideoque bonis terrenis spoliari, tormenta aut injurias pro dilecto pati, vitam denique ipsam aut sanguinem pro Christo fundere, optimæ sunt deliciæ, quæ ardenter Deum amans anima posset optare. *Cant.* v, 7.

Nosse debet effectus custodiæ Angelicæ, quos breviter sic enumerat Abulensis: Primus effectus est ad bonum inducere; secundus, retrahere a malis; tertius, tollere impedimenta profectus spiritualis; quartus, liberare ab exterioribus periculis; nam quiscumque potest incidere in mille pericula, nisi liberetur. Abulens. *in c.* lxviii *Matth.* qu. lxiii.

S. Laurentius Justinianus de iisdem sic loquitur: Nos instruunt in dubiis, sustentant in adversis, in prosperis humiliant, orationes perferunt, reportant gratiam, cumulant merita, et erga nos infatigabiliter ministeria sua exercent. S. Laur. Just. ser. *de Sanct. Mich.*

Nosse debet, quomodo deserant; id quod iterum declarat Abulensis, nimirum in quantum ei aliquem custodiæ suæ effectum, quem alias eidem ministrare solet, subtrahit, per quem alias ab hac vel illa tribulatione evadere potuisset; vel etiam ideo illam deserere dicitur, quia progressus spiritualis obstacula, aliaque ad lapsum irritantia offendicula e medio non aufert. Et quia nemo unquam fuit, quem Deus secundum altam providentiam suam non permittat incidere in aliquos defectus pœnæ vel culpæ, nemo est de custoditis, quem interdum Angeli non deserant; quomodo autem derelictio ista intelligenda sit, immediate post exponit, dum ait, id fieri: Non impendendo aliquod auxilium, quod impendere poterant. Similem quoque explicationem S. Thomas tradit, dum ait: Numquam totaliter dimittit; sed ad aliquid, prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam, quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinorum judiciorum. Abulens. apud Mansi disc. x, n. 5.

Nosse debet, cur Angeli gaudeant magis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super justis? Id quod S. Bonaventura indicat, dicens: Gaudent Angeli de pœnitentia hominis peccatoris, quia destruitur culpa, restituitur justitia, confutatur dæmonum superbia, efficax efficitur Angelorum custodia, reparatur Ecclesia, placatur ira divina, et restauratur Jerusalem superna. S. Bonav. *in Luc.*

Nosse debet, quomodo Angeli Deum assiduo aspicere, et tamen nobis ministrare possint? Ad quod dubium respondet in primis S. Anselmus dicens: Mittuntur, et assistunt, quia etsi circumscriptus sit Angelicus spiritus, summus tamen spiritus, qui Deus est, circumscriptus non est; Angeli itaque et missi ante ipsum sunt, quia quolibet missi veniant intra ipsum currunt. S. Anselm. *in cap.* i *ad Hebr.*

Deinde etiam S. Thomas: Angelus etsi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quoad effectum custodiæ, quia etiam cum est in cœlo cognoscit, quid circa hominem agatur, nec indige

mora temporis quoad motum localem, sed statim potest adesse. S. THOM. p. I, qu. CXIII, a. 6.

Rationem vero hujus velocitatis Abulensis in his verbis tradit : Cum non sit corpus, neque corpori alligatus, non movetur per continuum, ideo neque per tempus, sed transitus subito fit ejus de cœlo in terram.

Nosse debet, quæ gratitudo debeatur Angelis, ea videlicet, quam S. Raphael a Tobia utroque petiit, dicens : « Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. » TOB. cap. XII, 6.

Nimirum pro exhibitis beneficiis et servitiis præstitis Angeli nihil aliud a nobis, gratitudinis et recognitionis loco, deposcunt, quam ut Deo laudes, gratias et benedictiones, mille titulis aliunde debitas, referamus, in ejusque sancto timore perpetuo vivamus.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: » Ps. XCVI, 11.

Potest ostendi, quantum beneficium sit Angelica custodia, ideoque dividi concio in duas partes, in quarum prima probetur, cuique homini suum Angelum custodem attributum esse, ex S. Scriptura, consensu Doctorum, ratione, historiis, uti in Fabro conc. 1 in festo S. Michaelis videre est. In secunda parte ostendatur beneficii magnitudo, per discussionem circumstantiarum, quis, quibus, quid, de quo mandarit, ad modum, quem § 9, n. 1 ex S. Bernardo ostendi. Claudatur demum concio cum affectuosa apostrophe ad Deum, gratias agendo pro tanto beneficio, promittendoque quod velimus audire vocem ejus, etc. Cum alia dein apostrophe ad ipsos SS. Angelos Custodes, rogando, ut nos suscipiant denuo in tutelam, illuminent, dirigant, corrigant, et demum ad optatam patriam perducant, ubi pro nostris et illorum beneficiis Deum cum ipsis perpetuo laudemus, et benedicamus.

Ex occasione thematis: «Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et introducat in locum, quem præparavi ; observa eum, et audi vocem ejus. » EXOD. XXIII, 20.

Dicatur quod, sicut parentum prudentiorum prima cura est, ut bonos prædagogos vel moderatores filiis suis constituant; ita et Deus idem fecerit, uti S. Chrysostomus his verbis indicavit: Angelum habet unusquisque credentium; si ergo Angelum habemus, sobrii simus, tamquam si pædagogi quidam nobis adessent. S. CHRYS. hom. III *in Epist. ad Coloss.*

Itaque in prima parte ostendatur, quam præclare officio hoc sint defuncti, idque ex conditionibus ad pædagogos requisitis, quarum prima est, ut ament clientem, et libenter in tutelam suscipiant; hoc enim S. Raphaelis splendor, et vestis succincta indicat, quorum ille quidem charitatem, hæc autem promptitudinem ad curam nostram suscipiendam indicat; hinc illud Isaiæ in illis impletur: Quem mittam? Ecce ego, mitte me. ISA. VI, 9.

Secunda conditio est, ut instruat in virtute, scientia, moribus, quod faciunt Angeli per occultas inspirationes ad fructum in triplici hoc fine obtinendum. Tertia est, ut a malis corporalibus et spiritualibus custodiat, quod ipsos facere, abunde ex historia Tobiæ et aliorum patet. In secunda parte ostendatur, quæ officia vicissim a cliente pædagogis debeantur, videlicet 1. *Gratitudo*, quæ uti olim Alexander Magnus fassus est, major debetur præceptori quam parentibus, quia hi tantum esse, illi bonum esse dederunt; si autem præceptoribus pro paucis annis tanta gratitudo debetur, quanta debebitur Angelis, qui ab infantia usque ad finem vitæ hoc officio funguntur? 2. *Reverentia*, juxta illud S. Bernardi: In omni angulo Angelo tuo reverentiam habe, etc. 3. *Obedientia*, juxta illud mandatum Dei: Ecce ego mittam Angelum meum; observa, et audi vocem ejus. EXOD. XXIII, 20.

Alioquin enim tota cura frustrabitur, et Deus graviter punit, juxta illud: « Qui vos spernit, me spernit. » LUC. X, 16.

Claudatur concio gratias agendo, pro officio prædagogi tam præclare erga se exercito; petendo veniam negligentiæ; promittendo accuratam observantiam trium capitum ex parte nostra observandorum. Qua de materia videri potest Faber, conc. 5. in festo S. Mich.

Ex occasione thematis: « Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis. » ACT. XII, 12.

Potest qualitas et beneficium Angelicæ Custodiæ pulchre ostendi ex S. Petri è carcere educti exemplo. Et 1. quidem demonstrari potest, quomodo *adest* defendendo,

consolando, offerendo preces. 2 Quomodo *refulgendo* illuminet tam corporaliter, quam spiritualiter, ut in Tobia et aliis videre est. 3. Quomodo *excitet* dormientes somnum tepiditatis. 4. Quomodo jubet *vestes assumi*, id est, removere et vitare occasiones peccandi, ex quibus eduxit. 5. Quomodo jubet *se sequi*, imitando fervorem in servitio Dei. 6. Quomodo ducat per custodias liberando a tentationibus. 7. Et quidem per *portam ferream*, quæ vero aperta est eis, id est, per mortem, perquam introitus in cœlestemJerusalem patet. Quæ omnia fusius apud Fabrum, conc. 2. in festo S. Michaelis, deducta videri possunt.

Ex occasione thematis: « Quam mercedem dabimus ei? Aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? » TOB. XII, 2.

Potest ostendi, quomodo eadem beneficia, quæ olim Tobias a S. Raphaele accepit, et nos a SS. Angelis Custodibus accipiamus. Ostendatur ergo 1. Quam prompte se nobis ab ipsa infantia viæ comitem obtulerit. 2. Quam potenter nos a pisce immani, id est, periculis et malis corporalibus liberarit. 3. Quomodo felix connubium cum Sara seu Domina, nempe virtute et sanctitate procurarit. 4. Quomodo dæmonium, ne nobis noceret, compescuerit. 5. Quomodo ditescere in meritis fecerit, efficiendo ut Deus daret mercedem, quam debebat. 6. Quomodo omnibus bonis nos repleverit. 7. Quomodo illuminaverit, et gaudium parentibus, id est, Deo et suæ Matri fecerit. Quamque adeo merito dicamus cum Tobia: Quid dignum poterit esse beneficiis ejus? quodque ille nihil aliud petat, nisi cum S. Raphaele, ut benedicamus Deum bene vivendo, hæc enim est optima, Deoque gratissima laus et benedictio, quia purissima, amplissima, et longissima, juxta illud S. Augustini: Vis semper laudare Deum? Bene fac omnia, quæ facis, et semper laudasti Deum. S. AUG. *in Psal.* CXLVIII.

Hoc ergo, post brevem actionem gratiarum, promittatur S. Angelis Custodibus, et non minus accurate opere præstetur. Qua de materia iterum Faber, conc. 3. in festo S. Michaelis, fusius discurrens videri potest.

Ex occasione thematis: « Dedisti mihi clypeum salutis tuæ. » II REG. XXII, 36.

Potest Angelica custodia clypeo comparari, idque per varios usus clypeorum probari. Nam 1. sicut Lacedæmoniæ Amazones solebant liberos cunarum loco clypeis imponere, ut vel sic olim meminissent se ad bellum educatos esse; ita Deus ab infantia nos clypeo huic, nimirum Angelicæ custodiæ commisit, ut et nos meminissemus militiam esse vitam hominis super terram, et ut in infantia, quo tempore maxime indigemus, hoc clypeo protecti essemus. Hinc S. Bonaventura ait: Magnæ pietatis et benignitatis est indicium, deputare tales ministros humanæ fragilitati, sine quibus nullo modo esset tuta. S. BONAV. *in Festo S. Mich.*

2. Sicut Myrtilus miles utebatur clypeo suo in terra ad se defendendum, dum pugnabat; et in mari, dum naufragium passus, illo inverso pro navi est usus, uti notum illud distychon indicat:

> Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
> Dum premererque salo, dum premererque solo.

Sic Angelica custodia serviat tam in tentationibus voluptatum allicientium, per terram significatis; quam adversitatum terrentium et affligentium, per mare indicatis, dum scilicet nos abstinere et sustinere docent. Hinc cum S. Theophila virgo in lupanar tracta, Sponsi cœlestis opem imploraret, adfuit Angelus aureo scuto instructus, cui inscriptum erat: Quis sicut Deus Christianorum? Quo eam sic protexit, ut primus illam aggredi volens exanimatus, alii excæcati, aut aliter repulsi sint. 3. Sicut olim mortui in clypeo ad sepulturam deferebantur, juxta illud Virgilii:

> Impositum clypeo referunt Pallanta frequentes.

Unde et mater illa Lacena filium ad bellum mittens, oblato clypeo dixit eidem: Aut cum hoc, aut in hoc redi! Ita idem quoque Deus faciat et dicat. Ubi autem securiores erimus tempore mortis, quam in hoc clypeo jacentes? Si enim a morte temporali tam sollicite defendunt, quanto magis ab æterna tuebuntur? Id sane expertus est Lazarus portatus, et rediens ad patrem in hoc clypeo. Claudatur concio illis verbis Ecclesiæ: Sub tuum præsidium confugimus etc. actis prius Deo gratiis pro clypeo hoc submisso. Qua de materia videri potest fusius dicurrens Philippus Kilesius p. I *Nili mystici*, in festo S. Michaelis, et Henr. Engelgrave in *Panth.* eod. festo.

Ex occasione thematis: « Angelis suis mandavit de te. » PSALM. XC, 11.

Potest charitas Angelorum erga nos, et nostrum vicissim officium ex specie et forma, qua plerumque apparere, et a pictoribus de-

pingi solent, demonstrari, videlicet 1. *in humana specie;* ut per hanc eorum erga nos amor probetur, cum nullus fere amor major sit, quam inter res similes. Et potest etiam hic amor ex opposito dæmonis odio demonstrari, utpote qui teste Pennequin p. II *Isag.* c. XXVII, in judicio particulari fassus est, se majori impetu ferri in perniciem animarum, quam torrens violentus per alveum fluat. Quæsitus autem a Christo, cur id faceret? respondit : Quia tu illas amas. Quidni ergo similem impetum amoris Angelis bonis ad salvandas animas concedamus? 2. *In facie juvenili*; ut indicetur vigens semper conatus et hilaritas in nostra salute procuranda, quæ proin potest exemplis confirmari. 3. *Alati,* ad indicandum promptitudinem, qua ad nostram salutem et commoda feruntur, unde Deus apud Isaiam olim dixit : Ite, Angeli veloces, etc. ISA. XVIII, 2.

In secunda parte ostendatur, quomodo nos vicissim tria officia præstare debeamus, nempe 1. *Mutuum amorem,* quo nostræ animæ illis agglutinentur, quemadmodum anima Jonathæ cum anima Davidis unita fuerat. 2. *Constantem vigorem* et hilaritatem in eorum cultu et obsequio. 3. *Velocem fiduciam* in adversis, et *celerem obedientiam* in prosperis seu consiliis et inspirationibus bonis quas suggesserint. Claudatur concio faciendo fœdus novum cum ipsis, de tribus hisce obsequiis accurate præstandis, quemadmodum ipsi sua tria officia solent præstare. Pro quibus fusius deducendis servire possunt ea, quæ Faber, conc. VII, in festo S. Michaelis, et Franc. Albertinus, cap. X *de Angel. custodia,* afferunt.

Ex eodem themate potest pulchre deduci triplex fructus, ex missione Angelica colligendus, scilicet ut inde conjiciatur maxima Dei erga homines charitas, summa Angelorum humilitas, et excelsa hominis dignitas, quæ omnia tum ex dictis facile amplificari; tum apud *Discipulum*, serm. XXXVII, fusius deducta videri possunt.

Ex occasione thematis : « Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum. » TOB. V, 4.

Potest ostendi, quam fideliter et perite SS. Angeli comitis fungantur officio, idque ex conditionibus ad comitem optatum requisitis demonstrari potest nimirum: 1. Ut sit *peritus viæ,* quod vel maxime convenit Angelo, ut qui cum veritate quæsitus, num viam ad cœlum norit? respondere queat : Novi et itinera ejus (videlicet observationem mandatorum Dei) frequenter ambulavi. 2. Ut sit *benevolus et promptus*; quod itidem Angelis convenire, ostendit habitus S. Raphaelis, quando splendidus et succinctus, quibus charitas et promptitudo ad nos juvandos significatur, apparuit. 3. Ut sit *fidelis,* quam conditionem eis convenire, jam pridem docuit S. Bernardus, dum dixit : Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum adhæreamus eis, et in protectione Dei commorabimur. 4. Ut sit *jucundus,* qua conditione ipsos præditos esse, tum vultus, quo pinguntur, serenitas et amabilitas indicant; tum cantus suavissimus, quo Deum laudant; tum alloquium, quo nunc termini seu Patriæ ad quam tendimus, memoriam refricat, nunc viæ, quam ambulamus, brevitatem ostendit.

ALII CONCEPTUS.

In Genesi mentio quidem fit omnium creaturarum tam visibilium quam invisibilium, qualis erat cœlum empyreum, et tamen Moyses naturæ Angelicæ nullam aliam mentionem facit, nisi tantum sub nomine lucis, ut existimat S. Augustinus : *Fiat lux;* ubi novum se pro præsenti proposito nostro mysterium prodit. Cur enim Angeli lucis nomine exprimuntur? Quia nimirum, experientia teste, hæc in unico momento, mox ut oritur, cunctis tenebris diffugatis aerem totum illuminat, et calefacit, cunctosque effectus suos summa cum celeritate operatur, ac proinde similitudo isthæc spiritibus hisce beatis aptissime congruit. MANSI disc. IV, n. 7.

Observandus singulariter est modus, quo incarnata sapientia utitur, dum de custodia et ministerio Angelorum loquitur : « Videte, inquit, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. » Cur obsecro de Angelis tutelaribus parvulorum, qui tum propter ætatem, tum propter simplicitatem nihili æstimantur, loquitur, et non potius de Angelo custode Abrahæ, Davidis, Joannis Baptistæ, S. Petri vel aliorum sanctitate et doctrina insignium mentionem facit? Chrysostomus duplicem hujus rationem adfert. Primo enim ita Christum loqui dicit propter innocentiam puerilem, quam summe diligit; secundo, quia parvuli ob teneram ipsorum ætatem parvi

funt. Horum igitur exemplum Christus allegare voluit, ut per hoc innueret, quod Angeli nullum habeant respectum ad merita et dignitates illorum, quorum servitiis et obsequiis sunt deputati, sed potius similitudinem et imaginem Dei in nobis respiciunt, et qui majori premuntur necessitate, minoremque habent rerum agendarum experientiam, securiores sunt de tutela, defensione, obsequiis et indesinenti assistentia Angelorum. S. Chrys. *in Sent.*

Jacobo Patriarchæ Deus olim cœlum apertum ostendit, et scalam quamdam, cujus una extremitas terram, altera vero cœlum contingebat; neque hoc tantum, verum insuper Angelos per eam ascendentes et descendentes ei ostendit. Quæro autem, numquid, ut Jacob ad gloriam ascenderet, scala sufficiebat, absque eo quod Angelos per eam ascendentes et descendentes conspiceret? Nequaquam; neque enim nos ad Beatitudinem vocatos esse, et cœlum apertum videre sufficit, nisi etiam, quoadusque viatores sumus, cœlestium Spirituum directionem præsto habeamus, sintque ipsi duces nostri, qui sursum nobis eundi viam ostendant. Unde Chrysostomus ait: Aspice mirandum processum, Angelos ad nos deduxit prius; ac deinde deduxit hominem ad superna. Ibid. serm. *de Nativ.*

Sponsa in sacris Canticis ad cavernas invitatur: « Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petræ, et in caverna maceriæ. » At vero numquid ipsa erat, quæ dixerat sponso: « Ostende mihi faciem tuam? » Cur igitur nunc ab ea postulat, ut in cavernæ latibulo sese abscondat? Cassiodorus ait: In caverna maceriæ moratur, qui præsidio Angelorum utique circumdatur, et a tentationibus diaboli custoditur. Cassiod. in *Can.* c. ii.

In sacris Canticis legimus: « Vinea mea coram me est, mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus. » Septuaginta in bibliis Sixtinis legunt. « Mille Salomoni et ducenti etc. » Observandum est autem, quod eorumdem Canticorum cap. iii dicatur: « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. » Ubi quærendum, quænam sit hæc utriusque loci differentia? Ibi enim *mille ducenti*, hic vero *sexaginta* exprimuntur. Respondet S. Ambrosius: Crevit numerus, ubi crevit et fructus, quia quo sanctior quispiam, eo munitior; quanto enim homo amplius crescit in virtutibus et meritis, tanto sanctitas ejus magis adaugetur, tanto majori cum contentione Angeli nobis obsequia sua præstant, et familiarius nobiscum conversantur. Can. viii, 12.

S. Joannes Apostolus, dum adhuc mortali hac carne indutus hic nobiscum moraretur in terris, et prout ipsemet in Apocalysi recenset, die quadam ad pedes cujusdam Angeli provolutus adorare eumdem vellet, illum sibi dicentem audivit: « Vide ne feceris, » et subito rationem addidit: « Conservus tuus sum; » quasi diceret, paris ambo conditionis sumus. At vero quis est, qui, quanta naturam Angelicam inter et humanam differentia intercedat ignoret? Quid enim viatorem inter et comprehensorem, inter corpus e luto plasmatum et purissimum quemdam spiritum commune esse poterit? Cui dubio S. Petrus Damianus respondet: Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem; Angelicæ munditiæ est contubernalis et cognata virginitas. Porro Apostolus ille in hac virginitatis virtute adeo solide fundatus erat, ut Guerricus Abbas, qui Christum introducit Matrem suam interrogantem, an post ejus ex hac vita discessum, Gabrielem Archangelum sibi vellet substitui, eamdem Christo in hæc verba respondentem quoque subintroducat: Non opus est, sufficit mihi meus novus in carne Angelus: « Discipulus ille quem diligebat Jesus. » S. Petr. Damian. ser. i *de S. Joan.*

In Canticis dicitur: « Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. » Per hoc tam forte et copiosum armamentarium ex mente Gregorii Nysseni patrocinium intelligitur Angelorum. Puto autem eam turrim clypeorum multitudine significare Angelicam custodiam, qua circumsepti sumus; ubi notandum est, circumsepti, quaquaversum enim circa nos munimenta, valla et fortalitia in nostri defensionem erigunt. S. Greg. Nys. hom. vii *in Cant.*

Petrus Blessensis discurrens de motivis, ob quæ Angeli ad nos defendendos, nobisque ministrandum tanta sollicitudine et zelo perurgentur, hæc tria tangit: Propter nos, quia naturam nostram, in animabus nostris, quæ sunt rationales spiritus, recognoscunt, nosque sibi conjunctos conformitate naturæ, et quadam cognatione intelligunt, quia sunt participes, et capaces beatitudinis; propter Deum, cujus viscera vident effusa circa nos.

diligunt nos; ac tandem ultimo loco utilitatem, quæ ex nostra custodia in ipsos redundat, adducit, dum ait: Propter se, quia de nobis, tamquam de lapidibus rationalibus et vivis, restaurandum est suæ civitatis excidium atque cœlestium ruina murorum. PETRUS BLESS. ser. XLII.

Diligunt concives suos, inquit etiam S. Augustinus, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant; ideoque magna cura, et vigilanti studio adsunt nobis, omnibus horis et locis succurrentes inter nos et te, Domine. S. AUGUST. *Soliloq.* c. XXVII.

MISCELLANEA.

CUSTODIA. — Gentiles videntur agnovisse Angelicam custodiam, dum effectus quosdam fortuitos, quos philosophi casus contingentes dixere, considerantes, cum eorum rationem naturalem investigare non possent, Angelis tribuere, quos profano vocabulo Lares, id est, Deos particulares domorum dixere, et Genios, id est, protectores personarum suarum. ALBERT. III *de Angel. Cust.*

Seneca, in Epistola quadam, docet, cuique homini suum assistere Pædagogum, et ab eo in omnibus actionibus erudiri. SENECA, Epist. III.

Sed et Epictetus cum dixisset suum cuique Genium et Curatorem assistere, hæc addidit: Cum igitur fores obduxeris, et tenebras intus feceris, non occurrat dicere: Solus sum. Non enim es, sed Deus intus est, et Genius noster intus est, quibus quid opus illato lumine, ut videant quid facias? EPICT. lib. I, c. XIV.

Censorinus quoque sic loquitur: Genius ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur; additque appellatum Genium, sive quod in ejus tutela, ut quisque natus est, vivat; sive quod nos genitos suscipiat et tueatur. FAB. con. I, *in Festo S. Mich.*

Menandro teste, omni homini dæmon assistit, mox ut nascitur, vitæ mystagogus. Ibid.

Clemens Alexandrinus sic scribit: Per gentes et civitates dispositæ sunt Angelorum præfecturæ; neque istud ignoraverunt Romani, in quorum urbe scimus templum fuisse Genii publici, sive Genii populi Romani. Suos item coloniis Genios, ipsi Principi seorsim suum, grandiorem aliquem grandiori. CLEMENS ALEX. l. VI *Stromat.*

Cum Joannes Thebæus Ammoni seni duodecim annis sedulo servisset, etsi nullo unquam mitiori verbo dato, idem Ammon moriturus manum ejus apprehendens dixit: Hic juvenis, non homo, sed Angelus est. Quanto magis nos commendare Angelicam sedulitatem debemus, qui tot annis cum tanta patientia serviunt? *Vit. PP.*

Cum quidam Cardinalis in Gallia gemmam centum millibus aureorum æstimatam, cuidam ex familia sua custodiendam obtulisset, ille tanta cura asservabat, ut diu noctuque sub axilla prope cor alligatam servarit; quanto majori cura Angeli animas sibi commissas, velut gemmas pretioso et inæstimabili sanguinis Christi pretio emptas, custodient? ENGELGR. in *Festo S. Mich.*

Aristoteles ad Alexandrum Magnum inter alia scripsit: An nescis, quod teste Hermogene, duo sunt spiritus, qui te custodiant, quorum unus stat ad dexteram, et alius ad sinistram, custodientes et scientes opera tua, et referentes factori tuo, quidquid feceris? Hoc solum in veritate debet te, o Alexander, retrahere ab omni inhonesto opere. ARIST. in l. *de secret. secretor.*

Angelicam Custodiam per illa Canticorum verba nonnulli indicatam arbitrantur: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Ubi per lectulum anima, in qua cœlestis Salomon suavissime requiescit, intelligitur; per fortes autem sancti Angeli, de quibus scriptum est: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. CANT. III, 7.

NECESSITAS. — Pinna, concharum genus, numquam sine comite est, quem Pinnoterem, alii Pinnophilacem vocant, is est squilla parva, alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna, luminibus orbatum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, et ubi per licentiam crevit audacia, implent illam. Hoc tempus speculatus index morsu levi significat, quo illa excitata, quidquid inclusit, exanime facit, partemque socio tribuit. Quanto magis homo ejusmodi comite, præsidioque indigebit, qui eum doceat necessariam vitæ spiritualis sustentationem quærere? PLINIUS, l. IX, c. XLII.

Sed et de ceto scribit Ælianus, quod semper ipsum piscis quidam albo colore, præ-

longo capite, angusta cauda, præcedat, qui numquam separatur a ceto, sed ejus caput antegrediens, quasi semo et dux ejus existit, cuncta illi præsentit et providet, extremaque cauda præmonstrat tum declinanda, tum persequenda, cibum ei demonstrat, insidiasque a piscatoribus positas signo prodit, et ubi occurrunt brevia, ne propter molem corporis in illis hæreat, tempestive præsignificat, ut alio meatum declinare possit. Cum autem ad nimiam pinguedinem ceti perveniunt, amplius nec videre, nec audire possunt carnium mole videndi audiendique meatus obstruente. Quod si eo duce carerent, haud dubie illis pereundum esset. An non similem ducem Deus homini providit, dum ei Angelum Custodem assignavit? Ælianus, lib. II, *Hist. anim.* c. xv.

Cultus. — Socrati cum multi multa pro suis quisque facultatibus offerent, Æschines pauper Auditor: Nihil, inquit, dignum te, quod dare possim, invenio, et hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, me ipsum, cogitesque, alios, cum multa tibi dederint, plus sibi reservasse. Cui Socrates : Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi forte te parvo æstimas? Habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi. Simile quid dicent, faciantque Angeli clientibus suis, si se totos illis donaverint, eorumque custodiæ ac directioni permiserint. Seneca, l. I, *de Benef.* c. viii.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in *Horologio*.

Franciscus Albertinus de *S. Angelo Cust.*

Franciscus Labata. V. *Angelus*.

Petrus Pennequin in *Isagoge ad amorem divinum*, lib. II, cap. xxii.

Pædagogus Christianus t. II, p. I, c. iv, f. 5.

Matthias Faber in *Festo S. Michaelis* conc. I, II, III, IV, V, VII.

Henricus Engelgrave in p. II *Cœli in festo S. Michaelis*.

Laurentius Beyrlinck in *Theatro vitæ hum.* V. eodem, et promptuario in *Festo S. Michaelis*, t. 6.

Gregorius Schererus in *Festo S. Michaelis*, c. II et III, ubi proponit historias, quæ de Angelis in novo et veteri Testamento habentur, et cuilibet pulchrum morale subnectit.

Josephus Langius in *Polyanthæa* V. eodem.

ANIMA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est actus corporis organici, potentia vitam rationalem habentis. Vel, ut S. Augustinus definivit, est substantia creata, invisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima, imaginem habens Creatoris sui. S. Aug. *de Qualit. anim.*

De hac locutus est S. Gregorius, dum ait: Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus, unum. qui carne non tegitur; alium, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur; tertium, qui carne tegitur, et cum carne moritur. S. Greg. l. *Dial.*

Porro habet hæc anima tres status, uti S. Bernardus indicavit, dum dixit: Advertistis tres esse animarum sanctarum status? Primum videlicet in corpore corruptibili; secundum sine corpore; tertium in corpore jam glorificato: primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata. s. Bern. 2. ccvii.

Divisio. — Dividitur in separatam, et corpori conjunctam. Illa est, quæ post hanc vitam a corpore soluta usque ad diem judicii existit; ista, quæ vel in hac vita, vel post diem judicii corpus informat. Conjuncta autem est corpori ob quatuor causas: 1. *Propter Dei bonitatem*, qua voluit creaturam corpoream esse participem suæ beatitudinis, quod esse non potuit, nisi spirituali creaturæ conjungeretur. 2. *Propter augmentum meriti*, per afflictiones et mortificationem corporis obtinendi. 3. *Propter universi perfectionem et decorem*, cum enim esset creatura mere spiritualis, ut Deus et Angeli; et alia mere corporalis, ut terra, et arbores, et pecudes, decebat, ut etiam crearetur partim spiritualis, partim corporalis, nempe homo. 4. *Propter servitium Dei* quod tanto gratius est Deo, quanto majorem occasionem per corpus homo nanciscitur, tum ad amorem suum erga Deum ostendendum; tum vero etiam ad alios exemplo suo ad eumdem amorem excitandos.

Potentiæ. — Habet tres potentias, nempe memoriam, intellectum, et voluntatem. S. Anselmus pro tribus facultatibus ei assi-

gnat rationem, qua assimilatur Angelis; appetitum, quo coæquatur brutis; voluntatem, qua utrisque comparatur; memoriam, nam hæc inter duas illas facultates media est, quæ modo appetitui, modo rationi suffragatur. Drex. in *Phaet.*

Proprietates. — Tres quoque illi potissimum conveniunt, invisibilitas, spiritualitas, immortalitas.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Igitur sicut portavimus imaginem terrestris, portemus et imaginem cœlestis. II Cor. xv, 15.

Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Sap. viii, 19.

In populo magno non agnoscar; quæ enim est anima mea in tam immensa creatura? Eccl. xvi, 17.

Dignitas. — Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, quia amas animas. Sap. xi, 27.

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Gen. i, 26.

Immortalitas.— Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget eos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter, exterminium (seu exitium) illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Sap. iii, 1.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam. Matth. x, 28.

Cura. — Quid proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Mar. viii, 36.

Est vir sapiens animæ suæ sapiens, et fructus sensus illius laudabilis. Eccl. xxxvii, 25.

Fili, in vita tua tenta animam tuam, et si fuerit nequam, non des illi potestatem: non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet. Eccl. xxxvii, 30.

Itaque et his qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. I Petr. iv, 19.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Mens refugit credere, quod oculis corporeis non videt. A quibus quærendum est, si unquam viderunt differentiam inter hominem vivum et mortuum. Et ipsis respondentibus, quod magna sit differentia. Ergo in effectu et opere vidistis, animam esse creaturam et naturam magnæ virtutis atque potestatis, quia quidquid in corpore vidistis fortitudinis, pulchritudinis, sapientiæ, totum ex animæ virtute ac fortitudine procedit. S. Gregor. l. IV *Dial.* circa princ.

Ponamus ante mentis oculos ædificari domum, immensas moles levari, pendere magnas in machinis columnas, quis, quæsò te, hoc opus operatur? Corpus visibile, quod illas moles manibus trahit, an invisibilis anima, quæ vivificat corpus? Tolle enim, quod non videtur in corpore, et mox immobilia remanent cuncta, quæ movere videntur visibilia corpora metallorum, qua ex re pensandum est, quod in hoc quoque mundo visibili nihil nisi per creaturam tuam invisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando et implendo ea, quæ ratione subsistunt, et vivificat, et movet invisibilia; ita quoque invisibilia implendo movet, atque sensu vivificat carnalia corpora, quæ videntur. Sic ergo anima, licet invisibilis sit in natura, videtur tamen in opere, quod ab ipsa procedit. Ibid.

Idem homo et caro est, et spiritus. Spiritus quidem anima est propter gratiam, ut immortalis sit, tantique beneficii auctorem laudet. Caro autem propter superbiam, ut per corpus patiatur, ac patiendo submoneatur quod terra est, atque ita, si quando propter mentem efferatur, propter terram dejiciatur. S. Greg. Naz. or. xlii.

Anima justi est sedes sapientiæ. Aug. *sup. Psal.*

Homo animam suam non cognoscens patienter Deum non intelligit. Cypr. in *Prolog.*

Anima in carne inter spinas versatur. Bern. s. xlvii.

Anima sedes est Christi ubi libenter inhabitat. Id. s. xxviii.

Anima a Deo derelicta redire plerumque vult, et non potest, tanta est in reditu difficultas. Id. s. xxxviii.

Animæ medicina est, credere in Christo. Aug. *de ver. Dom.*

Anima etiam pessima, melior est optimo corpore. Idem *de Civit. Dei.*

Dignitas. — In ea Creator est, sub ipsa est mundus, propter ipsam factus ; supra ipsam Deus, a quo, et ad quem, et propter quem ipsa facta est. Hug. a S. Vict. apud Mansi, tr. VII, disc. ii, n. 6.

Tanto major est omnibus creaturis, quanto ipsa magis conformis et similis Deo. S. Aug. l. *de Anim. quant.* c. ii.

Omnis creaturæ nomine signatur homo, omnis autem creaturæ aliquid habet homo, habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura est homo. S. Greg. hom. xxix *in Evang.*

Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse, quod Deus est, ita præsumendum, nihil inter ea omnia, quæ creavit, Deo esse propinquius. S. Aug. l. cap.

Anima humana omnium creaturarum naturam participat, omne spirituale suum est, quia cœlum habet ad manendum, Angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, et Trinitatem ad fruendum. De aliis vero creaturis, quia homine inferiores, illique subjectæ sunt, dubitari nequit : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, et volucres cœli, et pisces maris, » etc. S. Aug. s. xlviii *ad Fratr.*

Anima similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo per intelligentiam. Similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam. S. Greg. l. cap.

Sic igitur Dei Filius hominem fabricatus, quasi alium quemdam mundum, ab eo, qui aspectu sentitur, ipsum in eo collocat, magnum nimirum in parvo. S. Greg. Naz. or. xlii.

Cognosce te, decora anima, quia imago Dei es. Cognosce te, o homo, quia gloria es Dei; audi, quomodo gloria ; Propheta dicit : « Mirabilis facta est cognitio tua ex me, » hoc est, in meo opere mirabilis facta est majestas tua, in consilio hominis tua sapientia prædicatur. S. Amb. l. VI ex c. viii.

Spiritualis est Paradisus, mens sancta, mens munda atque ad sui conditoris imaginem signanter expressa; jure dicitur Paradisus, quæ et cœlestium charismatum est fluentis irrigua, et tamquam fertilium arborum vel herbarum, sic virentibus sanctarum virtutum vernat germinibus adornata. S. Petrus Dam. l. II, ep. v.

Dicitur anima templum Dei, et multis rationibus. In templo Deus adoratur, similiter in anima fideli. In templo offeruntur sacrificia, similiter in anima fideli : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. » In templo sunt Cruces intus et extra ; ita in anima debent esse Cruces intus per memoriam Passionis, et exterius per imitationem. In templo reponuntur Reliquiæ Sanctorum ; sic anima fidelis debet semper recolere exempla Sanctorum. In templo est aqua benedicta, quæ fugat dæmones ; ita in templo spirituali nostro debet esse aqua lacrymarum, qua fugatur diabolus. Hug. Card. in *Prov.*

O quanto labore, et quam ferventi amore quæsivit animam amorosus Jesus ! Virginis uterum vix egressus est, et dilectam animam more infantium vocat A. A. A. id est, anima mea, anima, anima, te quæro. S. Bern. s. li, a. 2, c. ii.

Omnes Angelos convocat ad congratulandum, non homini, sed sibi, quasi homo Dei Deus esset, et tota laus divina in ipsius inventione dependeret, et quasi sine ipso beatus esse non potest. S. Thom. ap. Mansi, disc. x, n. 13.

Vis scire, quantum sit pretium animarum nostrarum ? Redempturus eam Unigenitus non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem ; quocirca dicebat Paulus : « Empti estis pretio magno. » S. Chrys. hom. *in Psal.* xlviii.

Huc magistra lex tendit ; huc inter Christum et legem interjecti Prophetæ, huc spiritualis legis perfector et finis Christus ; huc exinanita Deitas ; huc assumpta caro ; huc nova illa mixtio, Deus, inquam, et homo. Atque hæc omnia propter omnia, et pro uno illo generis nostri Principe in unum coierunt. S. Greg. Naz. or. i.

Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsiti, in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens, non quod aliquid videatur esse tamquam a seipso, sed

quod tanti eum fecerit ipse, a quo creatus est. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, et quidquid in eo conspicitur, minus est hac gloria, imo nec est aliquid in comparatione ejus. S. Bern. s. I *de Adv.*

Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest; non enim pro toto mundo animam suam Deus dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Nonne Dei Filius, cum esset in sinu Patris, a regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam a potestate Diaboli liberaret? Flevit ipsam, nec solum flevit, sed etiam morti se obtulit, ut pretiosi sanguinis sui pretio eam redimeret. Aspice, mortalis, pro te datur hostia talis. S. Bern. c. III, *med.*

Quid majus his tibi facere potuit, quam ut ad similitudinem suam conderet factor tuus? Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, et venerandæ Trinitatis imaginem in teipso agnosce. Idem s. LXVII, *De int. Dom.*

O homo, quid miraris siderum altitudinem et profunditatem maris? Animi tui abyssum intra, et mirare, si potes. Isid. l. I. *de summ. bon.*

Magno pretio æstimata es, o anima, pro qua requirenda e summo cœlorum Dei Filius descendit in uterum Virginis! Quis sapiens pro requirendo obolo itinere centum dierum voluntarie laboraret? Ergo magna quidem res est anima mea, pro qua requirenda Deus in mundum descendere dignatus est. S. Bern. l. c, c. I.

Non custoditur magna diligentia a sapientibus res, quæ vilis est, sed pretiosa; in hoc profecto patet, quam pretiosa sit anima justorum, quando solus Dominus illius vult esse custos. Ps. XCVI. «Custodit Dominus animas sanctorum suorum.» S. Bern. *de Dign. anim.* a. 1, c. III.

Voluit ad se trahere per similitudinem, quas ad se trahebat per dilectionem; transisse ipsum video in pretium meum, tam copioso munere redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. S. Aug. tom. IX, l. *De dil. Deo*, c. VII.

Immortalitas. — Hujus autem rei (scilicet immortalitatis) veritatem duo attestantur aperte. 1. Prompta voluntas, quam viri Spiritu Sancto pleni, videlicet Apostoli ac Martyres, qui in hoc errare non potuerunt, habuerunt, animas sic ponendi, ut in æternum viverent. Numquid enim Sancti Apostoli et Martyres præsentem vitam despicerent, et in morte carnis animas ponerent, nisi certiorem vitam animarum subsequi scirent? 2. Miracula Sanctorum; nam sicut vita animæ manentis in corpore ex motu deprehenditur membrorum; sic vita animæ post corpus in Sanctis pensanda est ex virtute miraculorum, quia per hoc arguitur, eos in bona fide fuisse mortuos; non autem in aliena fide fuerunt, nec pro alia mortui sunt, nisi quod animæ viverent post mortem. S. Angel. IV *Dial.* circ. princ.

Anima horizon est æternitatis et temporis; qua enim immortalis, æternitatis est particeps; qua vero corpori a Deo infusa, particeps est temporis. Trismegistus in *Asclep.*

Quid indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? S. Bern. s. XIV.

Quid est, quod velis habere malum? Dices mihi, nihil omnino. Non uxorem, non filium, non filiam, non servum, non ancillam, non tunicam, postremo non caligam; et tu vis habere malam vitam? Rogo te, præpone animam tuam caligæ tuæ. S. Aug. in quod. serm.

Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest; capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. S. Bern. s. *de Dedic.*

Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus; non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo, quod primum est, negligit, et quod inferius est, extollit, utrumque corrumpit. Qui vero ordinem servat, et, quod primum est, colit, etiamsi negligat, quod secundum est, per primi salutem salvabitur et secundum. S. Chrysost. l. *de Recup.*

Nisi cognoveris temetipsam, et agnoveris pulchritudinis tuæ causas inde descendere, quod ad imaginem Dei facta es; quod nisi feceris, jubeo te exire, et in ultimis gregum vestigiis collocari, et hædos pascere, illos scilicet, qui præ pravitate a sinistris statuti sunt. Orig. h. II *in Cant.*

O anima, si videres te ipsam? O si agnosceres tuam excellentiam et pulchritudinem, non ita te dejiceres ad amorem vilium terrenorum! Quam pudendum est, generosam creaturam luto voluptatum fœdari, et sponsam cœlestis Regis vilissimo æthiopi copulari! S. Thom. Vill. s. in *Dom.* 19 *Pent.*

Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam. S. EUSEB. EMISS. hom. *de Sym.*

Grave est ut de te dicat Deus : Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum meum, quem ipse formavi. S. AMBR. l. VIII *Exam.* c. VII.

Miser homo, ut miserum pascas corpus et vestias et carnis voluptatibus, quæ post paucos dies a vermibus devorabitur, satisfacias, sollicitus laboras, discurris, vigilas, et somnum non capis oculis, ut repleas ventrem; et pro anima tua, quæ Deo præsentanda est in cœlis. cur non sollicitus fatigaris ? S. BERN. s. *de Miser. hum.*

Cum tantæ sit excellentiæ anima, haud scio, quomodo nostrum subverterimus ordinem, et usque adeo inoleverit malitia, quæ in tantum cogit carnis concupiscentiis obsequi, ut deturbetur a throno suo Regina, cujus erat præsidere, ordinare et imperare. S. CHRYS. *in c.* III *Gen.*

Unde hæc tanta pusillanimitas, et abjectio tam miserabilis, ut egregia creatura, capax æternæ beatitudinis, et gloriæ magni Dei, utpote cujus sit inspiratione condita, similitudine insignita, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, misera non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere servitutem. S. BERN. c. XIII, *de Conv. ad Cler.*

Quare non sicut visibilis corporis gerimus curam, ita et animæ, quæ incorporea et invisibilis ? Præsertim cum cura ejus levis sit et facilis, et nihil insumatur, neque laboretur. S. CHRYS. h. XXII *in Gen.*

Magnopere deplorans confusam hominum animis dementiam, densamque ipsis incumbentem caliginem, invenire vellem speculam aliquam excelsam, quæ omnia mihi genera hominum cernenda subjiceret ; vellem autem et vocem adipisci, quæ per omnes terminos resonaret, et omnibus, qui in terra sunt, sufficeret, stareque et vociferari, ac Davidica illa voce exclamare ! « Filii hominum, usquequo gravi corde? » Quomodo enim non absurdum est in corpore, si id qualiscumque etiam morbus invaserit, et medicos vocare, et pecunias expendere, et tolerantiam ostendere, nec prius desistere omnia facere, quousque id, quod nos infestat, amoverimus ; cum vero anima in singulos dies stimulatur, præcipitatur, atque omni modo seipsam perdit, ne brevem quidem habere sermonem? Idem. hom. *de Anim.*

Cum juxta humanæ usum prudentiæ detestabile plurimum sit, neglectis margaritis et gemmis, lapidum, qui sternuntur in via, curam gerere; longe reprehensibilius esse arbitror, contempta vita animæ, in sola corporis incolumitate laborare. S. LAUR. JUST. l. *de Spir. an. inter.*

In homine interiori facti sumus ad imaginem Dei, in carne autem de limo terræ formati sumus; et videte, fratres, si justum est, ut caro de terra facta, interdum bis in die capiat cibum, et anima nostra, imago Dei, vix vel post plures dies accipiat Dei verbum, cum tamen expediat nobis, ut amplius Dei imaginem, quam nostram carnem honorare debeamus? Qui enim de sola carne cogitant, bestiis et pecoribus similes sunt, et qui ita agunt, jam in se Dei imaginem contriverunt. S. Basilius quoque hanc animæ cibandæ curam instantissime urget, suadetque, ut quotiescumque corpus pascimus, de anima quoque refocillanda serio cogitemus : Quandocumque, inquit, corpus esurit et nutrimentum appetit, cogita, et animam tuam suo tunc cibo necessario refocillari velle ; et quemadmodum corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit; sic et anima, nisi spiritualis sapientiæ alimento reficiatur, mortua est. S. AMBR. s. XXV, *in die Cin.*

Nihil rationabili anima pretiosius, nihilque possidendum est charius, quæ Dei est ornata imagine, Christi redempta sanguine, atque sanctorum Angelorum felicitate ditanda ; hanc quisquis semel amiserit, ulterius recuperare non valet, etiam ex ipsa omnium sanctorum intercessione. S. LAUR. JUST. l. c.

EXEMPLA SACRA.

DIGNITAS.—Christus S. Carpo, Cretensium Episcopo, revelavit, tanti se facere quamvis animam, ut pro ea denuo mori, imo et inferni tormenta sustinere paratus sit. SURIUS in *Vita.*

Sed et S. Gertrudi quondam dixit : Tanto adhuc charitatis dulcore erga te cor meum afficitur, ut, si saluti tuæ expediret, aliterque felicitatem æternam consequi non posses, vellem pro te sola tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo. L. III, *Insin.* c. XLI.

S. Birgitta ab eodem audivit : Dilectio mea erga hominem modo æque grandis

atque incomprehensibilis est, sicut erat tempore passionis meæ, quando per mortem meam ex nimia charitate liberavi omnes electos. Et si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissima voluntate et perfectissima charitate corpus meum traderem, eamdemque passionem et mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. L. IV, *Rev.* c. XIX.

Eadem aliquando in judicio vidit, et audivit in judicio diabolum fatentem, se majori impetu ferri in perniciem animarum, quam torrens violentus per campos rapi consuevit. Causam deinde rogatus a Christo respondit: Quia tu illas tantopere amas. PENNEQUIN. p. II *Isagog.* c. XXVII.

S. Catharina Senensis cum semel animæ pulchritudinem vidisset, tantam de ea æstimationem concepit, ut, quoties operarium aliquem spiritualem transeuntem videret, pedum illius vestigia exoscularetur. SURIUS in *Vita.*

Eidem aliquando pro feminæ peccatricis anima deprecanti, Christus illius animam e corpore egredientem ostendens, dicebat : Vides, filia, homini merito pro salute rei tam pretiosæ et tam eximiæ pulchritudinis, omnes labores subeundos, et cum ego tanta pro ipso fecerim et passus sim, homini non inferiora esse toleranda. Ibidem.

B. Furseo aliquando Angeli dixerunt, unicam Beatis in cœlo tristitiam, id est, displicentiam nasci de perditione animarum. PENNEQUIN. l. c.

David animam coram se positam esse, et in manibus a se portari dicebat (ad eum modum, quo rem aliquam pretiosam, nobisque unice charam in manibus portare solemus) seu, quod idem est, seriam valde circa animam propriam reflexionem habebat, atque ideo Deo tantopere gratus, acceptusque erat, ut de eo diceret : « Inveni virum secundum cor meum, » idem quoque universo generi humano summa, qua poterat, cum eloquentia inculcare nitebatur, ut tantum thesaurum, qualis est anima, toto animi conatu consideraret, eique custodiendo incumberet, ideoque omnes ad se auscultandum convocabat dicens : « Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. » PSAL. LXV, 16.

Ubi Albertus Magnus ait : Narrabo, quanta fecit animæ meæ, ut sciatis, quid faciat vestræ, nisi per vos steterit. MANSI, disc. I, n. 1.

S. Theresia, quæ maxima et peritissima fuit vitæ spiritualis magistra, sequentia meditationis altissima puncta suis specialissime commendavit, et ut continuo in eorum mentibus versarentur, præcepit, nimirum unicam esse animam, unicam esse vitam, unicam esse gloriam. Ibid. n. 10.

S. Gertrudis virgo a cœlesti sponso suo cœlitus edocta fuit, nimirum, ut quotiescumque Christi crucifixi intueretur imaginem, illum unumquemque hominem his verbis alloqui credat : En vides, quomodo pro te sum vulneratus in cruce ? Si saluti tuæ expediret, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo. BLOS. in *Mon. Spirit.*

S. Carolus Borromæus, postquam in vastæ illius Diœcesis Mediolanensis Archiepiscopum electus fuit, firmiter apud se numquam a sua residentia procul abire aut manere velle decrevit, solitus dicere, paratum se esse Cardinalitiam deserere dignitatem, si hæc illi in accumulando animarum sibi commissarum fructu impedimento foret, quarum unam pluris æstimabat, quam omnes totius mundi dignitates. Legatur in ejus vita caput illud, in quo de ejus zelo salutis animarum tractatur. Refert enim vitæ ejus historiographus, hanc illi maximam valde fuisse solemnem, qua dicere solebat, unicam dumtaxat animam continuam pastoris cujusdam curam digne mereri. Unde cuidam Cardinali Episcopo, quem, ne a sua diœcesi procul discederet, serio adhortatus fuerat, se excusanti dicendo, Diœcesim suam non admodum populosam esse quoad animas, eamque proinde facili negotio per alium substitutum administrari et gubernari posse, Sanctus Carolus summa cum sollicitudine respondit : Tametsi Diœcesis vestra multa animarum millia non contineat, attamen vel una tantum anima cujusvis magni pastoris præsentia dignissima existit. *Vita* l. II, c. II.

Hinc in concione quadam exclamabat : O si videremus, quid sit e faucibus inferni animam unam liberare, non dubito profecto, quin hodie plurimi ad nos accederent, qui se oblatos fieri postularent, et non modo montes transirent, sed etiam apertissimis et maximis quibuscumque vitæ periculis sese exponerent, ubi spes aliqua esset, vel unius etiam animæ recuperandæ. *Conc.* XI *ad Cler.*

Cum Indiæ Prorex Constantinus admodum pius Goæ a præcipuis regni administratoribus, suisque consiliariis admoneretur, quod

regia vectigalia non parvam jacturam acceptura essent, si tantis impensis Christianorum conversioni intendere vellet; ille vere ac sapienter respondit: Plus ad regni statum amplificandum, et splendorem Regis mei conducit, vel unius abjectissimi mancipii in hac Insula conversio, quam divitiarum immensa copia, vel naves pipere aliisque aromatibus plenissimæ. Firmiter enim apud se statuerat, omnia sua in discrimen dare pro unius animæ conversione et incolumitate. Ex Epist. ann. 1559.

IMMORTALITAS. —Non erit abs re, hoc loco recensere historiam, quam habet S. Augustinus in Epistola ad Evodium scripta de Gennadio rerum naturalium scientia apprime imbuto, de immortalitate tamen animæ dubitante, his verbis: Gennadius medicus dubitabat aliquando cum adhuc esset adolescens, et in his eleemosynis ferventissimus, utrum esset ulla vita post mortem. Hujus igitur mentem et opera misericordiæ, quoniam Deus nullo modo desereret, apparuit illi in somnis conspicuus juvenis et dignus intendi; eique dixit: Sequere me. Quem dum sequeretur, venit ad quamdam civitatem, ubi audire cœpit a dextera parte sonos suavissimæ cantilenæ, ultra solitam notamque suavitatem. Tunc intento quidnam esset, ait, hymnos esse Beatorum atque Sanctorum. Sinistra autem parte quid se vidisse retulit, non satis memini. Evigilavit, et somnium fugit tantumque de illo, quantum de somnio cogitavit. Alia vero nocte ecce idem ipse juvenis eidem rursus apparuit, atque ab illo, utrum cognosceretur, interrogavit. Respondit iste, quod eum bene, planeque cognosceret. Tunc ille quæsivit, ubi se nosset; nec memoriæ defuit, quid iste identidem responderet, totumque visum illud, hymnosque Sanctorum, ad quos audiendos eo duce venerat, qua recentissimos recordabatur, facilitate narravit. Hic ille percunctatus est, utrumnum id, quod narraverat, in somniis vidisset, an vigilans? Respondit in somniis. At ille: Bene, inquit, recolis, verum est, in somniis illa vidisti; sed etiam nunc in somniis te videre scias. Hæc cum audisset iste, ita esse credidit, atque id responsione firmavit. Tunc qui hominem docebat, adjecit, et ait: Ubi est modo corpus tuum? Ille respondit: In cubiculo meo. Scisne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse et clausos, et otiosos oculos tuos, nihilque illis oculis te videre? Respondit: Scio. Tunc ille: Qui sunt ergo, inquit, isti oculi, quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quod responderet, obticuit. Cui hæsitanti, ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, et continuo: Sicut, inquit, illi oculi carnis tuæ utique in dormiente atque in lectulo jacente nunc vacant, nec aliquid operantur, et tamen sunt isti, quibus me intueris, et ista uteris visione; ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, qua vivas, sensusque, quo sentias. Cave jam deinceps ne dubites, vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit hujus rei dubitationem. Quo docente? Nisi providentia et misericordia Dei. S. Aug. Epist. c.

Michael Mercatus, S. R. E. Protonotarius, narrabat de avo suo, eodem, quo ipse nomine nuncupato, Michaele Mercato seniore, cui cum Marsilio Ficino nobilissimi ingenii viro summa intercedebat amicitiæ consuetudo, parta et aucta philosophicis facultatibus, in quibus Platonem ambo assectabantur auctorem. Accidit autem aliquando, ut ex more, quidnam post obitum supersit homini, ex ejusdem Platonis sententia, non tamen sine trepidatione, deducerent, quæ labantia, Christianæ fidei Sacramentis suffulcienda essent: eo enim argumento extat Marsilii ad ipsum Michaelem Mercatum erudita quidem epistola de animi et Dei immortalitate. Cum vero inter disserendum eorum progressa longius fuisset disputatio, eam ad calcem perductam illo clauserunt corollario, ut juncta simul dextera pacti fuerint, uter eorum ex hac vita prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Quibus inter se conventis, ambo jurati ab invicem discessere. Interlapso autem haud brevi temporis spatio, evenit, ut, cum summo mane idem Michael senior in philosophicis speculationibus vigilaret, exinopinato strepitum velociter currentis equi, ejusdemque ad ostium domus cursum sistentis audiret, vocemque simul Marsilii clamantis: O Michael, o Michael, vera, vera sunt illa! Ad vocem amici Michael admiratus, assurgens, fenestramque aperiens, quem audierat, vidit post terga, ad cursum iterum acto equo candido; prosecutus est eum voce, Marsilium! Marsilium! invocans; prosecutus et oculis, sed ab eis evanuit. Sic ipse novi casus stupore affectus, quid de Marsilio Ficino esset, sollicitus perquirendum curavit (degebat ille Florentiæ, ubi diem clausit

extremum) invenitque eumdem illa ipsa hora defunctum, qua eo modo auditus et visus est sibi. Quid tum ipse? Licet enim antiquæ probitatis vir esset, innoxiamque et proficuam omnibus vitam hactenus excoluisset (prout decebat vere philosophum) ex eo tamen tempore, valedicens philosophicis disciplinis, solius christianæ philosophiæ, cæteris eminentioris, propensior cultor effectus, quod reliquum fuit temporis, mundo defunctus, soli vitæ futuræ vixit, specimen edens absolutissimi omnibus numeris christiani, qui inter philosophos sui temporis magna cum laude claruerant, nulli secundus. Baron. l. III. an. 412.

S. David, mortuo filio ex Bersabea suscepto, dicebat: Ego magis vadam ad eum, ille vero non revertetur ad me. Ergo superstitem credidit, quia non itur ad quempiam non existentem. II Reg. xiii, 23.

E cœlo ista possideo, (dicebat unus ex filiis Machabæorum), sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. II Mach. vii, 11.

Elias audiens filiæ Sareptanæ filium mortuum, oravit ad Deum his verbis: Domine, Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, et reversa est anima pueri ad eum, et revixit. III Reg. ii, 10.

Tobias ad domesticos dixit; Filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. Iterumque postea dixit: Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum; expedit enim mihi mori magis, quam vivere. Tob. ii, 18.

Cum Eleazarus ad mortem raperetur, inter alia dixit: Etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis Dei nec vivus, nec defunctus effugiam. Ibid. iii, 6; II Mach. vi, 26.

Razias stans super grandem petram præruptam, et jam exanguis effectus; complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans Dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc iterum illi redderet, atque ita vita functus est. II Mach. xiv, 46.

Cum septem Fratres Machabæi cum matre ab Antiocho apprehensi cogerentur edere contra fas carnes porcinas, et flagris et taureis cruciarentur, mater supra modum mirabilis et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios, sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deo habebat, singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, et femineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego compegi. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsi ipsos despicitis propter leges ejus. II Mach., vii.

Dum ab adversariis Evangelii lapidaretur Stephanus, invocabat Christum dicens: O Domine Jesu suscipe spiritum, meum. Act. vii.

Vilipensa. Thomas Cantipratanus refert de impio quodam homine, quod, dum in publica quadam taberna in quorumdam epulonum contubernio constitutus, quosdam audisset de rebus alterius vitæ misceri sermones, is, effuse illos deridens dixerit, animas corporibus mortuis etiamnum superstites immortaliter vivere, merum esse sacrificulorum et monachorum somnium, atque commentum; quod cum a combibonibus cum applausu exceptum fuisset, acciderit, quod eorum societati vir quidam se jungeret proceræ staturæ, complexionisque, ut videbatur, fortis et robustæ, qui et ipse potum sibi dari postulabat; cumque qua de re inter se colloquerentur sciscitatus fuisset, impius ille temere, de animabus post mortem etiamnum vitam agentibus sermonem esse, responderit, subjunxeritque: Si quis animam meam a me sibi comparare vellet, illam utique bono, facilique ei pretio divenderem, comparatumque inde lucrum potando consumerem. Quam pollicitationem procerum hocce monstrum grato animo accipiens, se ejus animam sibi pacto æquo pretio comparare paratum esse dixit. Convenitur inter utrumque, moxque promissa pecunia exsoluta, non prius a potando cessatum est, donec receptum pro anima pretium in multam usque noctem crapulando abliguritum fuisset; tum vero personatus ille gigas combibonibus tempus jam adesse dixit, quo domum quisque suam ut repeteret, nox ipsa serotina suaderet; rogavit tamen, ut, priusquam sibi mutuo vale dicerent, causam quamdam in qua ipsos constitueret judices et arbitros, æquitate servata dirimerent, quam proinde

in hunc fere modum iisdem enarravit: Est, qui equum aliquem fune seu capistro alligatum, justo pacto persoluto pretio, sibi comparavit, dum vero equus extradendus, numquid justitia postulat, ut et funis sive capistrum, quo cum alligatus fuerat, pariter extradatur? Omnes idipsum æquissime a venditore fieri debere, incunctanter responderunt. Inter hos vero temerarius ille sacrilegus, mysterium propositæ quæstionis advertens, impallescere, fugataque crapula toto corpore contremiscere cœpit, qui proinde ab hoc personato gigante, qui verus dæmon erat, in aera sublevatus, et in æternam damnationem abductus, nusquam amplius comparuit. Inimici nostri sunt judices. Ecce qualiter ipsemet dæmon, qui nobis corpus animæ (in summum ejus præjudicium) præhabendum esse suadet, eamdem tamen permagni faciat, talisque præcellentiæ esse censet, qualis equi, si cum fune seu capistro comparetur. Quam igitur delirat ille, qui tantopere sibi in fune seu capistro, cui animal alligatum fuit, complacet, ut, ne illud amittat, equum negligat, et fame extingui patiatur? Thom. Cant. l. II, c. xxxvi, p. 2.

In vitis Patrum de sancto quodam Eremita scribitur, quod, cum cellam suam egressus forte fortuito mulierem quamdam elegantissime exornatam habuisset obviam, intra semetipsum suspirans, propriam tacitus reprehenderit animam, dolendo, quod illam non iis adornasset virtutibus Christianis, ut Deo magis placere posset, sicut hæc mulier corpus suum summa cum assiduitate composuerat, cultissimoque mundo muliebri condecorarat, ut placeret hominibus, seu potius incautas animas seduceret. Mansi disc. xvii, n. 25.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, si quandoque homines ipsi occurrerent, considerans animarum a Christo redemptarum splendorem ac pretium, vix interdum lætitiæ æstuantis vim, ne se extra effusius proderet, temperabat. *Hist.Soc.* p.I, l. XVI, n. 113.

S. Franciscus Xaverius, cum parvulum quemdam ad cœlos transmisisset, dicere auditus est, hoc sibi præmium sufficiens esse pro tam longinquo et molesto itinere in Indiam suscepto, quod scilicet unam animam cœlo transmisisset. Epist. S. Xav.

Vide plura in hac Bibliotheca. V. Zelus § VI.

EXEMPLA PROFANA.

Anaxarchus a Nicocreonte Cypri Tyranno captus, et malleis ferreis in saxo excavato contusus: Tunde, inquit, tunde bene Anaxarchi carnes et ossa; Anaxarchum autem, id est, animam illius, velut potiorem hominis partem, nequaquam tundes. Plutarc.

Cercidas Megapolitanus cum in morbum incidisset, et quæreretur, num libenter moreretur? Quidni, ait? Videbo enim post mortem viros in omni scientiarum genere doctissimos, ex Philosophis Pythagoram, ex Historicis Hecatæum, ex Poetis Homerum, ex Musicis Olympum, qui suis litterarum monumentis immortale sibi nomen pepererunt. Ælianus l. XIII.

Cum Michael Mercatus et Marsilius Ficinus de immortalitate disputantes inter se convenissent, quod, qui prior eorum moriturus esset, apparere, et quid de animabus post vitam ageretur, significare deberet, accidit, ut paulo post Michael studiis intentus, equum celeri gressu ad ædes suas accurrentem, simulque vocem istam audiret: O Michael, Michael, nimis vera sunt omnia, quæ de immortalitate discurrimus! Cumque iterum equus abiisset, Michael inquirens, quid circa Marsilium ageretur, audivit eum mortuum esse; simulque decrevit, non profanæ amplius, sed cœlesti philosophiæ exercendæ et docendæ reliquum vitæ impendere. Beyrlinck in *Theatro vit. hum.* V. eod.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut qui in alieno habitant, multis anguntur incommodis, semper de aliqua domicilii parte queruntur; ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio queritur, significans se esse non in suo domicilio, sed unde brevi sit emigrandum. Senec. apud Mansi disc. ii, n. 10.

Sicut Reges et Magnates, postquam sublime aliquod valdeque magnificum erexerunt palatium, vel civitatem aliquam e fundamentis erexerunt, aut notabiliter restaurarunt, aliquam sibi in loco conspicuo

erigere solent statuam, effigiem ipsorum et similitudinem ad vivum repræsentantem, ut posteritati in futuris sæculis, quisnam fabricæ illius auctor, et fundator sit, manifestum fiat; eodem quoque modo Deus, postquam vastam hanc mundi machinam creavit, ut deinceps, quia auctor illius fuisset, clare ab omnibus agnosci posset,statuam aliquam, imaginem et similitudinem suam exacte referentem, fabricare et erigere voluisse videtur, dum hominem condidit, qui veluti parvus quidam mundus erat, ut ex hujus tam nobilis creaturæ aspectu deveniretur in notitiam Creatoris. Unde Vener. Beda super illa verba : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, » ita exponit; Id est, luminosus vultus tuus impressus est nostræ animæ, ut sit dictum ad similitudinem quasi vultus Dei, ita expresse sit in anima nostra, sicut in aliqua statua expressa est alicujus vultus imago, juxta quod dictum est: « Formavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem sui. » Ibid. disc. XIV, n. 15.

Sicut æs statuæ ejusdem non est cum Rege substantiæ, sed tamen hanc ausi ludere, pœnas dederunt; sic et in hominibus, etsi non ejusdem cum Deo subtantiæ sint homines, sicut neque revera sunt, verumtamen imago illius vocati sunt. S. CHRYS. hom. III *ad Popul.*

Sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus, non tamen tres Dii, sed unus est Deus, et tres personæ; ita anima est intellectus, anima volontas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed una anima et tres vires. At vero paulo ante dixerat: Sicut ex Patre generatur Filius, et ex utroque procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his ambobus procedit memoria. S. BERN. *De inter. dom.*

Sicut Deus nomine caret, ideoque incomprehensibilis est; ita nomine carens, et ignota spiritualis et immortalis animæ tuæ substantia, ad imaginem et similitudinem typicam nomine carentis et incogniti atque immortalis, substantiam ullus hominum, qui a sæculo fuerunt, unquam novit. Ex hac autem incomprehensibilitate Nyssenus aliam quamdam analogiam et similitudinem inter animam et Deum deducit, dicens : Quod percipi, cognoscique non potest, nullius alterius rei est argumentum, quam illam vere ac proprie incomprehensibilis Dei esse imaginem. S. GREG. NYSS. apud MANSI disc. VI, n. 4.

Sicut Deus Spiritus est; sic et anima Spiritus dictus est. Deus est immortalis, inquit S. Bernardinus, anima est immortalis, et si justa est, cum Deo victura in sæcula sæculorum. Sicut Deus, inquit idem Sanctus, est interminabilis, et infinibilis; ita anima, licet habeat principium, numquam habebit finem. Creata est, inquit S. Bernardus, vita a vita, simplex a simplici, immortalis ab immortali, accepit, etsi non esse, posse tamen esse beata, summo proinde gradui quantum licet approprians. S. BERNARD. *de Spirit. et anim.*

Sicut Deus ubique est totus in toto mundo, et in omni creatura sua; sic anima ubique tota in toto corpore suo, tanquam in quodam mundo suo. Sicut enim Deus in omni loco præsens existit, eodem modo de anima ratiocinari possumus, ac proinde S. Ambrosius de illa ita scribit: Diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Dum in Italia commorantes, inquit idem Sanctus Doctor, de Orientalibus et Occidentalibus cogitamus, nosque illis, qui Persiam inhabitant, adesse putamus, eodem mox momento oculum cogitationis nostræ in Africam dirigere possumus; sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos, defunctos quoque ad colloquium suscitamus, eosque ut viventes complectimur. Anima nostra alis imaginationis, cogitationum, discursuum, et desideriorum suorum, in unico momento ab uno polo volat ad alterum; jam est in cœlo, mox in abysso, amplectitur et pervagatur totum universum, et absque eo, quod ullum locum tangat, in millenis præsens esse reperitur locis diversis. Unde S. August. id considerans ait: Spectat omnia, videt absentia uno momento, sensus suos per totius orbis fines et mundi secreta circumfert, descendit ad inferna, ascendit inde, versatur in cœlo, adhæret Christo, conjungitur Deo. S. AUG. ubi supra, c. XVIII.

Sicut Deus causa est in mundo, inquit S. Bernardinus, incrementi in plantis, herbis, floribus, fructibus, etc.; sic anima causa est in corpore augmenti cujuslibet membri. S. BERN. *de Dign. anim.*

Sicut Deus omnia, quæcumque voluit, fecit in cœlo, et in terra, et in omnibus abyssis, educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam faciens, et producens ventos de thesauris suis; sic quoque anima liberi ar-

bitrii sui dominio a Deo adornata operatur, quicquid ei libet, nunc ridet, mox plorat, nunc irascitur, mox se benignam exhibet, et voluntatis suæ dominam. PSAL. CXXXIV, 6.

Una in essentia, inquit S. Bernardinus, trina in potentiis nobilissimis, libero arbitrio prædita, et dominio in res omnes corporeas. S. BERNARDIN. ubi supra.

Hinc S. Thomas de Villanova : Grandis, ait, humanæ naturæ dignitas, altissimaque prærogativa est, ut ad Dei imitationem ipsa quoque quodammodo sui juris sit, et suo arbitrio derelicta.

Sicut Deus est incorruptibilis, incorporeus, invisibilis; immortalis; ita anima pariter nulli subjecta est corruptioni, non illam humorum malignitas alterat, aeris pestilentia non inficit, non illam cogit violentia motus, non afficit illam intemperies elementorum, indivisibilis est, immortalis, æterna, invisibilis est oculis nostris, tametsi videri possit ab oculis Creatoris : Immortalis est anima, inquit S. Augustinus ne a Creatoris sui similitudine discrepare videatur; non enim poterat esse imago et similitudo Dei, si mortis termino clauderetur. S. AUG. l. I.

Sicut Deus stans in toto mundo omnia vario modo ornat; ita anima stando in corpore variat diversimode membra, dando unicuique varias et mirabiles operationes, nam oculo dat visum, naribus odoratum, auribus auditum, pedibus gressum. S. BERNARDIN. *de Dignit. hom.* § 51.

Sicut Deus non continetur ab universo, sed continet illud; sic, secundum Damascenum, lib. I, c. XVIII, anima non continetur a corpore, sed continet illud. Sicut Deus implet totum mundum; sic et anima totum corpus humanum. Plena et occupata sunt omnia suo auctore, inquit Tertullianus; ita quoque in toto microcosmo, id est, parvo mundo corporis humani nullum est invenire punctum, quod non vivificetur ab anima. Idem, lib. cit.

Sicut Deus regit et gubernat orbem, inquit S. Bernardinus; sic anima vegetat, conservat, vivificat, regit et gubernat corpus. Sicut Deus stabilis manens dat cuncta moveri; ita anima in corpore quiescendo facit humores discurrere per corpus, et membra movet diversimode secundum corporis dispositionem, et prout placet ipsi animæ. Idem.

Sicut Deus non inficitur sordibus orbis, quamvis totum impleat orbem, velut sol qui non inficitur luto; sic animus non inficitur corporea sorde, quantumcumque sordescat caro. Idem.

Sicut Deus unitam sibi humanam naturam primo habuit passibilem, et postea gloriosam; sic anima primo juncta est carni passibili, demum glorificanda in cœlo. Idem.

Sicut, quamdiu aurum terræ commixtum est, auri nomen non habet; ita quoque anima, quamdiu bonis temporalibus et terrenis immersa conspicitur, Spiritus nomen minime meretur. MANSI, disc. XVIII *de An.*

Et ideo, quando anima Spiritus potius, quam caro dici mereatur, S. Ambrosius his nobis verbis declarat : Ut possit quis dicere, inquit, anima mea in manibus meis semper erit, non in carne sit, sed in spiritu. Sed quando hoc fiet? Erit, si se terrenis non immisceat. S. AMBR. *in c.* LII *Isaiæ.*

DIGNITAS. — Sicut pupilla oculi, cum sit exigua, tamen est vas ingens, quoniam intuetur una cœlum, astra, solem, lunam, urbes, et alias creaturas; et eodem modo, quo conspiciuntur in illa parva pupilla oculi simul, et eodem modo efformantur et effinguntur, hoc modo se mens habet in corde; ipsum cor est vas quoddam exiguum, ibi tamen Deus, ibi Angeli, ibi vita, et regnum, ibi tamen Apostoli, et cœlestes orbes, ibi thesauri gratiæ, ibi sunt omnia. S. MACARIUS, hom. XLII.

Sicut si Rex palatium aliquod comparaturus, pro quo emendo centum auri milliones abunde sufficerent, ipse nihilominus pro eo omnes thesauros impenderet, omniaque regna sua obæraret, de eo utique dicere possemus, quod palatium istud infinito pretio dignum esse æstimaret; ita cum Deus noster pro animæ redemptione non mundum, non cœlum empyreum, non universam Angelorum naturam et multitudinem, non denique unam tantum pretiosissimi sanguinis stillam, quæ universæ terræ, cœlo et Angelis, simul et collective sumptis, large præponderabat, erogarit, facile tibi est hinc judicare, quanti hanc animam fecerit et æstimarit. MANSI disc. XXI, n. 2.

Sicut experientia constat, nonnullas inveniri imagines in tali situ et positura depictas, ut oculos suos in te solum directos habere videantur, absque eo quod, alios respiciant, non obstante, quod eodem tempore in plures alios oculos suos defixos teneant; eodem modo Redemptor noster in cruce suspensus velut viva æterni Patris sui imago,

divinæ pietatis suæ oculo unumquemque nostrum in particulari respicit, haud secus ac si copiosissimus passionis suæ fructus ad alios minime extenderetur, unde laudabilissimus usus obtinuit, quod imagini *Ecce homo* verba illa subscribi soleant : Vide, quæ pro te patior. Idem, disc. XXIII, n. 10.

Sicut fatuus esset, qui optimum equum extra ad pluviam poneret, et quadrigam optime in stabulo custodiret; sic quoque fatuus est, qui diligenter custodit corpus, et de anima sua nihil curat. S. BERNARDINUS *de Dign. an.* c. XIII.

Sicut corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit; sic et anima, nisi spiritualis sapientiæ alimento reficiatur, mortua est. S. BASIL. *de Compunct. anim.*

Sicut sigilli aut imaginis præstantia ac dignitas ex dignitate objecti repræsentati, aut ideæ colligitur; ita, cum anima sit ad imaginem Dei facta, merito summam quoque ex eo dignitatem æstimationemque haurire creditur.

Sicut in nucibus, amygdalis et similibus fructibus præcipua pars nucleus est, cortex vero theca tantum et receptaculum est; sic anima quoque præcipua pars hominis censenda, et ab ea, non a corpore velut cortice, dignitas et præstantia hominis metienda est. GRANAT. *in locis com.* v. eod.

IMMORTALITAS. — Sicut naturalis appetitus materiæ, quo appetit aliam formam suscipere, argumentum est corruptionis omnium rerum materialium; ita e contrario appetitus naturalis æternitatis, qui in anima nostra est, immortalitatis est argumentum ; alioqui enim perperam instituta esset natura, si ea rei impossibilis naturalem nobis appetitum inseruisset, cum is omnino frustra esset.

CURA. — Sicut ille maritus, qui uxorem dominari permitteret, et ad vilissima quæque domus servitia se persuaderi ab illa sineret, merito ab omnibus ut insanus rideretur ; ita non minus ille homo Deo, Angelis, et dæmonibus risum movebit, qui animam suam a corpore, velut consorte, ad vilissimum rerum creatarum amorem et usum abduci patitur.

Sicut is, qui ancillam optime vestiret et pasceret, dominæ vero ipsi nonnisi laceras, sordidasque vestes, ac cibum, potumque vilissimum offerret, merito imprudens ac stultus censeretur ; ita non minorem stultitiam committere putandus est, qui neglecta animæ cura, omnem sollicitudinem in corpore bene tractando impendit.

MOTIVA

Dignitas animæ; quæ colligitur ex quatuor capitibus. 1. *Ex pulchritudine illius,* de qua S. Bernardinus dixit : Si formarentur tot empyrei cœli, quot sunt aquarum guttæ, quot sunt grana arenæ maris, omnis pulchritudo eorum simul sumpta non posset æquari pulchritudini unius animæ. Et paulo post : Factor atque Creator animæ ipsa sapientia est, cujus sapientiæ non est numerus, Deus scientiarum Dominus est ; ad creandum hominem infinita potentia usus est, voluit eadem infinita potentia et sapientia sua formare animam ad imaginem et similitudinem suam. Mensura pulchritudinem Dei, ad cujus imaginem facta est. Mensura et potentiam, qua potuit, sapientiam, qua novit, et voluntatem, qua voluit sic eam creare, et intelliges pulchritudinem ejus. S. BERNARDINUS § 51, *de Dign. anim.* ar. 1, c. III.

2. *Ex creatione animæ,* de qua sic loquitur S. Laurentius Just. Si id ex te, inquit, nequis addiscere, disce ab eo qui creavit cœlum, terram, maria, et cuncta, quæ in eis sunt, qui scit singula, quanti sint, quoniam singulis impertitus est, quidquid habent decoris, quidquid virtutis, quidquid æstimationis et pretii, iste docebit, quanti sit anima hominis, illam ipse magni pendit, qui opus suum agnoscit ; pro eruditione ejus, universi fecit hanc machinam, ipsiusque eam subjecit imperio, non ut inhæreat illi, fruitionemque captaret ex illa, sed ut eruditus per illam, ascenderet ad notitiam ejus, qui fecit omnia. S. LAUR. JUSTIN. *in festo S. Thom.*

3. *Ex Incarnatione,* de quo motivo sic discurrit Josephus Mansi : Si civitas ista, quam inhabitas, a valido quodam exercitu quaquaversum obsessa, ad extremum redacta esset, adeo ut jactura illius secundum vires humanas esset irreparabilis, Deus autem e cœlo copiosas dimitteret Angelorum phalanges, quæ pro tui solius defensione adversus hostes dimicando pugnarent, simulque per Angelum quemdam notum tibi faceret, hoc se tibi submisisse auxilium, ut periculum istud indeclinabile evadere posses, jamque reipsa obsidione soluta hostem non solum totaliter dissipasset, verum insuper te

in totius universi Monarcham sublimasset; haud dubie favorem hunc inauditum et minime imaginabilem tibi singulariter præstitum permagni æstimares. Mystica animæ tuæ Hierosolyma in potestatem inimici per peccati obsidionem redacta erat, cum ecce Deus pro illius liberatione, non jam Angelos misit (licet per illos pacem intimari fecerit: *Et in terra pax*) sed ipsemet in propria persona de cœlo in hanc miseriarum vallem descendit. « Propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, etc.» Tibi vero speciatim, quo fine id fecerit, his verbis insinuat dicens : « Propter te sustinui opprobrium,operuit confusio faciem meam.» Mansi disc. XLIII, n. 14.

4. *Ex Redemptione ;* quod motivum S. Bernardinus sic proponit : Quod si quis quamdam pretiosissimi sanguinis Christi guttam penes se haberet, quanta illam reverentia et cura custoditurus esset? Sed quantum debes habere charam unam animam, pro qua totus sanguis Christi est sparsus? S. Bernardinus § 40 *de Anim. dig.*

Similem fere conceptum S. Bernardus, his verbis utens, ait : Si stillantem de cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Certe pretiosissimum animarum thesaurum servandum accepi, pro quo Christus mercator non insipiens, id est, ipsa sapientia Patris, totum suum sanguinem fudit. Quid ergo infelix, quo me vertam, si, quod sibi Christus proprio sanguine pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Utique non solum irreparabile super nos redundabit æternæ damnationis damnum verum, tamquam conculcati sanguinis Agni immaculati rei, severissime puniemur. S. Bern. § 3 *de Adv.*

Optime igitur Eusebius Emissenus nos monet dicens : Custodiamus ergo sollicite, quod tanti cruoris commercio Christus redemit. Reus itaque erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat, et commaculat animam, Christi sanguine et passione mundatam. Quod beneficium maxime augetur ex eo, quod pro una etiam sola æque omnia pati paratus fuisset; unde par (inquit S. Chrysostomus) esse declarat, ut quisque nostrum non minus agat gratias Deo, quam si ob ipsum solum advenisset; neque enim recusaturus fuisset, vel ob unam, tantam exhibere dispensationem, adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum. S. Chrys. *in c.* II *ad Galat.*

Æquitas ; quæ iterum ex tribus capitibus colligitur. Primo *ex unitate animæ,* de qua sic discurrit S. Chrysostomus : Si in corpore, inquit, quamvis infinitis coronis redimitus sis, corpus interim habeas natura morbidum et insanabile, etiamsi regnum totum impenderis, ut etiam innumerabilia corpora, et urbes, et pecunias adjicias, non poteris corpus corrigere, quanto id magis in anima? Omnia duplicia dedit Deus naturæ nostræ, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, ut si alterum horum læsum sit, per alterum indigentiam relevemus. Animam vero unam nobis dedit, hanc si perdiderimus, quonam pacto vivemus. S. Chrys. apud Mansi disc. XIX, n. 14.

Quod confirmans S. Ephrem : Non est nobis, ait, certamen de pecuniis, quarum jacturam licet quis fecerit, alias pro illis rursus comparare sibi poterit; de anima nobis periculum, quam si perdiderimus, non amplius recuperare poterimus, juxta quod scriptum est: « Quid prodest homini, si mundum, » etc. S. Ephr. c. *de virt.* in prol.

Unde naturalis ingenii censura exigit, ut tanto unaquæque res pluris æstimetur, et diligentius custodiatur, quanto magis est proficua, illiusque amissio majorem possidenti jacturam facit, uti recte concludit S. Laurent. Justin. Laurent. Just. *de Spir. an. inter.*

Secundo *ex corporis cura ;* de qua sic discurrit S. Thomas Villanova : O si sanandis animæ passionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus! Quid non sustinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda salute? Atroces ustiones, horribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat dummodo concupitam recuperet sanitatem : sed si animæ languor curandus est, quidquid injungitur, durissimum est. Modico vino abstinere non sustinet lubricus, exiguo lucro privari non sustinet avarus, et modicum humiliari non tolerat ambitiosus; flocci pendit animæ perpetua vita et mortalis corporis salus supra modum diligitur.

Unde recte infert S. Chrysostomus: Quam defensionem habebimus? Aut quam veniam? Cum corporis ægrotantis, ubi et argentum expendendum est, et medici accersendi, et dolor magnus perferendus, tantam habea-

mus curam, animam vero negligamus? Præsertim neque argentum expensuri, neque negotium aliis exhibituri, neque dolores subituri, sed absque his omnibus electione et voluntate sola omnino corrigere nos ipsi valentes, et exacte scientes, quod, nisi id fecerimus, extremum luituri sumus supplicium. S. Chrys. hom. *de Anim.*

Tertio *ex ratione reddenda;* nam, ut iterum S. Thomas Villan. recte advertit : Grandis honor, sed grandis timor; ex hoc pensandum nobis est, cum quanto timore et sollicitudine cavere debet anima justi, ne forte in ea aliquid turpe aut indecens inveniatur, quod oculos tantæ Majestatis offendat. S. Thom. Vill. *de Dedicat. Eccl.*

Odium dœmonis erga animas; nam sicut tauro proprium est, quod, quando ex recepto vulnere saucius, eum, qui ipsum vulneravit, invenire non potest, ut se de vulnere accepto vindicare possit, figuram seu statuam illius in theatro repertam aggrediatur, eamque cum ingenti rabie cornibus, dentibus et pedibus impetat atque convellat; idem quoque inimicus infernalis facere videtur; quia enim Deum, qui ipsum in abyssum præcipitem egit, per vindictam lædere non potest, omnem vindictam adversus hominem toto conatu exercere tentat, utpote in quo imaginem et effigiem Dei invenit, atque ideo in hoc mundi theatro eidem per suggestiones et insultus suos omne malum inferre satagit, quasi in hoc omnibus viribus connitens, ut imaginem et similitudinem, quam Deus illi impressit, destruere et totaliter abolere possit, scit enim, quod illa imagine sublata, comparatur jumentis insipientibus. « Imaginem ipsorum ad nihilum rediges. » Mansi disc. IV, n. 15.

Quod confirmans S. Bernardinus : Tantæ, inquit, æstimationis est anima apud diabolum, ut mystice, cum vellet divisionem de regno inter se et Deum, poposcerit a Domino dicens : Gen. XV. « Da mihi animas, cætera tolle tibi. » Sed insensatus et stultus homo, nihil vilius habet, quam animam suam. S. Bern. *de An. dig.* ar. 1, c. VII.

ALIA MOTIVA.

Pro animæ cura. — Quia est *templum et imago Dei*; si ergo pro tanto piaculo habemus, templum materiale humani sanguinis effusione vel sordibus polluere; quanto major sollicitudo adhibenda erit, ne vivum Dei templum et imago, id est anima, fœdissimis peccatorum sordibus, et Christi sacratissimo sanguine quodammodo profuso polluatur?

Quia nihil *pretiosius* est in universo mundo, exceptis Angelis; si ergo tam sollicite custodimus gemmas, aut alias res pretiosas, quanto magis cavendum erit, ne animæ incomparabiliter magis pretiosæ jacturam faciamus?

Quia *unicam duntaxat animam habemus*, qua perdita omnia perdidimus, uti eleganter S. Chrysostomus indicavit his verbis: Omnia duplicia naturæ nostræ dedit Deus, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes; si alterutra pars est læsa e duobus, necessitati per alteram servimus. Animam vero unam dedit nobis, hanc si perdiderimus, quid superest, quocum in vita maneamus? S. Chrys. hom. XIX *ad Pop. Antioch.*

Quia in omnibus rebus volumus *optima* habere; cur ergo non et animam optimam?

MEDIA.

Ad dignam animœ æstimationem concipiendam.

Lectio et notitia S. Scripturœ, uti Salvator noster indicasse videtur, dum modum nos docere volens, quo animam nostram hisce bonis caducis et terrenis immersam reinvenire valeamus, parabolam illam de drachma illa, sive gemma perdita adducit. Circa quam Hugo Cardinalis ita scribit : Per drachmam significatur quælibet anima, Dei imagine insignita. Et interlinearis ait : Drachma est nummus certæ quantitatis habens imaginem Regis, talis autem nummus est anima nostra, qui Dei in se imaginem expressam refert. Hugo Card. *in c.* XV. *Luc.*

Beda modum exponit, quo hæc moneta perditur, dicens : Mulier drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando a similitudine sui Conditoris recessit; frequenter enim gemmam hanc inter emolumentorum temporalium, vel carnalium voluptatum sordes et immunditias perdimus; quisnam vero modus ad eam reinveniendam præcipue est observandus? Accendit lucernam, Scripturas et sacros Doctores pervolvendo : Lucerna pedibus meis verbum tuum; quia qui natalium animæ nobilitatem, et quantam Deus noster illius habeat æstimationem, pulchritudinem item et finem, ob quem a Deo creata est, intelligere cupit, necessum illi est ad hoc, ut di-

vini verbi lucerna adhibita sacra volumina pervolvat. Quid autem in specie magis considerare debeat, clare S. Bernardinus declarat dicens: Considera, anima mea: Primo, in quanta altitudine es creata. Secundo, quam magnus thesaurus es æstimata. Tertio, cum quanta diligentia es custodita. Quarto, cum quanto dolore es deperdita. Quinto, cum quanto sudore es quæsita. Sexto, cum quanto stupore es considerata. Septimo, cum quanto pretio es redempta. Octavo, cum quanto gaudio es reinventa. Nono, cum quanto præmio eris beata. Quantum anima aliqua ex horum omnium motivorum consideratione haurire lumen potest, ad semetipsam cognoscendam et æstimandam, ne ex hoc tantæ dignitatis culmine decidere aliquando possit! At vero summa nostra infelicitas est quod animam nostram huic corporis luto conjunctam, in mediis horum inferiorum bonorum sordibus, nimis faciliter perdamus. Unde S. Bernardus ait : Affectionibus obligata, et illita terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest; infixa est in limo profundi, et seipsam non vidit, sed putat formam suam esse luteam illam, quam portat imaginem. S. BERNARDIN. *de Dignit. anim.*

Consideratio fabricæ corporeæ, de qua sic discurrit S. Bernardus : Corporis staturam dedit Deus homini rectam, forsitan ut ista corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti, hominem interiorem, illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectitudinis admoneret, et decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est et fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlum libere suspicere ; spiritualem vero et cœlestem creaturam suos oculos, id est, internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum. S. BERNARD. ser. XXIV *in Cant.*

Ad animæ curam concipiendam.

Frequens invocatio auxilii Divini ; nam, juxta Salomonem, nemo potest esse continens (atque adeo etiam solidam animæ curam gerere) nisi Deus det. SAP. VIII, 21.

Humilitas; nam ita Christus ipse significavit, dum dixit : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. MATTH. XI, 29.

Accurata sensuum custodia; ita quippe Salomon suasisse videtur, dum dixit : Omni custodia serva cor tuum (et animam tuam) quoniam ex ipso vita procedit. PROV. IV, 23.

Abnegatio assidua ; de hac enim locutus est Christus, dum dixit : Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. MATTH. X, 29.

Amor et studium Justitiæ Christianæ; nam justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori, et quasi exterminium exitus illorum, illi autem sunt in pace. SAP. III, 8.

Tales in fine vitæ cum veritate dicent : In manus tuas commendo spiritum meum.

ASCETICA.

De hac sequentia nosse debet Asceta. Primo, dignam de ejus pretio et dignitate æstimationem concipere, quam quidem haud difficulter obtinebit, si ea, quæ ex SS. Patribus supra allata sunt, bene ponderet, addatque hanc memorandam S. Ambrosii sententiam : Pictus es, o homo, pictus es a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Et quid in te pinxit? Absque dubio imaginem et similitudinem suam. Imago ad naturam spectat, similitudo ad divinos mores, atque ita anima tua est expressa effigies Dei, quantum interminata illa vis ac natura exiguo in opere præsentari potest. Non parum etiam augebitur hæc æstimatio, si quanta pro quavis anima Christus egerit, tuleritve, sedulo perpendatur, sic inquam, ut S. Bernardus hortatur, memoria refricetur infantilium necessitatum, deinde laborum, quos tulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis operatus est triginta et tribus annis, et passus in medio terræ. S. BERN. s. *De quadrupl. debito.*

Nosse debet, secundo, in quo consistat perfectio et felicitas animæ; qua de re præclare discurrit Seneca in hunc modum : Quæ conditio rerum, eadem et hominum est. Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta

est; nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore celata est, neque fiscis atque opibus regiis pressa est, sed stabilis et firma, et juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris magis solida, gubernaculo parens, velox, et non sentiens ventos. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cujus vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, et mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur; eo quidque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil attinet, quantum aret, quantum fœneret, a quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit; bonus autem est, si ratio explicita et recta est, et ad naturæ suæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus; hæc est honestum et unicum hominis bonum. SENEC. ep. LXXVII *ad Lucil.*

Clarius S. Bernardus : Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris rebus omnibus occupari potest, repleri omnino non potest; capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. S. BERN. *de Dedic.*

Hinc S. Augustinus : Væ, inquit, animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa te, reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus requies, et ecce ades. S. AUG. l. VI *Confess.*

Atque hæc causa est, cur, ut S. Chrysostomus inquit, omnem creaturam sensibilem Deus armatam et munitam creaverit, alias veloci pedum cursu, alias unguibus, alias pennis, alias cornibus, hominem solum sic disposuerit, ut virtus illius sit ipse Deus, et in eo, in quo inferiorem ipsum fecit, in ipso fortiorem es se voluerit in se, ut necessitate infirmitatis coactus semper necesse habeat Dominum suum requirere. S. CHRYS., *super Matth.* VII.

Nosse debet, tertio, quomodo ad dictam felicitatem et perfectionem suam pervenire queat, nimirum eo modo, quem Hugo indicavit, dicens : Vide, homo, dicit mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te, ut servias illi, qui fecit me et te, : me propter te, et te propter se; si sentis beneficium, redde debitum; si accipis benignitatem, redde charitatem. Clarius S. Gregorius : Quoquo se verterit anima, inquit, si vigilanter intendit, in eisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit, ejusque potentiam eorum consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; et per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. S. GREG. l. XXVI *Moral.*

Hinc Sanctus Bernardus animam sic alloquitur : O anima! insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinium invenisti? S. BERN. in *Medit.*

Nimirum sursum, ut bene notat Seneca, animum vocant initia sua; erit autem illic etiam ante, quam hac custodia exsolvatur. Si vitia sua deseruit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuit. SENEC. ep.

Nosse debet, *cur homo rectus sit conditus;* nam ut Ecclesiastes ait : « Inveni, quod fecerit Deus hominem rectum. » ECCLES. VII.

Rupertus, Abbas Tuitiensis, ait : Forma corporis in hoc solo animante sursum caput attollit, cœlum intuetur, terramque calcans pedibus, erecto pectore incedit. Redditque mox rationem, cur divinus ille artifex corpus humanum, utpote animæ mansionem, cœlum versus erigere voluerit : Sidera vel cœlestia regna superne positis meditari commonetur oculis. RUPERTUS *in c.* II *Genes.*

Quod confirmans S. Gregorius : Ad Deum, inquit, suspensa est, a quo formata; et quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem, quod infra appetit, minus est, jure ei non sufficit, quod Deus non est. S. GREG., l. XXVI *Moral.* c. XXVIII.

Nosse debet, *cur inspirando creata sit anima;* id enim ob varia mysteria indicanda est factum, et in primis quidem Theodoretus ait, Moysen hoc loquendi modo insinuare voluisse, divinæ omnipotentiæ æque esse facile, animam nostram creare, quam nobis pronum est respirare. Quod si urgeas, cur igitur divina sapientia ad illam creandam divinarum personarum consistorium congregarit? Respondet id factum fuisse ad honorandam natalium animæ nobilitatem, sive ad adeo digni operis majorem honorificentiam. THEOD. l. IV *in Genes.* q. IV, v. 7.

Aliud mysterium, cur animam nostram inspirando crearit, est, ut nobis insignem quamdam, qua anima præ cunctis aliis creaturis præfulget, excellentiam insinuaret, nimirum quod non educatur e potentia materiæ, sed a Deo immediate ex nihilo creata,

corpori infundatur. Unde Abulensis ait : Notatur, quod anima hominis est aliis formis perfectior, quia non est educta ex potentia materiæ, sed fuit creata a Deo et infusa corpori, quod notat spiratio a Deo facta. Denique aliud quoque mysterium a Pererio tangitur, nimirum, ut per hunc admirabilem productionis suæ modum dignitas animæ nobis insinuaretur; hic enim æmulatur modum, ut ita dicam, quo ipsamet divina sapientia procedit, quæ de semetipsa dicit: « Ego ex ore Altissimi prodivi, » siquidem etiam anima nostra de eadem prærogativa gloriari posse videtur; sicut enim halitus seu respiratio homini vitam tribuit, ita quoque Deus est, qui animæ vitam donat, et per quem ipsa subsistit. PERERIUS *in c.* II *Genes.*

Nosse debet, *cur anima ad imaginem Dei creata sit.* Cujus rationem assignat S. Augustinus, dicens : Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. S. AUGUST. l. I *Conf.* c. I.

B. Laurentius Justinianus quoque ait : Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest, capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. S. LAURENT. JUST. c. V *de Lign. vit.*

Nosse debet, *cur hominem Deus manu propria crearit,* de quo sic loquitur S. Clemens: Quoniam ejus figmentum est ; et alia quidem solo jussu fecit, hominem autem per se manu fabricatus est; et quid ei proprium inspiravit. S. CLEM. ALEX. l. II *Pædag.* c. III.

Nosse debet, *cur homo imago Dei dicatur*, id quod Hugo de S. Victore sequentibus verbis indicavit : Creavit ad imaginem suam, quia non est ei usquequaque similis. Filius autem imago est Patris, et non ad imaginem, quia quicquid habet Pater, totum habet Filius per naturam ; homo vero est imago Dei, quoad imaginem, quia non per naturam, sed participatione vel imitatione habet ea, quæ Deitatis sunt. Quod confirmans S. Bernardinus Senensis : Quælibet anima, inquit, ad imaginem Dei formata, tres potentias habet, videlicet intellectum, memoriam et voluntatem, quæ sunt facta ad imaginem Trinitatis. Primo quidem intellectus, et hic creatus est ad imaginem Filii. Secundo memoria, et hæc creata est ad imaginem Patris. Tertio voluntas, et hæc creata est ad imaginem Spiritus Sancti. Et iterum alibi : Imago Dei in anima, inquit, consistit in naturalibus proprietatibus et potentiis, ejus similitudo vero in gratuitis, hoc est, in virtutibus, divina charitate et divina dilectione. S. vero Thom. de Villan, ait : Imago consistit in potentiis, similitudo in bonis. Primum est debita proportio potentiarum ; secundum ornatus gratiarum et virtutum. HUGO VICT. in *Summa Sentent.* tr. V, c. II.

Nosse debet, *quo fine condita sit anima*, id quod S. Leo indicavit dicens : Si creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris, et hanc esse naturalem sui generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat. S. LEO, s. I *de Jejun. dec. Mens.*

S. Bernardus vero causam hanc reddit : Consilio sanctæ Trinitatis ad imaginem et similitudinem suam creavit te Creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donavit, ut tanto eum ardentius diligeres, quanto mirabilius ab eo te conditum intelligeres. S. BERN. c. XLVII *De int. dom.*

S. Ambrosius vero sic de hoc fine discurrit : Ita homo creatus est, ut charitatem haberet, ut bonus esset et justus, ut patiens atque mitis, mundus et misericors foret, quas virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propius est Deo, et majorem sui conditoris gerit similitudinem. S. AMBR. l. *de Dig. cond. human.* c. III.

Nosse debet, *cur anima corpori sit immersa,* ad quod dubium Elias Cretensis, Gregor. Nazianzeni commentator hisce verbis respondet : Hæc una causa est, inquit, cur anima cum corpore copulata sit, nempe ut per colluctationem adversus ipsum et mundum, et afflictionem, quam hinc perpetitur, non tantum ut donum, sed etiam ut ærumnarum et afflictionum, quas in hac vita pertulit, præmium, futurorum bonorum jucunditatem habeat. Magnam igitur anima per hanc cum corpore conjunctionem habet prærogativam præ tota natura Angelica, siquidem hæc pro illo solum instanti, quod scholæ Angelicum appellant, mereri potuit; anima vero meritis se divitem facere potest, quamdiu corpori unita fuerit, suisque meritis omnes spiritus beatorum, etiam Seraphinorum, in immensum potest transcendere. Huic accedit, quod, ut S. Paulus ait : « Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit ; » ad hanc vero luctam subeundam anima

corpore opus habebat, quia « caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : » ac proinde plurimum animæ corporis beneficio lucrantur, dum mediante corpore tot gratiis cœlestibus locupletantur. ELIAS CRET. orat. I.

Sanctus Bonaventura inter alias rationes, ob quas animam cum corpore unitam esse dicit, etiam in medium affert sequentem : Ut anima serviendo Deo in corpore, habeat majus meritum, quia ubi major pugna, major victoria, et per consequens, major corona ; difficultas enim corporis multum valet ad efficaciam merendi ; sicut corpus vivum valet ad fructum pœnitentiæ, sic post mortem resuscitatum valebit ad consecutionem stolæ duplicatæ. Neque enim sola anima, sed etiam corpus coronabitur gloria, ut pote quod una cum anima meriti fuit instrumentum, dum secundum dictamen animæ et rectæ rationis ei subjectum fuit, seque affligi permisit. Atque hic stimulus ille erat, quem S. Chrysostomus ab anima corpori suggeri et monitionis loco proponi volebat, ut tanto libentius se pateretur pro animæ salute mortificari. Dicit enim : Nequaquam nos umbra hæc fugitiva seducat. Largissimam profecto mercedem pro contempta voluptate capiemus ; atque ipse ad tuam animam loquere : Tristaris, quod te corporis voluptate defraudo ? Sed lætare potius, quia tibi cœlorum regna providebo. S. BONAV. l. II *de Oper. cond.* c. LX.

Tertiam rationem S. Nazianzenus assignat : Hæc nostra temperatio est, ut, cum imaginis dignitas nobis animos extulerit, pulvis eosdem deprimat, contrahatque. S. GREGOR NAZIENZ. or. XXVI.

Idem quoque Laurentius Justinianus his verbis tradit : Ut ex qualitate exterioris hominis discat, non elate præferre se, sed ex continuis punctionibus, quas indesinenter propter infirmitates et necessitates carnis patitur, spiritus materiam sumat se in humilitate custodiendi.

Nosse debet *in quo consistat pulchritudo animæ, et quomodo ornanda sit;* de qua materia sic discurrit S. Chrysostomus : Quæ est pulchritudo animæ ? Eadem hæc est, quæ animam Creatori suo similem efficit, nimirum Christianæ virtutes : Temperantia, æqualis morum moderatio, misericordia in indignos, charitas, mutuus amor fratrum, erga filios pietas, vita morigera et obsequens erga Deum obedientia, legis plena observatio, justitia, animæ contritio, hæ sunt animæ pulchritudines ; atqui non sunt hæc naturæ, sed propensioris studii, ac liberæ voluntatis. Hæc pulchritudo, hæc nostra cum illo, de quo scriptum est : Speciosus forma præ filiis hominum, similitudo, in manu nostra est. Quum penes se non sunt hæc animæ ornamenta, potest is suo jure sibi sumere. S. CHRYS. *in Psalm.* XLIV.

Quomodo vero ornanda sit, S. Ambrosius his verbis indicavit : Quisqu ediligentium attendat primæ conditionis suæ excellentiam, et venerandam in seipso Sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divinæ, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat ; at vero ut hæc omnia consequi valeat, curet ut prius præmittat quod sequitur : Diligentius attendat primæ conditionis suæ excellentiam. S. AMBROS. l. *de Dignit. cond. hum.*

S. Bonaventura conditiones Deo desponsatæ animæ sequentibus verbis indicat : In sponso eligendo quatuor sunt, genus, virtus, sapientia, pulchritudo, quæ omnia summe in Filio Dei reperiuntur, et ideo oportet, quod sponsa ejus præparet se et nobilitet ; in sponsa eligenda similiter quatuor considerantur, genus, pulchritudo, divitiæ, mores. S. BONAV. in c. XXX.

Nosse debet, *qualis obligatio oriatur animæ ex beneficiis acceptis*, de qua sic discurrit Mansi : S. Lucas c. XV Evangelii sui nonnulla recenset miracula, quæ Salvator noster unicuique languido manus suas imponendo pratravit : « At ille singulis manus imponens, curabat eos ; » circa quæ verba quæstio exoritur, cur scilicet Christus hoc modo infirmos curandi usus fuerit ? Ratio difficultatem hanc movendi est, quia tot aliis non solum sanitatem sed et vitam solo verbo restituit : Leprosum enim solo verbo *volo* mundavit ; Cæcum per unicum verbum *respice* illuminavit ; Filium viduæ a morte suscitavit, solum dicendo « Adolescens, tibi dico : Surge. » Cardinalis Toletus ad præsens intentum optime ita loquitur : Significabat unumquemque beneficio accepto ita obligatum manere, ac gratum se debere benefactori præstare, ac si solus ipse beneficium recepisset. Vitium enim hominum est frequens, minus se obligatos agnoscere beneficiis, quæ aliis etiam conferuntur, quasi major liberalitas conferentis minus obliget recipientes, cum potius id eos debeat effi-

cere magis gratos. Toletus, in cit. vii cap.

Quod confirmans Eusebius Emyss. Christus, ait, sicut pro cunctis passus est, sic pro singulis, sicut ei totum debent universi, sic totum singuli, sed quodammodo plus singuli, quam universi, quia quantum acciperent singuli, tantum universi. Quid enim interest, si et aliis præstitit, cum, quæ tibi sunt præstita, ita integra sunt, et ita perfecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum? Eusebius Emyss. *Exhort. ad Pleb.*

Quam eamdem doctrinam pariter D. Chrysostomus tradit lib. II, de compunctione cordis.

Nosse debet, *in quo consistat sanitas animæ*, quam S. Bonav. breviter explicat, dicens: Sanitas animæ consistit in recta et circumspecta actione, in cautæ locutionis observatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis, et utilitate cogitationis. Salus corporalis in humorum consistit bono temperamento, ita ut unus non prævaleat aut prædominetur alteri. Eodem modo salus spiritualis in recta appetituum et affectuum temperie consistit; quia si hi inordinati et minus bene regulati fuerint, et rectæ rationi, Deo, sanctæque ejus legi non subjiciantur, mox inde talis necessario intemperies exoritur, quæ mortem spiritualem infallibiliter inducit. S. Bonav. l. II, c. viii *de Prof. relig.*

Et ideo S. Ambrosius inquit: Hæc est animæ sanitas, hæc salubritas mentis, ut affluentia cesset erroris, sistatur culpa, ne serpat; cessante incentivo culpæ, salus tua est, atque inoffensus vigor animæ se refundit.

Nosse debet, *quam turpe sit*, *tantam corporis curam*, *et animæ exiguam gerere*; quid enim de eo dicturus esses, qui omne studium, magnorumque sumptuum impendium in habitatione sua superbis tapetum pretiosorum peristramatibus exornanda, marmoribus elegantissimis incrustanda, auro, argentoque illustranda, statuis, picturisque artificiosissimis decoranda, impenderet, seque ipsum postea in sterquilinio omnibus aeris temporisque injuriis nudum, veluti futurum prædam exponeret? Talis est illorum stultitia, qui toto vitæ suæ decursu pro corpore, quod pro brevissimo tempore animæ est domicilium et habitaculum, laborant, vestibus pretiosis illud adornando, cibis exquisitis pascendo, atque ut ejus appetitibus plane satisfaciant, eidem de omnis generis deliciis, voluptatibus, divitiis, honoribus, et aliis centenis ejuscemodi commoditatibus prospiciunt, animam interea adeo turpiter despicientes et posthabentes, ac si simul cum corpore moritura et interitura esset. D. Chrysostomus de modica quadam corporis parte ita loquitur: Pupillam oculorum tuorum, ne minimo lædatur pulvere, diligenter custodis, animam autem tuam tanta malorum congerie pressam negligis? S. Chrys. hom. xlv *in Matth.*

Nosse debet, quo sensu verum sit axioma: *Anima magis est, ubi amat, quam ubi animat.* Horum sensum verborum S. Albertus Magnus sic explicat: Trahit amor amantem extra se, et collocat eum in amato, faciens ei intime adhærere. Plus enim est anima, ubi amat, quam ubi animat, quia sic est in amato secundum propriam naturam, rationem, et voluntatem; sed in eo, quod animat, tantum est secundum quod est forma, quod etiam brutis convenit. S. Albertus Magn. *lib. de Adhær. Deo* c. xi.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione sententiæ illius: « Cujus est imago hæc et superscriptio? » Matth. xxv, 20.

Potest pulchre explicari, quomodo homo sit imago Dei, atque adeo in duas partes dividi concio. In prima ostendatur, in quibus rebus posita sit hæc ratio seu forma imaginis, nempe in cognitione et amore Dei; per hæc duo enim perfecte assimilatur illi, et perfectionem illius, beatitudinemque participat. In secunda ostendatur, quantopere hæc cogitatio quemvis excitare debeat, ad omnem peccati maculam et injuriam studiosissime cavendam; si enim pro maximo piaculo habemus, imaginem B. Virginis aut alterius sancti in lutum projicere aut aliam eis irreverentiam exhibere, quanto majus censendum erit, ipsius Dei imaginem in stercus voluptatum præcipitare, et gravissima peccati injuria afficere! Afferri potest eum in finem exemplum Boleslai, Regis Poloniæ, qui patris sui imaginem collo suspensam, quoties ad peccatum tentabatur, pectori appressit, dixitque: Absit, pater, ut rem aliquam tibi, mihique minus honorificam committam! Vide Fabrum in *Dom.* 22, *post Pent.* c. v et vi.

Ex occasione sententiæ S. Pauli: « Nesci-

tis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? » I Cor. xxxiii, 16.

Potest monstrari : 1. Quam verè nobile templum sit anima, eumque in finem comparatio institui cum templo Salomonico, dicique quod anima in tribus illud longe excedat, nempe in sumptibus factis, in cultu Dei, favoribusque collatis. 2. Inferri potest, quantopere cavendum sit, ne hoc templum polluatur per transgressionem verbi divini, et sanguinis Christi perditionem, per peccatum mortale factam; aut certe si pollutum sit, quam celerrime iterum reconciliandum sit, Deoque consecrandum, aqua lacrymarum vere benedicta eum in finem adhibita. Exaggerari etiam potest illa S. Pauli sententia : Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Vide Fabrum in festo Dedic. conc. vi, n. 4 et conc. viii, n. 3 et conc. x tota.

Ex occasione sententiæ Salomonis : « Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ, » id est, a peccato abstinentis et in gratia Dei constitutæ. Eccl. xvi, 20.

Eum in finem servire potest, quod idem Salomon de Sapientia dixit, nempe 1. « Præposui illam regnis et sedibus. Sap. vii, 28.

Quia talis anima possidet summum regnum sui ipsius, juxta illud Senecæ : Rex est, qui metuit nihil. Rex est, quique cupit nihil. Hoc regnum sibi quisque dat. Et Christus, apud S. Lucam : Ecce enim regnum Dei intra vos est. 2. « Divitias nihil esse duxi in comparatione illius ; » quia in anima sancta verum aurum charitatis Dei et proximi, et argentum puræ conscientiæ, gemmæ virtutum aliarum, et uniones bonorum operum reperiuntur. 3. « Super salutem et speciem dilexi illam ; » quia vere nihil pulchrius anima justa est, ut olim Christus S. Catharinæ Senensi ostendit; et vero etiam ex ipso corpore colligi potest, si enim hoc (velut domus animæ) tam speciosum est, quanto pulchriorem fore credendum est ipsam animam, pro qua corpus velut habitatio præparata est?

Ex occasione sententiæ : « Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam : » Gen. i, 27.

Ostendi potest, quam sapienter Deus hominem ad imaginem suam *ex nihilo* creaverit. 1. Ut per hoc semper in humilitate conservaretur, disceretque, omnia soli Deo adscribere : si enim ei, qui arborem plantavit, merito et fructus adscribuntur, quidni et Deo, qui solus animam creavit, fructus quoque illius boni adscribantur? 2. Ut meminisset, quod, sicut a nulla re in creatione sua dependebat, ita in vivendo quoque solum Deum respicere, ejusque gloriam et honorem quærere debeat, si quidem dignitatem et felicitatem suam sustinere velit, id quod apte expressit S. Augustinus, dum dixit : Scio, Domine, quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed etiam in me ipso. Et omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est mihi. Ut adeo merito quisque saluberrimam illam Senecæ sententiam sibi applicet : Nolo tibi deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci; nascetur si modo intra temetipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt; leves sunt, nisi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer et fidens, et super omnia erectus. 3. Ut meminerit omnem spem suam in Deo ponere; ad quem enim opus quodque magis confugiat, quam ad Artificem suum? Unde eleganter S. Chrysostomus hominem ad hanc fiduciam sic hortatur : Animalia fecit Deus propter hominem, hominem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, hominibus non ministrabit propter seipsum? Quidni ergo dicat cum S. Davide : Mihi autem adhærere Deo meo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam? Ps. lxxviii, 28.

Ex occasione thematis : « Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » Matth. xvi, 20.

Ostendi potest, cur homo animæ suæ curam omnibus præponere debeat, nempe. 1. Quia charitas incipit a seipso, utpote qui sibi proximus est. Certe omnes creaturæ totis viribus ad suum finem et perfectionem tendunt. 2. Quia anima est fundamentum et finis omnium bonorum, quæ appetimus; si ergo hoc corruat, necesse est, omnia alia cum ipso corruere et in exitium labi. Hinc pulchre hic applicari potest parabola Davidis a Nathan proposita de viro unam tantum oviculam, quæ erat ei sicut filia, habente, et tamen per vim ablata. II Reg. xii, 3.

3. Quia anima est talentum pretiosissimum homini a Deo concreditum; si ergo, cui multum datum est, multum requiretur ab eo, quam severam rationem Deus ab homine ob hoc pretiosissimum talentum male

collocatum, aut omnino perditum exiget?

Ex occasione thematis: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo. » I Cor. v, 27.

Ostendi potest, quis sit finis animæ in corpore creatæ, nempe ut ad cœlestem patriam per viam mandatorum tendat; hinc ei corpus velut equus assignatus, erga quod proinde tria officia exercere debet. 1. Cibum et stabulum illi non ad luxuriam et satietatem, ne recalcitret; sed ad necessitatem et honestam relaxationem, uti et somnum ad necessariam quietem concedere. 2. Frenum applicare per mortificationem, ne vel extra semitam mandatorum excurrat, aut cibi, potusve, aut luxuriæ immodico usu et appetitu iter impediat. Hinc Apostolus monet: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fugite fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, in quibus, et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. 3. Flagellum et calcaria castigationis adhibere, si forte contumaciam ostenderit, aut extra orbitam abduxerit; hinc Salomon dixit. Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium. Prov. xvi, 3.

Si ergo quivis eques mansuetum et fractabilem equum quærit, aut facere studet, quidni et simile studium adhibeat anima, ut corpus suum mansuefaciat, et in servitutem redigat?

Ex occasione thematis: « Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. » Cant. ii, 10.

Potest anima columbæ a Noe olim ex arca dimissæ comparari, quæ, cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, ad eum in arcam reversa est. Gen. viii, 9.

Ostendatur itaque: 1. Quomodo anima a Deo dimissa non invenerit in creaturis, ubi pes, id est, affectus illius requiesceret. Eum in finem exemplum Salomonis afferri potest, qui, etsi dixerit: Vadam et affluam deliciis, nec prohibuerit cor suum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ præparaverat, in omnibus tamen his vanitatem et afflictionem animi expertus est. Eccl. ii, 1 et 10.

2. Ostendatur, quomodo in solo Deo quietem suam reperire queat, juxta illud S. Augustini: Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. S. Aug. lib. I *Confess.*

Hinc merito S. Anselmus animam talem sic alloquitur: Quid vagaris, o anima, per multa quærens bona corporis et animæ? Quære unum bonum, in quo est omne bonum, et sufficit.

Ex occasione thematis: « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. » I Thess. v. 23.

Potest explicari triplex ratio, ob quam anima corpori est juncta, et inde doctrinæ morales erui. 1. *Propter perfectionem universi*; ut esset creatura partim spiritualis, partim corporalis; unde quia spiritualis pars haud dubie potior est corporali, recte quoque infertur, hanc illi, et non vicissim servire debere ad finem suum. Id quod præclare S. Bernardus indicavit, his verbis corpus alloquens: Propterea noli, corpus, noli præcipere tempora, potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent. Patere, ut nunc anima pro te laboret; magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris, et conregnabis. Quantum ejus impedis recreationem, tantum impedis tuam, quod nimirum ante reparari non poterit, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes, o caro, nobilem valde, et tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua, anima vero peregrina et exul apud te est hospitata. Quæso te, quis rusticus, si forte nobilis et præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus suis, vel ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum, sicut dignum est, potiorem? Et tu ergo fac similiter. 2. *Propter augmentum meriti*; quia virtus infirmitate et tentatione, qualis vel maxime in corpore reperitur, perficitur; unde non negligenda occasio, sed corpore utendum ut equo, applicando frenum mortificationis, et flagellum vel calcaria mortificationis, ut nos ad optatam perfectionem et meritum provehat. 3. *Propter participationem solatii*; ut scilicet, sicut corpus in laboribus et afflictionibus participat; ita in requie etiam et consolationibus particeps fiat, juxta illud S. Pauli: Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. II Cor. i. 2.

Unde exhortandi auditores ad corporis incommoda alacri ac æquo animo sustinenda.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Diversitatem animarum in hac vita operantium pulchre Josephus Mansi per araneæ et bombycis similitudinem ostendit: Etenim aranea, inquit, se ad subtilissima quædam fila texenda eviscerat, sed non alio id fine facit, quam ut in reti illo ex hisce filiis laboriose fabricato muscas capiat; at vero quid tandem ei accidit? Postquam miserum hoc insectum telam suam multis laboribus contexuit, servus familias scopam adducit, qua hanc tot laboribus fabricatam telam totaliter abolendo destruit, et disperdit, imo et ejusdem telæ artificem omni conatu persequitur, ut mortem inferat. Non vero idem bombyci contingit, quin potius unusquisque vermiculum hunc quærit, illumque delicate fovet, et nutrit, quia fila serica contexit, ex quibus pretiosissimi deinceps panni seu vestes sericæ conficiuntur, et ideo, cum aranea muscas tantum capiat, bombyx e contra Principes et Reges post se captivos ducit; siquidem hi ambo labores ejus ambiunt, quibus non regia solum conclavia, sed et sacra altaria adornant, et ideo bombycini partus ob eorum pretium et æstimationem ab uno mundi polo ad alterum deferuntur. Hi autem figura sunt earum animarum, quæ bonis cœlestibus adipiscendis vacant, quæque ex industria ad Creatoris sui servitium se applicant, et continuo pro salute æterna consequenda laborant, et fructificant: « Thesaurizant thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt. » Hæ profecto animæ a gratiis, cœlestiumque consolationum dulcissimo manna exinanitæ non sunt, sed potius iisdem refertissimæ; unde David ait: « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! » MANSI, disc. I, n. 14

Videbitis aliquando nobilissimam palatii alicujus faciem et introitum, mirabili architectura ex marmore, pretiosis statuis, sculpturis, aliisque ornamentis mire adornatam et elaboratam, tandem vero dum ex curiositate plura ejusmodi artis magisterio absoluta opera videndi ad interiora palatii penetralia ingredimini, conclavia feno offenditis referta, ambulacra passim aranearum telis obsepta, hortos ex urticis et vepribus silvescentes, fontes destructos, meram denique cunctis in locis desolationem conspicitis; dumque ingemiscentes causam tantæ desolationis inquiritis, hæc sola adducitur, quia Princeps, vel dominus palatii illius incola, illud pro tempore deseruit, suoque in discessu tapetes omnes, omnem pretiosam suppellectilem, universas, quibus conclavia illustrabantur, picturas, cunctaque ornamenta secum sustulit, et ideo, dum nulla jam palatii interioris cura habetur, omnia in eo desolata apparent, et horrescunt ingredientibus. Eodem prorsus modo de anima quadam ratiocinari licet; hæc enim, dum imagini et similitudini Creatoris sui correspondebat, omnibus erat donis, gratiis, virtutibusque Christiano homine dignis decenter adornata, adeo ut ipsum quoque speciositate sua in admirationem raperet Paradisum. At vero dum sponsus et incola animæ Deus eamdem ob propriam animæ culpam deseruit, sibi deinceps minime similis esse videtur. Quomodo mutatus est color optimus? Jam enim vitiis repleta, passionumque et affectuum inordinatorum tyrannidi subjecta esse conspicitur, et cum antea Deus de illa dixerit: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, » jam in ea præter effrenium appetituum sentes, lolia, urticas, et stirpes, nihil quod oculis Dei placeat, in ea conspicitur; intellectus factus est cæcus, voluntas deses et iners, memoria ingrata, irascibilis, vindicativa : « Orientur in domibus ejus urticæ, et spinæ, et erit cubile draconum, et pascua struthionum. » Unde S. Thomas Villanovanus ait: Nullos virtutum germinat affectus, nullos bonorum operum producit fructus. Idem, disc. IX, n. 23.

DIGNITAS. — S. Matthæus parabolam illam refert de Rege, qui præparavit nuptias filio, ad quas inter multos, qui ad easdem convenerant, præsumptuosus ille, qui sine veste nuptiali nuptiale triclinium ingredi præsumpserat, ad ignem condemnatus fuit: « Mittite eum in tenebras exteriores. » Quo facto sapientissimus Magister noster parabolam illam his verbis concludit: « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. » Circa quæ verba merito inquirendum venit, quomodo intelligenda, cum enim unus tantum convivarum condemnatus fuerit, cæteris omnibus mensæ imperturbato animo accumbentibus, contrarium potius dicendum fuisse videtur, scilicet multi electi, non vero pauci electi, siquidem ex multis unus tantum periit? Ad quam difficultatem alia nequit dari responsio, quam quod Deus unius dumtaxat animæ

salutem tanto in pretio, et æstimatione habeat, ut, dum illam perdit, innumeras se perdidisse arbitretur. Idem, disc. x, n. 10.

Unde Sanctus Augustinus ait: Certe unus erat ille, qui non habebat vestem nuptialem, quare dicit : « Multi sunt vocati, pauci vero electi? » quia in unius perditione sic afficitur, quasi multos perderet.

Cura animæ. — In prælio Gedeonis adversus Madianitas, tunc quæ secum abscondita habebant, lumina emicare cœperunt, quando vasa fictilia, in quibus reclusa tenebantur, fuere confracta; ita quoque (quia omnia in figura contingebant) lumen gloriæ in fidelium animabus tanto amplius resplendebit, quanto ipsorum corpora, quæ vere vasa sunt fictilia et fragilia, crudelius fuerint afflicta et lacerata. Idem, disc. iii, n. 5.

Plutarcus de Demetrio refert, quod is Rhodum obsidens, eamdem igne conflagrare, et penitus destruere omiserit, tametsi id promerita fuisset, idque ob hoc solum, quia in mœnibus admirabili artificio certi cujusdam philosophi, Protogenis videlicet imago depicta erat. Idem quoque Plinius his verbis scribit : Rhodum non incendit Rex Demetrius, expugnator cognominatus, ne tabulam Protogenis cremaret a parte ea muri locatam. Qualis igitur nobis erit confusio, si cum hoc gentili et crudeli milite comparemur? Hic enim ob philosophi cujusdam effigiem muris Rhodensibus impressam, eidem civitati, ne illam perderet, pepercit; cum tamen nos mysticam animæ nostræ Jerosolymam, de qua scribitur : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei », tam frequenter, tantaque cum facilitate et temeritate ad flammas condemnemus infernales, non obstante quod eidem impressa sit imago non hominis alicujus, sed ipsiusmet Dei, qui illam fundavit: « Ipse fundavit eam Altissimus. » Mansi, disc. iv, n. 11.

De magno illo Cardinali Reginaldo Polo, qui verus Angliæ Polus Arcticus, et Fidei Catholicæ in eo regno columna et fulcrum fuit, legitur, eum corpus suum tam flocci fecisse, ut solitus fuerit dicere, eum, qui sibi vitam hanc erepturus esset mortalem, nihil esse facturum amplius quam quod illi nocte cubitum eunti servus facere solet, dum eum vestibus suis exuit. Quo Cardinalis dicto, ut verissimo supposito, quæro ex te, quisquis es, quidnam majoris facias; vestemne, an corpus, quod tali veste contegitur? Utique, nisi delirus sis, responderis, stolidum esse eum, qui pluris vestem æstimat, quam corpus. Numquid vere ita est? Et tamen hæc est innumerabilium hominum ingens stultitia, quod, tametsi alias in cæteris sensati sint et sapientes, corpus tamen, quod nihil est aliud, quam simplex quædam animæ vestis, majori in pretio habeant, quam animam. Idem, disc. xvi, n. 2.

Berchorius refert, quod Alexandro Magno præsentata gemma quædam fuerit, ea virtute et naturali proprietate prædita, ut in bilancem seu libram posita, cujusvis alterius rei ponderi, etiam immenso, imo vastissimo cuidam monti præponderaret, ita tamen, ut dum eidem gemmæ vel modicum quid pulveris inspergebatur, subito hanc suam miram virtutem amiserit; quod si vere ita est, aptior hac gemma animæ nostræ figura inveniri minime poterit. Hæc enim a Deo cum tali virtute et valore creata fuit, ut universus mundus ei comparatus, eidem præponderare non possit. Imo sui pondere et æstimatione omnia creata in immensum excedit, quia Deus ipse dedit omnia, quæ habuit, et emit eam. Imo semetipsum, quantus est, eidem comparandæ superimpendit. Verumtamen, si vel minimo pulveris atomo, id est, affectu terreno contaminetur, hic ipsam omne pretium amittere facit. Apud eumdem, disc. xviii, n. 8.

D. Chrysostomus philosophum quemdam fuisse refert, qui in domum quamdam viri præpotentis auro ubique fulgentem, marmoribus elegantissime incrustatam, columnis pretiotissimis suffultam, quaquaversum peripetasmatibus tapetibusque phrygio opere artificiosissime elaboratis vestitam ingressus, vidensque pavimentum insuper stragulis magno pretio æstimatis, ubique contectum, in faciem exspuit domini domus; cumque de hac inurbanitate ab eodem graviter reprehenderetur, confestim se excusavit dicendo, ideo se faciem illius hac contumelia affecisse, quod nusquam alibi in domo id facere licuisset; nusquam etiam in hac ubique tam eleganter exornata domo locum invenire potuerit viliorem, quam vultum domini illam incolentis. Ex qua historia Sanctus Doctor egregiam elicit moralitatem ad condemnandum illos, qui nulli alteri rei tantam adhibent operam et studium, quam ut bona sibi terrena acquirant ad deliciose tractandum corpus, dum interea pretiosissimam illis a Deo inditam animam marcidam

et emaciatam prorsus negligunt : vide, inquit, quam sit ridiculus, qui exteriora nimis sollicite exornat, et apud omnes, qui mentis compotes sunt, est contemptibilis ; et merito sane, nam cum parietes quidem et solum, aliaque omnia accurate exornes, animam vero velut pannis obsitam, squalentem, jejunantem, plenam vulneribus, ab innumerabilibus canibus laceratam negligas, quodnam supplicium non sustinebis? S. Chrys. hom. *de Anim.*

Si Regem aliquem inter aulæa regia, et in penetralibus reconditioribus equos, aliaque jumenta asservantem, sibi vero stabulum pro sua mansione eligentem videres, quid diceres? Et tamen eadem stultitia quotidie a tot committitur Christianis, qui corpori et sensibus suis exterioribus divitias, delicias, honores, voluptates, omniaque alia hujus vitæ bona accumulant, cum tamen ob hoc comparati simus jumentis insipientibus; animam vero intra stabulum squalentem negligunt, siquidem hæc in hoc corporis ergastulo, putredine et immunditiis pleno, absque ulla bonorum auxiliorumque spiritualium et æternorum provisione habitare cogitur; quod enim illi commoditates et solatia præparentur temporalia, ut potior pars hominum indefesso studio facit, hoc nihil est aliud, quam animam in stabulo inter immunditias et fœtida stercora positam negligere, siquidem de his omnibus Apostolus optime dicit : *Omnia arbitror*, *ut stercora*; et ideo dum hoc facimus, animam adeo nobilem velut brutum et irrationale quoddam animal tractamus. Mansi, disc. xvi, n. 8.

Apud Marcum cap. i. et Lucam cap. iv, si rem bene discutias, invenies, primum opus, quo Christus brachii sui potentiam ostentavit, fuisse expulsionem dæmonum ex hominibus, quos occuparant, post hæc vero cœpisse alia facere miracula, et emaculare leprosos, dare visum cæcis, brachiorum pedumque usum restituere paralyticis, claudis, mancis, impertiri sanitatem ægris, vitam mortuis. Est ea S. Joannis Chrysostomi observatio, hom. xxi, in cap. viii Matth. operis imperfecti, ubi sic habet : Sciendum est, quod Lucas quidem, et Marcus statim in primis ponunt dæmoniacum curatum, in secundo autem loco mulierem carnali infirmitate febrium laborantem. At si quæras, cur ab Energumenorum curatione potius, quam aliorum infirmorum, aut male habentium curatione exorsus fuerit Dominus, respondet ibidem : Ea videlicet causa, quia major cura est ei de salute animæ, quam corporis. Dæmones, quando corpora humana invadunt, id eo maxime consilio et voto faciunt, ut destruant, vastentque animas. Itaque illos primum aggreditur, ejicitque Dominus ; hoc enim præ cæteris rebus omnibus agere debet Christianus, ut animæ negotia primo curet, velut curavit Christus, quia major cura est ei de salute animæ, quam corporis.

S. Basilius expendit finem, ad quem homo conditus fertur : Non dixit: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut vescatur ligno fructifero, sed ut præsit, imperet, tum demum esitet. Quæ concernunt carnem, secundas obtinent, nam primas sibi asserit primogenia præsidendi auctoritas, attributa animæ. Comedere, bibere, carnis sunt opera ; præesse, imperare, ad animam spectat. Prius ergo Dominus de his, quæ ad animam hominis pertinent, statuit, quam de rebus corporis, ut significaret, illam in omni occasione huic præferendam, eamque diligenter ac studiose curandam ; utque omnes intelligerent, esse illam dominam, corpus vero mancipium. Eam ergo ob causam, Adam prius præest, quam comedat; quæ enim concernunt carnem, secundas obtinent, nam primas sibi asserit primogenia præsidendi auctoritas, attributa animæ. S. Basil. hom. x, n. 18.

Accessit ad Christum quidam Scriba, et veluti ingenti serviendi Deo desiderio teneretur, perpetuoque illi adhærere vellet, aiebat: « Magister, sequar te quocumque ieris : » Matth. xviii, 19. Non admisit Dominus obsequium, quin multas illi in medio posuit difficultates, dicens, esse sua ruri animalibus diverticula, foveas vulpibus, avibus nidos ; se vero tam pauperem vitam ducere, ut nullum in mundo locum habeat, in quo vel delassatum jejuniis et vigiliis caput reclinare queat. Percontatur Tostatus, quare Christus, qui alios ad sui sequelam invitare solebat, hunc, qui se ultro offerebat, et scholæ ejus velle nomen dare videbatur, a suo contubernio repulit, qui hoc nomine admitti dignus erat, quod admitti rogabat. Respondet magnus Doctor, jubetque Lucam adire, qui rem hanc ita narrat, ut ex circumstantiis, a quibus eam describit, proclive sit, causam, ob quam scriba ille repudiatus sit, divinare. Is vero, c. ix, v. 57, sic habet : « Factum est autem, ambulantibus illis in via dixit quidam ad illum : Sequar te, quo-

cumque ieris. » Dum Christus forte transiret, scriba ille in via, quasi ex occasione, ac præter rem, dare se disciplinæ Domini, et salutis suæ studio volebat, non præmeditato, non consulto, et maturo consilio, idcirco et repulsam passus est; nam quæ animæ sunt, non illa casu, non velut ab aliud agentibus per viam, obiter, sed ex composito, et ab exoccupatis, et hæc solum tum cogitantibus, tum curantibus, tractanda sunt. ABULENS. *in cap.* VIII *Matth.* q. LIX.

Sanctus Gregorius Nazianzenus egregie hanc doctrinam confirmavit, dum expendit ea, quæ ad opus nostræ Redemptionis concurrerant, dicens : Huc magistra lex tendit, huc inter Christum et legem interjecti Prophetæ, huc spiritualis legis perfector et finis, Christus, huc exinanita Deitas, huc assumpta caro, huc nova illa mixtio, Deus, inquam, et homo. Atque hæc omnia propter omnia, et pro uno illo generis nostri Principe, in unum coierunt. Hæc ille; in quibus mihi hæc postrema verba ad trutinam venite, diligenterque expendite : Hæc omnia pro uno illo generis nostri Principe in unum coierunt. Si videres in unam infirmi cujuspiam potionem hyacinthos, adamantes, aurum, uniones, quæ neque numerum haberent, nec pretium, adhiberi, quid diceres ? Illud puto, plurimum positum esse in illius incolumitate, maximoque in pretio esse sanitatem, quæ tanto pretiosissimarum rerum impendio procuratur. Vide nunc, inquit Nazianzenus, quo loco Deus animarum nostrarum salutem habeat, quam ut curaret, legem et Prophetas in unum coegit, et quod caput est, seipsum, suam divinitatem, suam humanitatem, sua attributa, sapientiam, omnipotentiam, et quæcumque talia, in remedium nostrum convertit. Hæc omnia in unum coierunt. O! quales species, e quibus salutis nostræ medicamentum conficitur ! Quam pretiosæ ! Et quomodo Deitas velut consumitur ! Deitas exinanita. Vide quid Deo valeat animarum salus, et an earum negotium velut in cursu, aut perfunctorie, ac non magis multa cum maturitate, summaque attentione, et omni virium contentione procurandum ? S. GREG. NAZ. or. I.

S. Bernardus alicubi sic loquitur : Venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi. Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraberis primum quidem illarum infantilium necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando; fatigationum in discurrendo ; tentationum in jejunando ; vigiliarum in orando ; lachrymarum in compatiendo ; insidiarum in colloquendo ; postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis operatus est triginta et tribus annis, et passus in medio terræ ? Tot annos, ærumnosissimam vitam, inter miserias tam multas et magnas exegit, ut salutem animabus adferret. Quantum vero temporis redemptioni corporum dabit? « In momento, in ictu oculi etc. mortui surgent incorrupti. » I COR. XV, 52. Tantumne temporis curandis animabus impendit, et revocandis in vitam meliorem corporibus solum momentum ! Discite hinc, quantum inter curam utrorumque intersit. Momento corpora reviviscunt, animæ triginta, et amplius annorum longo labore curantur. Nimirum animabus diu multumque vacandum, ad corpora si modo velut per viam, obiterque attendas, satis hoc sit. S. BERN. s. *de quadr. debite cit. a Nyss. Dom.* 5 *post. Pent.* § 5.

In auctore quodam de duobus fratribus legisse me memini, quorum unus sapiens, alter vero delirus erat, quod, dum simul in eodem itinere constituti ad bivium quoddam pervenissent, interque se de via eligenda deliberarent, stultus viam elegerit amœniorem et deliciosiorem ; sapienti vero magis via aspera placuit, et difficilis ; cumque diu inter se concertassent, tandem sapiens, ne fratrem suum delirum contristaret, ejus voluntati et opinioni cessit, seque ab illo vinci permisit. Demum vero aliquousque progressi in latrones inciderunt, a quibus apprehensi, in tetrum carcerem fuerunt abducti ; tandem vero cum ad ejus, qui caput et præfectus latronum erat, tribunal educerentur, sapiens totam culpam in delirum, hic vero in sapientem conjecit, utpote qui sanæ rationis judicio præditus, a stulto se vinci et superari permisit. Judex vero utrumque culpæ reum esse pronuntiavit, stultum quidem, quod se ab eo, qui se sapientior erat, gubernari non permiserit; sapientem vero, quod sano judicio pollens, ab eo, quem stultum esse noverat permiserit se duci. Enimvero tametsi nobis necessum non sit, ut D. Chrysostomus ait, de mendacio adstruere veritatem, attamen

ex hac fabula utilissimam quamdam elicere possumus moralitatem ; corpus enim et anima sunt veluti duo fratres germani, licet inter se conditione valde inæquales, siquidem anima sapiens est : « Spiritus est, qui vivificat »; Caro vero e contra fatua est et stolida : « Caro non potest quidquam. » Anima ratione prædita est, et intellectu, ideoque per sanæ rationis discursum sibi potest consulere ; corpus vero instar stolidi jumenti, insipiens est. Et ideo anima a via ardua et difficili minime terretur, quia hæc est, quæ ad cœlum perducit : « Arcta est via quæ ducit ad vitam ; » et ideo temperantiam, mortificationem, pœnitentiam, suique ipsius abnegationem , bonorumque terrenorum contemptum eligit, et diligit. « Spiritus quidem promptus est, » corpus vero asperioris vitæ arduitatem exhorrescit : « Caro autem infirma, » et ideo jejuniorum, macerationis carnis, vigiliæ, custodiæ sensuum deterrita difficultate, viam eligit deliciosam , amat voluptates, divitias, honores, cunctasque alias vitæ præsentis commoditates; dumque inter se diu concertando conflictantur, quia « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem , » tandem anima se suis continuis persuasionibus nihil proficere videns, a corporis importunitate superata, carnem suo modo vivere sinit, illique compatiens frena laxat. Unde fit , quod , dum simul gradiuntur, in latrones et viæ prædones, id est, appetitus inordinatos, pariter incidant, qui illos vinculis irretitos in captivitatem abducunt ; funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur ; ac tandem dum coram supremo Judice comparent, ut suam quæque pars sententiam accipiat, ambæ ad infernum condemnantur ; anima quidem, quia se, suppresso rationis lumine a sensualitate vinci permisit ; corpus vero, quod animam aggravaverit, suisque affectibus inordinatis suppresserit, et ideo corpus et anima perduntur in gehennam. MANSI, tr. VIII, disc. XVII, n. 13.

MISCELLANEA.

QUALITAS. Ad cœlestia et divina animi nostri se habent ut Promethei statuæ, quæ etiam solis radiis expositæ nec vigorem habebant, nec movebantur ; at ubi conscenso Olympo Prometheus virgulam soli admovit et incendit, et redux in terram statuæ suæ inseruit, illico in membris motus, et in statuis fuit repertus. DREXEL. in *Trismeg.* l. III, cap. I, § 3.

Maximum est argumentum animi ab altiori venientis sede, si hæc, in quibus versatur, humilia judicat, et angusta, si exire non metuit; scit enim, quo exiturus sit, quia, unde venerit, meminit. SEN. ep. CXXI.

Exemplumque Dei quisque est in imagine parva. MAN. l. IV.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.
Impetus hic sacræ semina mentis habet.
(OVID. *Fast.*)

IMMORTALITAS.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In cœlumque redire animas, cœloque venire?
(OVID. *Fast.* l. IV).

DIGNITAS. In anima nostra sublime quiddam ac divinum esse, vel hoc ex argumento colligitur, quod cum Deus reliqua animalia conderet, solummodo dixerit : Producant aquæ reptile animæ viventis, et omne volatile super terram ; anima enim piscium, volatiliumque ex eadem materia cum corpore desumpta est; at quando homo formatus est, corpus quidem ex limo terræ fabricatum, anima vero velut spiraculum vitæ a Deo inspirata est. GRANAT. *in loc. comm.* f. 92.

Tutum iter et jucundum est, ad quod natura te instruxit ; debit tibi illa, quæ, si non deseris, par Deo consurges. Parem autem Deo pecunia non facit, Deus autem nihil habet ; prætexta non faciet, Deus nudus est; fama non faciet, nec ostentatio tui ; nemo novit Deum, licet multi male de illo existiment, et impune. Non turba servorum lecticam tuam portantium, Deus ille maximus, potentissimusque ipse omnia vehit. Nec forma quidem et vires beatum te facere possunt ; nihil horum non patitur vetustatem. Quid ergo? Animus, sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum in corpore humano hospitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quam in in libertinum, quam in servum potest cadere. SEN. ep. III.

Nihil magnum est in humanis rebus, nisi animus magna despiciens. CICERO *de Nat. quest.*

Omnis suo bono constat vitæ fertilitas; commendat vinum sapor, velocitas cervum. Quam fortia dorso jumenta sint, quæris. In cane sagacitas prima est, si feras investigare debet ; cursus, si consequi ; audacia, si mor-

dere et invadere. Illud cuique optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur. In homine optima quidem est ratio, hac antecedit animalia cætera, Deum sequitur. Ratio ergo perfecta primum hominis bonum est, cætera illi cum animalibus satis superque communia sunt. Est fortis videlicet, et leones; velox est, et equi; corpus habet, et arbores; habet imperium ac motum voluntarium, et bestiæ ac vermes; habet vocem, quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem et nobiliorem lusciniæ. SEN. ep. LXXVII *ad Lucil.*

Omnium animi immortales sunt, sed bonorum fortiumque divini. CICERO l. II *de Leg.*

Valentior omni fortuna animus est, beatæ ac miseræ vitæ sibi causa est. SEN. ep. XCIX.

Cogita in te, præter animum, nihil esse mirabile; cui magno nihil est magnum. Id. ep. VIII.

CURÆ. Isocrates, cum discipulum horti studiosissimum, sed in ornandis moribus languentem vidisset, nec in studiis quidquam proficere advertisset, his verbis eum allocutus est: Obsecro, ne hortum habeas cultiorem, quam animum. DREXEL. in *Trismeg.* l. III, c. I, § 2.

Stilpon interrogatus, quem hominem judicaret statuis simillimum? Hominem, respondit, stupidum, et animi sui negligentem. Ibid. § 3.

Demonax philosophus de hominibus sui curam negligentibus dixit: Stultissimi mortalium omnem sollicitudinem suam ponunt in exstruendis ædibus, et hominum, qui ædes illas inhabitaturi sunt, nullam penitus rationem habent. Et quid magis miremur, quam cum omnes et cupiant optime vivere, et sciant, non alia re, quam animo sic vivi, nec fieri posse, quin si optime vivant, animus colendus sit, tamen animum suum minime colant. Ibid. § 2.

Europa, Regis Agenoris filia, ad littus Tyrii maris in prato nitidissimo taurum conspicata, quamvis primo metueret, tamen ubi mitem, blandientem, et ad sessionem invitantem vidit, tandem adire, tangere, herbas porrigere, et demum tergo insidere cœpit; verum mox ab eo in mare abducta, frustra ad littus respexit, suique lusus audaciam damnavit. Idem animæ cum corpore contingit, nisi ab initio blanditias ejus damnet; abducetur enim paulatim a littore cœlestis patriæ in mare iniquitatis et malorum, frustraque amissam patriam suspirabit. Ibid. c. III, § 3.

Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.
(JUV. sat. VIII).

Non immerito cecinit Ovidius:

Ut corpus redimas, ferrum patieris, et ignes,
Arida nec sitiens ora lavabis aqua.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis,
At pretium pars hæc corpore majus habet.

AXIOMATA.

Anima magis est ubi amat, quam ubi animat.

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? MATTH. XVI, 26.

Omnia si perdas, animam servare memento.

Salus animæ in sanctitate justitiæ, et melior est omni auro et argento.

Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

AUCTORES.

Franciscus Labata V. *Anima.*

Hieremias Drexelius in *Trismegisto* l. III, cap. I.

Laurentius Beyrlinck in *Theatro vitæ humanæ.* V. eodem.

Josephus Langius in *Polyanthœa.* V. eodem.

Antonius Dauroltius *in Catech. historiali,* cap. VIII, tit. II.

ASCESIS.

PARS PRIMA.

DICTA, SEU AXIOMATA ASCETICA COMPLECTENS.

Per Dicta *hoc loco non intelliguntur quæcumque sententiæ ab Ascetis ore prolatæ, sed tales, quæ tum ob brevitatem suam, tum ob doctrinam, quam continent, specialiter notari merentur. Ideoque axiomata, id est, celebria et indubitata, ac notatis dignissima effata nominari possunt. Qualia quidem passim tum in libris ascetarum, tum in vitis Sanctorum occurrunt, sed quia non cuivis commodum est ea percurrendo tales libros seligere, multa præterea propter brevitatem suam non satis intelliguntur, ideo pergratum fore arbitror si selectiora talia Dicta hac in parte enumerem, et ut melius percipiantur, brevem exegesim, seu declarationem subjungam.*

DE AXIOMATIS AD DEUM SPECTANTIBUS

AXIOMA I.

Nemo bonus, nisi solus Deus.

Ita Christus, Luc. XVIII, cum princeps quidam ei dixisset : « Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo. » Respondit : « Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus. »

Exegesis.

Pro hoc Dicto recte intelligendo sciendum est, duplicem esse bonitatem, *absolutam, et respectivam*; illa convenit soli Deo, quia solus hic in se, et a se bonus est, et omne bonum velut fons complectitur. Ista creaturis competit, quæ solum bonæ sunt participative, et cum respectu ad Deum; voluit ergo Christus dicere solum Deum esse eminenter bonum, et infinite continentem, quidquid creaturis bonum apparet. Hinc Thomas Kemp. recte monet. « Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi pure Deus, aut de Deo sit. Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, sub Deo despicit universa. Solus Deus æternus et immensus, implens omnia, solatium animæ, et vera cordis lætitia. » Lib. II, *de Imit.* c. V.

AXIOMA II.

Deus meus, et omnia.

Uti S. Franciscus dicere solebat, et in his verbis considerandis integras quandoque noctes transigebat; sicut vita ipsius apud Surium testatur. SURIUS, 4 octob.

Exegesis.

Quia Deus est fons omnis boni, ut ipsemet indicavit apud Jeremiam : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. » Hinc merito exclamat pius Auctor : « Ecce Deus meus, et omnia, quid volo amplius et quid felicius desiderare possum ? O sapidum et dulce verbum, sed amanti Verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo sunt: Deus meus, et omnia! Intelligenti satis dictum est, et sæpe repetere jucundum est amanti. Te siquidem præsente jucunda sunt omnia; te autem absente fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, et pacem magnam, lætitiamque festivam. » JER. II, 13, et IMITAT. l. III, c. XXXIII.

Recte ergo S. Augustinus hortatus est animam dicens : « Quid vagaris, o homuncio, quærendo bona animæ tuæ, et corporis tui ? Ama unum bonum, in quo sunt omnia, et sufficit, desidera simplex bonum, in quo est omne bonum, et satis est. » Et iterum : « Si quæris, quære, sed non ubi quæris; quære in fonte, quia ibi omnia vivunt; quod factum est, in ipso vita erat. Ecce ergo viam vitæ, a multis ad unum ; ecce viam mortis ab uno ad multa. Lib. *de Spirit. anim.* c. LXIV.

AXIOMA III.

Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Ita S. Augustinus propria experientia doctus exclamabat l. I, Conf. c. I. Hinc alibi fassus est. « Scio, Domine, quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed in

me ipso ; et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. »

Exegesis.

Rationem hujus dicti fundamentalem assignat S. Bernardus dicens : « Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest ; capacem namque Dei, quidquid Deo minus est non implebit. » Hom. *super* : « Ecce nos reliquimus. »

Unde S. Augustinus, ad Deum suspirans, dixit : « Da quod peto, quoniam, si cuncta, quæ fecisti, mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis. » *Soliloq.* c. III ;

Hinc et ipse Deus apud Jeremiam dixit : « Scito et vide, quia malum, et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te. JEREM. II, 19.

AXIOMA IV.

Minus te, Domine, amat, qui præter te aliquid amat, quod propter te non amat.

Ita iterum S. Augustinus lib. X Confess. cap. XXIV et recte.

Exegesis.

Quia, ut Thomas Kempensis bene advertit : « Dilectus tuus talis est naturæ, ut alienum non velit admittere, sed solus cor nostrum vult habere et in eo tamquam Rex in proprio throno sedere. Lib. II, c. VII.

Hinc omnibus illum diligere volentibus dicit, quod olim Christus capere ipsum volentibus dixit : « Si me quæritis, sinite hos (scilicet creaturas) abire. » JOAN. XVIII, 8.

Coangustatum enim est stratum nostrum, ita ut alter decidat. Imo dividere cor cupientibus non permittit, sed dicit quodammodo cum illa muliere : « Date ei cor vivum, et nolite dividere. » ISA. XXVIII, 20.

AXIOMA V.

Quales impetus habebas ad Mundum, tales habeas ad Artificem mundi.

Ita hortatus est S. Augustinus, et proprio suo exemplo confirmavit, dum, quantum prius dilexit mundum, tanto amore ferebatur postea in ipsum Deum ; uti ipsemet testatur dicens : « Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum, et quas dimittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat, ejiciebas enim eas a me vera tu, et summa suavitas ; ejiciebas eas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini, omni luce clarior, sed homini secreto et interiori : omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. S. AUG. l. IX *Confess.* c. I.

Exegesis.

Ratio est, quia, cum Deus infinities dignior sit amari, quam mundus. Mundus autem ardentissimo plerumque amore diligatur a suis amatoribus, æquum est, ut simili quoque amore Deus a peccatoribus perfecte conversis diligatur. Hinc et Apostolus monuit : « Sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ ad iniquitatem ; ita nunc exhibeatis servire justitiæ ad sanctificationem. » ROM. VI, 19.

Imo Baruch Propheta hoc gradu non contentus amplius requirit dicens. « Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum. » BARUCH. IV, 28.

AXIOMA VI.

Diminutio cupiditatis augmentum est charitatis.

Uti S. Augustinus recte pronuntiavit, ut etiam Thomas Kempensis confirmavit, dicens : « Tene breve et consummatum verbum : Dimitte omnia, et invenies omnia. Relinque cupidinem, et invenies requiem. L. III, c. XXXII *de Imit.*

Exegesis.

Ratio dicti est, quia « bonorum Auctori, teste S. Gregorio in homil. aliter inhærere non possumus, nisi cupiditate a nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus. » Ser. III *de Ascens.*

Hinc, ut S. Bernardus pronuntiavit, ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleri nequiverant ante Christi Ascensionem, quia carni Dominicæ, etsi sanctæ, adhærebant. Merito ergo S. Gregorius lib. VII hortatur : « Quisquis defluere devitat, fugiat, ne per hoc, quod

omnia enim bona statim proveniunt, ubi malorum radix, avaritiam dico, sublata fuerit, jam frivola illa verba, *meum* et *tuum*, quæ tot bella mundo invexerunt, ex sancta illa Ecclesia erant exterminata, inhabitabaturque non aliter terra, quam ab Angelis cœlum. Idem t. v, ser. XXI.

Quotidie ille (Judas) cum eo erat, qui non habebat, ubi caput reclinaret, et quotidie verbis et operibus instituebatur, ut non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet, et tamen reprimere se non potuit; quomodo igitur tu speras absque magna cura et diligenti studio contagionem hujus morbi effugere? Idem, hom. LXXXI *in Matth.*

Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Quia vero, quisquis in hoc sæculo vivit, bonis hujus terræ pro ratione status sui indiget, quonam hac in re consilio nobis utendum erit? Sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut per ea non teneamini in mundo. S. GREGOR. ap. MANSI, tr. VIII, disc. X, n. 7.

TURPITUDO. — Hoc loco, et animo prorsus toto perhorrescamus, et corpore, intelligentes istud quod Christum dixisse memoravimus, ex adverso scilicet Deum, aurumque consistere et componi: si igitur istud sono quoque sermonis horribile est, quanto est horribilius, cum ipsis operibus tyrannis auri Dei timori præfertur? S. CHRYS. hom. XXII *in Matth.*

Cum quis opes iniquis artibus collegit, atque hinc sibi robur et potentiam conciliari censet, similis est ægroto, in morbi abundantia sanitatem sitam esse statuenti. S. JOAN. DAMAS. l. III, cap. LIV.

Nulla sane putredo vulneris, inquit S. Damianus, in Dei naribus intolerabilius fœtet, quam stercus avaritiæ, et cupidus quisque, dum sordentis pecuniæ quæstus accumulat, vertens exedram in latrinam, quasi molem stercoris coacervat. S. PETRUS DAM. l. II, ep. II.

DAMNUM. — An non vane etiam ille conturbatur, qui summo labore coacervat, quod nesciat, cui hæredi relinquat? Sæpe, quod avarus summa congessit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus, et diu quæsita turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine. S. AMB. l. II *Offic.* cap. XLIX.

Quibus argenti et auri maximum pondus, hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis interna sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet, non cibus securo somnusve contingit. Suspirat ille in convivio, licet bibat in gemma, et cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se illigatum teneri, et possideri magis, quam possidere divitias atque opes. S. CYPR. ep. II, *ad Donat.*

Aurum est monarcha in imperio, imperator in campis, arbiter in litigiis, cotes ferri, flammarum fomes, scopulus fidelitatis, affectuum tyrannus, magnes curarum, fortissimarum expugnator urbium, debellator regnorum, mundi triumphator. Aurum est, quod innocentissimas corrumpit animas, acutissimas excæcat oculorum pupillas, justissimas manus catenis constringit, generosissima sibi corda subjugat. Anonym. apud MANSI, disc. XV, n. 7.

Æstimato malo pondere peccatorum, levius videtur alicui peccare avarus, quam idololatra; sed non mediocriter errat; non enim gravius peccat, qui duo grana thuris projicit super altare Mercurii, quam qui pecuniam avare, cupide, et inutiliter servat, et congregat. Ridiculum videtur, quod aliquis judicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre; et ille non judicetur idololatra, qui totum servitium vitæ suæ offert creaturæ? S. HIER. ep. *ad Rustic.*

Cæca est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis, non videt quæ divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt. S. CYPR. *de Ord. dom.*

Avarus propinquis est odiosus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis et vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atque sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiuque sollicitus et cogitabundus. S. ASTERIUS l. *de Avar.*

Non est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. S. LEO ser. IX *de Pass.*

Avaritia est animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca, belli materia; propter opes propinqui, cognati naturam negant. fratres inter se digladiantur, loca deserta grassatoribus, mare piratis, civitates calumniatoribus replentur. Quis mendacii pater est? Quis falsæ accusationis minister? Quis

in instrumentis divinæ providentiæ justitiæque homines, quando et ipsi reprobi, et in malo obfirmati, obstinatique Dæmones hoc munus obeunt. Accurate id notavit S. Gregorius in illum locum Scripturæ : « Spiritus Domini malus arripiebat Saul; » ubi idem spiritus et spiritus Domini vocatur, et spiritus malus, malus per desiderium perversæ suæ voluntatis, spiritus autem Domini ad demonstrandum ipsum fuisse a Deo submissum ad torquendum Saulem, et quod Deus pararetur per ipsum; hoc enim modo contextus ipse rem explicat, dum dicit : « Exagitabat ipsum spiritus nequam a Domino. » Atque ob hoc ipsum docet id S. Pater, Dæmones persequentes justos vocari in Scriptura Dei latrones, *latrones* quidem, ob eorum malitiam; *Dei*, ex data ipsis ad inferenda supplicia potestate. Lib. XIV *Mor.* xx.

Idem ponderat S. Augustinus : « Non dixit Job, inquit, Dominus dedit, diabolus abstulit : sed referendo omnia in supremum Numen) *Dominus dedit, Dominus abstulit;* probe sciens, plus diabolum non posse, quam ei Deus velit permittere. Pergit vero hic sanctus : « Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit; nisi ille permitat, qui desuper habet potestatem. » S. Aug. *in Psal.* xxxi.

AXIOMA IX.

Heu! amor non amatur.

Ita B. Jacoponus, Ordinis S. Francisci, qui, cum in carcere Romæ detineretur et amici suspiria continenter trahentem reperirent, « quia, respondit, amor non amatur. » Aut certe ut S. Bernar. alicubi quæritur, non eo modo, quo docet ; dum « amat charitas, amat immensitas, et nos rependimus cum mensura. »

Exegesis.

Ratio est quia ex una parte, teste S. Bernardo, cum amat Deus, non aliud vult, quam amari, quippe sciens ipso amore beatos, qui se amaverint, ex altera vero parte amor non nisi amore compensatur, atque adeo merito dolendum est, quod tantus amor tam parce compensetur. S. Bern. s. lxxxiii *in Cant.*

Hinc merito hortatur S. Augustinus : « Rape ad eum animas quas potes, et dic eis: Hunc amemus, hunc amemus. » S. Aug l. IV *Confess.* c. xii.

Idque et verbis agamus et precibus, et supplicatione ad Deum conversi, nobis, et aliis hunc amoris thesaurum impetremus, quia, ut suo sensu dicit, et deinde inexpertos monuit id Sanctus : « Quaque versum se vertit anima, ad dolores figitur, præterquam in te. » Lib. IV c. x *Confess.*

AXIOMA X.

Non diligit utilitatem suam qui Deum non diligit.

Quia Deus solus tota et sola est utilitas humanæ naturæ. Scriptum vero est : « Quoniam qui manet in charitate, id est, qui Deum diligit, in Deo manet, et Deus in eo. » Talis est ergo utilitas humana, ut eam, nisi qui habet, diligere nemo. Hoc ergo ipsum, quod dicunt homines, diligere se quidem utilitatem suam (quis est enim, qui hoc non sit etiam jurare paratus ?) sed eam non habere, hoc ipsum, inquam, testimonium est, eos aliud diligere, non ipsam suam utilitatem. Nihil enim aliud homini faciendum utilitatem suam habeat, nisi diligere. Sed ipsi homines conantur assidue facere eam, quasi non sit ; sicut pagani Deum. Nam si solus Deus utilitas est hominum, quo carere non potest, nisi qui eum nequaquam diligit. Non facienda utique est, cum sit æterna; sed tantum diligenda. Hoc solum prorsus est totius miseriæ nostræ causa, quod scilicet utilitatem aut non cognoscimus, aut non amamus, aut non quantum vel sicut cognoscenda et amanda est, cognoscimu et amamus.

AXIOMA XI.

Non recte novit Deum diligere, qui non scit relinquere Deum, propter Deum.

Ita S. Ignatius Loyola, qui, teste Daniele Bartolo, dicere solebat : Relinquere Deum propter Deum; magnum lucri spiritualis esse compendium, nullum dispendium. Bartol. l. IV, § 37.

Intelligitur autem per *Deum relinquere*, hoc loco conversationem cum eo inchoatam, sive per orationem, sive per lectionem,

aut aliam similem actionem interrumpere, ut alteri actioni a voluntate Dei aut Superioris imperata vacetur.

Exegesis.

Quia cum diligere nihil aliud sit, quam idem velle, cum alio merito diligere Deum non censendus est, qui quando Deus ad certam actionem vocat, contra hanc expressam voluntatem cum eodem conversari cupit. Hinc merito Abbas Smaragdus dixit: « Propter obedientiæ perfectionem omnium aliarum actio relinquenda est operum, quia magis placet Deo obedientia, quam victima. » SMARAGDUS *in c.* V *Regulæ S. Bern.*

Id quod Deus ipse pulchro exemplo confirmavit in virgine religiosa, quæ divino amore flagrans, speciosum forma præ filiis hominum videre desiderarat, cui mox ille visendum se quoque præbuit, forma pueri admodum liberali. Cumque ad commune opus superioris mandato aversaretur, puerulo Jesu ait: « En dulcissime Domine mi Jesu Christe, pro explenda obedientia tuo nomine abeo, donec ad te redire liceat. » His dictis a cella exiit, et quod facere jussa erat, animo voluntario, hilarique vultu peregit. Deinde ad cellam reversa, dum eam aperiret, mira quædam et radiantissima lux oculis ejus se ingessit, adeo ut vix eam sustinere posset. Vidit igitur amantissimum suum Dominum in perfecta ætate, tamquam elegantissimum juvenem viginti et quatuor annorum adstantem. Qui interrogatus ab ea, quomodo ex pusillo tam grandis factus esset, respondit. Filia charissima, profunda velocis atque impigræ obedientiæ tuæ humilitas, me tam brevi tempore tam grandem effecit. Semper ergo mei amore libenter obedi, si mihi sine medio cupis uniri. Post quæ verba Dominus disparuit. BLOSIUS in *Apolog. pro Taulero,* c. XX.

AXIOMA XII.

Justum est hominem subditum esse Deo.

Ita impius Antiochus, II. Mach. IV. 12, postquam tot malis afflictus exclamavit. « Justum est, hominem subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire; » nec justum dumtaxat, sed etiam connaturale, ut P. Vincentius Caraffa per rationem mox afferendam indicavit.

Exegesis.

Ut proprius terræ situs subter aquam, aquæ subter aerem, aeri subter ignem, igni denique subter cœlum; ita homini proprium, et velut nativum esse debet, non modo necessitate, sed et maxima sua voluntate subjectum esse Deo, eique affixum, ut sanctissimæ illius voluntatis motibus facilius circumagatur. Cæterum nihil sublimius ejusmodi submissione. Supra humana omnia hominem evehit; adeo ut fortunæ vel prosperæ blanditias, vel adversæ terrores despiciat. Securus utique quem præter Deum nihil attingere, nedum movere possit; cum Deo proxime subjectus affixusque sit; atque infra Deum procul absistant omnia.

AXIOMATA AD SEIPSUM SPECTANTIA.

AXIOMA I.

Tantum quisque se amat, quantum se odit.

Teste S. Augustino, conformiter dicto Christi dicentis: « Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam, inveniet illam. » MATTH. X, 39.

Modus autem odio se habendi desumendus est ab odio, quo alios prosequimur: sicut enim hos nec æstimamus, nec laudamus, nec honoramus, nec amamus, nec fovemus, et, si hæc eadem ab aliis præstentur dolemus; gaudemus vero si contraria fiant; ita eodem modo nos odisse debemus.

Exegesis.

Quia, dum dicto modo qui propter Deum se odit, vitiorum radicem, et concupiscentiam tollit, et varias virtutes exercet; ideoque vere amat se ipsum, amovendo a se maximum malum et summum bonum procurando. Unde S. Augustinus recte dixit: « Magna sane, inquit, ac mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor ut pareat; odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti. Noli amare, ne perdas; noli amare, in hac vita, ne perdas in æterna vita. Felices, qui oderunt custo-

diendo, ne perdant amando. « Tract. LI *in Joann.*

Merito ergo quisque in hoc odium effervescit, dicitque cum S. Bernardo: « Exurgat Deus, cadat armatus iste, et conteratur inimicus homo contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? certe si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur. » Apud RODRIQ. p. II, tr. I, c. IV.

AXIOMA II.

Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.

Ita Thomas Kemp. l. I, c. XXV, et confirmavit S. Franciscus Xaverius, qui ad suos assiduo hæc verba: «Vince te ipsum,» repetere solebat; cumque aliquando illi causam tam frequentis repetitionis requirerent, hoc responsum dedit: Hoc S. Patris nostri Ignatii mandatum est; hoc si fiat, sufficit. Quod autem sic res se habuerit, testatur Lyræus, de eo sic loquens: De nulla re sæpius, quam de sui victoria loquebatur Ignatius: « Vince te ipsum: » illi perpetuo natabat in labiis, hæc inter sodales ei colloquendi materiem, coram auditoribus dicendi copiam, in domesticis exhortationibus amplissimum disputandi argumentum suppeditabat. II *Apopht.*

Exegesis.

Ratio est, quia cum « sensus hominis, et cogitatio hominis ad malum prona sint ab adolescentia sua. » GEN. VIII, 21, teste S. Scriptura, facile patet, non posse hominem sine magna violentia ab amore sui, et rerum creatarum inordinato avelli, atque adeo merito dici, illum præ cæteris in perfectione profecturum, qui majori sese violentia a creaturis abstraxerit. Unde sponsa non tantum pulchra ut luna, et electa ut sol, sed etiam terribilis ut castrorum acies ordinata dicitur, CANT. VI, 9, ut indicetur, per hanc sui victoriam ad tantam perfectionem, et sanctitatem ipsam pervenisse. Hinc Christus dixit : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » MATTH. XI, 12.

Id quod S. Ignatius suo quodam calculo confirmabat; cum enim adolescentem quemdam minister Romanæ domus graviter accusaret apud Ignatium, et quasi minus quietum, morigerum, atque tractabilem insectaretur; Ignatius non vulgi trutina, sed veritate et spiritualis prudentiæ statera rem æstimans, respondit ministro: Mitius quæso et blandius. Equidem justum ipsum, quem tu tam acriter reprehendendum putas, plus ego in Dei via paucis mensibus profecisse arbitror, quam duos integro anno. Nominavit autem duos omnium ex domesticis candidissimos, et levitate quadam ingenii, ac morum suavitate maxime amabiles.

AXIOMA III.

Non est pax impiis.

Ita Sacra Scriptura apud Isaiam. ISAIAS XLVIII, 21.

Et confirmavit idipsum D. Martinus Bracharensis in maximis suis dicens; « Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum.»

Exegesis.

Cum enim res quælibet non nisi in centro suo quiescat, fieri non potest, ut impii, qui a Deo velut centro suo separati sunt, pacem et quietem inveniant, id quod clare S. Augustinus indicavit dicens: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.» L. I *Conf.* i. c. c. XVI.

Hinc ulterius dicit: « Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, aliquid se melius habituram. Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus, Domine, requies.

AXIOMA IV.

Nullum malum nisi peccatum.

Ita S. Petrus dicens: « Quis est, qui nocet vobis; si boni æmulatores fueritis? I PET. III, 13.

Exegesis.

Quia malitia est carentia boni; nemo autem bonus est, nisi solus Deus, ergo cum solum peccatum privet hoc bono, merito solum peccatum malum dicitur. Hinc Eudoxia Imperatrix S. Chrysostomum cum graviter affligere minaretur, quidam ex aulicis

dicebat : Frustra ei minaris, quia solum peccatum timet. Sed et Franciscus Xaverius in hunc sensum dicebat : Qui nihil spectat aliud nisi divinam gratiam, Evangelii prædicationem, animorum salutem, quid tandem recuset, aut pertimescat? Si enim versabimur, non modo in littore barbarorum, verum etiam in dæmonum regno; tamen nulla barbaria, neque dæmonum rabies quidquam nocere nobis poterit, nisi permissu, concessuque præpotentis Dei. Unum omnino timemus, ne Deum ipsum offendamus, cujus offensionem si vitaverimus, exploratam de nostris hostibus victoriam nobis, illo propitio, pollicemur. *Vit.* apud SURIUM.

AXIOMA V.

Nemo læditur, nisi a seipso.

Ita communis ascetarum schola, cui etiam Epictetus consentit dicens : « Homines perturbantur, non rebus sed iis, quas de rebus habent, opinionibus. Verbi causa : Mors non est malum, alioquin enim et Socrati sic visum esset, sed opinio de morte, quæ malam eam facit. Cum igitur impedimur, et distrahimur, non alios culpemus, sed nos ipsos, id est, opiniones nostras. » C. X *Enchirid.*

Exegesis.

Ratio est, quia cum solum peccatum vere malum sit, ut supra demonstratum est; ad hoc autem nemo invitus cogi possit, recte infertur, quemvis, si peccato consentiat, proprii sui mali fabrum esse. Hinc recte S. Petrus ait. « Et quis est, qui noceat vobis, si boni æmulatores fueritis? « An non diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum? teste S. Paulo; « Numquid Deum aliquis eripere invito potest ? Aut occasio hominem fragilem facit, et non potius qualis sit, ostendit? » Aliter paulo hoc dictum declarat Epictetus dicens : Memento, non eum, qui convitietur, aut verberet, auctorem esse contumeliæ, sed opinionem de eis tanquam contumeliosis conceptam. Cum igitur te quispiam irritarit, opinione tua te irritatum esse scito. Quapropter in primis operam dato, ne visa tibi assensum extorqueant. Nam si semel tempus et moram impetraris, facilius ipse tibi imperabis. I PETR. III, 13; AD ROM. VIII, 26; EPICTET. *Ench.* c. XXVII.

AXIOMA VI.

Si vis vitam, muta vitam.

Ita S. Augustinus, qui propria experientia hoc axioma confirmavit, vitamque suam priorem ita mutavit, ut vere dicere potuerit cum S. Paulo : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. » GAL. II, 20.

Exegesis.

Quia, cum vita vera et bona in charitate consistat; vita autem, quam plerumque homines vivunt, in concupiscentiis et peccatis consumatur, recte infertur, neminem veram vitam possessurum, nisi qui vitam mutaverit; hinc Apostolus monet : « Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate. »

AXIOMA VII.

Sæpe videtur esse charitas, et est magis sensualitas.

Ita Thomas Kempensis, lib. I *de Imitatione Christi*, cap. XV.

Exegesis.

Rationem hujus dicti idem mox subjungit dicens : Quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis, raro abesse volunt. Qui veram et perfectam charitatem habet, in nulla re se ipsum quærit, sed Dei solummodo gloriam in omnibus fieri desiderat. Nulli etiam invidet, quia nullum privatum gaudium amat, nec in se ipso vult gaudere, sed in Deo super omnia bona optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit, sed totaliter ad Deum refert, a quo fontaliter omnia procedunt; in quo finaliter omnes sancti fruibiliter quiescunt.

AXIOMA VIII.

Non habitus, sed vita facit Monachum.

Ita iterum Thomas Kempensis, l. II, c. XVII,

his verbis : « Habitus et tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum et integra mortificatio passionum, verum faciunt Religiosum. »

Exegesis.

Quia « spectaculum facti sumus, teste S. Paulo, mundo, Angelis et hominibus. » I Cor. iv, 9.

Sicut ergo vestis actorem non facit laudabilem, sed actio personæ conformis; ita quoque nec habitus facit Religiosum, sed morum mutatio, et perfecta mortificatio, ut dicere possit cum S. Paulo : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Gal. vi, 24.

Hoc enim convenit personæ ejus.

AXIOMA IX.

Scire Deum, sola vera scientia.

Ita S. Paulus, existimans se nihil scire, nisi Christum, et hunc crucifixum. I Cor. ii, 2.

Quod ipsum etiam Poeta quidam hoc distico expressit :

C" "iste, sciant quæcumque alii, mihi sufficit una,
Cognitioque tui, cognitioque mei.

Sed et S. Augustinus præclare id confirmans ait : « Infelix homo, qui scit illa omnia, te vero nescit. Beatus vero, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui autem te, et illa novit non propter illa, sed propter te, solum beatus est. In *Confes.*

Exegesis.

Quia scientia duplici modo considerari potest. Primo secundum se et ut sic nihil aliud est, quam cogniti, et sine dubio vana est, quid enim juvat cognoscere sine possessione? Quid prodest alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? Et si de Trinitate disputare parum prodest, quid erit de aliis disputare, quid est aliud scientia, nisi adjumentum et species oculi intueri? Si ergo quis habet perspicilla, non habet causas gloriandi præ alio, quo minus videt, quomodo qui habet scientiam, gloriari poterit? Si vero scientiam quoad fructum spectemus, tum maxime dici poterit, quod sine charitate vana sit; uti præclare S. Paulus : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, et cymbalum tinniens, etc. » I Cor. xiii, 1, quasi diceret : Quas habeo causas gloriandi, cum majorem fructum faciat cymbalum, faciens ut omnes prope percutiant cor? Atque utinam tantum non prodesset, et non noceret! Quis enim nescit, quam multa bona negligentur ab iis, quos scientiæ cupido invasit, quam multas orationes facerent, quam ferventer proximi saluti se impenderent, si non vellent plus, quam oportet, scire? Id quod recte P. Layman indicavit dicens, studia esse malam bestiam, quæ multas imperfectiones excusaret. Unde merito Thomas Kempensis : O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, et virtutes inserendas, sicuti ad movendas quæstiones, non fierent tanta mala et scandala in populo, nec tanta dissolutio in cœnobiis! Sed væ talibus, quia potentes potenter tormenta patientur! L. I, c. i.

De talibus verificabitur illud S. Pauli : « Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificarunt, et gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in passiones ignominiæ. » Rom. i, 21.

Hinc recte P. Vincentius Caraffa, S. J. Generalis, dixit : Quia vita Religiosi, ut Angelicus docet, tota est divinis obsequiis mancipata, instar holocausti perfecti, debet omne studium scientiarum ordinari ad studium amoris Dei, et conjungere scientiam cum amore; sicut beati in cœlo, ad similitudinem Verbi æterni quod procedit a Patre, non ut Verbum tantum, sed ut Verbum spirans amorem. Ita scientia nostra debet esse solum scientia, sed scientia effectiva, et spirativa, scientia spirans charitatem et amorem, reducendo semper, quantum potest, scientiam ad affectum. *De Sap.* c. viii.

AXIOMA X.

Una est vincendi ratio, lætitia spiritualis.

Ita S. Antonius dicere solebat, uti P. Vincentius Caraffa de vera lætitia testatur. Hinc

Apostolus quoque tam sollicite monet : « Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. » Ad Philip. iv, 5.

Exegesis.

Quia est medium efficacissimum ad tentationes diaboli vincendas, et propterea S. Augustino *delectatio victrix* appellatur. Solet nimirum capitalissimus hostis ea potissimum tempora observans technas suas explicare; araneam, ex genere insectorum funestum animalculum imitatus, cui retia sua nonnisi humido et caliginoso cœlo contexere mos est, quibus exinde imbelles muscas prædetur; seu certe *ranam aquaticam*, cui, teste Bellonio, nomen est *diabolus marinus*, tum ob fœdum atque horridum corporis aspectum, tum vel maxime ob naturam ac mores, quibus jam natantibus insidiatur, eos membris virilibus apprehensos solitus in profundum attrahere, ac dein vorare; tum vero, quod se in limosis ac fæculentis locis detinet, ac volutat, ut aquam perturbet, quam ubi subjecerint pisciculi, certam ei cedant in prædam. Hinc gaudium spirituale vocat Origenes flagellum dæmonum : « Quoties, inquit, in Domino gaudemus, toties diabolum flagellamus. » Quia optime norunt, a lætitia spirituali animæ provenire totam suam ruinam : siquidem anima non potest esse sine aliqua delectatione, ut ait S. Gregorius : « Aut igitur delectatur summis, aut infimis : » ac dum gustat res cœlestes, contemnit oblectationes terrenas, quas dæmon proponit, atque hæc potissima ratio fuit, cur S. Ignatius, qui omnia sua divinæ gloriæ lubens dedicarat, sicut tristitiam a se semper procul repellere conatus est, ita et suis eamdem quam longissime voluerit esse amotam, cujus non vulgare specimen, atque experimentum, teste Daniele Bartolo, nobis expressit, dum sic scribit : Tyro etiamnum Romæ erat Franciscus Costerus Mechiliniensis, atque in risum mire proclivis; cumque obviam ei per domum die quadam factus S. Pater, et ridentem clare advertisset, mox ad se evocato in hæc verba locutus est : Francisce, audio te semper ridere. Dejectis ille mox vultu et oculis acrem aliquam reprehensionem expectare; Sanctus autem iterato dicere : Et ego dico tibi, fili mi, ut rideas et gaudeas in Domino semper; Religiosus enim nullam habet tristitiæ sequioris causam, sed lætitiæ multam. Quapropter denuo tibi dico, semper sis lætus et hilaris, et eris indubitate, si humilis atque obediens esse contenderis. Lib. IV *Vitæ ejus*

AXIOMA XI.

Creaturis quasi memorialibus utendum.

Ita suasit S. Franciscus Borgia, de anima Christi, hebd. 2, et id ipsum propria praxi confirmavit.

Exegexis.

Hinc loc. cit. sic scripsit : **Creaturis uti debemus, quasi memorialibus, ut recordemur ex eis divinæ potentiæ et magnitudinis.** Cum enim flos exhalat odorem, quid est nisi vestigium suavitatis Creatoris? Cum arbor crescit, ignis omnia consumit, aqua vivificat aridam, totum est demonstratio virtutis et operum Altissimi. Unde videntes, quid naturaliter fiat in creaturis, ipsum intueri debemus in illis, ut subeat memoria, et admiratio ipsius operum, et signorum amoris, quo continuat opera sua propter homines ingratos pro suis beneficiis. Similem in modum adhortatus P. Vincentius Caraffa, dixit : Percurre terram, et si aliqua in ea inveneris, quæ dulce quid sapiant, noveris guttulas esse, ac stillas decidentes a fonte divino æternæ dulcedinis, gustandas proinde non seorsim, sed ut fonti conjunctas, et cum sua origine. Separatæ afferunt mortem, unitæ vitam, et satietatem omnis boni. Hæc est vera sapientia haurire guttas, sed in suo fonte ; gaudere creaturis, sed in suo Creatore.

AXIOMA XII.

Horæ unius negotium, est æternitas.

Ita mater S. Symphoriani parvulum filium ad martyrium animavit, alii vero paulo aliter dicere consueverunt : « Momentum, unde pendet æternitas. » Th. Kem. l. III, c. xlvii.

Quia, ut Idiota dicere solebat, qualem mors invenit hominem, talem homo invenit mortem, bonam scilicet vel malam : nam qualis mors, talis sors; vel, sicut vita, mors ita. Hinc recte hortatur pius Asceta in

Christi persona : O si vidisses Sanctorum in cœlo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloria (qui huic mundo olim contemptibiles, et quasi vita ipsa indigni putabantur) profecto statim humiliares usque ad terram et affectares potius omnibus subesse, quam uni præesse; nec hujus vitæ lætos dies concupisceres, sed magis pro Deo tribulari gauderes, et pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres! O si tibi hæc saperent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nonne pro vita æterna cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est parum quid perdere aut lucrari Regnum Dei. Leva igitur faciem tuam in cœlum. Ecce ego, et omnes Sancti mei mecum, qui in hoc sæculo magnum habuere certamen, modo gaudent, modo consolantur, modo securi sunt, modo requiescunt, et sine fine mecum in regno Patris mei permanebunt. L. II, c. XIII.

Hinc P. Vincentius Caraffa dicere solebat : « Ut aliquid recte faciamus, oportet nos esse sicut rotas in curru Ezechielis Prophetæ, undique plenos oculis, quos habemus semper defixos in æternitate quæ nos expectat, seu beata, seu misera, prout in hac vita merebimur. »

AXIOMA XIII.

Aut pati, aut mori.

Ita S. Theresia dicere solebat ; uti et S. Magdalena de Pazzis : « Purum fel, nullum mel. » PENNEQUIN. p. I, c. XIX, n. 6; lib. V *Vita*, c. XX.

Exegesis.

Quia ut S. Ignatius dicere solebat : « Compendiosissima ad perfectionem via est si multa adversa, magnaque pro Christi amore patiare. Et pete tu hanc gratiam a Deo. Non cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit, hoc enim beneficio multa magnaque ejus continentur beneficia. » Et alias, cuidam graviter adversa ferenti : « Si te faciat Deus multa pati signum, inquiebat, est velle te magnum facere Sanctum. Si vero tu cupias magnus fieri Sanctus roga eum, ut magnam tibi patiendi materiam donet, neque enim lignum aptius excitando foco amoris Dei, quam lignum S. Crucis est, quo usus Christus ad sacrificium charitatis immensæ. » Quod etiam confirmans P. Vincentius Caraffa : O bona crux! dicebat. Si capis hoc, sapis. Brevissima via perveniendi ad apicem virtutum, præcipue charitatis, via est, qua itur ad montem Calvariæ, ut ibi crucifigamur. Si cui multa Deus immittit, quæ patiatur, signum est quod eum valde amet, et compendio sanctum facere velit. Hinc S. Xaverius dicebat : « Equidem sic mihi persuadeo ; Crucis Christi Domini amatores vitam ejusmodi exercitam ærumnis beatam ducere; Crucis autem fugam, aut vacuitatem, mortis instar putare. Quæ enim mors acerbior esse potest, quam sine Christo, ubi semel gustaveris eum, vivere, eumque deserere, tuas ut sequaris cupiditates? Mihi credito, nulla crux est cum hac comparanda. » L. X, ep. I.

Hinc ex quo inferebat P. Caraffa : Ut qui ori Christi crucifixi fel dulce facere vellet, miscendo mel consolationis terrenæ, is tolleret, vel minueret illum saporem divinum, quem percipit ille, qui purum degustat. Ita si doloribus adhibeantur media delicata, perdunt sinceram illam dulcedinem, quæ sola placet gustui animæ Christum amantis, quamvis carnalis; palato non aliud videatur, quam amaritudo. S. Franciscus Borgia vero dicere solebat pro confirmatione horum omnium : Si quis videt tribulationes ingredi sua limina, gaudeat; quia sunt præcursores Domini, qui parent ei locum. Et si desiderat subire montem Calvariæ, ut videat Christum crucifixum et dicat : « Vere Filius Dei erat iste; » delectetur cruce, quæ venit; quia est signum, quod cito sit evasurus in montem. Nam prius imposuerunt eam Christo, quam montem ascenderet. Sic etiam tonitrua et fulgura signum fuerunt, quod Moyses jam subierit montem.

AXIOMA XIV.

Contra minas et convitia veritas et patientia, et in bene agendo perseverantia sunt arma omnium potentissima.

Ita P. Jacobus Laynes, secundus Societatis Jesu Generalis, dicere solebat, idque propria experientia didicerat, uti ex vita ipsius colligere licet.

Exegesis.

Hinc Thomas Kempensis in persona Christi hortatur : « Fili, ambula coram me in veritate, et in simplicitate cordis tui me quære semper. Qui ambulat coram me in veritate, tutabitur ab incursibus malis, et veritas liberabit eum a seductoribus et detractionibus iniquorum. Si veritas te liberaverit, vere liber eris, et non curabis de vanis hominum verbis. » L. III, c. IV et XLVI.

Et iterum : « Testimonium hominum sæpe fallit ; meum judicium verum est, stabit, et non subvertetur. Latet plerumque, et paucis ad singula patet, numquam tamen errat, nec errare potest, etiamsi oculis insipientium non rectum videatur. Ad me ergo currendum est in omni judicio, nec proprio innitendum arbitrio; justus enim non conturbabitur, quidquid a Deo ei acciderit. Etiamsi injuste aliquid contra eum prolatum fuerit, non multum curabit. Sed nec vane exultabit, si per alios rationabiliter excusetur, pensat namque, quia ego sum scrutans corda et renes, qui non judico secundum faciem et humanam apparentiam, nam sæpe in oculis meis reperitur culpabile, quod hominem judicio creditur laudabile. »

Hinc jam olim cum Alveri tempore, quid omnium rerum fortissimum esset, disputaretur, illius sententia prælata est, qui veritati hoc præconium adscripsit. Quod vero etiam patientia scutum sit fortissimum contra ejusmodi minas et convitia, idem auctor sequentibus verbis indicavit : « Fili, numquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, et a dextris et a sinistris impugnaris ; si ergo non uteris undique scuto patientiæ, non eris sine vulnere. Insuper si non ponis cor tuum fixe in me, cum mera voluntate cuncta patiendi propter me, non poteris ardorem istum sustinere, nec ad palmam pertingere Beatorum. Oportet te ergo omnia viriliter pertransire, et potenti manu uti adversus objecta. Nam vincenti datur manna, et torpenti relinquitur multa miseria. » TH. KEM. l. III, c. XXXV.

AXIOMA XV.

Omnis terra, et nulla terra nobis patria est.

Ita sæpe memoratus P. Vincentius Caraffa, in epist. ad Societatem, sed et Seneca, cap. XXVIII, idem confirmat dicens : « Cum hac persuasione vivendum est : Non sum uni angulo natus, patria mea totus hic mundus est. »

Exegesis.

Illic statua hæret, ubi erigitur; nec illo versum, ubi olim est ficta, magis, quam alio propendet. Sic nostrum quemlibet par decet omnem ad locum Collegium et habitationem facilitas et æqualitas ; nec major in patriam, quam in aliam partem propensio. Omnis terra et nulla terra nobis patria est. Ad omnes vocamur, ubique gentium, pari studio juvandos. Unum, si qua nobis patria, cœlum est; ubi nos Pater verus, ubi paterna hæreditas exspectat. Omnis æque cognata natio, gens omnis una est, adoptionis divino jure, fraternitate Christi Jesu, patrimonii æterni promissionibus conflata. P. VINCENT. CARAF. ep. *ad Soc.*

Hinc iterum Seneca : « Magna, inquit, et generosa res est humanos animos, nullos sibi poni nisi communes, et cum Deo terminos patitur. Primum humilem non accipit patriam Ephesum, aut Alexandriam, aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis solum. Illi patria est quodcumque superne universa circuitu, cingit. Hoc omne connexum, intra quod jacent maria cum terris, intra quod aer humanis divina secernens etiam conjungit, intra quod disposita numina actus suos excubant. P. 102.

AXIOMA XVI.

Subitus calor longum teporem vincit.

Ita S. Hieronymus in epistola ad Paulam, per hoc eam ad fervorem in servitio Dei animans, ut, quod per teporem præcedentem neglectum est, per subsequentem fervorem compensetur.

Exegesis.

Hic S. Thomas dixit : Contingit quandoque, quod aliquis per magnum tempus vitæ vivit in peccato, et hoc est tempus perditum; sed quomodo redimet, cum homo non sufficiat ad debita persolvenda? Respondeo : dicendum est, quod tanto magis debet va-

care operibus bonis, quanto prius institit malis. S. Thom. *in ep. ad Eph.*

Nam ut S. Hieronymus ait, subitus calor longum teporem vincit. Hinc cum quondam S. Gertrudis peteret a Deo, et sponso suo Christo, ut peccatorum suorum, et defectuum non recordaretur amplius, rapta est a Christo in cœlum, et cum veste laciniis et centonibus consueta coram Patre cœlesti apparuit; ubi, quam primum Christus pro ea peroravit, et pretium vitæ ac sanguinis obtulit, de repente vestis illa, in qua omnes illius defectus distincte repræsentabantur, lamina aurea, instar chrystalli lucida cooperta fuit. Nec male alii idipsum per viatorum exemplum declarant, qui ubi se tardius processisse, et socios longe ante se reliquisse advertunt, præcedentem tarditatem celeritate cursus compensant. Hinc merito S. Ignatius suos his verbis hortatus est : « Quocirca per Jesum Christum vos oro, et obtestor, ut nullum umquam in divino servitio teporem admittatis, quandoquidem arcum frangit remissio. In epist. *de Perfec.* c. III.

Et contra, ut sacra pagina testatur, « anima operantium impinguabitur. » Prov. c. XIII.

AXIOMA XVII.

Qualis vir, talis oratio.

Ita Martinus Braccharensis in Maximis; et Seneca in Proverbiis.

Exegesis.

Quia ex abundantia cordis os loquitur. Hinc idem Martinus colligit, quod imago animi, sermo sit; et ideo merito dixerit nonnemo : « Loquere adolescens, ut videam te. » Apertius vero hanc causam indicavit Thomas Kempensis, dum dixit. « Quare tam libenter loquimur, et invicem fabulamur, cum tamen raro sine læsione conscientiæ ad silentium redimus? Ideo tam libenter loquimur, quia per multas locutiones ab invicem consolari quærimus, et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Et multum libenter de his, quæ multum diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui et cogitare. » L. I, c. X, n. 1.

AXIOMA XVIII.

In Societate obedientem, et sanctum esse una res sunt.

Ita P. Vinceutius Caraffa, l. II, Vit. c. VI, ubi auctor vitæ sic loquitur : Superest mihi de obedientia dicendum, quam tanti faciebat Vincentius, ut affirmaret legum, Præsidumque observantiam et sanctitatem, diversa quidem esse nomina, sed rem eamdem. Propterea ut erat hujus perquam studiosus, ita numquam eum quisquam vidit ab ipso Societatis ingressu ad finem usque vitæ, id est spatio 45 annorum, vitium ullum, etiam leve contra obedientiam admittere.

Exegesis.

Ratio est quia ex una parte sanctitas in charitatis, et aliarum virtutum ei subordinatarum, possessione consistit; ex altera vero obedientia, teste S. Gregorio : « Sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. S. Greg. l. XXXV, *Mor.*

Hinc et a S. Augustino, « Mater aliarum virtutum » appellatur. Et S. Catharina Bononiensis dicebat : « Quis dubitare potest de sua salute, si vitam finiat in obedientia, quæ suo Domino similiorem facit, quam ulla alia virtus. » § 7 *de Armat.*

Itaque qui vult erigere bonum ædificium, accipiat illam pro suo fundamento, et credat firmiter, se melius salvandum per illam, quam per ullam pœnitentiam, jejunium, et contemplationem.

AXIOMA XIX.

Totum summum, totum perfectum.

Ita P. Vincentius Caraffa, in Epistola ad Societatem, sic loquens : Auctor erat Hieronymus Paulino, nihil in se mediocre contentus esset; totum summum, totum perfectum desideraret. Non dispari animo S. Parens noster summum nos virtutis apicem spreta vult mediocritate prensare, et divino fultos auxilio perfectissima consectari.

Exegesis

Quia summos summa decet. Hinc S. David templum Deo ædificaturus dicebat : « Totis viribus præparavi impensas domus Domini, non enim homini præparatur habitatio, sed Deo, » Præterea sicut jaculatores, ut centrum metæ facilius certiusque attingant, semper paulo altius collimant; ita perfectionis studiosi, ut eam assequantur, ad altiora defigunt animum.

AXIOMA XX.

Non res sibi, sed se rebus submittere oportet.

Ita S. Ignatius dicere solitus, teste Ribadeneira : In rebus gerendis illud in primis tenendum, ut te rebus, non res tibi submittas ; hoc est, ut rei gerendæ, non tuæ commoditatis rationem ducas, negotiorumque utilitati diligenter servias et tempori. *Vit.* l. V, c. XI.

Exegesis.

Quia cum negotiorum felix successus plerumque ab opportunitate temporis dependeat, atque adeo ea differri non expediat, nisi te illis accommodes, et suo quoque tempore administres, confusio ordinis et negotiorum, atque adeo infelix quoque successus sequetur.

AXIOMA XXI.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Ita S. Paulus, quod etiam Jeremias confirmavit, dicens : « Sana me, Domine, et sanabor. Salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es. » II Cor. x, 18; Jer. xvii, 14.

Exegesis.

Quia laus vera supponit perfectionem operis, propter quod aliquis laudabilis efficitur; atqui hanc perfectionem non cognoscit, qui se commendat, cum merito dicere possit cum S. Paulo : « Et si nihil mihi conscius suum, non tamen propter hoc justificatus sum. » I Cor. iv, 4.

Cum ergo solus Deus hanc perfectionem cognoscat; ille solum probatus censeri debet, quem Deus commendat. Hinc recte S. Augustinus dixit : « Securitas laudis in laude Dei est ; ubi laudator securus est, ubi non timet, ne te laudato erubescat. *In Esam.*

Merito ergo dicebat S. Franciscus : « Quantum unusquisque est in oculis tuis, tantum est, et non amplius. »

AXIOMA XXII.

Qui gaudet laudibus, perdit laudes.

Ita Wigo de tranquill. animi, c. vii, cui etiam S. Augustinus consentit dicens : « Esse humilem est nolle laudari in se ; qui ergo in se laudari appetit, superbus esse convincitur. » S. Aug. *in Psalm.*

Exegesis.

Non enim potest laudari, qui vult laudari. Ille laudatur, cujus bona jactantur. Qui autem vult laudari, non solum vacuus est vero bono, sed insuper plenus magno et diabolico malo; nimirum magna arrogantia. Non ergo laudatur. Hinc recte Wigo citatus dicit : Contemptus, aut parvi habitus doluisti? Hoc ipso contemnendum, ac parvi habendum fuisse, et ideo jure id factum demonstras. Nisi enim contemnendus, ac parvi habendus fuisses, contemni, aut parvi haberi nequaquam timuisses, aut doluisses. Hoc enim ipso solo, vel maxime contemnendus, et parvi habendus es quod id times, aut doles. Prorsus non timet vilis haberi, nec contemni, nisi vilis et contemni dignus.

AXIOMA XXIII.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.

Ita commune proverbium, et recte, quia, teste S. Augustino : « Officium nostrum non initio sed fine pensandum est; ut scilicet non tantum si bonum est, sed præcipue si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. » S. Aug. *in Ps.* cxviii.

Exegesis.

Quia cum homo ad Deum, velut ultimum finem amandum et honorandum creatus sit, nisi omnia ad illius gloriam per bonam intentionem ordinat, nullius momenti erunt, uti recte agnovit idem S. August. dicens: « Quod bona intentione non facis, non tibi proderit, quia quomodo feceris, non quomodo evenerit tibi, imputabitur. » Idem, *sup.* c. VI *Matth.*

AXIOMA XXIV.

Quid sis interest, non quid possideas.

Ita Martinus Braccharensis in Maximis. Hinc S. Augustinus dicere solebat: « Senti de Augustino quidquid vis, sola in oculis Dei conscientia me non excuset. » S. Aug. l. c. *contra Secundini hæret.*

Exegesis.

Ratio est, quia omnia bona terrena cuique tamquam dispensatori conceduntur. Unde non tam exiget Deus ab eo, quid concesserit possidendum, quam quomodo illud dispensaverit, atque adeo quid sis (an scilicet bonus, vel malus dispensator) interest, non quid possideas; cum etiam ille, qui pauca accepit, auditurus sit: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. » Matth. xxv, 23.

Hinc sapienter Epictetus monuit: Nulla aliena præstantia efferaris animo. Si equus semet jactans diceret, sum pulcher, ferendum esset? Tu vero cum insolenter gloriaris, te pulchrum equum habere, scito, te bono equo superbire. Quid igitur est tuum? Usus visorum. Quapropter cum in usu visorum ita moratus fueris quemadmodum natura postulat, tum effereris, tum enim aliquo tu bono lætaberis. Epict. c. xi *Ench.*

AXIOMA XXV.

Non quam multis placeas, sed qualibus stude.

Ita iterum Martinus Braccharensis in Maximis, ubi etiam addit: Maximum in eo vitium est, qui non melioribus vult placere, sed pluribus.

Exegesis.

Quia cum plerique hominum mali sint, et secundum affectum judicent, placere illis non possunt opera bonorum; atque adeo illis displicere laudabile est: solum ergo proborum judicium attendum est. Hinc recte Epictetus monet; « Cum facis aliquid, quod faciendum esse statuisti, numquam recuses inter agendum, conspicis tametsi futurum est, ut vulgus de eo secus judicet. Nam si perperam facis, rem ipsam fuge. Sin recte, quid eos vereris, qui non recte reprehendunt. » C. lvii.

Nec male Epicurus, apud Senecam, sic scribit: « Hæc ego non multis, sed tibi, satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.» Epist. vii.

Ista, mi Lucilli (addit Seneca) condenda in animum sunt, ut contemnas voluptatem ex plurium assensione venientem. Multi te laudant. Et quid habes, cur placeas tibi, si is es, quem multi intelligunt? Introrsus bona tua spectent. » Ibidem.

Ideo Democritus recte dixit: « Unus mihi pro populo, et populus pro uno. » Bene et ille, quisquis fuit (ambigitur enim de auctore) cum quæreretur ab illo, quo tanta diligentia artis pertineret, ad paucissimos perventuræ? « Satis sunt, respondit, mihi pauci, satis unus, satis nullus. »

AXIOMA XXVI.

Facillime bonus eris, si ea vitaveris, quæ vituperaveris.

Ita iterum Martinus Braccharensis in Maximis. Et ideo pius Asceta quoque monet: Ubique profectum tuum capias; ut si bona exempla videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehensibile consideraveris, cave ne idem facias? aut si aliquando fecisti, citius emendare te studeas. Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum ab aliis notaris. Th. Kem. l. I, c. xxv, n. 5.

Exegesis.

Quia in aliorum actionibus considerandis plerumque satis oculati, et severi censores sumus, utpote ab amore proprio non excæ-

cati, quare si ea, quæ in aliis vituperamus, diligenter vitemus, non facile ulli vitio succumbemus, sicque boni efficiemur.

AXIOMA XXVII.

Nihil impudentius anima cupiente in vanitatibus confoveri.

Ita Wigo de tranquillitate animi c. x, ubi etiam doctrinam hanc similitudine mox subjicienda aptissime declarat.

Exegesis.

Quia cum rogas Deum, ut non auferat tibi aliquid, cui inhæsisti cupide; idem est, ac si mulier a viro suo, in ipso adulterio deprehensa, cum debeat petere veniam criminis, roget potius, ne interrumpat ei ipsius adulterii voluptatem. Non satis tibi est a Deo recedere, nisi ipsum ad hoc inclines, ut ea, quibus corrumperis fruendo, augeat, conservet, et coaptet; id est formas corporum, sapores, et colores? Quæ est adeo impudens mulier, ut dicat viro suo : Quære mihi illum aut illum, cujus consuetudine fruar; qui placuit mihi plus te; alioquin non quiescam. Tu tamen hoc facis viro tuo, id est, Deo, cum præter ipsum aliquid diliges, idipsum ab eo petis, cum dicis Deo, « da mihi hoc aut illud, » hoc est dicere, « da mihi in quo te offendam, et a te fornicer. » Cum enim aliquid aliud ab eo, quam ipsum petis, ipsa petitione tua scelus ei tuum, et defectionem ab eo ostendis, et nescis. Misericors vindicta, si sponsus sponsam suam adulteram deprehendens, ea tantum subtrahit ei, quibus ad suam turpitudinem abutebatur. Quam vero impudica et inverecunda est ipsa, si ad injuriam hoc accipiat! Nulla alia fere tibi est causa dolendi, nisi talis, id est, de subtractis libidinibus tuis. Ipsi ergo dolores tui arguunt libidines tuas ita, ut non sit opus aliis testibus. Hæc solet a sponsi oculis quælibet inverecunda et impudica mulier abscondere : lachrymas, quas pro damnis, quæ contingunt adultero, et quas pro injuriis ab adultero sibi irato illatis fundit; ipsas quoque injurias, similiter et gaudia. Vide nunc, an id saltem tu erga Deum facias, an non aperte coram eo pro damnis adulterii tui, id est, mundi hujus lugeas, et de prosperis exultes. « Frons ergo mulieris meretricis facta est tibi. » JER. III, 3.

AXIOMA XXVIII.

Occasio hominem fragilem non facit, sed qualis, sit, ostendit.

Ita Thomas Kempensis, lib. c. XVI, dicens : « Quantæ autem virtutis quisque fuerit, melius patet occasione adversitatis. Occasiones namque hominem fragilem non faciunt, sed, qualis sit ostendunt. »

Exegesis.

Hinc in eadem occasione, v. g. sectandæ voluptatis, alius per comtemptum illarum ingentem sibi laudis meritorum, et aliorum fructuum copiam parat; alius in scelera per admissam voluptatem proruit, et grandia mala ipsamque damnationem sibi accersit. Unde sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; ita iis, qui eum oderunt, et offendere non verentur, universa in malum cedunt.

AXIOMA XXIX.

Omnis malorum radix, meum ac tuum.

Ita Martinus Braccharensis in Maximis dicens : Quietissimam vitam agerent in terris, si duo hæc verba a natura omnium rerum tollerent : *meum ac tuum.*

Exegesis.

Quia omnes lites ac turbationes mentis oriuntur in nobis a concupiscentiis nostris; atqui hæc ipsa concupiscentia (inordinata intellige) nihil aliud est, quam mei et tui appetentia, ergo merito dicitur, iis sublatis, homines quietissimam vitam ducturos, sicuti de facto Beati similem vitam ducunt; eo quod non reperiatur apud illos meum ac tuum; frigidum illud verbum, et quidquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella, ut S. Chrysostomus in oratione de S. Philogonio loquitur.

AXIOMA XXX.

In Christianis non laudantur exordia, sed finis.

Ita S. Hieronymus, l. I contra Jovin. his verbis : « Non quæruntur in Christianis ini-

tia, sed finis et perseverantia; Paulus male cœpit, sed bene finivit; Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. »

Exegesis.

Quia, ut recte S. Gregorius dixit : « In cassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur; quia frustra velociter currit, qui prius, quam ad metas venerat, deficit. Lib. I *Mor*.

Hinc merito S. Bernardus dicebat : « Absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, virtutum nec palmam victor consequitur : vigor virium, consummatio est. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Epist. CXXIX.

AXIOMA XXXI.

Nullum conscius peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum.

Ita sæpe citatus Martinus Braccharensis in Maximis, ubi et causam addit : « Alium potes effugere, te numquam. »

Exegesis.

Hinc recte Epictetus : Pædagogo pueros nos tradiderunt parentes, qui ubique observat, ne quid læderemur : Deus autem jam viros insitæ conscientiæ custodiendos tradidit, quæ quidem custodia et consecratio nequaquam contemnenda est, quia et Deo displiceret, et conscientiæ ipsi nos hostes efficeremur. *Apud* EUSEB. in *Panar*. v. eod. § 2.

Unde et Poeta canit.

> Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
> Displicet Auctori, prima est hæc ultio, quod se,
> Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
> Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.
>
> JUVENALIS *Satyr*. XIII.

Quamobrem Bias interrogatus, quid in vita metu careret respondit : Bona conscientia. E contrario vero infernus quidam et carcer animæ est rea conscientia, teste S. Bernardo, serm. XXIII *in Cant*.

DE AXIOMATIBUS AD PROXIMUM SPECTANTIBUS.

AXIOMA I.

Da mihi animas, cætera tolle tibi.

Ita Melchisedech Sacerdos, qui oblatis variis ab Abrahamo hostium spoliis, nihil aliud, præter captivos reductos acceptavit, uti in sacris videre est; quod dictum merito ab iis, qui curam animarum susceperunt, observari oportet, ut scilicet per curam et laborem nihil aliud quærant, quam ipsarum animarum salutem, et lucrum. GENESIS XIV, 21.

Exegesis.

Quia cum omnium divinorum divinissimum sit, teste S. Dionysio Areopagita, cooperari Deo in salutem animarum, major apud ipsum gratia iniri non poterit, quam huic ipsius voluntati, quoad ejus poteris, velificando. S. DIONYS. c. III *de Hier*.

« Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. » Aurea Chrysostomi vox est. CHRYS. hom. III l. *ad Cor*. I.

Imo majus esse miraculum censet S. Gregorius, « prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatores convertere, quam carne mortuum suscitare. » Lib. III *Dial*. c. XXVII et ho. XXIX.

Amplius quid dicam? Majus hoc opus, certe Deo pluris est, quam ipsa cœli, terræque creatio. Aves scire, quo id pacto? Laboris utrinque impendium attende. Ecce « ipse solum dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. » PSAL. CXLVIII, 5.

Non sic in præsenti animarum negotio; pluris hæ ipsi, puta sanguine pretiosissimo, vita quin ipsa stetere. Sane quo in pretio censusque apud Deum sit alienæ salutis administratio, ipse admodum Servator noster iis apud dilectum discipulum verbis luculenter expressit : « Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, » JOAN. X, 17, itaque exemplo meo cæteri homines redivivi, æternum mihi convivant. Ubi notant Sancti minime eum, ut poterat, dixisse : « Prop-

terea me diligit Pater, quia in principio omnia per me creavit, » sed : « Quia ego pono animam meam, » pro recuperandis scilicet animabus perditis; ut hinc disceremus, nihil plane cœlesti Patri hoc opere esse antiquius. Unde et Doctor Angelicus in illa Domini verba paulo ante posita : « Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis, » JOAN. X, 15, observat Christum non hoc tantum velle se, Patrem ea cognitionis plenitudine agnoscere, qua Pater novit ipsum (jam enim alias dixerat : « Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius)? » MATTH. XI, 27, sed quemadmodum obsequens filius, si cujus facti causam rogetur, reddere hanc solet: « Ego enim novi Patrem meum, » quasi dicat, sic ei placere, sic velle ipsum novi; ad eumdem modum ergo Christum qui se animam suam pro ovibus suis (rem scilicet nobilissimam pro re nihili) posuisse dixisset, causam hujus rogatum, responsurum fuisse: « Ego agnosco Patrem, » hoc est, pernovi voluntatem, adeoque, voluntatem Patris mei, et quam ipsi sint in deliciis hæ oviculæ, hoc adeo me subigit, nec invitum, pro iisdem vitam ponere. Acres igitur hinc ipsum nobis ad captanda animorum lucra stimulos subjicere debet, nosse tantam propterea apud Deum gratiam iniri. Quare haud injuria D. Chrysostomus id, quod Dominus Petrum tertio interrogavit : *Amas me* ? totiesque affirmanti subjecit : « Pasce agnos meos » sic interpretatur, quasi ei diserte dixisset, hunc, quem dicis, tuum mei amorem factis ostendas volo, animabus, inquam, quas sanguine meo mercatus sum, pascendis, fovendis, confirmandis. CHRYS. *de S. Philogon.* et *de Nat. Dei.*

AXIOMA II.

Pluris facienda est sanitas Fratrum corporalis, quam omnes mundi thesauri.

Ita S. Ignatius dicere solebat, teste Ribadeneira, l. V, c. VIII, quod dum enarravit Lyræus, in hæc verba prorupit: O aureum viri sanctissimi juxta ac prudentissimi apophtegma, dignum profecto, quod non Apollinis cujusdam Delphici foribus, sed omnium præpositorum cordibus inscribatur, tum ad tanti tamque excellentis herois laudem ac commendationem, tum vero ad præstantissimam Rectorem omnium institutionem! Quem namque is sumptum ferre, quam impensam ultro sustinere, curamve refugisset, ut ægris fieret bene; qui et Mygdonias opes, et Arabum gazas, Cræsique divitias, si forte suppetivissent, etiam minimi familiaris sui solatio, salutique vel comparandæ, vel custodiendæ statuerat erogare?

Exegesis.

Ratio, quæ ad hanc charitatem movebat, erat, quia « cum homo ægrotare cœpit, raro aliquid boni potest in aliorum utilitatem facere; quando vero sanus est, multa bona potest præstare. » RIBAD. l. V, c. VIII.

Quæ causa fuit, cur Pyrrus, Rex Epirotarum, cum diis immolaret, non Regni sui dilatationem, aut contra hostes victoriam, non opes aut gloriam, sed sanitatem tantum petere soleret, teste Cælio Rodigino; et Albertus Austrius interrogatus, quænam esset jucundissima possessio? responderit: « Sanitas, cujus thesaurus tam pretiosus est, ut quidvis potius perpeti debeat homo, quam eam sibi eripi sinat. » Lib. VII, c. XXIV.

Neque verbis hunc suum affectum magis, quam operibus declaravit S. Ignatius. Accidit, cum ipse gravissime langueret, et ad illum sublevandum, Patrum, qui Romæ tum quidem erant, precibus cogeretur, temporaneum Vicarium admittere, omnibus, quæ domesticus minister ad se referre ex præscripta officii sui regula deberet, in Vicarium rejectis, illa tantum exceperit, quæ ad curam, salutemque eorum, qui ægra essent valetudine, pertinerent; hæc enim ad se tunc quoque referri volebat. Addit vero idem Ribadeneira ad rei tantæ confirmationem, quod ipse hac in parte fuerat expertus: Cum, inquit, ægrotanti mihi de nocte sanguis ex brachio esset extractus, custodesque, qui excubias agerent, Ignatius apposuisset, reliqui vero se quieti dedissent, ad multam noctem, aliis dormientibus, bonus sollicitusque pater vigilabat. Bis terve misit, qui brachium exploraret, circumligatum ne esset commode, ne forte soluta vena sanguis efflueret, et subitum (quod nonnullis evenit) interitum adferret. Et erat tunc dictus Ribadeneira circiter quindecim annos natus. Imo contigit non raro, ut alios excitari nolens, aut somnum eorum interturbari, ipsemet præsertim Novitios, tamquam minorem sui curam gerentes adiret, et, num

bene haberent, brachiumque tuto colligatum foret, inquireret. Alias duo tyrones, unus Hispanus, Gallus alter, ut auctor est Daniel Bartolus, vix pedem in domum intulerant, cum in morbum inciderunt; erat autem res familiaris admodum angusta, plures domi variis morbis prostrati, quare fuit, qui eos censeret ad nosocomium deportandos, donec valetudinem recuperassent: Nequaquam vero, nequaquam id fiat, ait vir sanctus. An domi nostræ locus non erit eis, qui mundum totum pro Deo reliquere? Quæratur locus, illis prospiciatur, et Deus propter illos nobis quoque providebit. Lib. III.

Hinc merito S Gregorius: « Boni, inquit, Rectores, etsi jam summa contemplando appetant, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo miscentur; quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et cum benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. S. GREG. in *Past.*

AXIOMA III.

Gubernatio et crucifixio nomine non re differunt.

Ita P. Vincentius Caraffa dicere solitus: Officia gubernationis in societate sunt crux quædam, similis cruci Christi, quæ speciosum titulum habet, sed supra spinas; et spinarum quidem puncturæ sentiuntur, tituli vero apparentia sola delectat, sed non sanat vulnera, nec mitigat dolorem. Lib. I *Vit.* c. VII.

Exegesis.

Tales spinæ sunt sollicitudines et anxietates variæ de ratione Deo et superioribus mediatis reddenda; de sustentatione subditorum; de eorumdem defectibus curandis et supportandis; de muneribus ordinis recte dispensandis et obeundis; de sæcularium odiis, murmurationibus et persecutionibus perferendis; ratione quarum merito dicere possunt superiores cum Rebecca: « Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? » GEN. XXV, 22.

Multique nunquam suscepturi fuissent hanc crucem, nisi Simonem, seu obedientiam in ea portanda socium et adjutorem haberent.

AXIOMA IV.

Charitas et prudentia facit, ut omnium nationum simus.

Ita P. Jacobus Laynius, secundus Societatis Jesu generalis, in epistola ad Petrum Canisium, anno 1552 scripta.

Exegesis.

Qui enim per prudentiam sibi præfigit legitimum finem nempe solum Deum, et hunc solum etiam per charitatem quærit et amplectitur, eumdem in omnibus etiam inveniet, atque adeo nullam personarum distinctionem attendet, sed dicet cum S. Paulo: « Non enim est distinctio Judæi et Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. » ROM. III, 22.

Unde verificabitur illud Philosophorum axioma: « Quæ sunt eadem cum uno tertio, sunt etiam eadem inter se. »

AXIOMA V.

Cum Proximo agendum, ut cum sclopeto.

Ita S. Franciscus Borgias dicere solebat, ut in vita ejusdem, l. IV, c. VIII, refertur; quibus verbis indicare solebat: Sicut minorem quantitatem pulveris in parvulum sclopetum, quam in magnum, imponimus; ita doctrinas nostras, et consilia eorum, quibuscum agimus, viribus esse accommodanda.

Exegesis.

Quia sicut, si ultra debitam mensuram sclopetum oneretur, rumpitur; ita si plus, quam oportet, ab iis, quorum curam suscepimus, exigamus, plus illos destruemus, quam ædificabimus. Hinc S. Ambrosius ait: « Aliter cum potentibus mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus agendum est, aliter iterum cum mansuetis, aliter cum iratis, quibus cedere oportet. » In c. IV *Coloss.*

Quo in genere iterum laudatur S. Patris nostri Ignatii prudentia, qui voluntates ac naturas eorum, quibuscum agebat, festine odorari, ambitiosis splendida, avaris utilia,

voluptuosis jucunda proponere, et suo, quod aiunt, hamo, vel esca quemcumque piscari solebat. Atque ut bonus agricola non tantum rectas ac fructuosas arbores, sed etiam depravatas, neque ita fertiles colit, easque adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat vel sub aliena latentibus umbra cœlum aperit, vel telluris vitio laborantibus mutat locum; sic ille rerum difficultate numquam exterritus, despiciebat in primis, quod ingenium, qua ratione, tractandum esset, iisdemque morbis sæpe pro varietate naturæ, non diversas modo, sed et contrarias inter se medicinas attribuere consueverat. Ut veraciter dicere cum S. Paulo posset : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. » I Cor. ix, 22.

AXIOMA VI.

Dilige, et dic quod vis.

Ita S. Augustinus dicens : « Semel tibi præceptum præcipitur : Dilige, et fac quod vis. Sive taceas, dilectione taceas; sive clames, dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice non bonum procedere. Tr. vii *in epist.* I *Joan.* c. iii.

Exegesis.

Rationem hujus doctrinæ dedit senex ille, qui dicere solebat : Si quis cum humilitate et timore injungat fratri aliquid facere, sermo ipse, qui propter Deum egreditur, facit fratrem illum subjectum existere, et implere, quod fuerit imperatum. si quis autem voluerit jubere fratri, et hoc non secundum timorem Dei fecerit, sed contra per auctoritatem volens sibi in eo potestatem defendere, Deus, qui videt occulta cordis, non permittit eum audire, vel facere quod jubetur. In *Vit. PP.* l. V, c. xv.

Quod a Deo est cum humilitate et obsecratione imperatur, quod autem ex potestate, cum furore et perturbatione, utpote quod a maligno est. Nimirum leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem, ut recte S. Prosper dixit, II *de vita contemplativa.*

Aliam ejusdem doctrinæ rationem dedit ipse Deus, qui quondam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis dixit : « Maxime felix spiritus, qui hodie regnat in terra est ille S. Ignatii, quia ejus filii in conducendis animabus ad Deum præcipue procurant dare notitiam, quanti momenti sit agere cum Deo; quia hoc exercitium facit, ut cum facilitate res arduas amplectantur, propter lumen, quod accipiunt a Deo in oratione. » Lancicz. opusc. I, fol. 81.

Alias eidem Beatæ ostendit se in spiritus S. Joannis Evangelistæ et S. Ignatii mire sibi complacere, quod uterque conatus sit per viam amoris homines ad suum ultimum finem perducere; additque hanc complacentiam toties sibi renovari, quoties S. Ignatii filii eumdem modum in convertendis peccatoribus tenent. Bene itaque notet hanc doctrinam operarius, certoque sibi persuadeat, hanc viam et compendiosissimam, et efficacissimam esse ad peccatores convertendos, id quod olim majores apposito apologo significarunt, dum finxerunt solem et aquilonem quondam in certamen venisse, uter eorum majoribus viribus et potentia polleret; cumque ad hoc certamen finiendum communi consensu decrevissent, eum pro fortiori habendum, qui viatori tunc forte prope ipsos transeunti pallium citius erepturus esset. Aquilo mox magno impetu flatuque viatorem invasit, verum plus non effecit, quam ut viator arctius sibi pallium astringeret; sed cum sol paulatim radios per pallium immisisset, ita viator incaluit, ut sine alia violentia ultro pallium abjiceret.

Simile quid experiuntur operarii, qui radios amoris divini in animarum sibi commissarum pectora jaculantur, sicque efficiunt ut ultro malas consuetudines exuant, dum interea ii, qui per violentiam asperarum increpationum id efficere conantur, nihil aliud obtinent, quam ut exasperati animi pertinacius in suis erroribus vitiisque perseverent; nimirum non frustra Christus suis Apostolis dixit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. » Matth. xi, 29.

AXIOMA VII.

Oratorem te puta, si quod alios doces, tibi ipsi persuaseris.

Ita Martinus Braccharensis in Maximis

Exegesis.

Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » Id quod facit, qui, quod alios docet, ipse non observat. Hinc sapienter S. Bernardus: « Si sapis, ait, concham te exhibebis, et non canalem; hic siquidem pene simul recipit et effundit; illa vero donec impleatur expectat, et sic quod superabundat, sine suo damno communicat. » Serm. XVIII *sup. Cant.*

AXIOMA VIII.

Talis esto erga omnes, qualis erga te veritas existit

Ita Wigo, de tranquillitate animi c. XV, ubi addit : « Qualem te sustinuit, et amavit, ut meliorem faceret, tales sustine, et ama, ut meliores facias.

Exegesis.

Nam blasphemas medicum, desperando ægrotum. Tam facilis enim est ejus sanitas, quanta illius in medendo potestas et benignitas. Vide ne propter opus hominis contemnas opus Dei.

AXIOMA IX.

Curam, non curationem exigit ab Operariis Deus.

Ita S. Bernardus ad Eugenium scribens : « Noli diffidere, inquit, curam exigeris, non curationem. Denique audisti : Curam habe illius, et non cura, vel sana illum. » Lib. IV *de Consid.* II,

Exegesis.

Quia non est in medico, ut semper relevetur æger. At melius tibi propende tuis. Paulus loquitur : Plus omnibus laboravi, non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum laborem accipiet, non secundum proventum. Ita quæso et tu fac, quod tuum est; nam Deus, quod suum est faciet, satis absque tua anxietate et sollicitudine curabit. Planta, riga, fer curam, et tuas explevisti partes; sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus. Ubi forte noluerit, tibi deperibit nihil, dicente Scriptura : Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum. » SAP. X.

Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Quod ipsum etiam B. Virgo S. Brigittæ olim sequentibus verbis insinuavit : « Amici Dei non habent attediari in servitio Dei, sed laborare, ut homo malus fiat melior, et homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicumque haberet voluntatem sibilandi in aures omnium transeuntium, quod Jesus Christus esset vere Filius Dei, et faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum conversionem, licet nulli, vel pauci converterentur; nihilominus eamdem mercedem obtineret, ac si omnes converterentur, sicut per exemplum dico tibi, si duo mercenarii ex præcepto Domini foderent montem durissimum, et alius inveniret aurum electum, alius vero nihil; isti propter laborem et voluntatem digni essent æquali mercede. » Lib. IV *Rev.* c. XIII.

AXIOMA X.

Ad conversionem animarum aptior est bonus Orator, quam disertus Concionator.

Ita P. Vincentius Caraffa, l. II, c. XIII, per Oratorem hoc loco intelligens virum orationi ac contemplationi deditum.

Quod ipsum etiam S. Bernardus indicare videtur, dum ait: « Nunc autem manent tria hæc : Verbum, exemplum, oratio; major autem horum oratio. » S. BERN. epist. CI.

Exegesis.

Ratio est, quia, ut S. Justinianus sapienter advertit, « absque gratiæ adminiculo quis præsumere audeat, posse facere quidquam, dicente Domino, sine me nihil potestis facere? Nam quamvis homo a se, de se aliquid boni valeret, nihil omnino valet in altero; quoniam libero quisque utens arbitrio, suæ potestatis est, assensum præbere suadenti. An non verba possumus veluti semina jactare, annuntiare futuram felicitatem et æterna supplicia, minime tamen corda compungere, animum flectere, interiorem auditum aperire, affectum promovere, gratiam infundere? Hæc solius Dei sunt, per consensum audientis et recipientis. Quemadmodum imber de cœlo

cadens terram inebriat, et eam germinare facit, ac dare semen serenti, et panem ad manducandum; sic et gratia cœlestis, cum in humanum cor labitur, et rigat illud devotionis dulcedine, madefacit compunctionis rore, et per sancta desideria virtutum, atque bonorum operum fœcunditatem producit ad publicum, quatenus intuentes agnoscant non ex infructuosa arbore, sed de latente divinæ benedictionis radice, universa laudabilia gesta prodire. Prorsus humanus inutilis est arboris truncus, si non intrinsecus gratia Dei operetur. Lib. *de Compunct.* c. II.

Unde S. Paulus ait: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Atqui hoc incrementum magis impetrat bonus Orator, quam disertus Concionator. I Cor. III, 7.

AXIOMA XI.

Vires tuas amici magis sentiant beneficiis, quam injuriis.

Ita Martinus Braccharensis in Maximis.

Exegesis.

Quia, ut Tullius sapienter advertit, benevolentia beneficiis capitur maxime; secundo autem loco benefica voluntate benevolentia movetur, etiamsi res forte non suppetit. Lib. I *Officiorum*.

Et S. Chrysostomo teste: « Mentem habentes magis beneficia quam pœnæ ad mandatorum obedientiam attrahunt. Hom. LXXX.

Cujus efficaciæ rationem reddens S. Bernardus: « Dabit operam sapiens, ait, maledicos capere beneficiis atque obsequiis, monitisque salutaribus, et orationibus pro his ad Deum. Non cessabit ejusmodi carbones ignis congerere super caput maledici. An non tibi captus ille videtur, qui suffusus ora rubore, quippe proprium erubescens judicium ipse suæ confusionis et pœnitudinis testis est, sive quod oderit hominem amore dignissimum; sive quod dilexerit tantum verbo et lingua eum, a quo se diligi opere et veritate vel sero est expertus? » Serm. XXIII *in Cant*.

AXIOMA XII.

Magnarum rerum etsi successus non fuerit, honestus est ipse conatus.

Ita idem Martinus Braccharensis in citatis Maximis.

Exegesis.

Quia, ut S. Chrysostomus alicubi notavit, « computat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem. » Hinc etiam in antiquo proverbio dicitur:

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Et vero quod clarius exemplum confirmatione hujus doctrinæ adduci potest, quam Christi, immo et ipsius Dei? Quis enim negare poterit, honestissimos et summe laudabiles fuisse labores et conatus, quos pro salute cujusque hominis procuranda susceperunt? Et tamen in quam multis conatus iste suo effectu destituitur? Unde merito Catholicus quidam Poeta cecinit.

Fac quantum poteris, tua sitque intentio justa,
Cætera supremo cuncta relinque Deo.
Sic nivea intrabit mentem pax alma quadriga,
Et lætos pariet semper amica dies.

AXIOMA XIII.

In conversatione ingressus aliis concedendus, exitus sibi reservandus.

Ita S. Ignatius, de quo sic loquitur Daniel Bartoli, l. IV, § 36. Solemni suo carmine admonebat, id a nostris fieri hominibus oportere, ut sermonis ingressum externis facile concederent, exitus sibi reservarent; quasi vero acceptum quodcumque sermonis metallum auro tingere, atque in illud vertere, utrorumque summopere interesset.

Exegesis.

Quia *verbum dulce* (id est, gratum audienti, quale vel maxime est, quo de rebus ipsius fit sermo) *multiplicat amicos, et mitigat inimicos*. Eccl. v, 5.

Et ut S. Ambrosius sapienter advertit: « Nihil tam utile, quam diligi; nihil tam inutile, quam non amari. Itaque id agamus, ut omni sedulitate commendemus existimationem, opinionemque nostram, ac primum placiditate mentis, ex animi benignitate influamus in affectum hominum; popularis enim et grata est omnibus bonitas, nihilque, quod tam facile illabatur hominis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, et affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum, vitæ, modestiæque adju-

vetur gratia; incredibile, quantum procedit ad cumulum dilectionis. » L. II *Off.* c. I.

Hinc S. Franciscus Xaverius ad P. Gasparem Barzæum sic scripsit : « Pravos cujuspiam mores emendaturus, non potius manum admovebis, quam intimos ejus perspexeris sensus. Itaque magnopere tibi suadeo, ut primum odoreris atque investiges, an is vitio aliquo aut mentis perturbatione occupatus, ab animi salute abhorreat. Si ira, aut quavis molestia perturbâtum senseris, supersedendum erit monitoris officio, et affectus animus insinuatione quadam ac dulcedine orationis deliniendus. Ubi eum redegeris in ditionem, obnoxio ad arbitrium tuum leges salutis impones, quæcumque opus erunt, plane aperte præscribes.

AXIOMA XIV.

Tantum per nos operabitur Deus, quantum se nostra in eo fiducia extenderit.

Ita S. Bernardus, in Ps. *Qui habitat*, cui etiam S. Cyprianus consensit, dum in verba illa Deuteronomii : « Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit; » Deut. c. II, 24, sic loquitur : « Pes vester utique spes vestra est, et quantumque illa processerit, obtinebit. »

Exegesis.

Rationem hujus doctrinæ indicavit ipse Christus S. Methildi, dum dixit : « Perplacet mihi videre homines confidentes de mea bonitate ; talis enim quicumque est, et in hoc perseverat, singulariter eum in hac vita remunerabor, et in altera uberrimam ei mercedem conferam. Et quanto plus de me confidet, tanto plus etiam a me consequetur. Impossibile enim est, ut quod quis sancte de me credidit, et consequi speravit, non obtineat, cum hoc ipsum ego promiserim. Mihi igitur fidat, qui grandia a me expectat. » Blosius, c. II, *Monilis spir.*

Alias vero S. Gertrudi dixit : « Fiducia illa, quam homo in me solo collocat, credendo, posse, scire et velle me ipsum fiducialiter juvare in omnibus, cor mihi transfigit, tantamque pietati meæ violentiam facit, ut non possim non ei gratificari, et manus porrigere ob gustum, quem ex eo, quod totus a me pendeat, capio. Et merito si enim artifex, qui opus aliquod præcipuum ad artem suam et ingenium in eo ostendendum fecit, cupit illi suam perfectionem dare, cavetque sedulo, ne quis dicto, vel facto male id tractet ; et si forte detrimentum passum est, omni modo restaurare studet ; quanto minus Deus patietur, ut homo, in quo omnem suum amorem et sapientiam ostendit, non pereat, sed omnem perfectionem acquirat !

AXIOMA XV.

Quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille (Deus) apponet ad adjutorium.

Ita Cæsarius, lib. III ad Monach. ubi etiam addit : « Quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. »

Exegesis.

Quia Deo saltem in omni opere ab eo imperato cooperari debemus, juxta illud S. Augustini : « Qui creavit te, sine te, non salvabit te sine te. » Atque adeo merito ille tantum præbet auxilii, quantum nos per cooperationem nostram promeritos fuisse, advertit. Hinc S. Hieronymus dixit : « In promissis veritatis nemo dubitet. Sit homo qui esse debet (id est, cooperetur pro viribus) et ei addantur omnia, propter quem facta sunt omnia. » Sed et S. Gregorius, in Mor. ait : « Tanto spes in Deo solidior surgit quanto pro illo (Deo) graviora quisque pertulerit ; quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic pia tribulatione seminatur. »

PARS SECUNDA

FACTA ASCETICA COMPLECTENS.

Etiam hoc loco per facta Ascetica non intelliguntur quæcumque actiones, piæ et laudabiles, sed heroicæ et generosam sui victoriam involventes, nec ex quocumque motivo humano elicitæ, sed ardenti perfectionis studio imperatæ ; quales sat multæ hac in parte, ea intentione enarrabuntur, ut quoniam exempla magis movent, quam verba, etiam hoc subsidio non careant Ascetæ perfectionis studiosi. Quo vero efficacior sit hæc ipsa factorum Asceticorum enarratio, brevem cuique facto glossam subjungam, qua vel præstantia tantæ actionis breviter ostendatur ; vel aliorum de ea judicium indicetur ; vel si difficilis imitatio videatur, modus eam facilitandi demonstretur. Unum

tamen hoc loco lectorem præmonitum velim, mirari videlicet, aut ægre ferre eum non debere, si exemplum actionis asceticæ et heroicæ hic propositum, in alio quopiam libro meo, præcipue jam enarratum invenerit; nam sicut idem nonnumquam condimentum pluribus cibis immiscetur; ita eadem quandoque historia ad diversos fines obtinendos proponi potest, sicut passim in libris historicis videre est. Alibi ergo si enarratæ sunt historiæ tales, communem cum aliis finem, titulumque habebant; hoc loco autem ex communi illarum acervo excerptæ et selectæ, solummodo, prout heroicam sui victoriam continent, proponentur, ut earum præstantia et pulchritudine illectus lector, si non ad omnimodam, saltem aliqualem imitationem accendatur. Ut vero etiam facilius inveniantur eædem, visum est, hoc quoque loco ordinem alphabeticum observandum.

A.

FACTUM I.

Abstinentia heroica.

Heroicæ plane abstinentiæ exemplum S. Joannes Gualbertus fundator et incola Valiombrosani Monasterii reliquit. Locus ibidem erat in media abietum silva peramœnus, cui ab æstu non timeas obumbrantibus undique ramis. Fons ibi purus, et illimis supina erumpit vena, sed collectis aquis, depressoque in orbem solo nulla elaboratam industria piscinam implet. Huc concedebat Joannes, cum urentem sitim amplius tolerare non posset, neque tamen parato, atque innocenti remedio utebatur, verum ut illam falleret, pedes ac manus, frigidario illi satis habebat immergere, animumque pulcherrimo vicinorum montium ac vallium prospectu paululum recreatum in Deum erigere. Id ubi fecerat arido hiantique ore abire consueverat. JOAN. RHOD. lib. VIII, *Var. histor.* c. VIII, n. 1.

Quam generosa fuerit hæc victoria, vel eo æstimes, quod, cum objecta præsentia ipso magna opus fuerit violentia ad appemagis moveant sensum, quam absentia hoc titum ab amplectendo objecto tam fortiter sensibus ablandienti avertendum. Unde et Epictetus ad simile factum excitans dicebat: « Si vehementer sitieris frigidam haustam exputo, ac nemini dicito. C. LXX. *Enchir.* »

FACTUM II.

Amor heroicus pie insaniens.

S. Maria Magdelena de Pazzis cum totis præcordiis Deum acceperat, quod illi frequentissimum fuit, cursare per domum, obvias sorores apprehensa dextera ardentibus verbis ad amorem excitare, hortum ingredi, spatia citato gressu conficere, identidem succlamare: O Amorem! ad aeris campani turrim accurrere, illudque totis connixa viribus pulsare cum illis vocibus: Excitemus mortales omnes, ut amorem hunc ament. O amor! si mihi ferrea vox, quam vocalissime profecto inclamarem: Amate hunc amorem, mortales, amate! Ad hæc ardoris haud tolerans, brachia et sinum frigida immergere ac spargere consueverat. Hæc illa in ipso æstu charitatis, quæ ex imo cordis, oceani instar effusa in animæ facultates, minoris prudentiæ fines omnes obruit; eadem, cum sibi relinquebatur, mirum quanta modestia eos ignes dissimularet, quorum pallido in ore cineres gerebat. Idem. l, I. c. I, n. 1.

Nimirum hæc est genuina solius Divini amoris proprietas, ut amatum etiam ab aliis velit amari, quod summe cavent et horrent immodici rerum creatarum amatores. Hinc præclare Nierenbergius: « Quid hæsitas, o anima, qui necessario te amat fideliter, ut ames eum, qui perfide forsitan te amabit? Infeliciter amabis bona, quæ si amet alius, irasceris; aut homines, qui si ament alium, combureris. Amor Dei immunis est dolore et curis, qui, quod amet alios, gaudebis; et quod eum ament omnes, optabis. Hæc Dei sufficientissima bonitas est, ut amet omnes, et ametur ab omnibus cum nullius jactura vel amantis vel amati, sed cum omnium majori gaudio. Reliqua imbecilla et mendica sunt, quæ non sufficiunt amare duos, vel amari a duobus, sine alterius fraude.» JOAN. EUSEB. NIERENBERG. l. IV, *de Adorat.* a. 9.

FACTUM III.

Amor heroicus admirandus.

Maria Victoria Furnaria, Ordinis S. Francisci, cum tenerrimo quodam amoris sensu erga Deum afficeretur, ubi ab hominibus consceleratis aliquid in eum peccatum audiret, magno edito suspirio, verissimisque

suffusa lacrymis, non aliter, ac si telo icta esset, concidebat, quod animadversum attentiores socias virgines reddidit, ne ad eam tristis unquam hujusmodi fama penetraret. JOAN. RHOD. l. I, c. I, n. 7.

Nimirum cum amans amatum perinde ut se diligat (hinc amantium cor unum et anima una dicitur) gravissimum malum, quale est peccatum, perinde ab amato, quam a se abesse cupit. Hinc Magdalena Caraffa, matrona Neapolitana, eodem auctore teste, si forte inter colloquendum violatam ab impiis hominibus adamatam numinis majestatem audisset, turbari primum, ac veluti improviso attonita malo pallere, ut amantem non negaret; tum subducere se ab aliorum consortio, atque abditum in conclave secedere, accuratisque precibus ac suppliciis divinam iram diligentissime criminosis deprecari. Noverat, Deum optime amari, si ejus charitati vel inimicos commendamus, quibus dum ignoscit, suo in amore triumphat Deus Idem ex. VIII.

P. Henricus Henriquez e Societate Jesu vero dicere solebat, inferos non ideo se deprecari, ne deterrimis pœnis cruciaretur, quas sibi suisque sceleribus debitas non ignoraret; sed ne insanas illas voces contumeliose in Deum debacchantium consceleratorum audiret, quibus profecto amanti nihil intolerabilius esse potest. Quem eumdem sensum etiam S. P. Ignatio fuisse, varii auctores testantur, Ibid. n. 11.

C.

FACTUM IV.

Castigatio corporis singulariter heroica.

Felix virgo Barberiana lustrum integrum pernox perpetuo egit, et cum acrius sua jura exposcenti naturæ concedendum fuit, de die oculis paululum convivebat. Idem, l. VII, c. v, n. 5.

S. Petrus Alcantaranus, Ordinis Minorum, cella usus est angustissima quatuor passus in profundum, tres in fronte, adeo humili, ut ipse, qui procerus esset, erecto corpore ibi esse non posset; somnum cepit reclinato in tigillum a pariete prominens capite, eique per quadraginta annos sesqui hora tantummodo se permisit, quanquam sese pugnacissime somnus ingereret; tunicam ex laminis ferreis stanno tenuissime illitis, quas mittit Germania (lattam Itali vocant) minutim pertusis, obversisque ad nuda membra punctiunculis, squammatæ in modum loricæ contextam septem annos indutus habuit; ut reliqua afflictationum vulgata interim dissimulemus, quare minime mirum erit, quod traditum a Theresia legimus, arida et arboris cortici simillima cute vix obducta ossa homini superfuisse. Idem. l. VII, c. v, n. 6.

Pasicca Crogia loricam hamis consertam pondo sexaginta nudo appressam corpusculo gestavit. Piscinæ conglaciatæ spinas injecit, seque nudam super, tum maxime ningente cœlo; in vepribus nuda sæpius membra volutavit, ac etiam somnum cepit; candentibus laminis, aut titionibus non semel se adussit, larido, aut sævo igne guttatim stillantibus excoxit. Capillo se de trabe suspendit gravi ad pedes alligato pondere; aut pedibus de eadem trabe pendens sublimis, capillis pondera innexuit, fumoque ex accensa subtus palea excruciata est. Ib. n. 12.

S. Maria Magdalena de Pazzis cilicium induit spinarum aculeis cannabinæ insutis adeo horridum, ut ne aspectum quidem ferre possent voluptates, quum illa interim perfodi sibi pectus ac latera libentissime toleraret. Eadem nudo pede detrita in tunica, sub Jove frigido ac ningente in preces incubuit tanta patientia, ut licet diro a frigore intumescere ac cruentari crura, pedesque sentiret, læta nihilominus perseveraret, ac demum nivibus propemodum obruta, vix sese inde agere posset. Ib. n. 14.

Cornelia Lampugana jussa a marito choreas ducere, ut eam saltandi voluptatem in dolorem verteret, cicerum durissima crepidis indidit, quæ saltu teneros in pedes adacta acerrimum doloris sensum, quo saltandi vindicaretur licentia, excitarent; ejus certe vim quum ferre non posset, linqui animo cœpit, et collapsa inter manus ancillarum, relapsa est. Sed parum hoc est, vincam in eo, quod sequitur, expectationem. Quatuor integros annos genuflexa duravit diu noctuque, nimirum precari, legere, acu pingere, cibum capere, somno, ubi obstinatior incideret, paululum indulgere de genu, illi solemne fuit. Ib. n. 15.

Antonius Corsus Capuccinus cum semper sibi iratus atque implacabilis, tum destinato anni tempore incredibili cuidam odio indulgens, sexaginta sex supra sexcenties et sex millenas plagis per horas quinque continuata ditissima flagellatione lacerabat; cum enim numerum totidem a Christo tole-

catis olim flagellorum ictibus, sacrum esse dicebat. Hujus ille moris cum plus haberet imitatores, tam ægre dæmon tulit, ut miris modis minax absterrere conaretur. Ib. n. 28.

Hæc exempla non eo fine proposita sunt, ut undequaque imitemur (neque enim cuivis pumilioni concessum est gigantum vestigia intrare) sed quam vere dixerit nonnemo: « In amore non vivitur sine dolore ; » atque adeo illum, si occasiones patiendi ultro a Deo non offerantur, aliunde eas accersere, ut se tanto efficacius probare possit amato ; sicque verificetur dictum illud pii Ascetæ : « Quanto caro magis per afflictionem atteritur, tanto spiritus amplius (in amore) roboratur. Et nonnumquam in tantum confortatur et affectu tribulationis et adversitatis, ob amorem conformitatis Crucis Christi, ut sine dolore ex tribulatione esse non vellet, quoniam tanto se acceptiorem Deo credit, quanto plura et graviora pro eo perferre potuerit. Non est istud hominis virtus, sed gratia Christi, quæ tanta potest et agit in carne fragili, ut quod naturaliter semper abhorret et fugit, hoc fervore spiritus aggrediatur et diligat. » THOM. KEMP. l. II, c. XII.

FACTUM V.

Constantia heroica.

Joannes Perezius, Ordinis Prædicatorum, cum in Ordinis petitione sæpius a Priore Cæsaraugustani Conventus multa causante repulsam tulisset, rescivit tandem scabiosos, ac semi corruptos dentes fraudi sibi fuisse. Adolescens, qui prudentiam Prioris invalidam, et religiosis laboribus minus aptam valetudinem inde suspicantis, minime intelligebat, ratus eum fœdo aspectu offensum negasse, quod petebatur, domum revertit, dentesque ad unum evellit, atque ad Priorem adiens constantiæ miraculo, novoque eloquentiæ genere endentulus validissima virtute causam peroravit, et vicit. RHOD. l. V, c. XIII, n. 15.

Usque adeo scilicet verum est, quod communi proverbio circumfertur, constantiam esse potissimum pro gratiis impetratis advocatum, ut non immerito ipse Servator Christus, Luc. II. Quomodo efficaciter orandum sit, auditores instructurus, parabolam de amico post factam sæpius repulsam in panibus petendis perseverante attulerit, dixeritque : « Dico vobis, et si non dabit illi surgens, quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen illius (et constantiam) surget, et dabit ei quotquot habet necessarios. »

FACTUM VI.

Contemptus heroicum desiderium.

Joannes a Cruce, primus Carmelitarum excalceatorum parens, dum multis exhaustis laboribus et ærumnis Segobiæ cum Deo familiarius loqueretur, seque ab eo interrogari persentisceret, quod præmium pro tot laboribus peteret ? respondit : « Domine, pati et contemni propter te. » LYRAN. in *Apopht.* hist. I.

Sciebat namque, quod, ut ingeniose nonnemo advertit, Deus et homo se habeant inter se comparati, sicut quantitas continua et discreta ; atque adeo sicut, quo magis quantitas continua, v. g. lignum minuitur per divisionem, tanto magis discreta quantitas, seu numerus, augetur ; ita, quo magis homo per contemptum in oculis hominum minuitur, tanto magis Deus per gloriam ex contemptu tali ipsi resultantem exaltetur. Hinc sapienter Siracides suasit : « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » ECCL. III, 20.

D

FACTUM VII.

Dilectio heroice exoptata.

Quidam Dei servus admirandas in oratione illustrationes a Deo acceperat, earum ille se ratus indignum, impensissime eas a se auferri rogabat ; audivit Deus orationem servi sui, eumque quinquennio integro in summa spiritus ariditate reliquit. Semel amarissime lacrymanti duo Angeli ipsius conspectui sese objiciunt, consolaturi Dei servum ; ad quos ipse : Non peto consolationem ullam. Abunde enim mihi sufficit, si Dei in me voluntas adimpleatur. BLOSIUS, c. I *Monilis spir.*

Hinc et pius Auctor libelli de Imitat. recte ad Deum sic loquitur : Domine, non sum dignus consolatione tua, nec aliqua spirituali visitatione ; et ideo juste mecum agis, quando me inopem et desolatum relinquis. Si enim ad instar maris lacrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. Unde nihil dignus sum, quam flagellari, et

puniri, quia graviter et sæpe te offendi, et in multis valde deliqui. Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione. Sed tu, clemens et misericors Deus, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum divitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ, etiam præter omnem proprium meritum, dignaris consolari servum tuum supra humanum modum. Tuæ enim consolationes non sunt sicut humanæ confabulationes. Lib. III *de Imit.* c. LII.

FACTUM VIII.

Dilectio offensas proximi heroice dissimulans.

Acillas venerabilis senex, et religiosissimus eremi cultor, cum sanguinem quondam expuisset, et quidam ex eo causam rogasset, respondit, id ex aculeato fratris verbo ortum esse, a quo nonnihil fuerat contristatus, voluisse tamen illud silentio involvere, et apud se patienter concoquere, idque ut faceret, gratiam a Deo postulasse, illudque quodammodo versum in sanguinem ; nam tum in ore velut cruorem persensisse, quem ubi expuit, magna tranquillitate continuo fruitus est. PENNEQUIN, *in Isag.* diss. VII, n. 24.

Hunc gradum dilectionis tanti fecit lumen illud eremi, et virtutum palæstra exercitatissimus Pimenius, ut in supremo charitatis gradu silentium illud collocaret ; rogatus enim, quo pacto quis executioni mandare posset illa Christi verba : « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis ; » JOAN. XV, 4, respondit : Si quis contumelia, aut verbo injurioso appetitus, cum innocentiam suam verbo verbum reponendo tueri potest, nihilominus tacet, vimque sibi facit, nec verbo contristet fratrem, ille vere pro amico animam ponit. Id. n. 25.

Unde recte notat S. Athanasius, silentium Christi coram Pilato, tantæ fuisse ad persuadendum efficaciæ, ut inde innocentiæ testimonium Præses acciperet. O egregiam patientiam, et sæpe numero victricem apud homines, apud Deum vero semper fructuosam, sæpius altissimæ pacis bono compensatam!

FACTUM IX.

Dilectio heroice et fructuose sui prodiga.

Elatus quondam iracundia, quam per temulentiam conceperat, Siciliæ Prorex truci ac plane barbara voce Zingaros omnes illico ad capitula columnarum in Peristilio suspendi, quasi majestatis reos compertos levissima de causa imperavit. Timentes Prætoriani, ac satellites, ne cunctatio proprium verteret in periculum, exequi parant. Adest carnifex, injectoque laqueo, quem primum sors obtulerat, ad necem trahit. Ille vociferari, obniti, Dei hominumque fidem implorare, alienissima loqui a salute. Stabat miserorum agmen attonitum, vicina morte, cum ex infelici grege unus : Me primum, inquit, hominique huic spatium date animo ad suprema componendo. Ego qui hesterna luce divinæ mensæ accubuerim, non moriar imparatus. Factum, quod dixit, lætusque ac magnæ spei securus animam pro alterius salute prodegit ; vix enim huic fauces eliserat carnifex, cum discussa Principis insania, subeunte impiæ humanitatis verecundia, dimissi omnes læti abiere. Idem, lib. I c. III. n. 10.

O vere generosam charitatis victimam, dignam verissimo Christi præconio : « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam quis ponat pro amicis suis. » JOAN. XV.

Quid mirum ergo si tam eximiæ dilectioni eximium quoque in hac etiam vita tot hominum a morte redemptorum præmium concesserit Deus!

FACTUM X.

Dilectio heroice intrepida.

Conjecerant in cadaverum acervos spirantem adhuc hominem diri pestilentis necessitatis vespillones, in quibus crebra imago mortis sensum omnem extinguit humanitatis. Jacuerat integra nocte in illa mortuorum strue, mox albente cœlo, profundam in foveam vivæ calcis plenam projiciendus. Ibat forte sub illam ipsam fatalem horam e Caroli disciplina sacerdos, Eucharistiam sub umbella, sacro hymnorum cantu, ad ægros deferens, quum semimortuus ille canentium vocibus excitatus, et labentia in morte membra, cubito connixus, attollens, media e cadaverum strage, lamentabili cum ejulatu, sacerdotem inclamat, atque obsecrat, ne divini se muneris expertem hinc abire patiatur. Inhorruit comitantibus sacrum Ferculum pilus, ut luridum illud os, et viventis mortis tabidum simulacrum conspexere ; at sacerdos victo ac dissimulato timore per

altam cadaverum saniem intrepidus vadens, procul spectante, et vicinum periculum horrente comitatu, desertissimum hominem, viatico immortalitatis inter ipsa mortis trophæa impertivit. Et vero quas ille mortes timeret, qui superum pariter, hominumque vitam immortalem gestaret in manu? RHOD. l. c. n. 11.

Mirentur alii, excussum ab hoc sacerdote mortis timorem fuisse, non ego miror; qui enim vitam ipsam, et Auctorem vitæ portaverat, quomodo mortem timere poterat? An non tunc jure cum Psalmista dicere poterat: « Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es? » PSAL. XXII.

FACTUM XI.

(Dilectio inimici heroica.)

Cum S. Thomas Villanova hominem de Clero, quod corruptissimis moribus Ordini dedecori esset, paulo acrius objurgasset, ille contumacia elatus in Thomam invehi, eique in se qui sacrorum Quæsitorum in familiaritatem adscitus esset, nihil Archiepiscopo juris esse, vociferari cœpit, adeo inverecunde, ut nisi Thomas seipsum incusans, suorum iras repressisset, nonnisi male mulctatus, inde abiturus fuisse videatur. Verum peracto Quæsitorum indicio, jubent illi hominem corripi, atque in vincula duci. Ejus rei nuntium Thomæ accumbenti quum esset allatum, exilivit, atque impransus conscensa mula ad Quæsitores accurrit, et quum multis frustra egisset, ne misero illi linguæ impotentia, ultra quam non peccaverat, fraudi esset; ad extremum sancte confirmans, non abiturum se, nisi voti compotem, sibi ut incolumem redderent, pervicit. Tum peramanter amplexum, impositumque mulæ totam per urbem pari secum equitantem gradu circumduxit, ac sermones miscuit amicissimos. Dixisses de victis injuriis triumphum longe amplissimum agi. RHOD. l. I, c. V, n. 6.

Si, juxta S. Augustinum, nihil mirabilius est in rebus humanis, quam diligere inimicos; si, juxta Cassiodorum nihil, fortius, nihil magis egregium, quam audire noxia, et non respondere contraria; si, juxta S. Gregorium, virtus est coram hominibus tolerare inimicos, sed virtus coram Deo diligere, an non mirabilem merito, et Deo perinde ac hominibus amabilem dicemus S. Thomam de Villanova, qui tam insignem charitatis triumphum ab inimico suo reportavit?

FACTUM XII.

Dilectio erga infirmos heroica et insolita.

Alexander Luzago, nobilis Brixiensis, jacentem in trivio senem curiosum, cadaverosum, Borno nomen fuit, indeptus, secreto in ædium partem optimam curavit inferendum, lectuloque mollissimo exceptum per annos plures, quibus ille superfuit, diligentissime curavit. Ipse servus, ipse consolator cubiculum verrere, sordes amoliri, lectulum concinnare, ligna conferre, focum extruere, cibos inferre, scitamenta ex saccharo præbere, stomachabundo atque crascenti, quasi minus opportune procuraretur, suavissime blandiri, et in convitia usque prorumpentem (quanta est infimæ conditionis insolentia) admirabili dissimulatione perferre. Demum quum aliquando obiisset, indoluit Alexander suo se fundo fuisse depulsum, ex quo tam uberes ad se quotidie virtutum fructus provenirent, jamque de alio sibi circumspiciebat, sed a magno Patrefamilias, quos jam collegerat, æternum fruendis evocatus est. Idem, l. I, c. VI, n. 4.

Videri posset Alexandro dilectio columnas duas Herculeas cum inscriptione: *Non plus ultra*, statuisse; et ideo forte a Deo ad præmium evocatus est, ut qui ratum haberi vult a nobis summe consolatorium suum effatum: « Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis »; adeoque ne diffideremus, facto quandoque ipso confirmat.

FACTUM XII.

(Dilectio ægrorum heroica, sicque secura.

Ferdinandus, Panormi Proregis filius, societatem cum adolescentium nobilissimis coiverat, ut noctu abambulantes urbem, si quos domi ab omni suppellectili imparatos, aut humana ope destitutos atque in triviis abjectos indipiscerentur, vel collata pecunia juvarent, vel etiam ad hospitalem ægris domum ipsi deferrent. Hic Ferdinandus ut dignitate, sic animi ardore omnibus anteire, pauperes suis ipse manibus moliri, nullo contagionis metu absterreri, quod diceret, optima charitatis theriaca munitos, inter

nobiles pauperum Christi morbos, luemque non vulgari. Forte fortuna leprosum ad nosocomium detulerant, illumque, antequam lectulo exciperent, lavare voluerunt domus magistri. Invasit Ferdinandus magnæ charitatis occasionem, pedesque abluere occepit, sed indoles delicatior fœditatem rei non ferebat; iratus itaque sibi, et delicias ulturus, aqua sordibus ac sanie corrupta os faciemque proluit, abluta, super hæc ulcera impressu labiorum exosculatur, egregie victor. Ibid. n. 5.

Si, juxta S. Ambrosium, omnis summa disciplinæ Christianæ in pietate et miseratione sita est, et nihil tam commendat Christianum, quam miseratio charitatis; si, juxta S. Gregorium, nihil homo habet tam divinum, quam de aliis bene mereri; S. Gregor. Naz. s. *de Paup. amor.*, quis satis æstimet, et deprædicet hanc Ferdinandi in infirmos charitatem, quam, ut coronam oleaginam dignius mereretur a Deo olim accipere, tam generosa sui victoria comitata est?

FACTUM XIV.

Dilecio heroica et illustrissima infirmorum.

Hæc in Guillelmo, pio Boiariæ Duce, fulsit illustrissime, ut qui sex prope lustris, deposita purpura principali, pauperibus ministravit. Quos enim desperaverant medici, artem morbis atque ulceribus victam confessi, hos invicta morbis omnibus charitate usus, seposita in domo exceptos invisere, alloqui, amplecti, fovere, suaque manu cibis ac sorbitiunculis ori admotis alere perseveravit. Neque his tantum castris continebatur bene de pauperibus merendi ardor; excurrebat ad alias ægrorum domos, ipsaque lepra infectos non refugiebat, perque villas et mapalia, quibus benefaceret, conquirebat. Neque tot, quibus abundans satis sibi dives magni Principis mens videbatur, nisi suis in conclavibus tres ægros pauperculos, grande scilicet peculium charitatis, sepositos haberet, quibus assiduam veluti si operam locasset, amantissime famulabatur, ac ne in sacrum sibi summæ Triadis reverentia numerum, quidquam morti fas esset, si quem illa subriperet, qui locum impleret, illico adlegebatur : ut immortalis esset non tam morientium manipulus, quam charitatis exercitatio. Idem, l. c. n. 21.

Quid mirum ergo, si Guillelmus præclarum Siracidis encomium in se et nepotibus experiri meruit : « Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen, et filii eorum propter illos usque in æternum manent; semen eorum, et gloria eorum non dereliquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia. *Eccl.* XLIV, 10.

FACTUM XV.

Dilectio heroice facienda.

Aloysius Velasquius nobilem amicum, qui mulierculæ amore insaniebat, cum per se, tum per communes amicos, viros religionis primos, frustra sæpius monitum, ut se respicere vellet; tandem sanctioris hebdomadæ feria quarta ad se in palatium evocat, ubi affuit, non jam rationibus, objurgationibusque agendum ratus, lacrymarum imbre aggressus, tandem, ne pergeret insanire, felicissime persuasit. Idem, l. I, c. III, n. 14.

Res profecto esset admirabilis, undis, quas charitatis expresserat ignis, victas esse flammas amoris, nisi plusquam hostili dissiderent odio amores, atque adeo mutuum sibi invicem essent venenum. Cecinerat quidam olim Poeta : Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo. Verum in Velasquio tam salutares et efficaces guttæ probarunt, etiam vi seu violentia, eas cavare lapidem, id est, indurata pectora, posse, si opportune, et de sublimi miserantis animi canali stillare sinantur. His guttis profecto applicari potest illud S. Hieronymi encomium : « Oratio Deum (et hominum pectora) lenit, lacryma cogit. » c. XXXVIII *in Isaiam.*

FACTUM XVI.

Dilectio heroica et ingeniosa.

S. Franciscus Xaverius hominem obstinate conceleratum jam diu officiosissime coluerat, minime tamen, ut animum per confessionem expiaret, persuaserat; descenderant forte nautæ (nam simul navigabant) aquatum, quum Franciscus amicum secum trahens, in littus exscendit, blandeque confabulando vicinum in palmetum abducit, ac

de confessione simul compellat, simul in genua procumbit, simul nudatum tergus deprompto in id flagello, acrius pulsat et sanguine, quem plurimum eliciebat, hominem rei novitate attonitum large respergit. Totus erat in ore amor, et voces jaciebantur ardentiores, quibus id se pro illius salute subire suppliciis significabat. Horror primum subitus obstinatum animum concussit; subiit mox divina oboriente luce, dolor intimus, et lacrymas excussit, abjecitque jam confitentem ante Xaverium, qui victoria lætus, quæ sibi, non victo, fuerat cruenta, rite expiatum in vitæ novitatem dedit probitatis ac sanctimoniæ tenacissimum. Ibid. n. 2.

Ita nempe verissime dixit Seneca : « Longum iter (ad conversionem animarum præcipue) per sermones, breve et efficax per exempla, » maxime ab ingeniosa charitate profecta; sunt quippe non pauci, quos, ut S. Gregorius loquitur, ad amorem cœlestis Patriæ (et dolorem de peccatis concipiendum) magis exempla, quam prædicamenta, succendunt.

FACTUM XVII.

Dilectio heroica et zelosa.

Didacus a S. Jago, Societatis Jesu presbyter, in eo mari, quod Philippinas interfluit, instructam militum flore rostratam, magno eorum bono conscenderat, jamque Dux prætoriam piratarum indeptus, tantum non expugnaverat, quum repente, incertum casu quo aperta carina, navis oceanum accepit. In ea rerum desperatione, dum omnia dissonis clamoribus alia atque alia properantium, ac misero turbæ pereuntis ejulatu contemplentur, Didacus sedulas aures morituris præbuit, securus periculi atque naufragii; expiatis omnibus, vel aderant, plurimisque in proximum littus enatantibus, eamdem et ipse aleam subiturus, e navis margine desiliebat in oceanum, salutem in undis quæsiturus, quam in navi desperaverat; sed ecce, e tabulatis audita prope intermortua vox est revocantis, ut verbum de æterna salute secum acturi adhuc audiret. Exarsit ad eam vocem in Didaco germana Societatis indoles, et, quamquam horrida undique paulum modo cunctanti mortis imago in oculos incurreret, desertissimi hominis felicitatem suæ nihilominus præferens vitæ, ad eum audiendum in foros regressus, vix expiatorio carmine hominem absolverat, quum vasto hiatu subsidente navi, immanique lapsu coeunte oceano haustus est. Ibid. n. 4.

Non absimile factum narrat idem auctor de P. Francisco Roderico in hæc verba : Revertentem ex Japonia illius Societatis Procuratorem, secundaque per tot maria, sævissimis infesta procellis, usum navigatione ad ipsa usque Tagi ostia fortuna repente destituit, ut illa major ostenderetur. Allisa memorabili clade ad scopulos navis, pretiosissima onera demersa, mortales multis fluctibus hausti, plurimi cymbis excepti, advolaverat una, quæ Franciscum fluctibus ereptum in tutum aveheret, urgebatque vehementissime, ut sine mora conscenderet. At ille in ea tabula fluitans, et pereuntes audiens, absolvensque, charitatis, plus quam vitæ retinens, magis mori maluit, quam animas Christi sanguine quæsitas, dum undis absorbentur, dæmoni prodere glutiendas. Ibid. n. 6.

Cui facto utrique merito subscribi potest epiphonema ab auctore his fere verbis conceptum : Magnos illi quidem Societatis Indicæ damno spem rerum maximarum secum merserunt, sed præstiterunt illustri documento charitatis sanciri disciplinam, in quam omnes, quicumque de Societate sumus, auctoratos nos, par est existimare. Nulla illustrior mors est, quam quæ charitatis imperio percipitur.

FACTUM XVIII.

Dilectio heroica purgantium animarum.

P. Henricus Monsoyus, e Societate Jesu, secum reputans, post fata non sibi amplius integrum fore in egentissimos humanæ opis animos opportuna conferre beneficia, novo ausu, pioque ingenio legi fraudem facere conatus est. Nam quidquid sibi vita functo sive in precibus, sive in sacrificiis, sive in quocumque genere piamentorum obventurum erat, proprio chirographo in pœnarum socios, eorum nominibus solvendis, ut illis bene esset, sui plane incuriosus, totum ex asse transtulit, invenitque homo acute pius, quo steriles meritorum flammas sibi faceret esse frugiferas. Non ignoro, prodigam minusque conformem charitati sui ipsius ordinatæ videri hanc liberalitatem, sed cum multiplici fœnore compensatam per gratiæ

gloriæve augmentum fuisse plures non dubitent, fœnerationem piam rectius, quam prodigalitatem, dixerim. Idem, l. I, c. IV, n. 3.

Certe, si uspiam alibi, in tam illustri facto locum habere videtur munificum Servatoris promissum : « Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. » Luc. VI, 38.

FACTUM XIX.

Docilitas heroica rara.

Hujus præclarum specimen P. Franciscus Suarius reliquit, de quo sic loquitur Joannes Rhodanus : Hunc ego hominem quum nomino, ipsius sapientiæ, ac prudentiæ nomen mihi videor appellare, quo nemo aut nostra, aut huic proxima superiori ætate interius in illarum se abdita penetravit. Ob hanc rem miraculo proximum cuiquam videri posset, illum tam prompte aliorum sententias rogasse, ac monitis acquievisse, ut adolescentium, quos ipse in Theologicis erudierat, censuras admitteret, et quæ jam scripserat, ad illorum placita refingeret. L. IX, c. IV, n. 7.

Æque illustre hoc in genere exemplum Cardinalis Bellarminus præbuit, qui Andream Eudæmonon Joannem, et Mutium Vitellescum, viros scientia et judicio acri, sibi, postquam erat in purpura, suorum operum ac librorum, quos ederet, censores delegerat, illisque tam facilem se fingi, ac refingi præbebat, ut quum tantus esset ipse, illorum tamen monitis crescere mallet, quam obstinati in sententia animi contumaciam retinere. Nimirum, cum prudentissimi fuerint hi viri, præclare noverunt, male apud omnes audire illos, qui neminem vellent audire; et sicut plures oculi plus vident, quam unus, ita intellectum quoque aliorum judicio adhibito perfici magis, atque illustrari. Ibid. n. 5.

E

FACTUM XX.

Educatio heroica et pia.

Severa et pia Joannis Gersonis mater, ut natum utilibus atque sublimioribus de Deo opinionibus imbueret, quum jentaculis aut merendæ tempus admoneret, infantem in genua procumbere jubebat, atque a communi ac liberalissimo omnium parente Deo nuces, castaneas, ac, quæ maxime cuperet, poma postulare; preces profecto, si rite conciperet, non irritas futuras. Ubi piæ fraudi adhuc opportunum infantem serio id agere videbat, tunc illa de superiori loco in precantis sinum, quæ optaverat furtim jacere, ut ille de cœlo ea demitti nullus dubitaret. His artibus per infantiam in Deo spem omnem reponere doctus, in eam paulatim evasit sanctimoniam, quæ singulari adjuncta sapientia nominis, ac gloriæ eidem attulit immortalitatem. Idem, l. V, c. X, n. 10.

Nimirum adolescentia, teste S. Basilio, tanquam subacta et mollis cera est, quæ ipsa impressas in se formas quascumque facile recipit, et mollissime cedit; confestim igitur ab ipso initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet. In *Reg.* interr. XV.

FACTUM XXI.

Eleemosyna heroica extraordinaria.

S. Thomas Villanovanus adeo in pauperes fuit liberalis, ut nomen Eleemosynarii post tot sæcula ab Joannis Alexandrini memoria revocatum merito fuerit consecutus. Optimum est Valentinum Sacerdotium in paucis, annuique redditus, quum illud administravit Villanovanus, paulatim ad triginta aureorum, quæ summa immanis tunc erat, excreverunt. Ingentem hanc pecuniæ vim singulis annis pauperibus alendis, donandisque adeo diligenter insumebat, ut ne obolum quidem reliquum domi faceret, clamitans, nolle se sacrilego furto contaminari; quod ipsum ad mortem usque constantissime usurpavit. Nemo a Villanovano petiit, quin acciperet, sæpiusque ut consuleret pudori, præveniebat; nec illi summa laudum fuit dedisse, quæ supererant, nisi ut dare posset, cultu, victuque infra privatum modum usus fuisset. Murænam magnitudine visendam obsonator domum attulerat, quam ut Archiepiscopus 70 assibus emptam audivit, altum ingemuit; quumque obsonator admoneret, ut meminisse vellet, se Archiepiscopum esse. Quasi vero, respondit, æquum sit, nos Episcopos pauperum patrimonia per luxum abligurire? Abi, et tuam istam murænam in macellum refer, ac eodem pretio vendito; mihi sat erit, si denario obsonaveris. Idem cum novus induendus esset tho-

rax, ubi a sartore accepit, quatuor aureos valere. Apage, inquit, hoc ego argento totum pauperem induissem, ac thoracem vendi, sibique vilissima e linea quatuor denariis confici jussit. Idem quum alio sartore de pretio paciscens, adeo morose transegit, ut non obscura, ut quidem videbatur, Thomæ tenacitate ille subiratus abierit. Sed abierant jam anni aliquot, atque homini tres filiæ nubiles erant, nec unde argentum ad dotem conficeret, habebat; mœstum itaque urgebant amici, ut Archiepiscopi liberalitatem experiretur, quamvis veterum sordium, ut ipse quidem interpretabatur, memoria reluctantem, tandem impulerunt. Hominem lubentissime Thomas excepit, atque aureis quinquaginta in singulas filias donavit; triginta ut in dotem conferret, reliquos autem viginti sellulariæ suppellectili comparandæ, novis sponsis ut attribueret; tum hominem præ gaudio vix sui compotem, atque ad genua sibi accedentem amice monuit, ne secus interpretari vellet, si ipse ut pauperibus abundaret, diligentis atque aliquando etiam odiosi patrisfamilias partes ageret. Rhod. IV, c. xiii, n. 14.

Nimirum sciverat hic sanctus, quid S. Gregorius dixerit : « Quidquid tribuitur pauperi si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum, quia, quod datur, multiplicato sine dubio fructu percipitur. In *Reg.*

Hinc S. P. Augustini consilium secutus est dicentis : « Si vis esse mercator bonus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias, quod non potes amittere; da modicum, ut recipias centuplum ; da temporalem possessionem ut consequaris æternam hæreditatem. S. Aug. in epist.

F

FACTUM XXI.

Fiducia in Deum heroica.

Joannes Avila paupertatem professus, ut expeditior Evangelio prædicando esset, sibi nihil persuaserat defuturum ; quumque plurimos annos eodem vitæ instituto transegisset, aiebat sibi optimum semper fundum fuisse illam Christi Domini pollicitationem : « Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis ; » neque mensuram hanc unquam fefellisse. Qua porro spe ad suprema illa bona, beatamque vitam grassaretur, vel in ipso mortis confinio præclare docuit, dum adstantem sibi Sacerdotem eodem ritu facere jussit, quo de resurrectione fieri consuevit; tanta enim erat animi ac spei sublimitate, ut semimortuus resurrectionis felicitatem cogitatione præciperet. Joan. Rhod. c. iii, n. 2.

Merito ergo S. Augustinus alicubi sic loquitur : « Tu Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino tuo chare aliquid existimas defuturum ? An putas, qui Christum pascit, a Christo ipso non pascitur? An putas terrena deerunt, quibus cœlestia et divina tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio ? Quid faciat in domo Dei perfidum pectus?

FACTUM XXIII.

Fortitudo heroica et invicta.

Sive audere, sive pati necesse fuit, utramque laudem validissime meritus est Josephus Leonessanus Capuccinus, cui Turcico ferro emori nobile, sed irritum votum fuit. Qua enim fortitudine imbutum attulit pectus, qui in aulam Turcarum tyranni ausus irrumpere, ut tenebrarum illi arci Evangelii lumen inferret, atque ob præclarum facinus damnatus ad uncos, pedem manumque trajectus, sublimi de trabe suspensus, animique constans triduo in patibulo pependit? Sed revertendum illi fuit in patriam, in qua dirissimos in verrendis vulneribus cruciatus, medicorum ferrum, et medicamentorum cruciamenta Turcicis ipsis tormentis duriora experiretur. Ubi enim diu dissimulantem, ut morbum fateretur, doloris subegit immanitas, ferroque illi occurrendum medici censuerunt, tunc quanta viri virtus esset, apparuit. Ligare volentibus, quod motus quilibet in ea curatione ac laniatu periculosissimus esset. Vos vero, inquit, vinculis abstinete, præbebo secantibus corpus immotum. Utinam illi tam firma secent manu, quam ego membra continebo! Dixit, arreptoque Crucifixi sigillo, quod semper habebat in sinu, addidit : Hæc mea validissima sunt vincula. Nec fortius dixit, quam fecit. Semel iterumque ferrum ita passus est, quasi alieno in corpore depugnaret. Sicque facto ipso probavit, quod S. Bernardus suasit dicens : « Voluit Christus oculos in sua sustolli vul-

nera, ut exemplo sui reddat ad tolerandum fortiores; non enim sentit sua vulnera miles, qui ducis sui vulnera intuetur. Idem, l. VI, c. II, 3.

G

FACTUM XXIV.

Gratitudo heroica et insolita.

Subtilis admodum Eleonoræ, ex Austriadum gente, Mantuanorum Ducis, in hac gratiarum philosophia ratio fuit. Ibi beneficium se accipere agnoscebat, ubi mortalium plurimi debitam agnoscunt servitutem. Quis enim pauperes artifices, aratores, piscatores, cæterosque hujusmodi suos inter numerat beneficos? Faciebat hoc tamen Eleonora, eorum sudoribus sibi lautius parari dictans; et otium, quo Principes perfruerentur, illorum laboribus defendi. Quam ob rem pro illorum manibus pias preces fundere sollicite instituerat, ne plane viveret ingrata. Si erga illos, qui tam modice cooperati sunt ad delicias et necessitates suas, tam gratam se exhibuit Elisabeth, quam gratos nos erga Deum oportet esse, qui omnibus rebus, quibus fruimur, et quas alii nobis procurant optatum incrementum dare solet, et quidem sine ullo nostro merito? Si enim Heliodorus jubet reddere majore mensura, quam acceperis utenda, quid debemus facere beneficio provocati? Idem, l. IV, c. VIII, 6.

FACTUM XXV.

Gratitudo heroica præmiata

In expugnatione arcis Cronzoniæ, quam de Hispano in minori Britannia Gallus vi ceperat, Aumontius exercitus Mareschallus, trucidari præsidiarios, ac nemini parci mandaverat, fiebant itaque cædes, et victis non inulte morientibus, omnia late sanguine redundabant. Dum maxime ira cædibus incalesceret, nec tam pugna, quam strages esset, Anglus gregarius Hispanum, qui se in latebras penetraverat, indeptus, jugulaturus protrahebat, quum subito bono animo esse jussit, non periturum; aderant manipulares, Hispanumque ad cædem deposcebant; absterrere Anglus. et si vi deditio fieret, ferro se repulsurum. Exorta inde rixa et clamore invicem sublato, ad Aumontium res tota defertur, qui accitum Anglum suo cum Hispano interrogat. Quid ita jussa Ducis intempestiva illa humanitate contempserit, facessat illico imperata, ni pereat. Enim vero Anglus moriturum se cum Hispano, si vitam illi conservare non posset, se profiteri agnovisse se hominem, a quo in Belgio pari humanitate olim fuisset conservatus; nolle se ingratum vivere, si illi moriendum sit, commori certum sibi esse, quando simul vivere non posset. Aumontius supra gregarii fortunam et virtutem admiratus, utrumque liberum abire permisit, et mutuo frui beneficio, factum laudans, uti raris grati animi exemplis olim inserendum. Idem, loc. cit. n. 13.

Et quid ad hæc Christianus a Christo non armis, sed morte ipsa et quidem tam crudeli, servatus? An non dicet cum S. Bernardo: « Etsi cætera taceam, hoc solo non immerito vendicat vitam nostram, quia pro ea posuit suam? Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est; cui enim justius vivam, quam ei, qui, si non moreretur, ego non viverem? » Serm. *de dilig. Deo.*

H

FACTUM XXVI.

Humilitas heroica.

S. Philippus Nerius diebus singulis ita se miserum, et in lapsum facilem et proclivem existimabat, ut Deo diceret: « Nisi me, Deus meus, prohibueris, et corruentem sustinueris hodie te, ut alter Judas, vendam nihilo, totiusque mundi mala perpetrabo. » Dicere etiam solitum ferunt: « Vulnus lateris Christi latum est, sed nisi Deus compesceret manus meas, illud ego malitia mea dilatarem. » Bis in anno morbo decumbebat, ac tum temporis vitæ præteritæ pœnitentiam, doloremque concipiebat maximum, et seriam, si convalesceret, emendationem proponebat. Nihil se vita æterna dignum fecisse aiebat, hominumque se esse ingratissimum, omnes sibi bono exemplo esse; tenellas virgines, et pauperes rusticos præcessuros; quin immo cum rogaretur, ut illud S. Martini pronuntiaret: « Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, » negavit, se hoc dicturum, cum nunquam sibi venisset in mentem ubi se ad salutem necessarium, imo nec pro-

ficuum unquam fuisse. Quis modo non videt ex tantæ humilitatis fundamento assurrexisse, quod miratur posteritas, sublimissimæ in eo charitatis ædificium, ut ex amoris excessu costam sibi fregerit, et media hyeme nimio amoris calore æstuans ad fenestram apertam, ut aliquod hauriret refrigerium, constituere se sit coactus; ut merito de illo dicere possimus: Qui ascendit, quis est, nisi qui et descendit? Pet. Pennequin, in *Isag.* p. II c. xviii, n. 18.

FACTUM XXVII.

Jejunium heroice defensum.

Constans Stanislai Hosii jejunii amor, ne intentato quidem mortis metu quasi instantis non potuit labefactari. Tridenti per ipsa cineralia, quæ ille sanctissime decurrebat, decubuit ex febri non sine medicorum timore. Itaque monuerunt, ut pullo gallinaceo reficeretur. Abnuentem, et leges sacri jejunii causantem, monitus a medicis, quum adiisset collega, in Tridentina Legatione Hercules Gonzaga Cardinalis, paulo vehementius instaret, atque illum amplissima, qua tum utebatur, auctoritate, illa lege solveret, subridens Hosius dixit: Volucrum ergo cadaveribus meus in hac vitæ statione animus et non potius divino retinetur jussus? At mihi patris ac matris parere præceptis stat sententia. Pater Deus jejunandum edixit, Mater Ecclesia dies hosce jejunio dedicavit. Pareamus! Liberabit Deus datam olim fidem, et his obtemperantem, nequicquam conjectantibus medicis, non incolumem modo, verum etiam longævum super terram præstabit. Vicit itaque amicorum blanditias, medicorum metum, morbi vim, unico jejunii telo victor egregius. Hac eadem ille animi constantia, veterisque disciplinæ retinendæ studio, Poloniæ Cancellarii, aliorumque magnorum virorum suasionibus repudiatis, quidquam de immutandis jejunii legibus, atque ovorum usu laxandis, tractaturum se fortiter abnuit, quod sexcentorum annorum consuetudine, totius antiquitatis pondere firmatos mores minime movendos esse putaret; facile omnia convelli, ubi semel mutandi obtinuit libido. Rhod. l. VII, c. vi, n. 2.

Quid mirum ergo, si tantus illius Deo Patri et Ecclesiæ Matri exhibitus honor et obedientia, maximam apud omnes æstimationem, et gratiam peperit, impletumque est Salomonis vaticinium dicentis: « Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo et torques collo tuo. » Prov. i, 2.

FACTUM XXVIII.

Intentio heroica.

Narratur de Ivone, religioso S. Dominici, quod, cum a Ludovico Galliarum Rege ad magnum Sultanum missus essst, mulier illi obviarit, manu una lebentem prunis ardentibus refertum, altera amphoram aqua plenam portans; quæ, cum de causa interrogaretur facti, dicebat, se optare, ut cœlum prunis exurere, aquis vero infernum extinguere posset, ne quisquam deinceps amplius amore cœli, aut timore inferni, sed propter solam Dei gloriam et beneplacitum operaretur. Nec immerito quia beneplacitum hoc summum est prœmium, quod conferri a Deo homini potest; quodque ipsi etiam Beati suæ felicitati præferunt. Nadess. *in anno Heb.* 12, n. i, f. 108.

Hinc recte S. Chrysostomus dixit: « Si omnino dignus fueris agere aliquid, quod Deo placeat, aliam ne require mercedem, præter hoc ipsum, quod placere meruisti. Si enim aliam requiris mercedem, vere ignoras, quantum bonum sit placere Deo. Si enim scires, numquam extrinsecum aliquid mercedis, aut muneris expectes. » L. II *de Compunct.*

Hoc ipsum etiam S. Thomas Aquin. ipso opere declaravit, dum Christo quærenti, quam mercedem expeteret? respondit: Non aliam, nisi te, Domine. Quantopere autem hæc responsio Deo placuerit, post mortem illius inclaruit, dum cum lucidissima stella in pectore apparuit, asserens, eam sibi ob purissimam intentionem datam esse.

FACTUM XXIX.

Labor heroicus et pius.

S. Bernardus virtute Spiritus Sancti simul et totus quodammodo laborabat exterius; et totus interius vacabat, in altero devotionem, pascens conscientiam, in altero laboris tempore et intus orabat, seu meditabatur

absque intermissione exterioris laboris, et exterius laborabat absque jactura suavitatis. Et ut alio loco dicitur, ita se fecerat omnium servum, ac si toti genitus foret orbi; ita tamen liber ab omnibus, conscientiæ suæ curam gerebat, tamquam soli deditus curæ et custodiæ cordis sui. *Vita*, c. VII.

Sic nempe implevit, quod ipse suaserat dicens : « Serenus animus et prudens ad omnem se comparat laborem, nec in eo dissolvitur, sed per eum magis in seipsum colligitur, qui semper præ oculis habens, non tam quod agit, quam quod agendo intendit, omnis consummationis attendit finem. » S. BERN. l. *de Vita felic.*

Unde in eo impletum est illud Psalmistæ : « Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. »

FACTUM XXX.

Mansuetudo heroica.

Domestica Philippi II, Regis Hispaniarum, mansuetudo cum incredibili gravitate conjuncta mores illius reddidit admirabiles. Nihil tam præposterum accidebat, ut excandesceret, infra regium fastigium, iram etiam arbitratus. Vigilaverat ad multam noctem, litterasque ad Pontificem de gravissimis Christianæ reipublicæ negotiis dederat, quum absolutam epistolam aulico ab epistolis dedit, ut complicatam, obsignatamque sigillo inscriberet; ille semisomnis epistolam recentem ab atramento pulveraturus, haud satis attentus atramentarium invergit, totamque corrumpit. Exanimaverat hominem casus inopinus, cui serena fronte Philippus : Huc, inquit, aliam chartam! Iterumque orsus scribere epistolam, de integro composuit. RHOD. l. VII, c. VIII, n. 8.

Quid mirum, si propter hæc et similia mansuetudinis exempla Deo, hominibusque amabilis factus est Philippus? « Nihil enim, teste S. Chrysostomo, ita conciliat domino familiares, ut quod illum videant tranquillum se offerre, et mansuetudine jucundum; nam et talem majoris faciunt, habentque pro patre, et non domino; gratus et amabilis est videntibus; gratus item et his, quibus nomine tantum notus est. »

FACTUM XXXI.

Mendacii heroica fuga.

Matthæum Riccium, quum primum Nanchini sedem fixit, novæ sapientiæ atque legis, quam profitebatur fama vulgata, adeo celebri concursu frequentabant Philosophi pariter atque Magistratus Sinarum, ut quum resalutandi omnes domi essent, ac disputationibus dies noctesque continuarentur, fractis viribus deficeret, nec jam tantæ celebritati se parem esse sentiret. Talia, ut fit, apud se quærentem clarissimus atque amicissimus vir, hortari cœpit, ut per domesticos se identidem esse negaret domi, spatiumque ea arte quieti sumeret necessarium. At, inquit Riccius, mendacium hoc est. Hic vero ridere amicus advenam, qui hanc mendaciloquam ignoraret Philosophiam. Id ubi sentit Riccius, de Christianæ legis sanctitate disputare aggressus, et mendacii fœditatem palam fecit, et hominem in maximam dedit admirationem. Vulgata res est, et pro miraculo fuit, advenisse hominem ab ultimo occidente, qui nec leviter mentiri vellet, quamque ipsi necessariam rebus humanis medicinam arbitrabantur, ipse morbis atque incommodis omnibus deteriorem haberet, quæ res et Ricci famam extendit, et Christianæ legi attulit venerationem. RHOD. l. IV, c. IX, n. 6.

Noverat nempe Matthæus, « quod, S. Aug. teste, incomparabiliter pulchrior sit veritas Christianorum quam Helena Græcorum. » S. AUGUS. *epist.* IX.

Pro illa enim fortius martyres quam pro ista mille heroes adversus Trojanos, concertarunt.

FACTUM XXXII.

Misericordia heroica

Margarita Philippi III, Hispanorum Regis, conjux, et regiarum virtutum exemplis affatim dives Regina, dum Hispanicæ navigationi sævum hyeme se aperit mare, Mediolani substiterat, et domesticæ non immemor disciplinæ, præclara edebat exempla. Itaque cum pauperem pannosum, seminudum, ab hyberno gelu torridum, atque obrigescentem vidisset, accersito e stipatoribus principibus uno : Vide, aiebat, misellum illum algentem. Tu ex optimo panno vestem ei a sartore ad modulum scindi acturum cura, moxque ad me afferto. Factum, quod imperaverat.

Domum reversa vesti suendæ manum admovet Regina totamque diligentissime consuit, pauperemque lautum, ac regia stipe donatum induit, Christianæ misericordiæ gloriosissime operata. RHOD. l. I, c. VII, n. 1.

Nimirum in mente habebat Margarita illud Joannis : « Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » JOAN 1, c. I.

FACTUM XXXIII.

Morborum heroica tolerantia.

Nicolaa virgo, morte sola excepta, omnes Christi crucifixi, et Matris dolorum Reginæ dolores volebat sentire. Et videtur partem non infimam impetrasse. Quinquaginta annis jacuit inter dolores, quasi Jubilæum doloris et mortis. Intumescebat, detumescebatque quotidie, flammas videbatur spirare tenerum corpus. Cancer illi pectus omne, ac linguam depastus est. Accessere pertinaces stomachi lapidisque dolores, et quidem festis majoribus, ut in Ecclesia duplex officium, ita ipsi duplex dolor. Videbatur in solemnitatibus festorum totis quadraginta horis, quasi in hora mortis, fuisse in agone posita. Et tamen quasi cœlesti quodam dolorum hydrope plena, petebat avidissima insatiabilitate febrium genera, et dolores omnes, puncturas, tumores etc. Fuitque etiam summo cupiam, et plurima inter omnes passo martyri fere par in doloribus pro Christi amore libentissime ferendis. At vires ad hæc ab Altari hauriebat. Nam et sacris intererat, et Sacramento Synaxeos reficiebatur quotidie, devotione admirabili. Neque fuisset ferendo nisi tanto fulta auxilio. Ita post quinquaginta dolorum annos pulla corporis laceri, ac mortalitatis veste exuenda, quadraginta totis horis, clausis oculis jacuit, et passionem Christi legi sibi postulavit, flens acerbissime, quod quasi durum haberet Deum, qui illi non plures, non majores dedisset dolores, nihil se passam. Ita e doloribus ad delicias excessit felix. VOGLET. et alii, 28 Maii.

Si, teste S. Ambrosio, « infirmitas corporis sobrietas mentis est : infirmitas virtutum officina est, » quantam par est credere virtutum copiam in Nicolaa fuisse congregatam, ubi tot officinæ virtutum, quot morbi, exstiterunt! Serm. LXXIII.

FACTUM XXXIV.

Obedientia heroica.

Dederat nascenti severiorum Carmelitarum familiæ nomen juvenis ingenio acri, ab Academia Salmaticensi digressus, in qua fama ante alios condiscipulos Juris consultos audierat; hunc quia scientiæ suæ opinione tumidum advertit Joannes a Cruce illius superior, obedientia ei medicinam facere decrevit. Libellum, in quo prima elementa Christianæ fidei continebantur, homini, ab aliis abstinere jusso, in manus tradit, imperatque ut puerorum more stylum per singulas litterarum notas ducat, easque ut legendi ignarus componat; hoc illi studium convenire. Paruit strenue adolescens, diuque id fecit tanto animi sensu, ut per eam exercitationem non unius modo obedientiæ, quæ prima petebatur, sed reliquarum virtutum, quæ comites adesse solent, ingentibus se auctum incrementis fateretur; sicque in se verificatum viderat, quod S. Gregorius dixit : « Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti insertasque custodit. » RHOD. l. IV, c. VI, n. 10.

FACTUM XXXV.

Observantia heroica.

Visum erat S. Pio V, Pontifici Romano, rerum a majoribus gestarum magnitudinem, et quam ex illis Respublica Christiana utilitatem ceperat reputanti, Lusitanum Regem titulo aliquo augere, simul ad præteritorum monumentum, simul ad futurarum incitamentum. Data est Sebastiano optio, ut, quoniam vicinus Hispanus Catholicus, Anglus fidei Defensor, Hungaricus Apostolicus, et Gallus omnium primus Christianissimus dicerentur, videret ipse, quem dici vellet. Proceribus in diversa abeuntibus observantissimi Ecclesiæ nomen Sebastiani optavit; quod ea appellatio et ad fidei suæ perturbatissimis illis Ecclesiæ temporibus testificationem atque ornamentum, ut prima illius nota, et ad Ecclesiæ aliquam faceret amplitudinem. Fuerit sane aliorum magnatum supra citatorum titulus multiplici ex titulo gloriosus, hunc tamen ego eum Sebastiano merito aliis prætulerim, tanto æquius, quanto majorem laudem merebatur humilitas tam raræ observantiæ conjuncta. Idem, lib. IV, c. V, n. 23.

FACTUM XXXVI.

Occasio vanitatum heroice declinata.

Joannes Vincentius Hondondæus Pærusini Gymnasii decus, qui quatordecim quotidie horis studendi laborem continuabat, adhuc juvenis cum esset, per Bacchanalia sparso rumore, quasi Eugubium abiisset, domi sese abdidit, absque interpellatoribus sapientiæ arcana scrutaturus. Condiscipuli ejus absentiam non ferentes, crebras epistolas domesticas ad illum dare, propositisque comœdiarum atque equestrium decursionum illecebris Perusium, quantum poterant, revocare; ille domi latens fidissima famuli opera usus subinde respondere, acciti reditus spem sociis facere, ac spes lactare, donec detecta fabula, ipsis prodiit cineralibus, eorum dierum, quos aliis per luxum male perdiderant, egregie multoque tum lucro sapientiæ sibi constante ratione. Idem, l. VII, c. xii, n. 14.

FACTUM XXXVII.

Oratio heroice continuata.

Joannes Baptista Vitellius corpore pariter animoque immotus perseverabat; quindecim ad minimum horas diebus singulis absumebat in oratione, quantula parte, si reliqua pietatis demas officia, curando corpori relicta. Sed si quis esset, vehementius multo agebat; fuit enim quum in gravibus Christianæ Reipublicæ temporibus totidem sæpe dies perdius ac pernox ante aram et divinissimam Eucharistiam perseveravit immotus, si duas modo horas sub auroram excipias, quas naturæ usibus concedebat. Quid non a Deo auferret, quem de petendi ac precandi constantia nulla temporis dimoveret vicissitudo? Idem, l. V, c. viii, n. 13.

Hinc videlicet et Joannes Avila adolescentibus, quos litterarum labor exercebat, identidem affirmabat, malle se illorum genua callis obdurescere ob orandi contentionem, quam oculos laborare ob studia litterarum; harum enim sæpe inanem esse laborem, illius nunquam non frugiferam occupationem. Idem Stephanum Centenaresium, cujus ingens erat concionandi studium et laus, quum ab eo partitionem diurnarum ac nocturnarum horarum inter orationis ac litterarum studia audisset, horas aliquot litteris ademptas precationi jussit attribuere, quod ista christiane dicendi optima esset magistra. Ibid. n. 9.

P

FACTUM XXXVIII.

Patientia hœroica insatiabilis.

Faustina, virgo Neapolitana, longis valetudinibus ac perpetua tabe ita erat exhausta, ut vix pelle ossa continerentur. Roganti Caviaquerræ, an satis adhuc dolorum esset (nam arcanorum conscius erat, animique moderator). Minime gentium, inquit, superest adhuc votum, quod audiri velim: Cur enim, quod reliquum est hujus corpusculi, vermes, si modo id gratum Deo, non exedunt? Præstiterit integram virtutem et morbi vim ferendo, et ministrantium negligentiam injuriamve dissimulando, qui colluendo ori aquam florum forte fætidam sæpius dederant, cum gemitu levissimo patientiam sibi violare visa, dictum revocavit, addiditque, si vel efformato leviter Crucis signo febrim sanguinisque excreationem, qua conficibatur, arcere posset, se manum digitosque non esse moturam. Tanta virtus vigesimoquinto ætatis anno absumpta est. Idem, l. VI, c. iv, n. 6.

An non hæc preclare S. Franciscum Xaverium in tribulationibus : *Amplius, amplius*, clamantem æmulabatur? Nimirum apud hos verificabatur notum illud. « Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ » (tribulationum). Hinc S. Maria Magdalena de Pazzis dicere solebat: « Desidero diu vivere, quia desidero amore sponsi diu pati. »

FACTUM XXXIX.

Patientia heroica admiranda.

Hieronymus Platus, qui luculento opere Religiosi status bona complexus effecit ut sua si bona nosse velint viri Religiosi, felicibus esse liceat eodem ingenio atque eruditione. De perfectione christiani officii libros plures elaboraverat, jamque ad umbilicum perductos, ac typis paratos habebat, non sine magna eorum, qui viderant, approbatione, quum tyronis unius incogitantia perierunt. Jusserat Hieronymus cartas, quas in mensa offendisset, concerpere, atque auferre; ille obedientiæ properus, ac parum attentus, ut ea ætas solet, libros in eadem forte mensa jacentes invadit, ac temere concerptos, fœdius etiam dispergit. Quam gravi

afflictione Hieronymi animum ea percusserit jactura, non est, opinor, interrogandum; sed nihilominus suæ mentis fuit, vocis ac vultus, ut etiam renidens exanimati adolescentis pudorem, timoremque discusserit, quam profunde de virtutibus illis chartis disputaret, uno loco palam factum est experimento. Ibid. l. VI, c. XVIII, n. 12.

Simile quid de P. Georgio Collibrando legitur, qui, cum in Enchiridion bene magnum græcorum ac latinorum Auctorum sententias, ut linguæ utriusque callens erat, lectissimas collegisset, cumque codicem homo ineptus per imprudentiam concidisset, commotis aliis ad rei indignitatem, ipse unus immotus solemni suo carmine, veluti antidoto se communiens, ad vitam æternam festive dissimulaverit, ac transmiserit, ea voce testatus, qui æterna speret, humanis non commoveri. Idem, l. I, c. X, n. 5.

FACTUM XL.

Patientia heroica in injuriis ferendis.

Sanctus a Ripatransone, Ordinis Minorum, hominem veteris disciplinæ retinendæ, aut revocandæ cupidissimum, eaque gratia iis, qui omnia alia sentirent, minus gratiosum, quum Antistes ordinis in comitio jussum coram se genu flectere probris atque contumeliosissime dictis oneraret, maxima vocis ac totius oris acerbitate, ille contra ore lætissimo renidens, palliolo in sinum collecto, eoque paulum explicato : Tu vero, inquit, strenue age, atque hujusmodi fragantissimas rosas huc affatim congerito; ea res mihi volupe est. Idem, l. IV, c. III, n. 11.

Scio Lusitanicæ Elisabethæ in sinu panis frusta in rosas abiisse grandi miraculo charitatis; nemo negabit aliquanto hic majore patientiæ metamorphosi spinas ipsas purpureos in flores conversas.

FACTUM XLI.

Patientia heroica multiplex.

Catharina Godinia, Carmelitana discalceata, adolescentula clarissimi generis, inter nuptiarum meditamenta, in Christi Domini e cruce pendentis signum oculos casu forte conjecerat, quum mutato illa unica visione animo, et jam certa Deum sequi, virginitatem suam illi voto mancipavit, novoque ardore mentis elata Martyrum victorias et triumphos præoptavit. Audita est, quamquam non idem ac Martyribus, hostes illi fuerint decreti, quos fortiter excepit, et vicit. Decem et septem solidos annos lectulo fere perpetuo affixa, torquentibus velut in equuleo morborum sævissimis lætabunda transegit. Laborabat febri hectica, continua phthisi, carbunculis, morbo articulari, hidrope, ischiade, cardiaca, hepatis calore adeo violento, ut interulæ tantum non conciperent ignem. Et ne minor a medicis virtutis occasio daretur, quinquagies, quod vix ulla audivit ætas, secta vena sanguinem misit, nec tamen patientiam amisit; sæpius cucurbitulis eodem exausta est, indito etiam sale, quod medicus nescio quis diceret plurimum conducere venenatis humoribus evocandis ; sæpius cauterio inusta, bis ad supremam luctam inuncta est, animo inter hæc omnia adeo tranquillo, ac ferendi avido, ut ferrum ignemque, quum secanda erat, aut inurenda, moræ increparet. Hujus ergo patientiæ probationem brevi morti anteferendam puto. Certe tot hic sunt mortis imagines ac meditationes, quot morbi, aut morbis sæviora remedia ; ut ergo votis, nec citra sanguinem, factum est satis, momento convaluit, votique rea Monacham induit. Idem, l. VI, c. IV, n. 4.

Nempe hic, si unquam alias verificatum fuit : « Fortis est, ut mors, dilectio. Dura, sicut infernus, æmulatio. Aquæ multæ (tribulationum) non potuerunt extinguere charitatem ; nec flumina obruent illam. » CANT. c. V, 7.

FACTUM XLII.

Patientia heroica mirabilis.

P. Ignatius Balsamon duodeviginti acerbisque morbis conflictabatur, et juxta cognominis arboris ingenium undique vulneratus admirandæ virtutis odorem suavissimum afflabat ; cum enim vel numero ipso posset obrui, quo ille major erat, eo erigebatur alacrius, suasque domesticas appellabat beatitudines, quibus unica illa, quæ procul dolorem habet et luctum, posset comparari. P. Nicolaus Romæus vero, gente Belga, calculum, quo excruciabatur, adamantem suum eximii sane pretii appellabat. Quis enim unquam tam nobilis indicaturæ adamantem Peguanis e montibus fodit, quo emi cœlum queat ? Sectus, ut per vulnera convalesceret, eadem egit constantia. Virtus virtutem parit, et patientia usu firmatur, non atteritur. Idem, c. n. 9.

FACTUM XLIII.

Patientia heroice obediens.

P. Thomas de Blanck in ultimo discrimine vitæ positus quamvis persuasum haberet, moriendum sibi esse, si medicus in sectione venæ mortem gereret, tamen alacriter, paruit dicendo : « Moriamur, quando Deo ita visum est. » Atque ita vita excedens, præclaro illam conclusit obedientiæ erga medicos exemplo. Quis dubitet eum nomen cum Christo super omne nomen meruisse, qui cum eodem humiliavit se, factus obediens usque ad mortem? *Bibil. Soc.* V. Cod.

FACTUM LXIV.

Patientia heroice humilis.

P. Joannes Plaza supremo vitæ triennio adeo ab artritide occupatus et vexatus est, ut vel levem amicæ manus attactum sine acerrimo doloris morsu non toleraret. Hæc inter animo constanti ad Deum mente ac voce conversus sæpissime usurpabat: Dum a te peregregie vapulo, ego interim Psalmum quinquagesimum pœnitentiæ nunc meæ, ac misericordiæ olim tuæ testimonium sane luculentum recitabo. Rhod. l. VI, c. v, n. 11.

Nimirum ob oculos habebat Psalmistæ exemplum dicentis : « Verumtamen Deo subjecta est anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. » Ps. LXII, 6.

FACTUM XLV.

Patientia heroica in persecutionibus.

S. Romualdus, fundator sui Ordinis, accusatus ab impuro homine disciplinam ejus non ferente, quasi nefandum scelus secum perpetrasset, a suis subditis in publico conventu condemnatus, tanquam laqueo et igne dignus, adeoque et sacra celebrare prohibitus est, quæ omnia licet centenarius æquissimo tulit animo, (S. Petr. Damian. *in Vit.*) c. XLIX. solatus se Christi dicto et exemplo : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur. » Joan. XV, 20.

Ob quam causam etiam S. Philippus Nerius per triginta annos multa in domo S. Hieronymi perpessus, nunquam abduci potuit, ut domicilium Patrum Congregationis Oratorii a se fundati transiret, donec auctoritate Summi Pontificis ad hoc coactus est. *Vit.* l. I, c. XVIII.

FACTUM XLVI.

Paupertas heroica confidens.

Cajetanus Thienæus, Theatinorum Fundator, positis in urbe Venetiarum novi Ordinis principiis, quæ rejectis in Deum curis bellissime se dederant, jubetur a Caraffa Neapolim proficisci, atque in ea novam stirpem pangere. Rapuit ad se animos civium ac Principum Thienæi virtus, quem quum egentissimum rerum omnium videret oppidi Comes, et virtutem hominis suspiceret, census et fundos, quibus recentem familiam aleret, liberalissime obtulit. Renuentem atque objicientem belle sibi in ea quam profitebatur rerum omnium nuditate rem Venetiis processisse, monebat Comes, non eadem omnium locorum esse ingenia. Ad quæ succlamans Thienæus: At ego, inquit, alterum Neapolitanæ urbis, Venetiarum alterum Ducem esse nesciebam. Verum quum obtrudendi, quæ non accipiebantur, nullum finem faceret Comes, veritus Thienæus ne contentio illa paupertatis liminibus officeret, ea quæ consecuta est die, summo mane, quos secum habebat socios, cum suis talaribus, ac precum breviario, domo, quam idem commodaverat Comes, exire jussit, clavesque remisit, multa cum gratiarum actione jubens renuntiari. Velle Thienæum experiri, an Deus alius Neapoli esset, qui fidem suam liliorum ac volucrum fidejussione obligatam pauperibus suis non servaret. Hinc Thienæi imaginibus addita lilia, ut quæ aliis candoris, atque intaminatæ virginitatis sunt ornamenta, spei in Deum rejectæ nec falsæ eidem sint argumenta. Rhod. l. VII, c. XI, n. 12.

FACTUM XLVII.

Paupertas heroice prælata.

Joannes Valesius calculo immaniter cruciatus, medici ferrum et vulnus incitatissime postulabat et secari tuto posse dicebant medicorum peritissimi. Ergo cum homine illius laniatus bene perito trecentis Belgicis florenis socii paciscuntur, grandi sane mercede; nam hi alienæ vitæ pericula caro vendunt. Hoc ut rescivit Valesius, immanem illam summam esse reputans, seque tanti esse haudquaquam credens, ut secari vellet abduci non potuit. Maluit igitur diros inter cruciatus paupertatis integer emori, quam cum aliqua illius offensione sanitatem recu-

perare; qua eadem constantia, si qua paulo pretiosiora medici pharmaca imperarent, abnuebat, ne per adamatæ sibi paupertatis vulnera convalesceret. Quæ quidem resolutio in Joanne tanto magis æstimanda erat, quanto certius plerique statuunt, paupertatem commodis quidem omnibus anteferendam, at quum de vita cernitur, hujus jura esse longe potiora, utque nemo sanus divitias omnes vitæ tuendæ comparatus esse non intelligit; ita omnibus constare paupertatem usque ad vitæ aras colendam esse. Ibidem, n. 9.

FACTUM XLVIII.

Pietas heroice victrix.

Multifariam in uno adolescente atque eleganlissime se pietas explicabit; etenim Tarellus, quum invito parente Capuccinum induisset, et deposito extra patriam tyrocinio constantiam solemnibus votis firmasset, jussus Forum Julii reverti, ut patrem irarum adhuc plenum placaret, se veteranis probavit. Ut primum horrida illa in veste patrem convenit, tantum illi ipso invisi habitus aspectu stomachum movit, ut ingenti colapho ab homine impotentissimo ad terram affligeretur; sed egregius adolescens patris pedes incredibili modestia osculatus, ita flexit, ut illico mutatus in amplexum rueret, atque amantissime ipsum oscularetur. Novum inde litis genus ortum, parente domum invitante, filio pauperum Xenodochium præhabente, ex quo paupertatis amans extrahi, ac paternas in ædes migrare nunquam passus est. Mox valetudine occupatus, conclamatusque a medicis tabulas novi generis, solidæque adversus parentem pietatis conficit, illumque eorum, quæ ipse cumque apud Deum meruisset (sancte precatus, ut ea rata esset voluntas) hæredem instituit, simulque obsecrat, nihil ultra rogaturus, ut quod reliquum esset vitæ, ad christianæ sanctitatis amussim exigat, nihil se patri amplius præstare posse. Perculit filiii morientis pietas hominis animum, eamque post illius excessum vitam instituit, cujus filium, si viveret, non pœniteret. Si nempe etiam hæc pietas, quæ parentibus exhibetur, utilis est ad omnia, promissionem habent vitæ, quæ nunc est et futuræ. Idem l. IV, c. IV, n. 19.

FACTUM XLIX.

Prudentia heroice ingeniosa.

Grave vulnus in genu Romæ a sicario acceperat vir nobilis, atque ut erat iræ, et doloris impotens, quum diro cruciatu artus convellerentur, vindictam clamans et spirans, nullamque saniori suggerentium vocem aures admittens, geminæ mortis in limine periclitabatur. Desperata propemodum erat non minus animi, quam corporis curatio, quum ex animorum medicis unus (e Capuccinorum familia fuisse tradunt, nec nomen addunt, qui hæc prodiderunt) acciri, quibus æger delectabatur, symphoniacos jubet, ac modis lenissimis canere. Itaque illapsa furentis in animum modulorum suavitate, iræ atque furori modus paulatim fieri cœpit, detumuitque animus; factumque musicæ pretium, ut exinde monitores, atque ad omnem christianæ adversus inimicum ac sicarium charitatis significationem nullo negotio traduceretur. Tanti est crudos adhuc atque indomitos humores pharmacis leníoribus præmollire, ut placide ac sine concussu possint evocari. Idem, l. V, a. 1, n. 6.

R.

FACTUM L.

Religio heroica

Roganda venia est, admonendique delicatuli, stomachum ut audituri confirment, aliquid enim dicturus sum ultra communes leges a Mancinello, sed magna, atque incredibili quadam operis mercede tentatum. Sumptam, fluctuante stomacho, Eucharistiam, haud ita multo post eodem redundante integram adhuc, minimeque dissolutam rejecerat æger. Dum quid facto opus sit consulitur, atque igne parant sacras species abolere, Mancinellus occasionem ultro invadens, quod vix cogitare audemus, facit, infectamque sordibus absorbet. Miror non tam stomachi, quam animi robur, et charitatis præsentem adfuisse mercedem, minime miror ferunt exinde divina libanti Sacramenta abditæ dulcedinis sensu nunquam defuisse, ut non tam animo, quam corpore ipso laute sibi, ac delicate epulari videretur. Operæ pretium est, aliquando præclare vincere, ut divinarum consolationum victoribus æra procedant. Idem, l. I, c. I, n. 17.

FACTUM LI.

Resignatio heroica in Divinam voluntatem.

S. Franciscus Salesius suam cum Divina

voluntate consensionem sat clare sequentibus verbis expressit : « Nolo mihi ullam eligendi opinionem dari : Deus ipse, si placet, solus eliget. Nihil volo et omnia volo, modo voluntas divina, mea Regina voluntatis, prius velit : post mortem ad locum, quem mihi incomprehensibilis bonitas assignarit, lubenter et plus quam libentissime, in eoque pacate et placite conquiescam, cum hac loci a Deo mihi facta designatione. Purgatorium mihi erit ad instar Paradisi ; sine illa Paradisus ad instar Purgatorii a me reputabitur. O ! inquies, ad Paradisum potius evehamur, ibi Deum multo perfectius laudabimus. Nolo illud multo perfectius examinare aut discutere ; hoc mihi sufficit, si eum laudem, quantum ipse sapientissimus præscripserit.» Ita vir ille sanctissimus, et quietis et pacis singulare domicilium, cujus ab ore manabant hæ frequenter voces : « Volo, ut quod Deus meus non est, mihi pro nihilo sit : omni me libertate aliquid volendi abdico, unicum mihi reservo desiderium conformandi me voluntati divinæ, et miror homines alteri bono, quam illi, adhærere. PENNEQUIN. *in Isagog.* p. I, c. XXIV, n. 5.

Quem in finem exemplum parvuli Jesu in præsepio jacentis ob oculos sibi objiciebat, qui non legitur ad papillas maternas manus extendisse, ut lac se haurire velle monstraret, hoc maternæ relinquebat providentiæ, a qua oblata solatiola non recusabat. Nihil ille infantulus ambiebat, omnem suam voluntatem in matris voluntate deposuisse videbatur. Ita non est satis amanti, divino beneplacito conformari, sed omni se propria voluntate exuat oportet, et illam in Divinam quodammodo convertat, ita ut non tam velimus ipsi, quam Deus in nobis, et pro nobis velit operando velle simul et perficere, modo admirabili, sed amanti perjucundo atque fructuoso.

FACTUM LII.

Alia Resignatio heroica.

Cœnobita quidam cum omnia Monasterii bona divinæ Providentiæ subjecisset, sui ipsius etiam curam abjecit, seque totum Deo permisit pro tempore et æternitate, dicens : Si scirem divino decreto jam constitutum, ut ad inferos detruderer, nollem vel unico momento Dei voluntati obsistere ; et si possem dicendo unum Pater et Ave decretum illud evertere, aut immutare, non facerem ; duo tantum Deum rogarem : unum, ut tota æternitate sanctissima ejus voluntas in me impleretur ; alterum, ut mihi eam faceret gratiam, ne unquam vel minimam cogitationem contra ejus decretum admitterem ; quam animi demissionem et precationem iterabat quotidie ut nulli mirum esse debeat, si Deus hominem frequentibus miraculis honestarit, cum tanta animi excelsitas et magnitudo summum sit ipsa miraculum. Ibid. c. XXVI, n. 21.

Quod ipsum exemplo suo insigniter confirmavit Margarita D'Arborete, virgo nostris temporibus contestatæ virtutis, quæ cum corpore et animo gravissimis doloribus affligtaretur, eumque, qui illi erat a rebus conscientiæ dirigendis, ad commiserationem promoveret, eique suaderet, ut istis animi angoribus se expedire conaretur : « Omnem, inquit illa, conatum adhibui, sed incassum ; quo magis a colloquiis et communicatione cum aliis levationem quæro, eo magis corporis animique tormenta accrescunt ; ita tamen me animo constitutam sentio, ut iis liberari omnino nolim ; ferendum est, tolerandum est, et cum Deo in voluntatis et gaudii conspirationem veniendum ; sic enim melius habere me sentio, et magis Deo conjungi : Jesus sponsus inter excruciatos et patientes primus fuit, et inter amantes etiam palmam tulit. Humanitas etiam inter ista hypostatice Verbo unita fuit ; quem proinde cum propius imitabor, eo magis in unum idemque cum illo conspirabo, et collimabo. » Hoc propterea est pensandum : aliud esse amare, aliud me pernoscere, quod amem. Amor ille superior nullo sensu percipi potest, latet sub crucibus, et in intimis animi recessibus operatur, quo sensus nullus penetrat, eo velut in arcem et propugnaculum confugit. Inde emanant amantis hæ voces : « Deus meus, tuus sum, eroque semper ! » quas non tam ore exprimit, quam omnimodo cum voluntate Dei conformationem, quæ tacita quædam precatio est, et cæteris omnibus excellentior, qua animus se ipsum quasi exuit, et omnibus afflictionibus superior in Deum se totum transfert, et omni jure propriæ voluntatis se prorsus expoliat, quasi Deo diceret : Verum est, me multum pati, Deus meus ; sed aliter mecum agi nolo, quanto ita vis. Verum etiam est, aliquam mei partem has afflictiones refugere ; sed non quod ego volo, sed quod tu ; amabo

hanc crucem, hos dolores, imo potius hunc infernum, quamdiu volueris, et illa non in seipsis amabo, sed ut tua voluntate assignata, quæ sola amoris mei regula est. Ibid. p. I, c. IX, n. 12.

FACTUM LIII.

Resignatio heroica cœlitus approbata.

B. Joannes Hieronymus, sacerdos e Societate nostra, vir ob virtutum ornamenta et conciones per Hispaniam celebris, et apud Philippum Secundum gratiosus, vespere plures horas orationi dare solitus fuit, in qua sæpius amorem sanctum ad luctam cum amore proprio provocabat; ibi instructa velut acie prodibant omnia mala huic infesta, et unum post aliud, quam honorifica poterant specie ad incutiendum metum se menti meditantis repræsentabant, hærebantque velut in conspectu, donec paratum se ad illa perpetienda Deo offerret. Id quod cum die quodam ageret, et famem, sitim, morbos, carceres et mortem ipsam, velut præsentia pro amore Dei subeunda volens lubensque acceptasset; subit postremo, velut inter ultimæ aciei triarios hæc cogitatio : Quid si te jam Inquisitio sacra accerseret, et de propositione hæretica in pulpitis prolata accusatum examinaret, et damnaret? Hic hæsit, et ad Deum conversus ait : « Non hoc Domine.» Cumque nihilominus videretur sibi minus liberaliter cum Deo agere in hoc puncto; post aliquam cogitationum pugnam, cum amori divino ulterius resistere non posset, tandem Deo se totum commisit, dicens : « Et hoc, Domine. » Vix hæc verba protulerat; cum apparitor fores pulsat, ad Inquisitores vocat, a quibus jubetur abstinere a pulpito, donec de propositione hæretica, quam dicebatur inter concionandum protulisse plane se purgaret. Etiam accusatus est apud Romanum Pontificem de verbis contra supremæ Sedis auctoritatem temere prolatis, Romamque accersitus, ut dictorum rationem redderet ; in utroque Tribunali post longum examen innocens declaratus, et concionibus tum Romæ coram Pontifice, tum in Hispania deinceps cum majore, quam antea audientium applausu habitis clarior evasit, sed etiam Deo charior ob amoris divini per hanc rerum contrariarum varietatem, et in iis tolerandis constantiam maxima incrementa. Ibidem, p. IV, c. VII, n. 4.

S.

FACTUM LIV.

Scientiarum amor heroicus.

Pertinax virtus animi in Augustino Stenio improbæ atque obluctantis fortunæ, quæ hominem ad magna destinatum vilissimo loco, et corpore deformi nasci voluit, malignitatem omnem constantissime superavit; quamquam enim qua extrema paupertate, qua oris fœditate inter ultimæ plebeculæ homines deridiculo haberetur, animus nihilominus jam tum vere magnus ipsa tolerantia eminebat. Appulit deinde se ad religionem, ac multis precibus in Canonicorum Regularium familiam aditu impetrato, adeo a collegiis exagitatus est, ut, quum litteris dare operam vellet, risu exciperent hominem, ac ne lumen in cubiculum ad lucubrandum inferret, impedirent. Hac ille rerum iniquitate conflictatus, nequaquam sciendi ardorem remisit, verum profunda noctium operi pulcherrimo destinavit; itaque stragula obvolutus in templum descendens, septem totos annos ad pensilem ante aram lychnuchum constantia inaudita pervigilans, nullam facultatem, linguam nobiliorem nullam, scientiam nullam reliquam fecit, quam animo non conciperet, atque informaret, ut illis e tenebris magna nominis claritate prodierit, atque etiam in exponendis divinis oraculis sui non nimium judicii; verum qui sine magistro didicerat, aliquando labi fuit necesse. RHOD. l. VII, c. XII, n. 1.

T.

FACTUM LV.

Tristitia heroice correcta.

Anno 1585, in Hispania vir nobilis alicujus criminis reus mandato Regis conjectus est in carcerem ; ubi in mortis cogitatione, timoreque defixus, dum septem menses differtur sententia, ita mœrore contabuit, ut qui ejus curam gerebant, præ tristitiæ magnitudine moriturum crederent. Ubi tandem intellexit se ad mortem condemnatum, sibique in carcere carnificis manu gulam frangendam, toto corpore inhorruit, et voce intercepta suique præ angustiis vix compos, post aliquod silentium, tandem in suspiria et singultus erumpens exclamavit : Ergone mihi carnificis manu moriendum? Ergo laqueo fauces frangendæ? O laqueum ! O chordam ! O quæ nuntia aures, mentemque

percellunt! O inferi, et sempiterna tormenta! Tres illi concessi erant dies, quibus se pararet ad mortem; hic sanctiori consilio, et gratiæ cœlestis subsidio ad rationem velut ultimum asylum confugit; purgat se Sacramento Pœnitentiæ, et cœlesti pane se corroborat; res mira, in hominem alterum prorsus mutatur, timor mortis, horror carnificis, laquei evanescunt; mille vitas optat, ut eas omnes Deo in sacrificium offerat, omnia Martyrum supplicia omnibus corporis membris excipere ardenter in votis habet; quin et manibus, oculisque erectis in cœlum a Deo postulat, ut beneficii loco supplicium suum proroget, tortoris manum præ turbatione aberrare permittat, ac sæpius intercidere ac prolabi, ut vel annum integrum imperfectis strangulationibus discutietur, mortemque non inveniat; et qui paulo ante tortorem et laqueum exhorruerat, nunc a centum lictoribus ligari, et cum ignominiosis proclamationibus circumduci impense desiderat; nocte integra ante diem supplicio destinatam voluit sibi manus et gulam laqueo vinciri, ut tanto diutius, hoc Dei, ut aiebat, beneficio frueretur. Denique qui prius ad solum inferorum nomen contremiscebat, jam tanta fiducia in Deum et pace fruitur, ut dicat, videri sibi a divina misericordia calce et cæmento inferorum portas occlusas, et quem tristitiæ magnitudine moriturum credebat, tanta nunc exundat lætitia, ut dicat: Si, cum peccata mea defleo, tantis incesso gaudiis, quantis brevi, ubi Dei conspectu frui dabitur, perfundar? Ejus verba et voces ita in Dei laudes et gratiarum actiones abeunt, ut admirabiles in adstantibus excitet motus animorum. Exauditus fuit a Deo in eo, quod tortorem attingebat; ille enim, dum gulam frangere conatur, animo perturbatus, dum vix advertit quid agat, quartam fere horæ partem in eo ultimo funestoque actu posuit, reo interim tam sereno vultu et constantia omnem hanc carnificinam excipiente, ut nec pedem, aut manum, aut aliam partem corporis moveret, nec verbo querelam proferret, astantibus ad tantam patientiam et tranquillitatem stupore defixis, et nominatim Patre Aria, qui spectabat, et morientem in hoc ultimo certamine juvabat, quique hæc omnia litteris ad posteritatis memoriam consignavit; ut, quantum habeant mortales in humili et perseverante ac fideli oratione subsidium, agnoscerent. Pennequin. p. III, c. ix, n. 4.

FACTUM LVI.

Temporis heroica parcimonia.

Angelus Pazius, Ordinis Minorum, clari nominis, magnarumque virtutum, nihil unquam per ineptas moras corrupit, sed celerrime omnia administravit, addensatoque gradu, quantum officii ratio ferret, per urbem incessit, quod diceret, otiose molientibus, atque obambulantibus multa offerri aliena, quæ tempus furacissime subducerent, animique vim, quæ suopte diffluit ingenio, mora insuper debilitarent. Rhod. l. V, c. xi, n. 5.

V.

FACTUM LVII.

Veritatis amor heroicus.

Hispali agebat Philippus Tertius, obortaque de novo vectigali controversia, cives minus quam vellet, habebat obsequentes, quod se cogi non posse dicerent, sponte vero nihil daturos. Nec deerant ex Theologis, qui regiæ cupiditati faverent, sed quod hi gratiam Principis veritati præhabere vulgo crederentur, ideo parum illis auctoritatis in publicum. Ingens id temporis Ruizii nomen, etsi pro Rege sentiret, secuturum Senatum ac cives apparebat. Ergo tentari hominem placuit, et quia auro, oblatisque honoribus inexpiabilem non dubitabant, alia via aggrediendus fuit. Sciebant hominem ingentes atque eruditissimos commentarios de divinæ gratiæ hominumque libertatis concordia, elaboratos habere, quos ante editum a Paulo V decretum, quod de illa controversia publicatis utrimque libris disputare vetuerat, non absolutos apud se habere cogeretur et in lucem bono reipublicæ emittere summis votis expeteret. Componit ergo ad Ruizium litteras Lernæus Dux, qui cum rerum arbiter ipse solus erat Philippo, laudatumque prolixe hominem hortatur, ut justissimæ Regis voluntati obsequi velit, illiusque petitionis suæ, quam esse validissimam Rex intelligeret, momentum addere auctoritatis. Obligare Regem fidem suam, acturum se cum Pontifice, ut quos premeret summæ eruditionis libros, edere posset in lucem; tantam esse Regis apud optimum Pontificem gratiam atque auctoritatem, ut de repulsa timendum non videatur. Hortari proinde se opere quam maximo, ne Regis abire jam volentisvoluntate unus ipse, quem omnium vota sp ectarent,ultra frustrari vellet. Valida

hæc omnino petitio fuit, sed apud Ruizium major omnibus, ut est in oraculis, veritas fuit. Rescripsit, habere se gratias Regi, quas nunquam posset referre pro ea, quam de se haberet, opinione, proque promissis, quæ sibi auro gemmisque essent pretiosora. Cæterum neque his, neque quibus demum cumque aliis a veritatis, quam unice adamaret, semita ne latum quidem unguem deflexurum; ac ne suspensum diutius Regem haberet, videri sibi cives cogi non posse. Idem, l. IV, c. IX, n. 5.

Nimirum alte menti Ruizius inscripserat saluberrimum monitum Salomonis : « Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui, et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. PROV. c. III, 3.

FACTUM LVIII.

Victoria sui generosa.

Neapoli puella nobilis et prædives ab adolescente paris nobilitatis in conjugem petebatur, et jam in id consenserant utrimque parentes, et pro connubialibus pactis communiter stabiliendis in aliquod conclave convenerant; cum puella in suo cubiculo ante pendentem e cruce Christum prostrata, altioribus cogitationibus agitari cœpit, et divitioribus flammis accendi : Quid, aiebat, quid ago, Jesu Fili Dei, et hominum amator? Siccine, dum tu carnem tuam innocentissimam tam atrociter tractas, ego voluptates, licet n conjugio licitas, consectabor? Siccine, dum tu vulneribus et sanguine deformaris, ego formæ excolendæ, ego gemmis et monilibus ornando corpori operam dabo? Non fiet. Et continuo sibi comam rescindit, eaque ad pedes crucifixi appensa, illam ipsam effigiem manu gerens, e cubiculo egreditur, et ad conclave, in quod omnes convenerant, se confert; ibi ad matrem conversa : Non est, inquit, domina, quod de conjugio meo ulterius agatis; ecce sponsus iste meus est; quem elegi, et cujus pedibus crines meos ut arrhas appendi. Mira hic inter omnes turbatio, admirantur aliqui, fremunt et indignantur alii; sed tamen penes Christum, novamque ejus sponsam stetit victoria. Audierat videlicet intus Christum dicentem, quod olim visibiliter conspectus virgini sponsum terrestrem eligenti dixerat : « Me accipe, qui sum formosus, dulcis, generosus. » PENNEQUIN. p. II, c. XVI, n. 12.

FACTUM LIX.

Victoria sui heroice sanguinea.

Joannes Baptista Faentinus, Capuccinus, ferocior, quam credi possit, natura ingenioque, ac diuturna gladiatorum consuetudine oppido efferatus, ut se tandem respexit ardentissimis animis Capuccinorum arduam, ac perdifficilem vivendi, suique vincendi rationem, inter ipsa renascentis familiæ initia secutus, admirabili quadam contentione sese ad omnem perturbationum victoriam exercebat. Nec moderatores deerant, duriora imperando, et verbis castigando. Ad quæ ille, quamvis animo commotior, continebat se nihilominus, iramque habebat in potestate; quæ tamen ita efferbuit, ut violentius cohibita, ferventem jam nimium sanguinem, rupta pectoris vena, magno impetu profunderet. Tum Joannes Baptista in templum se raptim conjiciens, ut erat cruentus, ante Christi in crucem acti signum se abjicit, atque succlamat : « En meum sanguinem, Domine. » Exprobrantis hæc vox videbatur, cui Dominus, conversa ad lateris vulnus dextera eas reddidit : « Vide, qualia, et ego passus tui causa olim fuerim. » Sic nimirum sentire non debebat vulnera sua miles Christi, dum ducis sui vulnera et sanguinem intuebatur. RHOD. l. VII, c. VIII, n. 15.

FACTUM IX.

Vota heroica Deo oblata.

Joannes Falco, e Soc. Jesu, voto spopondit Deo, se nunquam suo sensui in cibo et potu obsecuturum, sed soli necessitati. Joannes le Pessier voto conceptis verbis se obstrinxit nihil se acturum unquam, quod divinæ gratiæ repugnaret, imo acturum semper, quidquid ex majore Dei gloria futurum erat. Ludovicus de Ponte, ex eadem Societate, vigesimo ante obitum anno, votum concepit, nullum se animo deliberato peccatum, quantumvis leve admissurum. Et eo tempore nihil in eo notari potuit, quod constaret esse capax reprehensionis. *Ex Bibl. Societ.*

Quis ergo miretur, tam liberalem erga hos in gratiis suis communicandis fuisse Deum tanta eorum liberalitate provocatum? Zelosus honoris sui est Deus; liberalitate se vinci non patitur.

CATALOGUS *Scriptorum Asceticorum præcipuorum.*

Vide ad calcem tomi primi.

AVARITIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est inordinatus habendi appetitus, juxta S. Thomam, sed quia ut sic etiam superbiæ, aliisque vitiis, conveniret hæc definitio, ideo rectius ab eodem definitur inordinatus divitiarum appetitus. Unde quia divitiæ plerumque in argento consistunt, Græci avaritiam φιλαργυρίαν dixerunt. C. II, qu. III, 6. n. 1.

Divisio. — Dividitur in duas species, quarum prior inhiat alienis bonis immoderate cumulandis, posterior propriis bonis ultra rationis præscriptum retinendis; nam ut S. Augustinus bene advertit, avarus non solum est qui rapit aliena, sed etiam qui cupide servat sua. S. Aug. in ser. quodam.

Actus. — *Nimiam de divitiis æstimationem concipere.* Nam, ut S. Augustinus ait: Avari frui volunt nummo, uti autem Deo, quoniam nummum non propter Deum intendunt, sed Deum propter nummum colunt. S. Aug. lib. XXI *de Civ.* cap. XXV.

Assiduum desiderium divitiarum in pectore fovere. Uti S. Apostolus insinuavit dicens: Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem et laqueum Diaboli, et desideria multa, inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum. I Tim. VI, 9.

Superfluas curas et sollicitudines de divitiis congregandis suscipere. Unde divitiæ Pharaoni comparantur, quia cum eodem dicunt: Vacant et vociferantur dicentes: Eamus, et sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, et expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus. Exod. V, 9.

Varias artes, modosque illicitos excogitare ad divitias acquirendas. De quibus S. Gregorius locutus est dicens: De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo et violentiæ oriuntur. S. Gregor. l. XXXI *Mor.* c. XXXI.

Negare aliis debitam mercedem, victum, aut debitorum solutionem. De quo actu Innocentius ait: Avarus largus in alieno, sed parcus in proprio, gulam evacuat, ut arcam adimpleat; corpus extenuat, ut lucrum extendat; manum habet ad dandum collectam, sed ad recipiendum porrectam; ad dandum clausam, sed ad accipiendum apertam. Innoc. *de vili condit. hum.*

Quod præcedenti testimonio Innocentii, et quotidiana experientia patet.

Erga pauperes et miseros cor obduratum gerere. Quia, ut S. Thomas loquitur, cor avari non emollitur, ut de divitiis subveniat miseris. S. Thom. II, q. CXVIII, art. 8.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Infernus et perditio numquam impletur; similiter oculi hominum insatiabiles. Prov. XXV, 20.

Avaro nihil est scelestius. Eccl. X, 9.

Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum. Isaiæ LVI, 11.

Avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Eph. V, 3.

Nec erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum. Prov. XXIII, 5.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psal. LXI, 11.

Videte, et cavete ab omni avaritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet Luc. XXII, 15.

Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tamquam umbra. Sap. V, 8.

Fuga. — Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi fures effodiunt, et furantur, ubi ærugo et tinea demolitur. Marc. VI, 19.

Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. I Tim. VI, 17.

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Ibid. 8.

Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Hebr. XIX, 3.

Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia, et homini livido ad quid aurum? Eccl. XIV, 3.

Damnum. — Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam. Prov. XV, 27.

Avari regnum Dei non possidebunt. I. Cor. VI, 10.

Ubi sunt, qui thesaurizant argentum et aurum, in quo confidunt homines? Ad infe-

ros descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. BARUCH. III, 19.

Nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet. ECCL. X, 10.

Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se densum lutum? Numquid non repente consurgent, qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? HABAC. II, 6.

O mors, quam amara est memoria sua homini pacem habenti in substantia sua. ECCL. XLI, 1.

Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. EPH. V, 5.

Agite nunc divites, plorate ululantes super miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra tineis obnoxia facta sunt. Aurum et argentum vestrum ærugine vitiatum est, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et exedit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. JAC. V, 3.

Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. MATTH. XIX, 24.

Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat, quod egestas superveniet ei. PROV. XXVIII, 22.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS.—Avarus vir inferno similis est. Infernus enim, quantoscumque devoraverit, numquam dicit: Satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum. S. AUG. in *Epist. ad comit.*

Inflammatur lucro avaritia, et non extinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditatis habet; et quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, unde fit gravis ruina lapsuro. S. AMBR. *de Naboth.*

Cum cætera vitia senescente homine senescant, sola avaritia juvenescit. S. HIERON. in Serm.

Avaro tam deest, quod habet, quam quod non habet; quia aut non habita concupiscit, ut habeat, aut habita metuit, ne amittat. Et dum in adversis sperat prospera, in prosperis timet adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur. Ibidem.

Nihil aliud est avarus, quam bursa Principum, cellarium latronum, rixa parentum, sibilus hominum. Ibidem.

Avarus nec patientibus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur, sed offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum; nam Deo detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna: Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis. INNOC. *de Vil. cond. hum.*

Avarus antequam lucretur, seipsum perdit, et antequam aliquid capiat capitur. AUGUST. in *Epist.*

Non solum avarus est, qui rapit aliena, sed ille avarus est qui cupide servat sua. Idem, ib.

Avaris Deus nummus est. ANSELM. *super Epis. ad Ephes.*

Peccatum avaritiæ mentem, quam infecerit, ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli non possit. GREG. XIV *Moral.*

Mens avari, quæ prius ex abundantia requiem quæsierat, postea ad custodiam gravius laborat. Idem.

Liberalitate vitia teguntur, nudantur avaritia. AUG. in l. *Confess.*

FUGA. — Filii Adam, genus avarum et ambitiosum, audite: Quid vobis cum terrenis divitiis, et gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum et argentum nonne terra est, rubra et alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? S. BERN. V, ser. IV *de Adven.*

Nec luto melius aurum esse cogitemus, materiæ namque pretium non ex natura est, sed ex opinione nostra; si quis enim diligenter inquireret, multo magis auro ferrum necessarium; et quid dico auri et ferri comparationem? Hi enim vulgares lapides magis necessarii sunt, quam pretiosi, nam ex his nihil utile fieri potest; illis vero domus, et muri, et urbes constructæ sunt: tu vero mihi demonstra, quæ de margaritis utilitas istis, quin imo quod non inde fiat damnum? Etenim ut tu feras unionem unum, innumeri pauperes fame premuntur. S. CHRYS. ho. XXI *ad Popul.*

Quamprimum Apostoli verbum pietatis seminare cœperunt, annumerata sunt eis statim tria millia, *eratque ipsorum omnium cor et anima una.* Et quis tantæ concordiæ auctor? Quod illud charitatis vinculum? Opum contemptus; nullus enim ipsorum dicebat suum aliquid esse ex his, quæ possidebant, sed erant ipsis omnia communia

omnia enim bona statim proveniunt, ubi malorum radix, avaritiam dico, sublata fuerit, jam frivola illa verba, *meum* et *tuum*, quæ tot bella mundo invexerunt, ex sancta illa Ecclesia erant exterminata, inhabitabaturque non aliter terra, quam ab Angelis cœlum. Idem t. v, ser. xxi.

Quotidie ille (Judas) cum eo erat, qui non habebat, ubi caput reclinaret, et quotidie verbis et operibus instituebatur, ut non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet, et tamen reprimere se non potuit; quomodo igitur tu speras absque magna cura et diligenti studio contagionem hujus morbi effugere? Idem, hom. LXXXI *in Matth.*

Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Quia vero, quisquis in hoc sæculo vivit, bonis hujus terræ pro ratione status sui indiget, quonam hac in re consilio nobis utendum erit? Sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut per ea non teneamini in mundo. S. Gregor. ap. Mansi, tr. viii, disc. x, n. 7.

Turpitudo. — Hoc loco, et animo prorsus toto perhorrescamus, et corpore, intelligentes istud quod Christum dixisse memoravimus, ex adverso scilicet Deum, aurumque consistere et componi: si igitur istud sono quoque sermonis horribile est, quanto est horribilius, cum ipsis operibus tyrannis auri Dei timori præfertur? S. Chrys. hom. xxii *in Matth.*

Cum quis opes iniquis artibus collegit, atque hinc sibi robur et potentiam conciliari censet, similis est ægroto, in morbi abundantia sanitatem sitam esse statuenti, S. Joan. Damas. l. III, cap. liv.

Nulla sane putredo vulneris, inquit S. Damianus, in Dei naribus intolerabilius fœtet, quam stercus avaritiæ, et cupidus quisque, dum sordentis pecuniæ quæstus accumulat, vertens exedram in latrinam, quasi molem stercoris coacervat. S. Petrus Dam. l. II, ep. ii.

Damnum. — An non vane etiam ille conturbatur, qui summo labore coacervat, quod nesciat, cui hæredi relinquat? Sæpe, quod avarus summa congessit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus, et diu quæsita turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine. S. Amb. l. II *Offic.* cap. xlix.

Quibus argenti et auri maximum pondus, hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis interna sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet, non cibus securo somnusve contingit. Suspirat ille in convivio, licet bibat in gemma, et cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se illigatum teneri, et possideri magis, quam possidere divitias atque opes. S. Cypr. ep. ii, *ad Donat.*

Aurum est monarcha in imperio, imperator in campis, arbiter in litigiis, cotes ferri, flammarum fomes, scopulus fidelitatis, affectuum tyrannus, magnes curarum, fortissimarum expugnator urbium, debellator regnorum, mundi triumphator. Aurum est, quod innocentissimas corrumpit animas, acutissimas excæcat oculorum pupillas, justissimas manus catenis constringit, generosissima sibi corda subjugat. Anonym. apud Mansi, disc. xv, n. 7.

Æstimato malo pondere peccatorum, levius videtur alicui peccare avarus, quam idololatra; sed non mediocriter errat; non enim gravius peccat, qui duo grana thuris projicit super altare Mercurii, quam qui pecuniam avare, cupide, et inutiliter servat, et congregat. Ridiculum videtur, quod aliquis judicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre; et ille non judicetur idololatra, qui totum servitium vitæ suæ offert creaturæ? S. Hier. ep. *ad Rustic.*

Cæca est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis, non videt quæ divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt. S. Cypr. *de Ord. dom.*

Avarus propinquis est odiosus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis et vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atque sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiuque sollicitus et cogitabundus. S. Asterius l. *de Avar.*

Non est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. S. Leo ser. ix *de Pass.*

Avaritia est animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca, belli materia; propter opes propinqui, cognati naturam negant, fratres inter se digladiantur, loca deserta grassatoribus, mare piratis, civitates calumniatoribus replentur. Quis mendacii pater est? Quis falsæ accusationis minister? Quis

perjurii genitor? Nonne divitiæ, ac circa divitias studium? S. Basil. hom. vii *in Divit. avar.*

Derelinquitur ampliata possessio, et quamvis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris servatura; apud alium facultatum tuarum pompa resedit, et tecum pœna migravit; stultitiæ genus est, aliis fecisse lucrum, et sibi parasse supplicium. S. Valer. lib. X, *de Avar.*

Sunt laquei (divitiæ) male acquirendo per fœnus et rapinam, furtum, fraudem; servando sunt laquei immisericordiæ et impietatis, timoris mundani, superbiæ, et perversæ confidentiæ; in amittendo sunt laquei desperationis, invidiæ, iræ, odii. Hugo Cardin. *in* I *Tim.*

Quis sapiens dubitet, cupiditatem fontem esse omnium malorum, radicem scelerum, culparum fomitem, et propter quam nec terra, nec maria, nec ullus omnino locus aut secure inhabitatur, aut sine pavore transitur? Hujus concupiscentiæ causa, prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis et urbibus fures; propter hanc circumventiones, rapinæ, mendacia, perjuria, falsa testimonia, fraudes, impietates; hujus causa innocentium sanguine quotidie terra polluitur, spoliatur pauper, miser opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur; propter hanc omnibus pene momentis lex divina contemnitur. Hujus causa nonnumquam expugnatur pudor, castitas vincitur, et per illicitas voluptates impudens libido vagatur; per hanc sæpe parricidia partim votis, partim operibus perpetrantur. Sixtus Tertius, lib. *de Divit.*

Videmus, quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum, et adhibendi desiderium cujuscumque peccati, eo quod ad habenda quæcumque temporalia bona potest homo per pecuniam juvari. Juxta illud Eccl. x. «Pecuniæ obe diunt omnia.» S. Thom. I, II, q. liv, n. 1.

Aurum nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit in perniciem domini; fulget, per tenebras quæritur, per tenebras custoditur. Aurum, amanti se, nihil de sua possessione permittit, refundens ei reatum suum cui usum suum negat, gravis acquisitio, ærumnosa possessio. S. Aug. s. x, *in Divit. avar.*

Reginam illam vitiorum procacium avaritiam fuge (o Cancellarie) cui cuncta crimina detestabili devotione famulantur; quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria, agmen habet blandissimum; arma suscipit ex talentis, et per dulcedinem superat, quos amara deceptione captivat. Cassiodorus, lib. XII, ep. 1.

Dum Christus, Luc. xvi, dicit: «Homo quidam,» et nomen non exprimit, significare voluit, quod dives ille ignorabatur in Paradiso, ubi stabat Christus; quia in Paradiso ignoratur nomen avari amatoris mundi et divitiarum, plus quam Dei: «Amen dico vobis: Nescio vos.» Sed Lazarus pauper, Paulus Apostolus, et similes bene cognoscuntur in Paradiso. S. Bernardinus, t. IV, serm. xvi, p. 1.

Hoc interest inter mortem divitis et pauperis, quod inter accipitris et gallinæ. In vivis accipiter blande habetur et fertur in manibus, gallina contemptim habetur, et alitur. At in morte accipiter abjicitur in fimetum; gallina vero grata et accepta in herili mensa et stomacho ponitur, et fit caro et sanguis domini sui. Idem. p. 3.

Cum avaritia alicui dominatur, subjectus malis omnibus demonstratur, quia de avaritia mala omnia et peccatorum omnium spinæ oriuntur. S. Aug. *De lib. Arbit.*

Quæ est ista aviditas concupiscentiæ, cum et ipsæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt vero prædæ, cum sentiunt satietatem. Insatiabilis est sola avaritia divitum. Semper rapit, et numquam satiatur; nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum profert, res mortui occupantur. Quæ est illa animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, et perdere cœlum? Idem *de Verbo Domini.*

Avarus hic ardet æstu concupiscentiæ, ac multiplici cura custodiæ, et postmodum ardebit igne gehennæ. Si potentiorem videt, timet raptorem; si inferiorem, timet furem. Infelix tanta patitur, quanta pati timet. S. Greg. in *Hom.*

Divitiarum amor insatiabilis longe amplius torquet animam, quam refrigeret usu suo, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. S. Bern. in ser. quodam.

Qui pecuniæ servit, et præsentibus com-

pedibus constringitur, et futuris paratur. S. Chrys. *hom. super Matth.*

Beatus ille, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. S. Bern. ep. ciii.

Cupiditas est transgressionis mater, magistra nocendi, primipila iniquitatis, auriga malitiæ, sicarius virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum. S. Basil. hom. *in Avar.*

Avaro pecuniæ vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit; nullumque est justitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. S. Leo in *Serm.*

Avarus parricidali animo, aut patris vitam increpat, aut matris mortem expectat; nam quisquis parentalis mortis expectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit. S. Valerianus h. xx.

Usque ad mortem amor lucri se ingerit, nec vitæ Salvatoris quæstus desiderium parcit. S. Cyprian. *ser. de Jejunio.*

Multi hodie Judæ scelus, quod Dominum ac Magistrum, Deumque suum pecunia vendiderit, velut immane et nefarium exhorrent, nec tamen cavent; nam cum pro muneribus falsum contra quemque dant testimonium, profecto quia veritatem pro pecunia negant, Deum, qui veritas est, pro pecunia vendunt.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Vanitas est, divitias perituras quærere, et in illis sperare. Vanitas est, diligere, quod cum omni celeritate transit, et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet. Lib. I, c. i, § 4.

Superbus et avarus numquam quiescunt. Pauper et humilis spiritu in multitudine pacis conversantur. Lib. I, c. vi, § 1.

Noli concupiscere, quod non licet habere. Juvat enim non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta et præcisa ex corde radicitus. Lib. III, cap. xxi, § 3.

Tene breve et consummatum verbum: Dimitte omnia, et invenies omnia. Relinque cupidinem, et invenies requiem. Lib. III, c. xxxii, § 3.

EXEMPLA SACRA ET CATHOLICA.

Qualitas. — Judas Iscariotes tantopere ab avaritia occupatus et excæcatus est, ut proprium suum Magistrum, summumque Benefactorem vendere non dubitarit. Matth. xxvi.

Avarus quidam moriturus copiosis lacrymis id unum deplorabat, quod divitias suas deserere, aliisque relinquere cogeretur. *Spec. Ex.* dist. xiv, ex. viii.

Alius quidam, cum subita morte extinctus esset, ideoque amici mortis causam indagaturi corpus aperire jussissent, nullum cor habere deprehensus est; sed illud postea in cista pecuniarum inventum est, ubi Diabolus specie Draconis super illud sedebat, et in varias partes discerpebat. S. Prosp. l. *de Dono timoris.*

In Belgio erat vir quidam, qui filio centena aureorum millia pro hæreditate relinquebat, et tamen ipse seniculus frusto panis et casei onustus supra viginti milliaria pedes conficiebat. Cumque ad hospitium divertisset, prolatis suis frustulis solummodo medium cerevisiæ poculum requirebat. Tollenarius *in Spec. Eccl.* ser. vi, p. 113.

Quidam collectis multis, ut eos servaret, in commune valetudinarium inter pauperculos recipi petiit, ibique pulmentis et olusculis victitavit. Stengelius t. III, *de Jud.* c. vii, num. 4.

Alius quidam ditissimus in agrum proficiscens, panes breviores urbe delectos numerare solebat, ut pro numero panis æstimaretur quot dies in agro futurus esset. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Conquestus etiam, si quando ovum ei apponebatur, quod pullus fuisset occisus. S. Ambros. l. *de Naboth.* c. iv.

Novi Fratrem, ait S. Bernardinus, qui a cognatis cujusdam divitis rogabatur, ut in extremis posito pœnitentiam suaderet. Nam triginta annis non fuit confessus. Adit, hortatur. At æger: Quale nunc, ait, est pretium piperis? Centenarius lanæ quantum valet? Suntne reversæ naves? Multumne sacchari est in nundinis venale? quidquid Frater ille de pœnitentia, et misericordia Dei loqueretur. Cum vero semper æger ea repeteret, quæ sanus tractabat, Frater ille serio in extremis positum hortabatur; at ille voce magna respondit: Non possum, non possum, non possum! et sic infelix obiit. S. Bern. s. xxiii, a. 2, c ii.

Quidam dives portari ad se jussit opes, et thesauros suos, quos tristi ore alloquens: O denarii mei, ait, o thesauri mei! en mo-

rior; juvate me, quæso, juvate me, denarii mei! Relinquamne vos, dilecti denarii mei? Tangebat eos, palpabat, osculabatur, amplectebatur, lamentabatur: Denarii mei! Heu, denarii mei! Demum accepto argenteo calice, in illud quasi rabidis morsibus stringens, cum diabolo expiravit. Idem. ser. XIV, art. 13, cap. III.

Quidam vir nobilis moriturus exclamavit: O Domine, quam contemnendus est mundus iste! Ecce ego, qui tot habeo arces et hospitia ad divertendum, et tamen nescio, quorsum ire debeam, aut quis mihi hospitium præbiturus sit. Ibidem art. 2, c. I.

S. Bernardinus de avaro quodam, civitatis Ariminensis incola refert, quod ex ingenti tritici coacervata quantitate, in magna annonæ caritate, nec quicquam in usus publicos distrahere aut vendere volens, caritatem præsentem vehementer adauxerit, adeo ut unus tritici modius 40 solidis venderetur. Et licet tunc etiam pro simili pretio tritici ab eo postularetur annona, se tamen triticum venale habere pertinaciter negarit, quippe qui illud eo usque conservare decreverat, donec pretium ad 50 solidos ascenderet, ideoque ne quis eum ad venditionem sollicitaret, relicta civitate ad villam quamdam se receperat, ne domi reperiri posset; interea tamen quotidie ab iis, qui Arimino venientes illac transibant, currens frumenti pretium sollicite exquirebat, et audiens, quod pretium esset carius, fingebat compati pauperibus ore, sed corde gaudebat. Accidit autem, inquit idem Sanctus Pater, quod duo mercatores, qui ingentem in Apulia frumenti provisionem sibi compararant, magnam quamdam navim frumento plenam ad sublevamen populi Ariminensis in dictæ civitatis portum advexerint, et quemlibet frumenti modium pro tribus solidis cum dimidio passim omnibus venum exposuerint; quod cum in tota illa civitate et in cunctis locis finitimis innotuisset, occurrerunt omnes, domibusque suis de sufficienti mox annona prospexerunt, festivique, et *gloriam in excelsis Deo* decantantes, domum rediere. Cumque avarus ille asinos frumentis onustos plurimos villam suam videret transeuntes, reique totius eventum ex variorum relationibus intellexisset, stupefactus voce magna exclamavit: Væ mihi, tres solidos cum dimidio! Heu mihi, tres solidos cum dimidio! Cumque ab obviis salutaretur amicis et notis, hoc solum respondebat! Tres solidos cum dimidio! Nec quicquam aliud occurrebat dicendum, præterquam: Tres solidos cum dimidio! Hisce verbis salutabat uxorem, filios, servos. Qui eum ab hoc proposito divertere cupiebant, aliud nihil ab eo torquere potuerunt, quam verba illa: Tres solidos cum dimidio! Tandem sano corpore lecto se commisit; uxor morbum suspicata, medicum accersivit, qui nullum aliud verbum ab eo obtinere potuit, præterquam quod identidem ingeminabat: Tres solidos cum dimidio! Sic dicendo præ dolore crepavit, et diabolus ejus animam asportavit, inquit præfatus Sanctus Pater. S. BERN. tom. IV, ser. XXVI, p. 3.

FUGA. — Constantia, Constantini Maximi Augusti filia, et Galli Cæsaris, qui in oriente regebat, conjux, Clematium Alexandrinum virum innocentem indicta causa interfici jussit; gemmato enim monili corrupta a Clematii socru, generi mortem ei vendidit, quem invisum socrus habebat, quia vir probus stupri ab ea interpellatus tanta turpitudine abstinuerat, cujus rei quoties mentionem fieri continget, haud facile dijudicabitur, quid potentius existimari debeat, effrena ne in Climatii socru libido, an Clematii honestas, aut rapacis Constantiæ avaritia. BAPT. FUL. l. IX.

Constans III, Phocæ Imperatoris ex Constantino majore natu filio nepos; ex Græcia ad urbem Romam profectus, omnibus sacris profanisque locis spoliatis, quinque diebus, quibus in ea urbe mansit, tantum statuarum ac reliquorum ornamentorum inde abstulit, quantum antea ex magno numero omnes barbari, qui urbem Romam diripuerunt, non abstulerunt; adeoque acerbe populos imperio parentes, atque non in postremis Siculos gravibus tributis pressit, ut multi vendere filios cogerentur, adeo a primis principibus degeneravit, qui non solum ornare studebant urbem Romam, verum etiam victui necessaria populo, atque insuper pecuniam large præbebant, id gloriæ ex donationibus quærentes, quod in rapiendo Constans sibi proposuerat. Cæterum cum in Sicilia a militibus suis interfectus esset, Saraceni, qui per id tempus in Sicilia Panormum urbem occuparant, in Africam omnes Constantis rapinas devexerunt. Cui id contigit quod plerumque avaris solet, ut opum, quas rapinis congesserunt, hi possessores fiant, quos minime arbitrabantur, ac penes raptorem avarumque infamia ac crimen maneat; cum alii

recto Dei judicio rapinam commodo ac voluptate perfruantur. Ibidem.

Dum S. Franciscus una cum sodali suo, e civitate Bariensi in Apulia discessisset, ingens quoddam in via publica repererunt bene sartum marsupium, quod cum auro argentoque refertum a socio ejus crederetur, is Sancto Patriarchæ magnam fecit instantiam, licentiamque sibi ab eo dari poposcit illam aperiendi, et quid intus lateret studiosius examinandi. Sanctus autem vir Dei, utpote a Deo in hoc casu specialiter illuminatus, fraudulenti serpentis artificium et dolum subito detexit, cui tamen bonus ille Frater, genuinam in loculis pecuniam asservari arbitratus, minime acquievit, dolendumque esse dixit, quod pauperes neglecta illa pecunia defrauderentur, quæ alias in magnum illorum subsidium erogari potuisset. Tunc Sanctus ille Patriarcha, una cum socio, ut turbatum sodalis sui animum nonnihil componeret, dæmonisque fraudem perspicue magis eidem detegeret, retrogressi sunt ad locum, in quo loculos jacere viderant; factaque ab utroque oratione, Sanctus vir Dei socio suo, ut marsupium aperiat, et pervestiget, imperare cœpit; oratione præmissa jubet socio illam levare. Tremefactus Frater obstupuit, diabolicum jam præsentiens monstrum, propter obedientiæ tamen mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam, et ecce serpens non modicus de bursa exsiliens, simulque cum ipsa subito evanescens, diabolicam deceptionem Fratri monstravit. Tunc S. Franciscus hanc sanctitate personæ suæ dignam protulit sententiam : Pecunia servis Dei, o Frater, nihil aliud est, quam diabolus et coluber venenosus. S. Bonav. *in Vita S. Franc.* c. vii, n. 5.

Idem quoque S. Antonio Magno accidisse legitur; dum enim is perfectionis viam ingressus, tanquam destinatus a Deo eremitarum anachoretarumque Patriarcha in vastam solitudinem iter ageret, dæmon ut a via cœpta eum diverteret, atque a sanctis propositis revocaret, quid fecit? Vas ingens argenteum in mediam viam abjecit, ut Antonius illac transiturus, vas illud intuens inescaretur, et velut altera Atalanta in cœpto cursu sisteret. Antonius autem ad dictum locum veniens, viso dicto vase argenteo, corporis quidem gressibus substitit nonnihil, nequaquam vero animus ejus moram admisit per adhæsionem affectus, quia argentum intuens protinus artificium agnovit tortuosi serpentis, illudque declinavit, siquidem argentum istud torvo vultu respiciens, dæmoni dixit : Dispareat una tecum argentum istud, tortuose coluber! Ad quæ verba fumi instar evanescens disparuit, sanctus autem vir Dei iter suum, tanquam victor, gloriose prosecutus fuit. Mansi, dis. iv, n. 4.

In vita S. Eduardi, Angliæ Regis, legimus quod, cum ejus subditi propter bella, quæ Rex pater ejus contra Dacos gesserat, magnopere ab eodem patre suo gravati essent exactionibus, earumque executiones ministri Eduardi Regis etiamnum prosequerentur, accidit quod, dum pecunia illa ad certum quemdam ad hoc deputatum locum recondita esset, sanctus hic Rex super eadem dæmonem incubantem viderit, magnaque cum hilaritate ludos et jocos agitantem conspexerit, qui proinde illas deinceps a subditis exigi serio prohibuit.

Nihil sic diabolo, inquit D. Chrysostomus, hominem subjici facit, ut inhiandi opibus, atque habendi amore superari. S. Chrys. h. xvi, *in I ad Cor.*

Damnum. — De certo quodam avaro referunt historiæ, quod, cum insignem quemdam auri cumulum in rupis cujusdam loco recondito et secreto reposuisset, acciderit, quod vir quidam pauper ob summam, quam patiebatur, egestatem desperabundus, et laqueum, quo sibi vitam abrumperet, manu sua ferens, in hunc eumdem locum inciderit; cumque ex certis signis thesaurum ibi latere deprehendisset, et cœpisset fodere, incidit feliciter in reconditum aurei depositi thesaurum, quem protinus ex eodem loco sustulit, et in locum thesauri laqueum, quem secum attulerat, eodem in loco recondidit. Post dies autem aliquot dives ille avarus cum ad repetendum depositum accessisset, illudque sublatum vidisset, obstupuit primum, ac quasi toto corpore obriguit, ut præ desperatione inventum in loco depositi laqueum collo injecerit, seque ibidem suspendio suffocarit. Quid vobis de tragico hoc casu videtur? Numquid vere in eo verificatum fuisse videmus, quod opes scilicet in amittendo sint laqueus desperationis? Mansi, disc. vi, num. 15.

S. Bernadinus de avaro quodam refert, quod, cum sua armaria auro per usuram adimplere, ac tum ab omni deinceps usura desistere decrevisset, magna cum parcimonia in hunc finem vivere cœperit, continuoque se pro pecuniis accumulandis, sudore

fatigarit; at vero cum ea vix ad medietatem replesset, dæmon metuens, ne post repleta armaria ab ipso deficeret, et meliorem vitam agere inciperet; taliter guttur constrinxit, quod quicquam non poterat deglutire, denique a latis variis cibis cœpit æger clamare dicens: Crucior, crucior, et morior fame! Sed quia a diabolo suffocabatur, spiritum exhalavit ut verificetur, quod dicitur Eccl. 5. « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. S. BERNARD., t. II § num. 3.

Constantino, Heraclii filio, imperante, vir quidam pecuniosus Constantinopoli in morbum incidit, mortemque formidans in pauperes triginta auri libras distribuit; convaluit subito et pecuniæ expensæ pœnitentia (haud dubie dæmone impulsore) ductus, rem cum sincero quodam et recto amico, eoque locuplete communicat. Qui ad amicum: Repelle, inquit, mi homo, hanc impiam cogitationem, nec te pœniteat eleemosynæ in egentes distributæ, ne Deum, qui tui misertus te sanitati restituit tuæ, graviter offendas, forteque infausta et subita morte repente opprimaris, atque sine pœnitentia discedas. Sed frustra; consilium enim amici fidum omnino rejicit. Tum amicus: Quando ea, quæ salutaria suasi, non admittis, aliud suggeram tibi. Et ille: Quid suades? Et amicus vere misericors: Age, inquit, huc mecum ad templum adi, et ibi profitere: Domine, non ego, sed iste dedit eleemosynam; et ego ibi statim triginta auri libras denuo annumerabo. Placet hoc consilium avaro; ad templum venitur, verba concepta pronuntiantur, aurum ab amico infelici illi in manus traditur; recepta pecunia, dum pedem ex templo effert, subito mortuus concidit, omnibus, qui præsentes aderant, ingenti horrore et pavore correptis, qui justum judicem laudabant, et celebrabant. Cum autem, qui aderant clerici, monerent amicum, ut suam sibi ipse pecuniam sumeret: Absit, inquit, hoc factum a me, immo cogitatio impia, ut ego Deo devotum aurum, et cœlo jam inscriptum recipiam. Domini est, nullum mihi in id amplius jus aut potestas. Quod Ananias et Saphira immemores de suo jam Deo dedicato suffurati, pœnas subita morte, quemadmodum et iste, persolverunt. Deus enim non irridetur. His illius dictis ab omnibus mirifice comprobatis, aurum pauperibus est divisum. BARON. t. III, an. 543.

Huic non absimile refert S. Gregor. Turonensis, accidisse in Galliis: Mulier quædam, inquit, sub specie religionis vacabat jejuniis, orationibus insistebat, vigilabat pertinaciter, ac loca sancta devotione simulata circuibat assidue, cumque in hoc colore justæ vitæ duraret, immensas opes a multis suscipiebat, congregabat aurum quotidie, et quod devotio Christiana pro redimendis porrigebat captivis, loculis abdebatur occultis, et quæ dabantur inopum necessitabus profutura, iniquis marsupiis condebantur; nam mulier effossa humo in medio cellulæ ollam immensam imposuit; ibique cum aliquid datum fuisset, recondebat diligenter, et lapide superposito claudens, ut nulli pateret occultum. O terque, quaterque execranda cupiditas, quæ luce fraudans homines, demergis in tenebras! Quid plura? Cum olla impleta fuisset nummis, huic mulieri tempus resolutionis advenit. Mortua vero Deo, migrans in inferno sepulta est. Post cujus exequias Sacerdotes, qui aderant, puellam ejus familiarem interrogant, quid de tanta fecisset pecunia, aut si ea eroganda temporis sui permisit spatium? At illa respondit, nunquam se vidisse, quod ulli inopum manus misericordiæ porrexisset; aut quo pecunia data devenisset ignorare se confitetur: Unum tantum scio, ait, quod cellula deportatum, regressum foras ultra non vidit. Hæc audientes Clerici stupent, et quid ex hoc factum fuisset, diligenter inquirunt, totumque crebris ictibus pavimentum tundentibus, locus in quo occulta jacebat pecunia, tinnitum dedit impulsus, cavoque resonans prodit, quæ latebant, et statim remoto lapide invenitur auri congeries, et Clerici stupentes tantæ subtilitatis perversitatem, Episcopo, quid actum fuerat, indicant. Ille vero commotus, jussit reserato sepulchro pecuniam super corpus exanime projici, dicens: Sint tua tibi, quæ congregasti; pauperibus vero Christi non deerit, unde sustententur. Nec mora, cum prima quies nocturno tempore data fuisset, audiuntur voces a tumulo, fletus et ululatus immensus; inter quas voces hoc maxime resonabat, se miseram, se infelicem, quæ auri consumebatur incendio. Denique cum per triduum hæ voces adveniente nocte resonarent, populis non durantibus, ad Sacerdotem venitur. At ille accedens jubet tumuli opertorium amoveri, submotoque videt aurum quasi in fornace resolutum, in os mulieris ingredi cum flamma sulphurea. Tunc Sacerdos oravit ad Dominum, ut quia mali-

tia ejus populis fuerat declarata, tandem Dominus pœnam juberet cessare a corpore, et operto tumulo discessit, vocesque mulieris amplius non sunt auditæ. S. Greg. Tur. l. *de Glor. MM.* c. cvi.

Quidam apud Lugdunensem urbem vix ita laborans, ut unum trientem posset habere; accensus auri execrabilis sacra fame voluit per eam sacculi ora replere, juxta illum Prudentii nostri versiculum:

Auri namque fames parto conquiritur auro.

Igitur de hoc triente vinum comparat; admixtisque aquis, iterum per argenteos venundans duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit, et tam diu turpis lucri secutor est factus, usque quo centum solidos de hoc triente lucraretur; sed judicium Dei confutavit lucra diaboli. Congerens enim avarus negotiator aurum in sacculum, possessurus pecuniam unius horæ momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractoque triente, quasi aliquid negotiaturus colloqui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex pelle phœnicia, sicut his manu gestare mos est, et ecce subito adveniens milvus rapit eum pedibus, atque decerpere tentat, putans a colore partem aliquam carnis esse. Sed cum nihil pinguedinis sentiret in eo, evolans super alveum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miscuerat, laxatum sacculum dejicit in flumen. At ille apprehensis capillis elidens se ad terram, spargensque pulverem super caput, aiebat: Væ mihi, qui judicio Dei oppressus, perdidi pecuniam, quæ inique fuerat aggregata! Nam ex uno triente centum erexi solidos. Nunc perditis centum solidis, unus tantum mihi remansit triens. Væ mihi, sicut feci, sic recepi: et qui nihilo eos habui, ad nihilum rediisse conspicio! Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in tartarum. Tale enim commercium, et in præsenti damni notam ingerit, et in futuro diversarum pœnarum genera parit. Idem, *de Gl. conf.* c. cix.

Sanctius Cicatellus nuper Genuæ obiit, 95 ann. natus, Euclio avaro, qui cum esset morti proximus, a Sacerdote inventus est habere secum in lectulo marsupium nummis plenum, et alteram crumenam brachio alligatam, quam identidem exiguis intervallis præ metu, ne sublata esset, manu contrectabat. Monitus de periculo, tantam auri cupiditatem formidolosam esse, respondit: Non possum aliter facere. Quo dicto cum suis idolis animam expuit. Lyr. *de Imit. Chr. patientis* l. VII. cap. i, *doct.* xv.

Præfectus oppidi cujusdam in Lusitania octavo quoque die confiteri, et SS. Eucharistiam sumere solitus, summam in vultu religionem præferebat, verum subjectos avare, et crudeliter regebat. Dumque studet maxime opes (jure, injuria) corradere, die quadam ignotus fit illi obvius in via, ac litteras reddit, qui statim evanuit, nec visus uspiam postea. Præfectus litteris acceptis lectisque statim: Heu mihi! horride exclamat, et amissis viribus, domum inter manus delatus in lecto collocatur. Verum in eo cubiculo, ubi decumbebat, 27 dæmones horribli forma se obtulerunt, quorum 20 statim intro in hominem irruerunt, totumque immaniter possederunt, reliqui vero septem in eodem cubiculo se continuerunt. Hoc aspectu territis omnibus, Sacerdotes mox vocantur, adsunt, et exorcismos adhibent; at dæmones: Operam, inquiunt, luditis; Dei jussu huc venimus, nulla alia voce ejiciendi: qui foris in cubili sunt, citius expellentur, quam nos nequam hunc hominem deseramus. Sacerdotes inde commoti, cubiculi dæmones aggrediuntur, qui singulorum peccata, qui aderant, aperiebant. Ex iis cum jam sex emigrassent e cubili, postremus, qui supererat, conversus ad eos, qui in hominem immigrarunt, eumque acriter cruciarunt: Quandoquidem, inquit, relicti sumus a sociis, quid hic agimus? Cur non eos sequimur? Qui eo dicto, mox omnes facto impetu excesserunt, atque una secum infelicem illam animam ad inferos detulerunt. Janus Nicius, exempl. iv.

Reginherus, Misnensis Episcopus, post refectionem in cubiculum, ubi thesaurum suum reconditum habebat, secedens, cum quasi sommum capturus se inclusisset, sequenti die fractis cervicibus exanimis, ac thesauro suo incumbens repertus est. Bar. t. XI, an. 1068.

Usurarius quidam cum sepeliri se cum sacculo pecunia pleno curasset, aperto sepulchro dæmones sub bufonum specie visi sunt cor ejus pecunia implere. *Spec. Ex* dist. vi, ex. lxxxiv.

Mulier quædam simulatæ sanctitatis cum aurum pauperibus elargiendum inique congregasset, illudque post mortem Episcopus super corpus exanime in sepulchrum conjici jussisset, aurum quasi in fornace resolutum

in os mulieris cum flamma sulphurea fluere visum, ipsaque lamentabili ejulatu se ab auro vehementissime uri, conqueri audita est. S. Greg. Turon. *de Glor. Mar.* c. cvi.

Quidam æger cum triginta auri libras pauperibus distribui jussisset, ideoque subito convaluisset, pœnitentia facti ductus amico suo dolorem aperuit, qui promisit, se omnem ei pecuniam restituturum, si in templo coram Altari diceret: Domine, non ego, sed iste dedit eleemosynam. Cum autem consensisset alter, vix templo egressus concidit exanimis, et periit. Bar. t. VII, an. 553.

Cæcus quidam aliis duobus cæcis narravit, se, quod mortuum quempiam ita expoliare voluerit, ut ne linteum quidem, quo tegeretur, relinqueret, ab eo apprehensum, et duobus oculis privatum esse. *Vit. PP.* l. X, c. lxxvii.

Mauritius Imperator cum paucis nummis magnam militum manum e captivate liberare potuisset, ex avaritia occidi illos permisit. Unde omnem occisorum turbam noctu contra se coram Christo Judice exurgentem, et avaritiam ejus accusantem vidit, justoque Dei judicio damnatus, cum uxore, et omnibus liberis capite plexus est. Niceph. *Hist.* l. XVIII, c. xl.

Cupiditate seductus Achan de anathemate Jericho sumpsit, sed pro eo luco damnum terribile reportavit. Josuæ c. vii.

Giezi ea, quæ antea non habuerat, volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ non meruit possidere quam per successionem velut hæreditariam a suo habuit magistro, verum etiam e contrario æterna lepra S. Elisæi maledictione perfunditur. IV Reg. c. v.

Ananias et Saphira reservantes partem quamdam ex his quæ possederant, apostolico ore morte mulctantur. Act. v.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tantopere aversabatur hoc vitium, ut, quo eidem aditum in Societate occluderet, per triginta dies deliberarit, an domibus professis jus aliquod ad stabiles redditus templi relinquere vellet, et tandem in negativam partem se resolverit. Ob eamdem causam etiam vetuit, ne quicquam pro muneribus acciperet Societas. *Vita.*

S. Franciscus Xaverius licet plurima, eaque magnifica munera eidem sæpe a Regibus, aliisque opulentis personis offerebantur, magno tamen animo semper repudiabat. In navi, licet omnia a prætore illi abunde fuissent suppeditata, non nisi mendicato vivebat; quæ vero Eleemosynæ nomine offerebantur, continuo in pauperes et infirmos distribuebat. *Vita* l. I et II.

P. Petrus Faber, nondum conditis Constitutionibus, proprio voto se devinxit, nunquam se quidquam pro spiritualibus functionibus accepturum, ac ne annuis quidem fructibus liberaliter usurum, nisi a potestatem habente cogeretur, quod ille votum inter magna Dei dona numerabat. *Hist. soc.* l. III, n. 33.

Idem Moguntia discedens, cum ei Cardinalis Archiepiscopus speciosa munera obtulisset, ea remisit dicens, se non ex iis esse, qui argenteam suppellectilem, sed, qui omnia sua secum portarent. Altera autem die cum ei Cardinalis ipse in Breviarii thecam centum florenos injecisset, accepit quidem, ne tantum Antistitem contemnere videretur, sed omnes statim in socios Lovanienses summa in egestate viventes, vel in pauperes, aliosque pios usus, erogavit. Ib. n. 71.

P. Jacobus Laynes in expeditione Africana nihil unquam de conquisitis a se pro ægrotis subsidiis usurpabat; nihil unquam ab aliis in gratæ memoriæ monumentum oblatum accepit, quod eum in magna veneratione apud omnes posuit. *Hist. soc.* p. 1, l. X, n. 94.

P. Aaroz cum aliquando in Hispaniis concionatus fuisset, finita concione pro consuetudine loci, magnam ei pecuniæ vim obtulere, in qua repudianda ita certatum fuit, ut populus ad strepitum altercantium accurrerit, qui re cognita non sine secunda admurmuratione discessit. Cum deinde celebris quidam concionator diceret Dominicano cuipiam, docto et pio, Patres Societatis magnum facturos fructum, si universi in hoc concionandi modo convenirent, subjecit Dominicanus: Non in hoc rei summa vertitur, sed in eo, ut universi conveniant in factis, Deique verbo gratis ubique evulgando; facile dein, quantum ad pietatem opus erit, in dictionis forma conventuros.

Plura vide infra de virtute Paupertatis

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas. — Tempore Xerxis Regis vir quidam fuit Pythas nomine, qui uxorem

habebat sapientissimam, atque ad omnem benevolentiam et humanitatem optime efformatam. Hic fortuito in locum quemdam incidens, ubi purissimi optimique auri venam prædivitem latere certis ex vestigiis deprehendebat, omnes conatus suos, cunctorumque subditorum suorum vires, industriam et labores tanta cum vehementia in aurum illud ex imis terræ visceribus eruendum applicuit, ut, posthabitis cunctis ruris, domorumque suarum negotiis, huic uni labori intenti esse cogerentur; unde factum est quod omnia non solum tribunalia quiescerent, verum etiam agri silvescentes, nil nisi lappas, sentes, et tribulos germinarent, horti quoque et oliveta in mera degenerarent deserta, vites denique nil nisi otiosos et infecundos germinarent pampinos, adeoque ubique intra breve tempus tanta unicuique domui invaluit egestas, ut mulieres regionis illius lacrymabundæ ad palatium Pythæ turmatim accurrentes a prudente ipsius conjuge opportunum plangentes poposcerint subsidium, id quod ab eadem protinus promissum fuit. Accidit autem, ut Pythas certa quadam ex necessitate, aut voto exstimulatus, peregrinationi cuidam in remotum locum instituendæ se accinxerit; quo e domo sua absente, uxor ejus quidquid ferculorum ad lautum aliquod instituendum convivium desiderari poterat, ex mero puroque auro per artifices adhibitos ea, qua fieri potuit, cum industria et ingenio fabricari fecit. Quibus omnibus rite perfectis, Pythas domum reversus, cœnam sibi apponi postulavit; quapropter sagacissima conjux ejus, ingentem ferculorum apparatum ex auro vivacissime expressum mensæ inferri jussit, quem quidem avarus princeps, primitus summa cum voluptate et complacentia lustrando probavit, mox tamen famis vehementia exstimulatus, veros, non fictos, nutritivos, non vero aureos sibi cœnaturo cibos poposcit, unde sagacissima mulier optimam (ejus nimium auri investigandi studium et avaritiam reprehendendi) occasionem nacta, his eum verbis aggressa fuit: An non vides, optime marite, quantam hactenus per excessivum illud, probrosumque auri accumulandi studium, tibi, subditisque tuis accersiveris egestatem, et universalem miseriam? Ex quo subditis tuis a summo diluculo in seram usque noctem in plures jam annos auro egerendo a te plus nimium adstrictis, aratri stiva quiescit, terra passim tui solius culpa in eam usque sterilitatem redacta fuit, ut præ nimia sui infecunditate vix pecoribus pascendis et nutriendis germen illius sufficiat. Hacque efficaci, licet brevi invectiva effecit, ut universali regionum illarum fami solerter pariter et suaviter fuerit provisum; siquidem maritus ejus stultitiam, qua hactenus auri cupiditate possessus laboraverat, agnoscens, resipuit, moresque pristinos emendando, bono communi consulere et prospicere studuit. Merito igitur Aristoteles, III l. Politicorum, c. VI, admirabile illud paradoxum pronuntiavit, quod scilicet divitiæ in civitatibus annonæ parere soleant caritatem; quod jam adductum exemplum evidenter satis probavit. Hæc omnia ex magno illo oratore dicta sunto. MASCARDI, disc. V, *Cebet.*

Nidificabat aliquando in monte alauda, et quotidie accedebat ad S. Franciscum, ut cibum pro enutriendis pullis acciperet, quos ut domum duxit, et major ex pullis rostro minores appeteret, ac cibo prohiberet, vel privaret, exosus S. vir tantam cibi aviditatem, et inhumanitatem, velut ad rationis capacem, inquit: Inhumana et insatiabilis alaudicula, malam mortem obibis, nec erit ex carnivoris animalibus, quod velit tuis carnibus vesci. Ita accidit, nam in vasculum aquæ, quod ipse vir Sanctus pro potu earum apposuerat, alauda cadens suffocata est; ex quo extracta felibus canibusque projecta, ab omnibus mansit intacta. *In Bibl. paup.* lit. I *de ira.*

Justinianus Imperator tam inexplebili avaritia fuit accensus, ut omnia subjectorum bona his, qui Magistratus administrabant, ac tributa colligebant, aut nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Hinc innumerabiles, causa falsa conficta, omnibus suis bonis mulctavit. EVAGRIUS. l. IV, c. XX.

Crumus, Rex Bulgarorum, quia non poterat a Nicephoro Imperatore Constantinopolitano pacem obtinere, nisi iniquissimis conditionibus, ira accensus cum paucis militibus eum aggressus vicit, et caput ejus abscindi, craniumque poculi in morem auro obduci voluit, ut vel sic alii sitim extinguerent illo capite, cujus avaritiæ sitis sedari non poterat. ZONAR. t. III, *in Niceph.*

Cum jurisconsultus quidam injustæ causæ patrocinium suscipere nollet, sollicitator multos aureos, quibus bellatorum cataphractæ imagines impressæ fuerant, obtulit, qui-

bus visis jurisconsultus: Eheu! inquit, captivum me tenes; quis enim tot armatis resistet? March. in *Tuba Pastor.* tr. II, lect. IX.

Caligula Imperator tantopere auro et argento delectabatur, ut sæpius in thesauris suis cum magna voluptate se volutaret. Sueton. c. xliii, *vit.*

Caliphas, Babylonis Rex, turrim habebat auro, argento, et lapidibus pretiosis refertam, et tamen obsidione cinctus perire maluit, quam thesauro aperto milites evocare ad defensionem. Unde captus, et eidem turri inclusus fame periit cum hac objurgatione: I nunc, et famem depelle thesauris tuis, quos tam avide sitisti. Fab. in *Dom.* 16 *post. Pent.* conc. iv.

Tomyris, Scytharum Regina, Cyro Persarum Regi a se cæso aurum in os infundi, et dici jussit: Aurum sitisti, aurum bibe. Ibid.

Fuga. — Crates Thebanus suas divitias in mare abjecit dicens: Abite pessum malæ cupiditates. Ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Enert. l. VI.

Babytaceni repertum aurum defodiebant, ne ejus usu polluti æquitatem corrumperent. Solinus, c. xxx.

Princeps quidam tantum malum credebat avaritiam esse, ut, si improbis subditis suis longam et magnam creare molestiam vellet, divites eos faceret, quippe cum divitiis ingentem curarum sarcinam accepturos. Balth Chavasius, l. IV *de Prud.* c. iii.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut infantes et pueri magis amant unum pomum quam totum regnum; ita avari pluris faciunt parvam terræ particulam, quam integrum regnum cœleste. Stapl. c. v, in *Domin.* 2 *post Pent.*

Sicut anguilla, quo magis stringitur, eo minus tenetur; sic terrenæ divitiæ, quo arctius eas amplectimur, eo minus nostræ sunt. Ibid.

Sicut talpa fodiens terram supra se congerit; ita avarus terram effodiens et coacervans, eam supra se ponit, id est, dominum suum constituit. Ibid.

Sicut is, qui cacumen altissimi montis ascendere cupit, ineptissime ageret, si multis oneribus humeros gravaret; ita non minus stulte agit, qui altissimum cœlum conscendere volens, divitiis terrenis se onerat. Id. them. iii, *in Domin.* 24 *post. Pen.*

Sicut, qui metallis effodiendis operam dant, potissimum aliis laborant, sibi autem vix paucos nummos lucrantur; ita avari posteris potius, quam sibi in divitiis coacervandis laborant. S. Chrys. hom. l.

Sicut, qui hydrope laborant, quo magis bibunt, eo plus sitiunt; ita avarus, quo plus acquirit, tanto plus desiderat. S. Max. s. xii.

Sicut custos in vinea erigit sibi umbraculum, ut custodiat non suas, sed alienas vites (ipse enim vix delibat uvas); ita avarus quoque summa cura et anxietate custodit thesaurum suum, non sibi, sed aliis, cum ipse vix modicum de eo sumere audeat. Unde Job ait: Ædificavit sicut tinea domum suam (id est, ut, dum ædificat, destruat), et sicut custos fecit umbraculum. Job. xxvii, 28.

Sicut viator stultus foret, si itinere jam prope finito de magno viatico angeretur; ita non minus ineptit, qui, cum cras forte moriturus sit, de bonis hic accumulandis sollicitus est. Senec. l. *de Mor.*

Sicut hi, qui per insaniam mente abalienati sunt, non jam res ipsas, prout sunt, aspiciunt, sed prout phantasia easdem repræsentat; ita mens avari vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum et argentum credit se tractare, etiamsi alia negotia tractet. S. Ambr. *sup. Luc.*

Sicut Absalon capillis in arbore suspensus est, mulo aufugiente; ita avarus in fine vitæ a suis possessionibus deseritur, ipso misere interea per cupiditates suas pereunte. Granat. *in loc. com.*

Sicut vas vino oppletum et occlusum, etiam laxato epistomio, guttam non emittit; ita avarus divitiis repletus nec obolum dat pauperibus, quia vacuum, id est, defectum et inopiam pati timet. Engelgrav. p. ii, *Cœli, in festo S. Matth.* § 3.

Sicut porcus non nisi post mortem aliis est utilis; ita avarus in vita inutilis est omnibus, post mortem pluribus omnia sua relinquens prodest. S. Bonav. *in diæta. Salut. tit.* II, c. iv.

Sicut per insaniam mente emoti, res non ut sunt, sed pro morbi sui ratione quævis imaginantur; sic anima tua ab avaritia possessa, cuncta aurum, cuncta argentum respicit. Libentius vides aurum, quam solem; quæcumque vides, in aurum verti cupis, dasque operam, quoad possis, et liceat. Quid enim rerum non moliris, movesque, unius auri gratia? Frumentum tibi in aurum vertitur, vinum in aurum concrescit, lanæ ipsæ transeunt in aurum, omnis mercatura,

studium omne tuum ac solertia, conciliat tibi suggeritque aurum. S. BASIL. hom. VI *in Ditesc.*

Sicut sterquilinium quidem dispersum utile est, agros enim uberes reddit, congregatum vero non tantum est inutile, magis autem inquinat et fœtet ; sic divitiæ dispersæ fructiferum reddunt agrum humani cordis, congregatæ vero amatorem suum inquinant. S. BERN. ap. MANSI, dis. XIX, n. 16.

FUGA. — Sicut sublata, et radicitus evulsa arboris alicujus radice, omnes quoque ejus frondes, flores, et fructus deficiunt ; eodem quoque modo sublato affectu inordinato ad bona temporalia, animas quoque puras et immaculatas remanere deprehendetis. MANSI, dis. V, n. 5 f.

Sicut putei illi, qui identidem exhauriuntur, longe elegantiores cæteris esse solent ; sic etiam divitiæ illæ, quæ quiescunt et reponuntur, nullius usui existunt ; at quæ moventur, et hinc inde transeunt, summam utilitatem fructumque afferunt. Audiamus denique pro conclusione, quisnam ex mente D. Chrysostomi dives appellari vere mereatur : Dives est, non qui multa possidet, sed qui multa largitur. S. BASIL. *Orat.* IV.

Sicut agricola prudens, qui viam, per quam neminem vult transire, fossatis præcidit, ac palis in terra confixis, applicatis pungentibus spinis illam obstruit, atque munit ; sic nempe sapientia Dei in itinere divitiarum posuit angustias multas in eas acquirendo, sollicitudines et timores in eas conservando, et dolores plurimos in eas amittendo, ut sic saltem impedirentur homines per talem viam turmatim currere ad infernum. Unde Deus apud Oseam diviti cuidam avaro dicit : « Sepiam viam tuam spinis. » S. BERN. t. II, s. XLV, om. 2, c. I.

Sicut qui spinas laxa tenet manu, non pungitur aculeis, sin vero manum contrahat, quo magis contrahit, eo magis sauciatur ; sic divitiæ si manibus extensis, id est, liberalibus geras, noxiæ non sunt, at vero si arctius et avidius utaris et comprimas, mirum est, quam non modo animam, sed etiam corpus enervent. DID. STELLA *in c.* VIII *Luc.*

DAMNUM. — Sicut infernus, quantoscumque devoraverit, nunquam dicit : Satis est : sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam satiabitur. S. AUG. t. IV, l. *de Sal. doct.* cap. XX.

Sicut aviculæ, quæ reti illaqueatæ, aut visco innexæ captæ sunt, continuo quidem expansis alis volare nituntur, sed quo major est earum ad volandum conatus, tanto alas suas copiosiori visco imbuunt, et tenacius retinentur, et a volatu plus impediuntur ; idem quoque multis accidit animabus, quæ bonis hisce terrenis debita quidem cum temperantia et sobrietate frui et gaudere volentes, attamen postquam illorum dulcedinem degustarunt, tanto deinceps cum affectu illi sese immergunt, ut ab illis se expedire aut illa affectu suo deserere numquam possint. MANSI, d. XX, n. 9.

« Incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum. » TIM. I, VI, 9.

Sicut tinea vermis, vestimentum, ita avaritia mentem corrodit ; unde tinea dicta est, eo quod teneat, et eousque insideat, quousque corrodat ; sic avaritia mentem avari corrodit, ut plena multiplicet, sed secundum multiplicationem suam plus esuriat. S. ANTON. PAD. *in dom.* 6 *post. Pasch.*

Sicut viscus utramque aviculæ alam constringit, ut sursum ferri nequeat ; ita cupiditas intellectum et voluntatem detinet avari, ne sursum feratur, STAPLET. tex. VI *in Dom.* 2 *post Pent.*

Sicut flumina ex parvis initiis exeuntia, paulatim incrementum intolerabile pro gressu accipientia, demum impetu violento, quidquid objicitur, secum trahunt ; ita avari potentes, quo magis crescunt, eo magis opprimunt, et per oppressorum ruinas ad alios opprimendos feruntur. S. CHRYS. hom. VII *in Avar.*

Sicut terra, quæ aurum ex se producit, ad cætera omnia sterilis est ; sic anima auri cupida ad nihil aliud, nisi ad illud coacervandum utilis est. STAP. tex. III *in Dom.* 14 *post Pent.*

Sicut navis pretiosis mercibus onusta, dum in mari fluctuat, jucundissimum est domino spectaculum, at in portum delata, mercibus spoliatur et nihil nisi fæces et sordes retinet ; ita avarus in hoc mundo plenus divitiis, secundo vento navigare videtur, sub mortis horam autem spoliatus terrenis opibus, cum suis peccatis, et sordibus nudus manet. Ibid.

Sicut luna non patitur eclipsim, nisi cum plena est, et tunc maxime distat a sole ; ita homo tunc maxime obscuratur, et a Deo recedit, cum divitiis plenus est. STAP. tex. II *in Dom. Sept.*

Sicut aspis, ne vocem incantatoris audiat, alteram aurem cauda, alteram terra obtegit; ita avarus, ne vocem Dei ad conversionem vocantis audiat, utramque aurem, intellectum scilicet et voluntatem cupiditate divitiarum occludit. Ibid.

Sicut mercurius seu argentum vivum naturali inclinatione auro et argento se sociat, tamque firmiter ea apprehendit, ut non nisi per vehementem ignem separari queat, et tunc ipse in fumum abit; ita avaritia ad aurum et argentum quidem quærendum impellit, sed ubi hæc acquisita sunt, ipsa in fumum abit, et evanescit. FAB. conc. IV *in Domin.* 16 *post Pent.*

Sicut vermiculus sericus gignit ex se fila quædam, ex quibus conficit folliculum, in quo reconditus moritur; ita dives cupiditate et avaritia ductus ex suis opibus sepulchrum sibi in inferno constituit, et parat. HECT. PINTUS *in c.* III *Daniel.*

Sicut araneus seipsum eviscerat pro inani tela texenda, et tandem per scopam convolvitur, et in ignem mittitur; ita avari per labores inutiles seipsos consumunt, et tandem in ignem infernalem præcipitantur. MARCHANT. in *Tuba Sacerd.* tr. II, lect. X.

Sicut mare sine fluctibus numquam conspicitur; ita avarus nunquam sine sollicitudine, tremore, curis, periculis invenitur, cum ante quam priora componat, posteriora succedant. S. CHRYS. hom. XXXIX *in Matth.*

Sicut, si quis videret latronem aliis per silvas transeuntibus insidiantem, spoliantem et mactantem, haud dubie non beatum ac miserum prædicaret propter scelerum gravitatem, et supplicii subeundi periculum; ita nec avari, licet nondum in manus Judicis venerint, quia tamen certo venturi, gravissimeque æternis suppliciis castigandi sunt, felices, sed potius summa commiseratione digni censendi sunt. S. CHRYS. conc. I *de Lazar.*

MOTIVA.

Quia *avaro nihil est scelestius,* atque adeo nihil abominabilius apud Deum, teste Siracide, et merito quidem. 1. Quia animam propriam venalem habet. 2. Quia Deum ipsum cum Juda pro pecunia vendit. 3. Quia in plurima alia scelera, præsertim contra fraternam charitatem, et justitiam commissa se præcipitat. 4. Quia est idolorum servus, dum aurum et argentum pro diis habet, et adorat. ECCL. X, 9.

Quia *vanissimus est labor avari* (PROV. XVII, 16), sicut aranei, cum modico tempore divitiis frui possit, meritoque brevi auditurus sit illud Christi: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, et quæ parasti, cujus erunt? LUC. XII, 20.

Hinc Salomon: Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? ECCL. X, 10.

Et iterum: Quid prodest possessori, nisi quod cernat divitias oculis? PROV. I, 4.

Neque enim proderunt divitiæ in die ultionis.

Quia *mille curarum et afflictionum causa est avaritia.* Quis autem ultro se in spinas conjiciat, et inter illas miseram et doloribus refertam vitam vivere cupiat? Quis siti perpetua vexari, quam modico potu contentus esse malit? Atqui numquam satiari novit cupiditas, teste S. Isidoro; semper enim avarus eget, quantoque magis acquirit, tanto plus quærit: nec solum desiderio augendi cruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur. S. ISID. l. II *de Sum. bon.* c. XLI.

Quia *avaritia est morbus prope incurabilis.* Quemadmodum enim, qui acutæ bilis fervore febricitant, non solum non extinguunt ardorem potu, sed magis accendunt; et ebriosi, quo plus potui indulgent, tanto magis augent sitim; ita avari, quo plura possident, tanto plura cupiunt, atque adeo nunquam curantur, nisi, quod rarissimum et difficillimum est, divitias contemnant et abjiciant.

Quia *in manifestum salutis amittendæ periculum præcipitat ob restitutionis difficultatem;* ut enim qui profundo luto immersus est, vix spem concipere potest emergendi; ita nec avarus divitiis immersus facile emerget, nisi potentiori a manu extrahatur. Hinc Habacuc clamat: Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se densum lutum! HABAC. II, 6.

Et Christus: Quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! MARC. X, 24.

Et Sanctus Paulus: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. TIM. 2.

Quia *nihil homine indignius, quam opibus inhiare.* Quid enim aurum, argentum, mar-

garitæ sunt, nisi terra aut lapis? Quam turpe autem est his cor affigere? Hinc recte Seneca dixit : Ipsam naturam nos ab hoc vitio absterrere, dum nulli vitio nos conciliat, sed integros ac liberos genuit. Neque aliquid, quod avaritiam irritaret, in aperto posuit, pedibus enim aurum et argentum subjecit, calcandumque ac premendum dedit; vultus autem nostros in cœlum erexit. SENEC. ep. XCVI *ad Lucil.*

Quia *avaritia nemini prodest, multum vero nocet*, uti recte Didacus Stella advertit dicens : Superbus et arrogans amplissimas ædificat ædes, et ita ædificatores famulosque alat, necesse est. Helluo pistoribus, venatoribus, cauponibus edacitate sua prodest; et sic aliis emolumento sunt alii peccatores, quod in divitibus avaris multo aliter se habet; nam præter hoc, quod nemini ex usu sunt, Reipublicæ summe nocere solent, frumentum reliquaque necessaria asservantes, et in tempora cariora reponentes, pauperes affligentes, omnesque summis incommodis afficientes. Nec patientibus avarus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur, sed offendit Deum, seipsum, proximum; nam Deo retinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna, Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis. DIDAC, STELLA in c. XX.

Quia *nauseam cœlestium creat;* non aliter, quam si quis ad magnum et lautum convivium invitatus, moræ impatiens vilibus dapibus se adeo in principio ingurgitaret, ut postea omni edendi appetitu amisso, reliqua comedere non posset, jam enim inediæ satisfecerat, antequam lautioribus cibis fruitus erat. Hoc contingit quam plurimis, qui naturale desiderium divinorum bonorum, quod Deus hominibus, quasi quamdam cœli famem dedit, rebus terrenis tradunt, et ita inebriati bonis temporalibus vivunt, ut æterna cœlorum bona non desiderent, dicantque : « Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo. » STELLA, *in cap.* XIV *Euch.*

Unde prudens negotiator, qui videt in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit sarcinam suam mundi contemptum, et fugit. S. BERN. § *de 4 negot.*

Quia *animam vehementer cruciat*, ut S. Gregorius indicavit dicens : Quis mihi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem, maxime cum illæ pungant, istæ delectent; et tamen spinæ sunt, quæ cogitationum suarum punctionibus mentem laceranti et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Et iterum : Quis talem non misereatur? angustatur abundantia, constringitur et coangustatur ex opulentia ; ager ei non tam redditus largiores, quam gemitus attulit graviores. S. GREG. hom. *in Evang. Luc.* VIII.

Salmeron quoque de hisce spinis ex S. Ambrosio ita scribit : Spina crucians, cogitatio est comparandi divitias, labor in illis augendis et cumulandis, timor in illis amittendis, dolor in eis expendendis.

Quia *bona, de quibus avarus gaudet, non sui ipsius, sed aliena sunt.* Uti Sanctus Bernardinus ostendit hac similitudine : Sicut si videns canem aliquem, duos homines insequentem, et agnoscere velis, uter ex illis canis illius dominus sit, id melius experiri non poteris, quamdum duo illi homines ab invicem separantur ; sic divitiæ temporales non apparent, cujus sint, hominis, an mundi, sed cum mundus ab homine separatur, tunc manifeste apparet, quod proditor mundus illas non dedit, sed mutuavit.

MEDIA.

Se peregrinum æstimare, uti S. Basilius agnovit dicens : Exilium haud agnosco, qui nullo loco circumscriptus sum, et neque terram hanc quam nunc, incolo, meam habeo; universam terram Dei esse scio, cujus sum advena et peregrinus. S. BASIL. *ann.* III, c. XX, v. 38.

Ideo etiam Christus in peregrini specie apparuit, ut nos, qui membra ejus sumus, in hac vita peregrinos et advenas nos esse sentiamus. HAYMNO *in* XXV *Luc.*

Hinc S. Bernardus dixit : Obsecro, in peregrinatione hujus sæculi, in militia hac super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum, utpote cito inde evocandi, et migraturi in patriam, et civitatem nostram. S. BERN. *ad FF. de monte Dei.*

Cœlestis Patriæ meminisse, quia ibi est domus nostra, id est, in cœlo, ibi etiam omnia recondamus, nihil hic penitus relinquentes, quidquid enim hic dimiserimus, amittimus. Sicut enim viator, quanto magis ad viæ suæ terminum appropinquat, tanto magis gaudet et exultat, animumque resumens tanto celeriori gressu progreditur; ita quoque anima

fidelis, quæ oculos suos in cœlum defixos tenet, ad iter suum, quantumvis difficile, prosequendum animatur, omniaque obstacula facile superat. S. CHYR. h. XII *in Matth.*

Hinc S. Laurentius Just. dixit: Validissimum contra præsentis vitæ illecebras medicamentum est, futuræ vitæ habere notitiam; absque æternæ vitæ gustu et scientia, istius non habemus contemptum. S. LAUR. c. I, *de Casto. conn.*

Quod confirmans S. Gregorius: Si semel, inquit, quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, prope nihil esse conspicit, quidquid ad finem currit.

Vanitatem rerum mundanarum considerare, nam, ut S. Gregorius Nyssenus recte advertit: Omnia, quibus in hac vita mortalium curæ destinantur, inanis quædam opinio sunt, nihilque subsistens; opinio est honor, dignitas, generis claritudo, superbia, elatio, divitæ, et his similia. S. GREG. NYSS. tr. I *in Ps.* CVII.

Unde, et Seneca: Nemo ex his, quos purpuratos vides, felix est, non magis, quam illi, quibus sceptrum aut clamydem in scena fabulæ assignant. SENEC. ep. LXXX.

Damna avaritiæ perpendere. Quæ S. Bonaventura, explicans textum illum Apoc. III, 17, «quia dicis quod dives sum etc.» indicat dicens: Nota hic quanta sint infortunia avari; est enim miser, quia divitias cum labore acquirit; pauper, quia cum dolore perdit; cæcus, quia nihil aliud respicit; et nudus, quia nihil aliud bonum facit. S. BONAV. *in c. Ap.*

Ad veras et cœlestes divitias animum adjicere; ita S. Bernardus suasit: Fratres, si divites esse cupitis, veras divitias amate. Veræ divitiæ sunt non opes, quas mundus offert, sed virtutes, quas animus possidet. S. BERN. *in serm. Sexag.*

Hinc et Christus monet, has præ aliis quærere, ut quas nec fures effodiunt et furantur, nec tinea et ærugo consumit. MARC. VI.

Brevitatem vitæ perpendere; nam, ut S. Gregorius ait: Longa nostra desideria increpat vita brevis. In cassum multa portantur, cum juxta est, quo pergitur. S. GREG. hom. XXXII, *in Ev.*

Et S. Augustinus confirmans: Avaritiæ morbus, inquit, nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine oblivione meditatur. S. AUG. *de Conflict.*

Regnum Dei et justitiam ejus ardenter quærere; sic enim radix avaritiæ, scilicet timor inopiæ et indigentiæ tollitur, cum vera sit promissio Christi asserentis, talibus omnia necessaria adjectum iri. MATTH. VI, 34.

Uti Sanctus David expertus est dicens: Dominus regit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. PSAL. XXII, 1.

Dei amorem augere; nam, teste S. Augustino, augmentum charitatis est imminutio cupiditatis. Si Deum amemus, inquit, nummos omnino non amabimus. Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo utaris ad necessitatem, non ad irritamentum cupiditatis, quo fruaris ad delectationem. Utere mundo, non te teneat mundus; quo intrasti, iter age; existi, non mansurus. S. AUG. *sup. Ps.*

Certe Cassianus ait, hoc vitium nasci ex torpidæ mentis ignavia. CASS. l. II, c. I.

Cum, juxta Sanctum Gregorium, avaritia non soleat evenire illis, qui in via Domini viriliter currunt, quibus dicitur: Viriliter agite, et confortetur cor vestrum; sed his maxime, qui effeminato gressu gradientes per blandimenta sæculi resolvuntur. S. GREG. l. XXX *Mor.* c. XVI.

Exitum avaritiæ funestum frequenter meditari. Cur enim quæ ad usum diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? inquit S. Ambrosius. Cave insidias, cave fraudes. S. AMBR. *super Luc.*

Nam avarus, teste S. Gregorio, more avium captus, cum escam rerum terrenarum avide concupiscit, quo stranguletur peccati laqueo, non agnoscit. S. GREG. *Past.* p. III, c. XXI.

Pauperibus dare divitias et sic in Patriam præmittere. Quid enim hoc melius bono, inquit Sanctus Ambrosius, si pauperibus largiaris, in quo tibi Deum debitorem quadam pietatis fœneratione constituas? S. AMBR. cap. VII, *de Naboth.*

Hinc ipse Christus suasit, facere amicos de mammona iniquitatis. LUC. XVI.

Christi inopiam frequenter perpendere. Quid enim indignius, quam ut servus abundet divitiis, Domino summam indigentiam patiente? Quid absurdius, quam ut discipulus magni faciat opes, quas magister suus sapientissimus verbo et opere spernendas esse docuit? ROSIGN. l. II *de Discip.* c. XVI.

Evomere divitias animum gravantes. Sicut enim ei, qui stomachum gravatum sentit, suadent medici, ut medicinam ad vomitum provocantem sumat; ita et avaro nihil ad avaritiæ lenimentum magis prodest, quam

si pecunias minuendo evomat. STOB. ser. VIII, *in just.*

Hinc Plato cuidam pecuniis cumulandis semper intento dicebat: O improbe, ne possessioni augendæ studeas, sed cupiditati minuendæ! Sibi ergo applicet avarus Spiritus Sancti consilium per Siracidem datum: Si coactus fueris (a tuis cupiditatibus) in edendo multum, surge e medio, et vome, et refrigerabit te, et non adduces corpori (et animo) tuo infirmitatem. ECCL. XXXI, 25.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta. 1. Quibus potissimum modis committatur, nimirum quatuor illis, quos Hugo sequentibus verbis indicavit: Quatuor sunt in rebus possessis observanda, ne licita injuste quæramus; aut injuste acquisitis illicite fruamur; ne multa quamvis licite possideamus; ne licita illicite defendamus. Male enim acquirere, aut male uti acquisitis, de licito facit illicitum, multa sibi possidere propinquum est cupiditati; et sic quandoque, quod nimium diligitur, male defenditur. HUG. l. *de Claus.*

Nosse pariter debet modum legitime, et cum fructu etiam spirituali rebus possessis utendi, quem quidem S. Gregorius pulchre indicavit dicens: Si cuncta mundi relinquere non potes, sic tene, quæ hujus mundi sunt, ut per ea non tenearis; ut terrena res possideatur, non possideat. Sit res temporalis in usu, æterna in desiderio; hæc ut in itinere, illa ut in termino. Quasi ex latere aspiciatur, quidquid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tota mentis intentione spectemus illa, ad quæ tendimus. Nam, et omnia retinendo relinquimus, si sic temporalia gerimus, ut tamen tota mente ad æterna tendamus. S. GREG. hom. XVI, *in Ev.*

Et hoc, quod Apostolus suasit dicens: Reliquum est, ut et qui uxores habent, tanquam non habentes sint, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. II COR. VII, 29.

Sicut enim is, qui in aqua submergitur, periculo caret, quamdiu caput extra aquas liberum tenet; sic qui divitiis circumdati, et immersi sunt, periculo vacant, quamdiu caput liberum est, seu cor non adhæret. STAPLET. text. V, *in Dom.* 18, *post Pent.*

Porro, quomodo divitiis utendum sit, S. Bruno etiam indicavit dicens: « Qui volunt divites fieri » *etc.* Ecce, qui volunt fieri, dixit, non qui sunt; cupiditatem damnabilem ostendit, non divitias; possunt divites esse, et boni, sed illi, de quibus dicitur: « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere » Cor autem apponit, si aliquid agat eorum, quæ saluti officiunt, sive eorum, quæ salutaria sunt, aliqua omittat. S. BRUN. *de Imit. Chris. in paupert.*

Uti S. Abraham fecit, de quo S. Laurentius Justinianus dixit: Cum locuples esset, inquit, nequaquam inordinate divitias dilexit: unumquemque Deus non secundum affluentiam rerum, sed secundum inordinatum affectum judicabit; nec diviti obsunt opes, si bene utatur, nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter sordes et inopiam ambire non desierit. Habeat homo multas facultates, si in eis non extollitur, pauper est; non habeat aliquid, sed cupiat, et infletur, inter divites et reprobos judicabitur; quia divites et pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, et in pecuniis. S. LAUR. JUST. c. IV *Lign. Vitæ.*

Nosse debet solidum modum avaritiam extirpandi, quem S. Prosper sapienter præscripsit, dum dixit: Quem possidendi delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia, quæ creavit, expedita mente possideat, et in eo habebit, quæcumque in eo sancte habere desiderat; sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo, sit ipse primitus possessio, et efficietur ejus Deus possessor et portio. Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur conditor census, et hæreditas ejus dignatur esse ipsa Divinitas? Quid ultra quærit, cui omnia suus Conditor fit? Aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? S. PROSP. l. II, *de Vit. contempl.* c. XVI.

Nosse debet, *cur Deus cor humanum taliter efformarit*, nimirum illud in medio corporis, tanquam omnium sensuum et operationum nostrarum primum mobile reposuit, eo quoque modo illud formavit, ut ex ea parte, qua terram et hæc terrena bona respicit, illud strictum, acuminatum, clausum, et angustum esse voluerit; ex ea vero parte, qua cœlum suspicit, apertum esset et largum, ut ex hoc unusquisque homo intelligeret, quod ad consequenda bona cœlestia, tantumdem affectum, cogitationes, curas et animi contentionem ditare et ampliare possit, quantum se quoad bona terrena coercere, moderari, et constringere tenetur, ne modum excedat. MANSI, dis. XVII, n. 8.

Nosse debet, *cur opes datæ* sint; id quod

S. Salvianus indicavit dicens : Ad hoc Deus facit homines locupletes, ut bona operatione sint divites, ut commutent scilicet divitias, quas acceperunt, in bonis operibus collocantes Dei opes, quas habent in hoc sæculo temporarias, bene utendo, facientes sempiternas, ac sic agnoscentes munera Dei, duplici bono gaudeant, cum, qui sunt divite si nhoc sæculo, esse quoque divites mereantur in cœlo. S. Salv. lib. 1, *ad Cath. Eccl.*

Unde S. Augustinus etiam dixit : Bonæ sunt divitiæ, bonum est aurum, bonum est argentum, bonæ familiæ possessiones, omnia ista bona sunt, sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum. S. Aug. s. lxxii *de Div.*

Nosse debet, *divitias et similia bona, ex se ipsis utilia non esse ad salutem, sed id solum ex possessoris bonitate provenire,* ut ipse etiam Seneca naturali lumine agnovit, dicens : Aut ista bona non sunt, quæ vocantur, aut homo felicior Deo est; quoniam quidam quæ parata nobis sunt, non habet in usu Deus, nec enim libido ad illum, aut opes : ergo (quod incredibile est) bona Deo desunt, aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ Deo desunt. Sen. ep. lxxv.

Nosse debet *triplicem Religiosis avaritiæ morbum contrahi posse. Unus,* qui decipiens miserabiles quosque ea, quæ ne antea quidem, cum sæculo degerent, possidebant, congregare persuadeat. *Alius*, qui hæc, quæ in primordiis suæ renuntiationis abjecerant, postea resumere, et rursum desiderare compellit. *Tertius,* qui initio malo, vitiosoque contractus, et ab imperfectione incipiens, eos, quos semel hoc tepore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit. Cassianus l. VII *Inst.* c. xiv.

Nosse debet, *cur avari nunquam satientur*; nimirum quia potus pecuniæ non ibi est, nec ibi ponitur, ubi est sitis auri. Unde sicut vinum in dolio non sedat corporalem sitim; sic pecunia in arca sitim mentis sedare non potest. Rationalis enim anima, ad imaginem Dei facta, creaturis omnibus occupari potest, satiari non potest; quia capacem Dei, quidquid Deo minus est, implere non valet. Insuper nullum corpus in spirituali loco contineri potest : nam sicut sapientia non potest repleri arca, sic nec pecunia repleri potest anima. Unde Bernardus : Non plus satiabitur cor hominis auro, quam corpus aura. S. Bern. t. II, s. iv, art. 2, c. iii.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Aliud cecidit in spinas » : Marc. iv, 7.

Divitiæ spinis comparari possunt. 1. Quia ad illas perinde ac ad spinas accessus est difficilis et periculosus; vix enim sine læsione conscientiæ accedunt homines ad illas; hinc Salomon ait : Qui festinat ditari, non erit innocens. Prov. xxviii, 20.

Quia sicut spinæ sunt receptaculum venenatorum animalium; ita diabolus, teste S. Chrysostomo, veluti sub spinis occultatur intra divitiarum imposturam assidue latitans; radix omnium malorum cupiditas. S. Chrysost. hom. ix, *in Epist. ad Rom.*

3. Quia sicut spinæ dolorem inferunt, cum infiguntur, et cum infixæ manent, et maxime cum extrahuntur; sic divitiæ cruciant, dum acquiruntur, possidentur, et amittuntur. 4. Quia sicut spinæ in extremitate maxime pungunt; ita divitiæ in ultima possessione seu mortis tempore maxime pungunt, tunc enim verificatur illud Ecclesiastici : O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua! Eccl. xci, 1.

5. Quia sicut qui spinas laxa et aperta manu tenet, illarum non pungitur aculeis, secus vero si manum contrahat; ita nec divitiæ nocent, si liberali et cauta manu in proximos dividantur, secus vero, si arctius, quam par est, contingantur. 6. Sicut spinæ suffocant semen in illas cadens; ita divitiæ verbum Dei, et inspirationes divinas infructuosas efficiunt. Vide Staplet. text. ii, in Sexag. Item Fabrum conc. ii, in Sexag.

Ex occasione thematis : « Avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. » Eph. v, v. 5.

Potest ostendi gravitas et turpitudo avaritiæ ex eo, quod sit idolorum servitus. Nam 1. Frui volunt nummo, uti autem Deo (quemadmodum S. Augustinus loquitur) quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Hinc pecuniæ dicunt : Deus meus, et omnia. S. Aug. l. I *de Civ.* c. xv.

2. Quia pecuniæ obediunt perinde, ut Idololatræ suis Diis; imo magis, nam ut S. Chrysostomus advertit, Idolis non omnia parent, huic vero omnia, et quodcumque faciendum suggerit, obsequuntur. S. Chrys. hom. lxiv *in Matth.*

Quid dicit avaritia? Esto omnibus inimicus, obliviscere naturam, contemne Deum, sacrificium te mihi offer. Dicto citius parent. 3. Quia Idolis tantum boves et oves, per avaritiam vero animæ sacrificantur, quo sacrificii genere nihil est bacchicum magis, nihil insanius, inquit idem Sanctus. Hinc S. Augustinus ait: Jupiter pecunia vocatur, quod ejus sint omnia. O magnam rationem divini nominis! Sed nimirum hoc avaritia Jovi nomen imposuit, ut, quisquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, sed ipsum Regem omnium sibi amare videatur. S. Aug. l. II *de Civ.* c. XII.

Vide Engelgrav. in Cœli Emp. part. II in festo S. Matthæi, § 2.

Ex occasione thematis: « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? Matth. XXVI, v. 25.

Comparari potest avaritia cum venditione Christi; imo dici, majus esse scelus ex multis capitibus. 1. Ex parte *venditi*, quia Judas vendidit adhuc mortalem, et in exilio viventem; avarus autem gloriosum, et in patria jam triumphantem vendit. 2. Ex parte *vendentis*, quia Judas nondum erat redemptus, quando eumdem vendidit; avarus autem scit quantum beneficium ei Christus per redemptionem exhibuerit, et tamen hoc non obstante eum turpissime vendit. 3. Ex parte illius, *cui vendit*; nam Judas tantum Judæis, avarus autem Dæmoni eum vendit, dum ad ejus inspirationem Deum ex corde suo dimittit, ut modicam pecuniam lucretur. 4. Ex parte *pretii*: nam Judas triginta saltem argenteis vendidit; avarus autem etiam pro uno interdum nummo eumdem vendere non erubescit. 5. Ex parte *temporis*; nam Judas semel tantum vendidit; avarus autem fere quotidie, imo aliquoties etiam in die, et hora. Si ergo Judas propter unicam venditionem et traditionem tam gravi pœna mulctatus est, ut infimum in inferno locum habere per revelationem sit cognitus; quantam timere debebit, qui toties et cum talibus circumstantiis vendidit? Hortare proin, ut illa Christi verba: Amice, ad quid venisti? sibi dicta putent, et melius, quam Judas, perpendentes, a tam scelerata et turpi venditione deinceps abstineant. Vide Engelgrav. in p. II Cœli Empyrei, in Festo S. Matthæi § 2.

Ex occasione thematis: « Radix omnium malorum est cupiditas. » I Tim. VI, 10.

Ostendatur, quam merito avaritia radix omnium vitiorum sit et origo. 1. Quia sicut per radicem planta suscipit nutrimentum; ita vitia per avaritiam et cupiditatem nutriuntur, uti bene S. Jacobus indicavit, dum dixit: Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. Jac. IV, 1.

2. Quia sicut radix magis se semper dilatat, et firmat in terra; ita et avaritia plures semper divitias appetit, et firmior per illarum amorem et possessionem efficitur. 3. Quia sicut radix deorsum semper tendit; ita et avaritia semper magis inferno appropinquat. 4. Quia sicut radix nullibi, nisi in terra subsistere et crescere potest; ita et avaritia non nisi in auro et argento, quæ nihil aliud, quam terra sunt, sedem habet. Hortare ergo, ut securim ad hanc radicem ponant, et cum ea totam arborem malitiæ excidant.

Ex occasione thematis: « Hic diffamatus est quasi dissipasset bona ipsius. » Luc. XVI, 11.

Ostendi potest, quod avari sint maximi dissipatores bonorum. 1. Quia dissipant bona *Fortunæ*; nam, teste Salomone, substantia festinata (quales sunt vel maxime divitiæ avarorum) minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Prov. XIII, 11.

2. Quia dissipant bona *Corporis*; nimirum sanitatem, robur, speciem, et quandoque ipsam vitam, quæ per avaritiam amitti quotidiana experientia docet. 3. Quia dissipant bona *Animæ*; tum naturalia, ut sunt memoria, intellectus, voluntas, ac aliæ potentiæ, quas inutilibus operibus, puta opibus cumulandis, occupant; tum moralia, qualia sunt quies animi, fama amicitia, cum ejusmodi homines omnibus exosi sunt. 4. Quia dissipant etiam bona supernaturalia *Gratiæ*, et *Gloriæ*; dum toti sunt in divitiis cumulandis, nihil admodum de salute sua et meritis augendis solliciti. Hinc adolescens ille evangelicus ad thesaurum in cœlo comparandum a Christo stimulatus, abiit tristis, quia habebat multas possessiones. Matth. XIX, 22.

Vide Fabrum conc. I, in Dom. 2 post Pent.

Ex occasione thematis: « Et ecce quidam homo hydropicus erat ante illum. » Luc. XIV, 2.

Potest avaritia hydropi comparari. 1. Quia sicut hydropicus perpetua siti vexatur, et ideo quamvis aquam aut alium potum arripit;

ita avarus continua siti divitiarum urgetur, et quodvis etiam vilissimum lucrum avidissime amplectitur. 2. Quia sicut hydropicus, quo plus bibit, eo plus accenditur; sic et avarus, teste S. Gregorio, ex potu sitim multiplicat, quia cum ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. S. Greg. l. XIV *Mor.* cap. iv.

3. Quia sicut hydropicus cum grandi suo damno bibit, dum omnis potus haustus in corruptum humorem mutatur; ita et avarus omnes, quas acquirit divitias, in perniciem suam convertit. 4. Quia sicut hydropicus graves ab aqua inclusa et nimio humore cruciatus patitur; sic et avarus a divitiis, teste quotidiana experientia. 5. Quia sicut hydropicus plus semper bibendo, mortem sibi accelerat; ita et avarus, quo plus cumulat divitias injuste, tanto magis inferno ac morti sempiternæ appropinquat. Vide Fabrum, conc. IV, in Dom. 16 post Pent.

Ex occasione thematis: «Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, et quæ parasti, cujus erunt?» Luc. xii, 20.

Ostendi potest multiplex stultitia avarorum. 1. Quia felices esse cupiunt, et medium arripiunt, quo summe miseri et infelices reddantur. 2. Quia diversorium, in quo vix per horam hospitabuntur, amplissime et abundantissime instruere satagunt, et de domo, in qua perpetuo habitaturi sunt, bene instruenda nihil sunt solliciti. 3. Quia aliis, non sibi, laborant; quæ autem major stultitia, quam sibi mortem et supplicium æternum, idque inexplicabile, procurare, ut alteri parvulas in hac vita opes fluxas et noxias relinquant? 4. Quia portam arctam, per quam ad æternam felicitatem intrandum est, divitiis onusti et gravati ingredi volunt, cum tamen Christus eas potius abjiciendas esse docuerit. Vide plura de hac materia apud Engelgrave in Cœlo Empyr. p. I, die 2 Bacchanal. Item Panarium Busæi V. Avaritia n. 7.

Ex occasione thematis: « Divitiarum jactantia quid profuit nobis? Transierunt omnia tamquam umbra. » Sap. v, 8.

Potest avaritia umbræ comparari. 1. Quia sicut umbra lumen, sic ipsa illustrationes et inspirationes cœlestes animæ impedit. 2. Quia calorem charitatis reprimit, planeque extinguit, ut umbra calorem solis. 3. Quia sicut umbra sterilitatem in frugibus, sic ipsa in bonis operibus inducit. 4. Quia diaboli et vitiorum habitatio est, sicut umbra serpentium et colubrorum. 5. Quia sicut umbra somnum provocat; sic illa obdormire facit animam in pietatis et virtutis studio. 6. Quia sicut umbra celeriter transit; ita et avaritia cum bonis, quæ promittit. Unde exclamare cogentur avari cum Davide: « Dies mei sicut umbra transierunt. » Psal. ci, 12.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Deus Gedeoni insignem illam adversus Madianitas victoriam impertiri volens, hoc ei signum dedit, e quo, quosnam in suum exercitum seligere posset proficuos milites, quorum opera in illo erat certamine adhibenda, perspicue dignosceret: « Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum; qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt: » Hi autem, qui commode bibebant, genuaque sua, cum qua poterant commoditate flectebant, ut se super aquas extendere, easque tanto copiosius bibere possent, repudati fuere, electi vero sunt et probati, qui obiter ad instar canum undas lambebant; omnia in figura contingebant. Lyranus enim moraliter in hanc historiam ita scribit: Per illos, qui biberunt aquas flexo poplite, significantur illi, qui ad hauriendum hujus mundi bona sunt nimis effusi, et illi non sunt apti ad sequendum Christum. Per illos autem qui biberunt manu aquam ad os projiciente, significantur illi, qui de bonis hujus mundi accipiunt, quantum sufficit ad necessitatem. Ili enim sunt milites ad militiam Christianam aptissimi, et adversus inimicum infernalem insuperabiles, et ab illis solis corona cœlestis gloriæ acquiritur. Lyranus cap. vii *Jud.*

Idem Deus quondam Ezechieli Prophetæ, ad se die quodam accersito, præcepit, ut accepta novacula capillos capitis sui sibi abraderet; eosque adhibita justi ponderis trutina libratos in tres partes æquales divideret, et primam quidem harum partium in medio civitatis igne succensam combureret; secundam vero portionem in minutissimas partes discinderet; tertiam denique in ventos dispergeret. Quo quidem divino præcepto Prophetæ imposito, quoad sensum litteralem, strages populo immittenda, et quas in ea passurus erat, miseriæ significabantur; quia aliqui eorum in igne perituri erant, alii in minutissimas particulas comminuendi, alii

denique velut mancipia in captivitatem abducendi erant. In sensu autem spirituali per capillos bona significantur temporalia, quia sicuti corpori et vitæ corporali superflui capilli sunt, non vero essentiales, cum sint quædam capitis excrementa, ita quoque bona terrena necessariam cum vita spirituali Christiani hominis et cum anima connexionem non habent; mysterium vero, ob quod sic capilli in tres partes dividendi erant, ab Hugone Cardinali his verbis tangitur: Divitiarum prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia in gladium traditur, quia divites hujus mundi suas divitias expendunt, alii in igne libidinis, alii in vento superbiæ, alii in lites et bella. HUG. CARD. *in Ezech.*

Injusti opum corrasores non immerito cygnis comparantur, qui in morte omnium suavissime canunt. Quia et hi morte sua, ceu cantilena suavi, testamento hæredes recreant. Unde Seneca recte: Avarus nihil boni facit, nisi cum moritur. HOLKOT. in *Sap.* lect. LXV.

FUGA. — In magna illa caritatis annona, quæ universam pene terram affligebat eo tempore, quo Joseph Ægypti salvator fieri meruit, magna erat in Ægypto ex præfati Joseph speciali providentia et directione frugum quarumlibet abundantia; unde Ægyptii, ut alias nationes ad se pro frumentis comparandis evocarent, paleas, e quibus frumentum excussum fuerat, in Nilum conjecerunt, ut ex illis deorsum per varias regiones decurrentibus annonæ in Ægypto reservatæ omnibus insinuaretur notitia; omnia in figura contingebant. Etenim Salvator totius mundi, per transitorias hujus præsentis vitæ aquas, paleas decurrere facit, id est, multa nobis bona apparentia, honores videlicet, divitias, delicias et voluptates ob oculos objicit, ut ex illarum palearum vi attractiva et apparentia permoti apprehendere et conjicere valeamus, quod in cœli granario frumentum electorum copiosissime abundet, de quo dicitur: « Triticum autem congregate in horreum meum. » Ibi enim thesauri, gaudia, et gloria stabilis ac vera. MANSI, dis. XXII, n. 13.

Et ideo S. Augustinus nos monet dicens: Ama alteram vitam, et videbis quod ista vita tribulatio est, quacumque prosperitate fulgeat, quibuscumque deliciis superabundet et affluat.

DAMNUM. — Consideratione dignissimum est, quod is, qui opulentissimus, multarumque Provinciarum dominus fuit Job nimirum, Spiritus Sancti instinctu de auro scripsit, dicens: « Ab aquilone aurum venit. » Cur enim aurum potius a regionibus Aquilonaribus, quam ab aliis mundi partibus provenire dicit, cum certum esse constet, aurum ex aliis quoque terræ partibus in magna copia ad nos adduci? Mysterium hujus dicti ex illis Jeremiæ Prophetæ verbis desumi posse existimo, quibus dicit: « Ab Aquilone pandetur omne malum. » Unde enim aurum venit, inde pariter omne vitium derivari necessum est; nam, ut S. Gregorius optime dicit: Ubi aurum placet, ibi et vitium. Dic, sodes, ubinam is qui omnis mali, omnisque vitii auctor et inventor extitit, sedem suam primitus collocavit? Num ad orientem, vel ad meridiem aut occidentem? Minime; quin potius ipsemet dicit: «Sedebo in lateribus Aquilonis. » Et ideo, tametsi omnia vitia laquei sint dæmonis, quibus homines involvit, Apostolus tamen solam avaritiam specialiter *dæmonis laqueum* solemni nomine appellat. Idem, di. I, n. 5.

Hugo Cardinalis, in c. V Ezech. dicit, quod per capillos, quæ pars quædam sunt corporis nostri superflua, bona temporalia et divitiæ significentur; addit tamen, notandam esse magnam inter capillos M. Magdalenæ et Absalonis differentiam, quia tametsi illa capillos suos valde profanaverit, tot animas in lascivos ejus mores illaqueando, eosdem tamen etiam tanta cum pietate et devotione in obsequium Redemptoris adhibere noverat, ut et ipse ejus caperetur amoribus, et cordis ejus præda fieret. De Absalone autem vere dici potest, illum, quot ex ejus vertice capilli prominebant, totidem etiam in capite suo gestasse laqueos, ex quibus in arbore quercus infami modo suspensus remansit. Nostisne aliquam differentiæ assignare causam? Non est alia, quam hæc; quia capilli Absalonis laquei erant dæmonis, quia hactenus specialia avaritiæ fomenta præbuerant; per quæ quis peccat, per hæc et torquetur; etenim non obstante, quod tanti Regis filius esset, nihilominus capillos suos vel comam capitis sui detonsam vendebat, et in ea negotiabatur: « Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. » I REG XIV.

Quid magis admirandum audiri potest? etc.

S. Augustinus sequens movet dubium, cur videlicet Deus non æque arboribus et

plantis benedixerit, ac aliis creaturis ? et respondet, ideo id Deum non fecisse, quia arbores per fibras et radices in lateribus terræ inhærent. Cum igitur homines arboribus sint similes, unde et Philosophus hominem arborem inversam appellabat, et Psalmista de eodem dicit : Quod sit « lignum quod plantatum est secus decursus aquarum ; » hinc est, quod Deus arboribus non benedicendo insinuare nobis voluerit, se benedictiones suas cœlestes nequaquam communicare illis, qui affectibus et cogitationibus suis bonis terrenis immersi hærent. S. Aug. *in* c. xv *Gen.*

Refert Magister Henricus de Gandavo in suo Quodlibeto, quando Constantinus dedit Ecclesiæ bona temporalia, vox fertur audita fuisse : Hodie cecidit venenum in Ecclesia Dei. Id tamen accidisse narrat propter malorum abusum. Quis autem est, qui Constantinum Magnum fidem et religionem Christianam de interitu periclitantem restituisse, et stabilivisse nesciat ? Et tamen ex altera parte, quando illam bonis temporalibus adauxit, valdeque locupletem fecit, eidem præjudicium quoddam intulisse dici potest, non quidem ex intentione et culpa ipsius, sed eorum culpa, qui divitiis illis in pravos fines abutebantur. Mansi, disc. xiv, n. 2.

In carcere Pharaonis, Regis Ægypti, duo ex regiis servis ejus detinebantur captivi, pincerna videlicet regius, et magister pistorum, qui ambo dominum suum graviter offenderant ; ambo in somnis visionem habuerant, sed valde inter se differentem, quas Josephus utrique declarans, primo regiæ gratiæ redintegrationem, alteri vero pœnam capitalem prædixit; cujus porro presagii multæ quidem adduci possent rationes, verumtamen ea, quæ ad præsens nostrum propositum pro sensu morali aptissime quadrat, hæc est, quia scilicet pincerna tali fungebatur munere, in cujus executione manus suas coinquinare necessum non erat ; siquidem acceptum cyathum disco imponebat, vinumque ei infusum Regi bibendum propinabat, quæ omnia sine ulla manuum suarum coinquinatione facillime facere poterat; magister vero pistorum non item ; hic enim massam continuo tractabat, quæ ubi manibus ejus adhærescebat, easdem farina conspersas, et non aliter a massæ glutine depurare poterat. Omnia in figura contingebant. Etenim historia hæc monet illos, qui mundas manus non habent, qui terrenis rebus immersi vivunt, iisdemque accumulandis continuo student ; monet, inquam, illos, ut sibi ab ira Dei, et a condemnatione æterna diligenter caveant, eo quod manus suas semper immundas habeant ; placent enim illis res alienæ, moxque visas concupiscunt ; rapinas et extorsiones continuo committunt; suntque bona temporalia, veluti massa quædam, quæ faciliter æque ac tenaciter ea tractantibus adhærescit. Unde Albertus Magnus super illa verba Psalmi : « Nolite cor apponere : » hanc glossam adjicit, quasi dicat : habere, non damno, sed affectum ponere in illis, reprobo, hoc enim est, quod divites reprobos efficit. Id. disc. xvi, n. 8.

Quando in tempestatibus maritimis periculum est submersionis, aut naufragii, nautæ se invicem alligare solent rei alicui, quam in navi habent, maxime autem alicui tabulæ vel trabi, aut asseri ligneo, sperantes, quod dum huic arcte alligati in superficie natant, tandem aliquando salvi ad littus maris sint perventuri ; quod si vero aliquis ferro vel massæ aureæ, vel argenteæ firmiter se astringeret, quæ natura sua fundum peteret, nequaquam vero in aquarum superficie natare solet, is utique omni foret spe periculum evadendi frustratus ; siquidem una cum illis in fundum usque demergendus foret. Ad eumdem quoque modum hæc est ingens avari præ cæteris peccatoribus infelicitas, quod scilicet ambitiosi adhærescant honoribus, dignitatibus ; luxuriosi crapulæ ; iracundi vindictis ; cumque hi affectus quantumvis immoderati sint, tandem nihilominus sive per seniles ætatis annos, sive per illarum continuum usum, sive per infirmitates, aut aliud quodvis simile accidens moderantur, vel certe totaliter deficiunt ; cujus contrarium fit in peccato avaritiæ, utpote quæ non solum per annos quantumvis decrepitæ ætatis ; verum etiam per divitiarum incrementum magis semper magisque adaugetur, ac proinde etiam vicinæ mortis tempore avarum non deserit, sed æque firmiter ei adhærescit. Id. disc. vi, n. 4.

Unde Hugo Cardinalis signanter dicit : Mergunt, quia divites ad modum naufragantium, quod tenent, vix dimittunt.

Videmus quotidie, quod, dum a piscatore vermiculus aut alius gratus cibus in aquas cum hamo projicitur, omnes certatim accurrant, ut illum aliis præripiant, illique, qui cum una cum hamo deglutivit, alii quasi

invideant; sed immerito, cum potius eidem compati suo modo deberent, quia nondum retraxit hamum piscator, quem ubi retraxerit, cibus ille causabit, ut paulo post ex suo, cui innatabat, elemento extrahatur agonizans, moxque torrendus vel assandus superimponatur carbonibus. Idem quoque multis accidit, qui in hac præsenti vita pinguibus hæreditatis opulentæ, vel insignis fortunæ, vel dignitatum, dominiorum, deliciarum, voluptatum, aliarumque prosperitatum temporalium bolis, juxta cordis sui votum impinguantur. Sed caveant sibi tales, nondum retraxit hamum piscator, ipsi hamum, quem una cum cibo deglutierant, intra fauces suas habent, nec tamen id advertunt, quod præcipuum et manifestum est æternæ reprobationis suæ indicium: « Recordare, quia recepisti bona in vita tua ; » sed quænam hinc nascitur consequentia? Hæc cruciatuum causa tota. Etenim in hac vita gaudere, ad ignem infernalem hominem condemnat: « Sicut pisces capiuntur hamo,» inquit Sapiens, et « sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo cum eis extemplo supervenerit interitus ; » aves enim lætæ prorsus hinc inde circumvolant, dum esca sub laqueo vel reti recondita sese nutriunt ; pisces pariter festivi in aquis circumnatant, seque hamum una cum injecta aquis esca deglutisse ignorant, et tanto facilius ambo mortis in prædam cadunt. Idem quoque multis mortalium accidit, qui in hac vita felicissime vivunt, quando enim se sibi in hoc mundo verum quemdam stabilivisse paradisum credunt, quando in prosperrimo humanæ felicitatis statu degunt, rota fortunæ protinus eversa circumvolvitur, sol ad occasum vergit, ipsique ad infernum ex improviso aguntur præcipites. Id. disc. VI, n. 5.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Cain legitur primus ædificasse civitatem, sed non Abel, quia sancti non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt.

Semiramis Regina sepulchro suo inscribi jussit : Si quis Rex pecunia indiget, hoc monumentum diruat. Cum ergo Darius cupiditate pecuniæ allectus, sepulchrum aperiri jussisset, nihil nisi hæc verba scripta invenit : Nisi esses insatiabilis, sepulchrum mortuorum non attingeres. Stelianus, ap. March. tr. *Tub. Post.* lect. 3.

Quod quidam de Magnatibus cecinit, pariter omnibus avaris applicari potest :

Cuncta trahunt ad se magnates aurea, sicut magnetes ad se ferrea cuncta trahunt. Ib. lect. XII.

Turoni, cum Rex Galliæ Ludovicus XI culinam sub habitu nobilis communis intrasset, et adolescentem veru vertentem quæsisset, quantum lucraretur? audivit respondentem : Lucror tantum, quantum Rex ipse. Cumque Rex iterum quæreret : Quid ergo Rex lucratur? Iterum ille respondit : Victum et amictum, tantumdem et ego. Sed ille a Deo, ego vero ab eo, dum illi inservio. Quo responso Rex delectatus, eum postea ad honores evexit. Ibidem, *lect.* II.

Recte cecinit Horatius ironice :

O Cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos. Sic Janus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt juvenes dictata, senesque.
Horat. l. I, ep. I.

Nec minus vere et argute Menander cecinit :

Tantum dato,
Ipsos habebis vel ministrantes Deos.
Menand. *apud Stobæum.*

S. Gregorius Nazianzenus potentiam auri sic expressit.

Vinum asserebat quisplam omnia vincere,
At feminam alter, tertius palmam dabat
Vero, dedissem ast robur ego quam maximum
Auro, arbitratu cuncta quod regat suo.
S. Greg. in *Carm. de sua vita.*

Alius sic eamdem potentiam expressit :

Audito nummo, quasi viso Principe summo,
Dissiliunt valvæ, nihil auditur, nisi salve.
Engelgr. *in cælo Emp. die* 1 *Bacch.*

E contrario vero :

Qui caret argento, frustra utitur argumento.
Pauperibus semper curia clausa Codris. Ibid.

Ovidius quoque symbolam suam conferens breviter, sed recte, cecinit.

In pretio pretium nunc est, dat census honores.
Ovid. L. I *Fast.*

Fructum vero avaritiæ suppressæ sequentibus versibus pulchre expressit Horatius.

Quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te cœlestis sapientia duceret, ires.
Hoc studium summi semper tractemus, et imi.
Horat. in *Epist.*

Imperator Trajanus thesaurum Principum

lieni non male comparavit; ut enim crescente liene reliqua membra tabescunt; sic crescente fisco (vel cujusvis avari divitiis) debilitantur facultates. SEXTUS AURELIUS in *Vita Julian.*

Augustus Imperator suos officiales spongias vocabat, quas, cum impletæ essent opibus, ipse exprimeret. FAB. conc. I, *in Dom.* 5 *post Pent.*

DAMNUM. — Si pecuniam habes, inquit Seneca, necesse est, ut te ipsum, aut pecuniam vilem habeas. SEN. Ep. XV.

Pecuniæ oportet imperare, non servire. Pecunia si uti scias, ancilla est, si nescias, domina. Idem, *in Prov.*

Hortulanus quidam, cum prius omnem pecuniam in egenos distribuisset, postea autem seductus a diabolo congregare et parcere cœpisset, subito putrefacto pede omnem pecuniam in medicos erogare debuit. Unde, cum rogasset a Domino misericordiam, stetit Angelus noctu coram ipso, et dixit: Ubi sunt nummi tui? Ubi spes tua? Et cum peteret veniam, Angelus tangens pedem sanavit. Vide fusius l. c. *Vitæ PP.* l. V, libel. VI, n. 21.

Cum Sigismundo Imperatori quondam ex Hungaria quadraginta millia aureorum allata essent, ea de causa dormire non potuisset, mane is fortissimos militiæ duces ad se evocavit et his verbis allocutus est: Ecce crudelissimos hostes, ac tortores acerrimos, a quibus nulla mihi data requies, nullus oculis sopor. Ite proin, et eos ex gazis educite, et inter vos æqua sorte dividite. Illis deinde cum gaudio abeuntibus, ipse quoque gaudens dixit: Recessit a me tortor, qui me flagellavit; securius modo quiescam. SOLINUS l. IV *in Alphonso.*

Recte ergo S. Cyprianus dixit: Inter divitias trepidum sollicitudo discruciat, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia. S. CYPR. ep. II *ad Donat.*

Bernardus, Pipini frater, Caroli Magni nepos, conjurationis reus, impetravit, ne sibi, quemadmodum reliquis ejusdem factionis, oculi stylo ferreo eruerentur, sed aurea pelvi solis radiis opposita, in eamdem continenter fixam oculorum aciem intendens, ad fulgorem auri excæcatus est. PONTANUS, *in Bellar.* p. II, c. XXVII.

Idem quoad internum oculum avaris contingit. Hinc S. Ambrosius ait: Cæca est avaritia, non videt, quæ divinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis. S. AMBR. l. LIX.

Mydas, Rex Apolloniæ, petiit ex magna avaritia, ut, quidquid tangeret, aurum fieret. Id vero cum obtinuisset, munus in ultionem conversum est, ut cibus et potus in auri naturam obrigesceret. Qua fabula pulchre avarorum stultitia et miseria significatur. OVID. lib. II *Metam.*

Recte Petrarcha: Virtutum nutrix optima est paupertas, opulentia vitiorum. Multos pavidos et imbelles, omnes tumidos ac superbos, nullum penitus virum fortem fecere divitiæ. Qui thesaurum congregat, sibi, curas et invidiam, hostibus stimulos, furibus sollicitudinem addidit. PETRARC. l. I, *Dial.* 300.

Quidam pater, cum filio multas pecunias relinqueret, iste autem omnes in arcula servaret, nec ad utiles usus impenderet, abeunte quondam Romam filio, extractos saccos pecunia spoliavit, et iisdem magnificam domum instruxit, omniaque ad summum splendorem comparavit, saccosque arena iterum repletos antiquo loco reposuit. Quos cum filius rediens apertos arena plenos reperisset, et ideo apud patrem de furto quæstus fuisset, respondit pater: Quid refert, o fili, apud te; arenane, an pecunia pleni sint sacci, cum neutro modo utaris? ingeniose scilicet tenacitatem filii taxans. Ib. lib. II.

AXIOMATA.

Lapis Lydius auri index, aurum hominum. CHILO LACED.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. JUVENAL. *sat.* XIV.

Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet.

Et genus, et formam regina pecunia donat.

Seu, ut alii, pecuniæ obediunt omnia. S. HIERON. ep. CIII.

Nulla ditari ratione potestis, avari,
Vos faciunt inopes, quas cumulatis, opes.

Male parta, male dilabuntur. FLOR. p. IV, f. 381.

AUCTORES.

Bernardus Rosignolius l. II *de Discipl.* c. XVI.

Cassianus l. VII *de Instit. renuntiat.*

Ludovicus Granatensis in *Duce peccatorum* l. II, c. V, f. 619.

Jacobus Marchantius in *Horto Pastorum* et *Tuba Sacerdotali* tract. II.

Josephus Langius v. Avaritia, in *Polyanthœa.*

Jacobus Alvarez to. II, l. I, p. II, c. VII et VIII.

Joannes Busæus in *Panario* v. Avaritia.

Petrus Canisius p. III *de* 7 *Vit. capital.* § 4.

Thomas Stapletonus in *Promptuario text.* in Domin. 2, post Pent. et text. III in Dom. 12, et text. V, in Dom. 19. Item text. VIII in Dom. Quinq.

Henricus Hengelgrav. in p. II *Cœli Empyr.* in Festo S. Matth.

Matthias Faber conc. I in Domin. 8 post. Pent. et conc. IV, in Dom. 16.

Josephus Mansi in *Bibl. Moral.* tr. VIII.

BACCHANALIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Sunt tempus jejunium Quadragesimale antecedens, quo homines genio suo liberalius solent indulgere. Quorum originem Matthias Faber Ægyptiis adscribit, et ab his Orpheo magistro ad Græcos, inde ad Romanos, et tandem ex Italia trans Alpes in Germaniam translata, totum denique orbem pervasisse ait. Celebrabantur autem apud Romanos noctu a nudis feminis ac viris, nisi quod circa caput et femoralia pampinis et uvarum racemis cingebantur. Sicque tumultuario invicem commixti cœtu, in sublime saltantes, variaque gesticulatione caput et brachia moventes, carmen inconditum Baccho cantabant, nec prius a saltatione cessabant, quam defatigati, et toto corpore vacillantes, aut in proximum sibi socium resupinarentur, aut in pavimentum velut fanatici et amentes proruerent. Fab. conc. IV *in Quinq.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Sedit populus manducare et bibere, surrexerunt ludere. Exod. XXXII, 6.

Usquequo facies peccatorum sumitis ? Ps. LXXXI, 2.

In medio laqueorum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis. Eccl. IX, 20.

Fuga. — Videte, Fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Eph. V, 15.

Sicut enim dicitur mala esse domus, quæ malos habitatores habet; ita dicuntur dies mali, in quibus mala fiunt a malis hominibus, ait recte S. Remigius.

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum. Rom. XIII, 12.

Tempus flendi, tempus ridendi ; tempus plangendi et tempus saltandi. Eccl. III.

Risum reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Eccl. V.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo cum idolo? II Cor. VI.

Ibunt in adinventionibus suis. Psal. LXXX.

Obsecro vos, Fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, et nolite conformari huic sæculo. Rom. c. XII.

Damnum. — Ecce ascendimus Jerosolymam et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis : tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur. Luc. XVIII.

Omnes, qui ad spectaculum processerant, trucidavit. II Mach. c. V.

Descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quoniam modicum tempus habet. Apoc. XI.

Adhuc carnes eorum erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus; et ecce furor Domini concitatus est in populum, et percussit eum plaga magna nimis. Num. XI.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquosa (id est, voluptatibus carentia) quærens requiem et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Luc. II, 24.

Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus, et vir non eruet eam de

manu mea. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus. OSEÆ II, 10.

Absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium, omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordibusque, ita ut non esset ultra locus. ISAIÆ XXVIII, 7.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus,et ecce futur Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis. *Num.* X, 33.

Violabant me propter pugillum hordei et panis fragmentum, ut interficerent animas, quæ non moriuntur. EZECH. XIII, 19.

Irretivit eum (Bacchus) multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eum sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transigat sagitta jecur ejus. PROV. VII, 21.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

FUGA. — Si medici pharmaca dare volentes jubent interea temperanter agere, ne minus pharmaca operentur; multo magis jejunium suscepturos tenuitate victus mentem expurgare, et leviorem reddere oportet S. CHRYS. hom. I in Gen.

Athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunandum temperantia præparatur, ne velut ulciscens veniat dies jejunii. S. BASIL. hom. I *de Laud. jejun.*

Non est per temulentiam aditus ad jejunium, nec ad justitiam iter per fraudem, nec ad sobrietatem per lasciviam, nec per malitiam ad virtutem. Crapula et ebrietas ad lasciviam inducunt, ad jejunium frugalitas. Ibid.

Quis cras pudicam uxorem legitime ducturus, hodie scorta et concubinas inducat in ædes? Aut quæ uxor legitima tale pateretur connubium? Idem, h. II *de jejun.*

Nullus servus hero suo reconciliari cupiens, hostem illius patronum adhibet. Ebrietas inimica est Deo. Itaque si cupis per confessionem reverti ad Deum, fuge temulentiam, ne magis etiam abs te Deum alienes. Idem.

Heu, quid facis, o homo? Nemo uxorem castam in matrimonium ducturus, pellices ac meretrices præassumit, secumque habitare facit; nam mulier honesta ferre non poterit, ut scorta una secum habitent. Noli igitur et tu, cum inedia corpus tuum macerare vis, ebrietatem prius introducere, ebrietatem, inquam, quæ nihil aliud est, quam publicum scortum, quam bacchans et furens mulier, ad omne genus turpitudinis prompta ac parata. S. BASIL. Orat. V *de jejun.*

Quis est adeo doloris expers, ut non doleat, cum in ea, quæ ad diabolum pertinent, plus studii conferri cernat? Atqui nulla spes veniæ nobis, vel excusationis reliqua esset, si vel æquale studium conferretur, cum autem etiam longe superet, quis nobis defensionis locus relinquitur? Quotidie nos invitant spectacula, nec ullus pigritatur, nullus est qui cunctetur, nullus est qui negotiorum occupationes obtendat, sed tanquam expediti, et omni cura soluti occurrunt omnes, non canitiem senex reveretur, non ardorem naturæ ac libidinis juvenis suspectum habet. S. CHRYS. t. V, sect. XLVIII.

DAMNUM.— Est tempus hoc tempus descendendi de peccato in peccatum, et perducens ad infernum, et ideo dicitur: « Tenent tympanum, et citharam, et ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt.» S. VINC. FERRER. s. III, *in Quinq.*

Spectacula etiam juxta nostram professionem opera sunt diaboli. Quomodo, o Christiane, spectacula post Baptismum sequeris, qui opus diaboli esse confiteris? Renuntiasti semel diabolo, semel et spectaculis ejus; ac proinde necesse est, prudens et sciens, dum ad spectaculum remeas, ad diabolum te redire agnoscas. SALVIAN. lib. VI, *de Provid.*

Vide retia inextricabilia, quæ dæmon inimicus noster hoc tempore nobis tendit; vide fossas peccatorum, in quas tot homines cæco quidem modo præcipites agit; vide innumerabilium animarum prædam, quam hoc tempore sibi surripit. Quid plura? vide, inquam, quantum hodie Satanas triumphet, quomodo in hoc populo tuo regnet, et tyrannizet; idque non solum quoad plebeios toto anno vitæ vanitati deditos, verum etiam persæpe quoad illos, qui alio anni tempore bonam habent animæ suæ custodiam, et a mundo sapientes esse existimantur. S. CAROL. BOR. *Act. Mediol.* p. 1151.

Ubi citharæ et chori, ac plausus manuum, ibi virorum tenebræ et mulierum perditio, Angelorum tristitia, et diaboli festum. S. EPHR. tom. I, *de abstin. a lud.*

EXEMPLA SACRA ET CATHOLICA.

FUGA. — Romanorum Senatus sacra aut

sacrilegia potius ad extremum per totam Italiam abolevit, ita ut ne nomen quidem Bacchanalium audire amplius voluerit. S. Aug. l. VII, *de Civ.*

Regina Galliæ, uxor Ludovici XIII, post gravem morbum superatum, quindecim aureorum millia, quæ in larvarum tripudium destinaverat, voto, quod in extremis fecerat, exolvendo, in piam causam impendit, restitutæ vitæ pretium. Mancinus, *de Pass.* l. IX, p. 668.

S. Gertrudis, quia viderat Christum triduo Bacchanaliorum ad similitudinem languentis supra pectus suum recumbere, per totum illud tempus nihil aliud investigavit, quam ut orationibus, silentio, et cæteris afflictionibus pro emundatione mundanorum hominum insudaret. Quod obsequium quam gratum illi fuerit, ostendit illi per aliam visionem, quando eidem in throno gloriæ sedens, cum S. Joanne Evangelista scribente apparuit, et, cum ipsa, quid S. Joannes scriberet, quæsiisset, respondit, omnia opera et obsequia per hoc tempus bacchanalium ab hominibus sibi impensa eum scribere, ut ipse quidem (Christus) eis mensuram bonam post mortem reddat, postea vero cum hac charta etiam ad Patrem æternum eos ducat, et mensuram coagitatam et superfluentem gratiæ ac gloriæ ipsis impetret. L. II in fin. xiv et xvi.

S. Maria Magdalena de Pazzis sæpe noctu se proripiebat e lecto, et ibat ad SS. Sacramentum, ibique prostrata in terra amare deflebat Dei offensas, et petebat salutem animarum, præsertim bacchanaliorum tempore, quo Deus magis offenditur, quo et augebat pœnitentias et preces pro peccatoribus, aliasque moniales ad hoc excitabat. *Vita* p. IV, c. xxiv.

S. Catharina Senensis toto hoc durante bacchanaliorum tempore, pro majori parte noctis in profunda oratione absorpta erat; dato autem signo, quo aliæ sorores ad Matutinum decantandum accersebantur, ipsa licentiam sibi a Deo dari postulabat, ut per modicam quietem membra corporis nonnihil restaurare posset, hoc enim commodiori tempore fieri non posse credebat, quam illo tempore, et hora, quo multi diversorum ordinum religiosi, et religiosæ Deum psallendo in cordibus suis laudabant. Mansi, disc. xiii, n. 4.

In Chronicis S. Francisci de quodam Patre F. Michaele de Barea magnæ sanctitatis viro legitur, quod tantam peccatorum, quæ hisce diebus libere committuntur, habuerit displicentiam, ut ad locum, ubi mulieres ad tripudia, et choreas instituendas congregatæ erant, accedens, unamquamque illarum seorsim his verbis fuerit obtestatus : Quod si mihi, o benedicta filia, promiseris, quod ex puro amore Dei illum per hæc tripudia, et alia hujus temporis peccata offendere nolis ; vicissim sancte tibi polliceor, quod te toto hoc anno Deo per orationes specialissime recommendabo ; hisque promissis, plurimas illarum a vanitatibus illis frequenter abstraxit. Accidit quoque, quod hisce diebus locum quemdam, qui *caligarum* dicitur, ubi varii profani lusus exercebantur, accedens, in medio ludentium tanta cum fervore indictorum ludorum detestationem prædicaverit, ut multos præsentium non solum pro illo anno, sed et pro aliis sequentibus a similibus lusibus sæcularibus deterruerit. *Chron.* v, Franc. p. III, l. VI, c. xxvv.

In vita S. Luduvinæ virginis legitur, quod dum hæc pientissima virgo, instar Jobi ulceribus pleni et afflicti, variis morbis excruciaretur, audito ingenti quodam dissolutorum hominum strepitu in plateis hoc bacchanaliorum tempore excitato, postquam de causa illius sibi adstantes domesticos interrogasset, eidem responsum fuerit, hosce clamores a nonnullis consuetis recreationibus operam dantibus excitari ; quod ipsa audiens zelo reparandi honoris cœlestis sponsi sui, qui illis profanis diebus conculcabatur, mota, eumdem sponsum suum enixe rogavit, ut pro diluendis profanorum istorum hominum offensis afflictum corpusculum suum novo quodam et vehementi morbi genere dignaretur exercere ; et ecce subito gravissima quadam infirmitate correpta fuit, quæ acerrimos ei accersivit dolores, qui per totam Quadragesimam usque ad Pascha Resurrectionis sine ulla intermissione continuarunt. *Vit. S. Ludiv.*

S. Gertrudis, quia Sabbato bacchanaliorum tota in Deum absorpta, ab omni se applicatione exteriori sequestrabat, ideo Deus illam summa cum benignitate in sinum suum recepit ; ubi tanta cœlestium consolationum abundantia fruebatur, ut sibi plane videretur, quod simul cum Domino suo de omnibus cœli terræque Regnis libere disponere posset. Ad hæc cœlestis ejus sponsus dixit ei : O dilecta mea, tu hodie facta es protectrix mea, ita enim tibi persuasum et decre-

tum esse scio; quod si sana esses, libenter pro me laboratura esses, ut securus efficerer ab iis injuriis, quibus hoc tempore specialissime offendor, ac proinde cum hodie passim ab omnibus repellar, ad te veni, ut meam in te quietem habeam. *Vit.* l. IV, c. XV.

Eidem virgini Christus Redemptor noster in Dominica Quinquagesimæ eodem modo et forma apparuisse legitur, in qua flagellatus et inter duos lictores circumductus fuit, quorum unus spinis caput ejus cingere, et dolorosissime pungere videbatur. Cumque S. virgo funestum hoc et lacrymabile spectaculum memoria sua circumferens, ad amarum fletum incitata, stagnantibus præ lacrymis oculis eum sciscitata fuisset, an aliquis hunc ejus dolorem mitigandi modus excogitari posset, Christus cœlestis sponsus ejus ei respondit: Quod si quis amaram passionem meam devoto et amoris pleno corde ad mentem serio revocaverit, seque exinde in corde suo compungi sentiens, pro peccatoribus Deum precatus fuerit, is utique suavissimum afflicto cordi meo emplastrum conficiet, quo mediante dolor hic meus mitigari, et lenior ac tolerabilior fieri possit. Ibid.

Damnum. — Annales Ecclesiastici de Episcopo quodam referunt, quod is, quia Joannis nomine insignitus erat, in festo S. Joannis Evangelistæ, multas feminas nobiles ad tripudiandum invitare consueverit, cumque ipse in medio illarum diu choreas velut choragus duxisset, repente cadens miserabili morte expiravit, mortuus, non ut Episcopus, non ut Sacerdos, sed veluti histrio; mortuus non in atrio, sed in theatro; non in loco sacro, sed profano; non in Ecclesia, sed chorea. *Annales Eccl.* Anno 1352, n. 31.

Cum Bacchi (qui, Num. 25. Beelphegor nominatur) festum celebrarent, et cum filiabus Moab fornicarentur Israelitæ, præcepit Deus Moysi, ut tolleret cunctos principes populi, et contra solem in patibulis suspenderet, et prætera unusquisque occideret proximos suos, qui Beelphegor initiati sunt. Num. XXV.

Cum populus Israeliticus sedisset manducare et bibere, et surrexisset ludere mandatum est Moysi, ut occidat unusquisque fratrem, et proximum, et amicum suum, sicque viginti tria millia hominum occisa sunt. Exod. XXXII.

Dum Carolus VI, Rex Galliæ, in nuptiis nobilis cujusdam, leonis vestem et larvam cum aliis quinque assumpsisset, saltibusque jucunde, spectante tota aula, vacaret, Ludovicus Aurelianensis Regis frater studio clarius videndi, eorreptam facem admovens, et regem, et socios ita accendit, ut quatuor misere statim perirent, unus in cellam properans, et aquæ vinoque se immergens servaretur; Rex ipse uxoris Biturigis caudata veste involutus difficulter ab interitu vindicaretur. Fab. con. IV, *in Quinq.*

In Germania, anno 1570, cum Comites aliquot Hohenloenses Eberhardum consanguineum suum in arce Waldenberga visitassent, et, ut bacchanaliorum tempus invitabat, faunorum personis et vestibus assumptis spectaculum jucundum matronis facere voluissent, ex aleis, quibus hospites ad lusum incitabant, una in terram cecidit, quam dum puer personatus attollere conatur, funalis incautius adhibiti flammam concipit, cui, dum Eberhardus succurrere parat, etiam ipse, ac paulo post et socii juvare volentes flamma corripiuntur. Concurritur ergo ad labrum vicinum, quod Comes in hunc eventum aqua impleri jusserat, at illud jam exauerat. Alius, qui vas plenum aqua attulerat, in ipso limine offendens concidit, aquamque effudit; alterius aquam ferentis cadus fatiscens, auxilii desperatione calamitatem auxit. Sic ergo intra tres horas tres comites misere exustulati perierunt. Ibid.

Quidam, ut tempore bacchanalium liberius insaniret, pictorem, qui faciem ei personatam pingeret, vocari jussit. Sed pictor aquis tantum coloratis eum illinebat potius, quam pingebat. Unde is personatum se putans, cum plurimas ineptias peregisset, omnium ludibrio se exposuit, et magno tandem cum dolore fraudem pictoris agnovit. Ib. conc. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Poliverius Manaræus, dum Laureti degens intelligeret, tempore bacchanaliorum comœdiam publicam et infamem apparari, et frustra aliis mediis impedire conatus esset, orationem quadraginta horarum in Sacello Lauretano magnifice ad hunc finem adornato instituit, sicque omnes homines a comœdia abstraxit, atque ad celebritatem sacræ ædis attraxit. Barry. *In devot. ante Cin.* c. VI.

Gandiæ, pridie cinerum, sex e nostris, vertice ac pedibus nudi, longo fune a cervi-

cibus pendente, duo etiam flagellis terga cruentantes, cæteri cum cruce et calvaria in manibus, concionabundi celeberrimas urbis vias obivere. *Imago* I *sæc.* l. III, c. IX.

Anno 1553, Bononiæ, feria quinta pinguiore, sodales prope quingenti, facie horridi, quinque partitam aciem instruxere : præibant in primo agmine centum sub crucis vexillo, trabali cruce onusti. Secunda centuria mortis Calvarias portabat. Tertia sub extremi judicii signis processit. Quarta sub inferni labaro flammeis facibus ardens et minax. Quintam Beatorum cœlestis Archistrategus ducebat. Quo spectaculo mire spectatores commoverunt, et ad pœnitentiam ac compunctionem incitarunt. *Lit. ann. Venet.* 1553.

Anno 1640, sodales Parthenii primariæ congregationis assumptæ Virginis, ut feriis antecineralibus populum a profana licentia ad pietatem et devotionem avocarent, novem florenorum millia in extemporaneam tridui solemnitatem expenderunt. Nam molem centum viginti palmis altam, octoginta latam pulcherrimis statuis, imaginibus, historiis emblematibus ad stuporem exornarunt, et quatuor mille luminibus illustrarunt, ubi res divina solemnissime ab Archiepiscopo Rodiensi, præsentibus septemdecim Cardinalibus, et omnibus prope Romanæ curiæ prælatis, principumque oratoribus celebrata, magnoque populi concursu per totum triduum facta fuit. *Imago sæc.* lib. III.

SIMILITUDINES.

FUGA. — Sicut morigeri filii, dum patrem a fratribus vehementer irritatum advertunt, diligenter cavent, ne aliquid committant; quo patrem amplius offendant; ita boni Christiani, dum tempore bacchanaliorum vident Patrem cœlestem gravissimis peccatis ad justissimam iram concitatum, sedulo ab ulterioribus offensis abstinent, et potius pro se et fratribus placare piis obsequiis et precibus student.

Sicut a quolibet magis acceptatur beneficium exhibitum in adversitate, quam in prosperitate; sic et ego (dicebat Christus ad S. Gertrudem) magis accepto fidelitatem illam quæ mihi hoc tempore (bacchanaliorum) exhibetur, quo mundus plus peccando me infestat. l. IV, c. XVI.

Sicut mulier videns filios suos cum occisoribus patris sui fœdera pepigisse, ludere, convivari etc. subuculam viri sui sanguine conspersam profert, ut ea ostensa filios a consortio homicidarum abstineat; ita Ecclesia hoc tempore bacchanaliorum passionem Christi in Evangelio proponit, ut per ejus considerationem a peccatis absterreat homines. STAPL. tex. I *Quinquag.*

Sicut merito reprehendimus eos homines, qui equos conductitios, quando finis itineris appropinquat, tam improbe agitant et vexant, ut ad longum tempus inutiles existant; ita non minus carpendi sunt, qui ita per bacchanalia gulæ et ebrietatis peccatis se onerant ac gravant, ut postea ad quadragesimale jejunium ac pœnitentiam inhabiles existant. Ibidem.

MOTIVA.

Quia bacchanalia sunt contra finem ab Ecclesia intentum; uti Josephus Mansi ostendit, sic discurrens : Inter cæteros, qui in hunc mundum irrepserunt, errores, unus hic est, quod, quia paulo post in decursu Quadragesimæ, jejuniis, mortificationi, pœnitentiæ et solitudini nobis vacandum est; ideo hoc tempus quadragesimale jejunium immediate præcedens, recreationibus, ludis, spectaculis, choreis, comessationibus, aliisque similibus dissolutionibus, et vanitatibus jure merito transigendum esse censeatur. Hoc autem falsum est, quia in Dominica Septuagesimæ, in qua mundani bacchanalibus celebrandis se accingere solent, Sancta Mater Ecclesia longe contrarium nos docet, dum ita canit : « Circumdederunt me gemitus mortis etc.» Unde venerab. Ivo Carnotensis, in sermone de Septuagesima, ita scribit : Sub typo universi temporis commendati sunt nobis specialiter hi septuaginta dies, quibus recitatione lectionum et canticorum, casum humani generis recolimus, ut mortalitatis nostræ dolores attendentes quotidie doleamus. Unde in introitu hodiernæ Missæ, Sancta Ecclesia per lapsum primi parentis mortem sibi illatam esse deplorat. MANSI, tr. IX. disc. I, n. 3.

Quia stulta est eorumdem bacchanaliorum celebratio, si peccatis sit conjuncta. Quid enim, inquit idem auctor, de sapienti quodam viro diceres, qui se lavare et mundare volens, prius manus et faciem, ac totum corpus atramento totaliter defœdaret, utique

rationis et judicii deliquium pati assereres. Et revera ita est; et ideo bacchanalia nos recto rationis usu destituunt, adeoque hoc tempore vere stultorum infinitus est numerus. Idem, disc. III, n. 4.

Quia diabolicum inventum sunt; uti S. Chrysostomus indicavit, dicens : Non est hoc eorum, qui ad æternum Regnum vocati sunt, quique sunt in cœlesti illa civitate conscripti, non est spiritualia arma gestantium, quod certe proprium est diabolo militantium; ille enim est ille, qui etiam in artem jocos ludosque digessit, ut per hæc ad se traheret milites Christi, virtutisque eorum nervos redderet molliores; propterea in urbibus etiam theatra construxit, et illos risuum ac turpium voluptatum incentores paravit, ut per illorum lucem universas prorsus urbes communi peste corrumperet. S. Chrys. hom. VI *in Matth.*

MEDIA.

Ad illa eliminanda. — *Exempla bona abstinentium;* ita S. Carolus Borromæus suasit, dum dixit : Quod exempla bonorum magnam in se efficaciam habeant, ut eos, qui totaliter depravati non sunt, ad ea imitanda invitent; ac proinde eo ipso, quo exercitia spiritualia hisce diebus tractabuntur a bonis, hoc saltem obtenturi sint, ut non omnino mali ad eadem sectanda facile se induci permittant. *Vit.* S. Carol. l. VII, c. VII.

Prædicatio fervens, qua abusus bacchanaliorum perstringatur; uti iterum idem Sanctus insinuavit dicens : Verbum Dei fecundum semper fuit et fructuosum, ac proinde nequaquam convenit, ut hisce diebus, quibus mundus pravis suis exemplis prædicando, homines ad mala sectanda hortatur et invitat, ego a prædicando verbo Dei desistam. Tandem ait : Eo tempore, quo multæ animæ ad interitum properare, divinæque iracundiæ flagella a populo provocari conspiciuntur, bonus et sollicitus Episcopus ad placandum Deum, eumque ad compassionem erga peccatores promovendum, ad orationem et pœnitentiam una cum bonis confugere arcte obligatur. Hinc S. Chrysologus tam serio dehortatur: Si quæ sunt viscera pietatis in nobis, si qua est in nobis contemplatio humanitatis, si qua nos habet fraternæ salutis affectio, abstrahamus eos, qui sic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, festini sunt in gehennam. S. Chrys. ser. CLV.

Oratio seria, uti S. Augustinus monuit, dicens : Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda, et effectum ad fugienda, et misericordiam ad dignoscenda. S. Aug. *in Psalm.* L.

Passionis Dominicæ consideratio; quemadmodum S. Ambrosius monuit, inquiens : Non corporalibus vinculis, ut Ulysses, ad arborem alligandus est animus, sed ad crucis signum spiritualibus nexibus vinciendus, ne lasciviarum moveatur illecebris cursumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis. S. Ambr. VIII, XI.

Quod ipsum etiam Origenes confirmans dixit : Certum est, quia ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum; est enim tanta vis crucis Christi, ut, si illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, sed continuo ad ejus præsentiam totus ille peccati et carnis fugatur exercitus. Orig. *in c.* VI. *ad Rom.*

Cœlestium gaudiorum consideratio; uti puella illa experta est, quæ choreis semper valde addicta fuerat, adeo ut illas frequentissime adire desideraret, si id ei a parentibus concessum fuisset; tandem hanc suam in choreas propensionem confessario manifestavit, qui illam interrogavit : Quid si chorearum voluptas per integrum annum quotidie continuanda promitteretur, cum ea tamen conditione, ut unica tantum die ab illis adeundis abstinendo se mortificaret, numquid hanc acceptaret conditionem? Cui cum illa, omnino se hanc conditionem libenter admissuram esse respondisset, subjunxit confessarius : Scito igitur, quod, si te hisce tripudiis, quæ in terris instituuntur, voluntarie ex mortificatione uno tantum die privaveris, perpetuis Paradisi choreis semper et in æternum interesse et assistere poteris. Ad quod illa subintulit : Quod si ita res se habet, ut asseris, libentissime tripudiis terrenis in perpetuum renuntiabo. Ac proinde confessarius, ut illam choreas ac tripudia contemnere doceret, hortatus est, ut verba illa Jeremiæ frequenti meditatione intra se ruminaret : « Ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium. » Item ut illa Davidis verba penes se ponderaret, dicentis : « Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum; » necnon verba illa ex hymno Virginum:

« Quocumque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant, hymnosque dulces personant. » Quæ dum hosce Paradisi cantus melodicos, choreas et gaudia seria meditatione aliquandiu in mente sua revolvisset, suam in brevi tempore animam prorsus immaculatam in cœlum moriens transmisit. SYLVA *Hist.* l. VII, c. I, n. V.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, *quomodo excusationibus bacchanalia inordinate celebrantium occurrere debeat*; quod videlicet illis, qui per Ecclesiæ permissionem dissolutiones bacchanales exercentes se tuentur, et defendunt, idem respondere possumus, quod S. Augustinus contra Faustum his verbis scribit: Aliud est, quod sustinemus; aliud, quod præcipere jubemur; aliud, quod compellimur; emendare præcipimur, et donec emendemus, tolerare compellimur. S. AUG. *contra Faustum* l. II. c. II.

Nosse debet, *quid de spectaculis et comœdiis ludicris sentiendum sit*; nempe quod nihil magis damnosum moribus sit, quam in spectaculis desidere; tunc enim facilius per voluptatem vitia subrepunt, ut Seneca recte notavit. SENECA ep. VII.

Et consentiens Petrarcha: Multum, inquit, mali auribus invehitur, sed multo magis oculis, illis quasi fenestris bipatentibus in animam mors irrumpit, nil potentius in memoriam descendit, quam quod visum subit, facile auditum prætervolat, conspectarum imagines rerum hærent etiam invitis, nec se tamen nisi volentibus ingerunt, perraro et perocyus obituræ. PETRARCHA, c. XXX *de Remed.*

Hinc Clemens Alexandrinus : Prohibeantur, inquit, spectacula, quæ nequitia, verbisque obscœnis et vanis, temere profusis plena sunt. Quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? Quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum movent, scurræ et histriones? Qui autem ex vitio, quod in se est, delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt. S. CLEM. l. IV. *Pæd.* c. XI.

Nosse debet, *quid de larvis sentiendum sit*, de quibus sensum suum S. Carolus Borromæus sequentibus verbis expressit : Proscriptæ sunto in perpetuum omnes larvæ, per quas homines figuram, quam Deus illis indidit, non solum transformare, sed delere student; imo per quas aliqui in turpi illa stultitia eo usque progrediuntur, ut antiquas, in bestias se transformandi, metamorphoses æmulari videantur; sint etiam præter omnem alium respectum maledictæ et execrandæ larvæ, utpote antiquæ ruinæ nostræ, quam dæmon serpentis larva contectus nobis procuravit, nobis refricantes memoriam. Abominabiles larvæ, sub quibus hominibus verba inhonesta eloqui, et in gesta et acta impudicitiæ plena prorumpere, fas esse videtur; sceleratæ larvæ impugnatrices honestatis et pudicitiæ, gravitatis inimicæ, omnisque custodiæ, quam Christiani hominis anima intus forisque habere debet, extrema ruina. S. CAR. p. VII. *Act. Mediol.* VII.

Nosse debet, *quid de choreis judicandum sit*; idem videlicet, quod S. Ambrosius et S. Franciscus Salesius judicarunt, quorum prior sic discurrit : Ibi intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio. Nemo, ut dixit quidam sæcularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit; quod si juxta sapientiam sæcularem saltationis auctor est aut temulentia, au dementia, quid divinarum Scripturarum cautum pucamus exemplis, cum Joannes prænuntius Christi saltatricis optione jugulatus, exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris amentiam? S. AMBR. l. III *de Virg.*

Posterior sic locutus est : Choreæ et tripudia natura sua ex se indifferentia sunt; sed hoc exercitium communiter usurpatum, valde in partem mali propendet, et proinde periculi plenum est. Quia vero noctu, et in tenebris ac caligine plerumque instituuntur, hinc multa opera tenebrosa et vitiosa facile se insinuant in rem, quæ ex se ipsa mali admodum susceptibilis est. Illorum causa vigilatur in multam noctem, unde fit, ut matutinum crastini diei tempus postea depereat, et Deo quis et pietatis exercitiis vacare non possit. Verbo ut dicam, semper stultitia est, diem cum nocte lucem cum tenebris, et opera sancta cum ineptis commutare. Omnes, ad invidiam quodammodo et certatim, secum vanitatem ad tripudia ferunt : ipsa autem vanitas tam evidens est, ad pravos effectus, et periculosos et illaudabiles amores colligendos dispositio, ut hæc omnia facile sit e tripudiis oriri. Hoc tibi, Philothea, de cho-

reis dico, quod de fungis medicorum filii. Nam ut hi fungos optimos nihil valere aiunt, sic ego dico, optima tripudia non admodum esse bona; si tamen fungis tibi vescendum sit, vide, ut bene præparentur, et condiantur; si aliqua ex causa, a qua te non facile queas excusare, tripudia te adire oporteat, vide ut tripudia tua bene sint condita, et præparata. At quomodo, petes, illa condiam? Modestia, dignitate, et bona intentione. Comede parum, et raro, aiunt medici loquentes de fungis, nam quantumcumque bene cocti sunt, copia eorum venenum et virulenta est. Parum et raro tripudia, Philothea, aliter enim si feceris, periculo te expones, ut eisdem affectum applices. Fungi, teste Plinio, cum spongiosi et porosi sint, omnem, quæ sibi proxima est, infectionem et virulentiam facile attrahunt, ut si serpentibus vicini sint, illorum venenum ex vicinitate recipiant. Tripudia, choreæ, et id genus tenebrosa et nocturna conventicula, plerumque vitia et peccata aliquo in loco dominantia (puta jurgia, invidias, irrisiones, et carnales vanosque amores) ad se attrahunt. Et sicuti hæc exercitia, corporis illa exercentium poros aperiunt, ita etiam animi illorum : unde, si virulentus et pestilens aliquis serpens, verbum aliquod lascivum, aliquam ineptiam, et sermonem impudicum auribus tunc afflet; vel basiliscus quispiam impudicos intuitus, et amorosos oculorum nutus conjiciat, facili negotio animi occupantur, et intoxicantur. Unde merito Petrarcha dixit choream esse Veneris præludium, libidinum stimulum, laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces. S. Franc. Salesius *in Introduct.* p. III, c. xxxiii.

Pro quorum confirmatione proderit referre, quod in vita Joan. Baptistæ Vitelli de Fulginio refertur, quod scilicet, dum civitas Fulginiensis pro bacchanalibus solemniter celebrandis magnos sumptuososque apparatus faceret, ipse ad illa impedienda ferventem instituerit orationem, ad quam una cum ipso faciendam aliam quamdam animam valde sanctam invitaverat, quæ, dum oraret. in spiritu elevata vidit in principio choreæ per aulam saltantia septem dæmoniorum capita, quæ tam viris, quam mulieribus, dictis tripudiis operam dantibus, omnigenas suggerebant malas cogitationes, quæ illos vel maxime a Deo elongare, et vitiis tenacius irretire poterant. Hi quoque dæmones in medio ipsorum spiritus rixarum et homicidiorum immiserant. At vero, quia inter hæc omnia tanto ferventius orationi insistebat, vidit, quod in eodem momento, quo choreæ inchoabantur, Angelus quidam de cœlo descenderet, qui stricto gladio, quem in manibus gerebat, dæmones in fugam agebat, simulque tibicinum instrumenta minutim confringebat; unde corruente theatro omnia in confusionem conversa fuerunt. Ex quo facto, dæmonem chorearum et tripudiorum originem, auctorem et promotorem esse, clare satis colligitur. *Vit.* l. II, c. ix.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Domine, ut videam. » Luc, xviii. v. 14.

Potest ostendi fraus dæmonis, qua hoc tempore decipere solet; eum in finem narrari potest historia, supra indicata, de pictore, qui personam affingere vultui jussus, non nisi aqua colorata falsas lineas duxit. Huic ergo pictori similis diabolus dicatur, qui et ipse falsas lineas ducit, id est, falsa axiomata et principia hoc tempore dictat, qualia sunt. 1. Nemo nos agnoscit. 2. Hoc tempore omnia licent. 3. In Quadragesima velut tempore pœnitentiæ omnia peccata facile expiari possunt. Quorum proin dogmatum falsitas paulo fusius ostendatur.

Ex occasione thematis : « Ecce ascendimus Jerosolymam et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Ibidem. »

Potest ostendi, quomodo Passio Christi hoc tempore renovetur. Et 1. quidem, quomodo agonia renovetur, offerendo illi calicem amarum, per immoderatas compotationes. 2. Quomodo iterum flagelletur per denudationes corporum et vitia luxuriæ. 3. Quomodo coronetur per assumptionem larvarum hominibus illudendo. 4. Quomodo crux gravis ei per peccatorum hoc tempore commissorum onus imponatur. 5. Quomodo omnino crucifigatur contrahendo consuetudinem in istis peccatis, et emendationem sibi ac pœnitentiam quasi impossibilem efficiendo. Introducatur proin Christus illis S. Bernardi verbis auditores alloquens : Nonne satis propter te vulneratus sum? Numquid pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quam vul-

nera corporis mei. S. Bern. in quod. serm.

Pro qua materia videri potest Henricus Engelgrav. in *Cœlo Empyreo*.

Ex occasione thematis : « Stultorum infinitus est numerus. » Eccl. i, 15.

Potest dicere concionator infinitum quidem esse numerum stultorum larvatorum per plateas discurrentium, sed multo majorem esse numerum occultorum stultorum, qui, cum videantur sapientes, revera tamen stultissimi sint, quorum proin aliquos breviter se producturum, larvasque detracturum, ut vel pudore obruti deinceps a tali stultitia abstineant. Fingatur ergo sapientem quemdam audivisse de quodam loco et urbe, quod stultis abundet, proinde illuc iter suscepisse, ut sapientia sua illos corrigere et erudire posset. 1. autem obvium habuisse nuntium vehementer festinantem, sed, cum quæsitus fuisset, quo tenderet? respondentem, se non quæsivisse, quo ire debeat? rediturum itaque et quæsiturum. Per hunc nuntium dicat significari eos Christianos, qui magnum ætatis spatium in hoc mundo confecerunt, nec tamen unquam indagarunt, cur creati sint? cur in hunc mundum missi? Ostendatur proin, quomodo hanc stultitiam corrigere debeant, id quod in posterioribus quoque stultis observandum. 2. Obvium habuisse adolescentem generoso et petulanti equo insidentem, et sarcinam gravem propriis humeris portantem, qui quæsitus, cur non equi tergo sarcinam imponat? respondit, timere se, ne equus nimirum prægravetur. Significat eos, qui, ne corpus, velut equum animæ castigare, aut appetitas delicias negare illi cogantur, animæ sarcinam peccati imponere non verentur, non considerantes, quod hoc onus nihilominus et corpus premat, et omnino in infernum depressurum sit. 3. Obvios habuisse juvenes per avia et devia in curru vectos, et cum curru perpetuo eversos; quos, cum accedens advertisset, cæcum aurigam habere, et causam hujus cæci electi quæsiisset, responderunt, se ideo eum elegisse, ut liberius per avia et devia vehi possent (quod ipsos summe delectaret) etsi vero hoc modo sæpe cum curru caderent, et vulnera gravia acciperent, habere tamen se bonos chirurgos, qui curarent. Significant eos, qui memoriam præsentiæ Dei deponunt, ut liberius viam mandatorum declinent; vulnera peccati vero non curant, eo quod confessarios sufficientes habeant. 4. Obvium habuisse gigantem, tenui filo a formosa et tenella muliercula ad carnificem tractum, qui quæsitus, cur non abrumperet filum, et se a periculo mortis liberaret? respondit : Non possum. Significat eos, qui a voluptate ad interitum trahuntur, et ad eamdem repellendam excitati respondent, se filum consuetudinis rumpere non posse. 5. Urbem ipsam ingressum, vidisse muros destructos, cujus destructionis causam cum quæsiisset, responsum est, id factum jussu magistratus, eo quod difficile nimis esset muros conservare. Magistratum autem hunc constare centum senatoribus, et hanc consuetudinem habere, ut, quod ultimus et maxime juvenis senator faciendum diceret, hoc ratum, licet omnes reliqui contradicerent, habeatur. Significant, qui mandata Dei gravia nimis æstimantes, violando destruunt, eo quod amor proprius, nequicquam Deo, Sanctis, ratione contrarium suadentibus, sic suaserit. 6. Ulterius progressum vidisse duos cum oblonga trabe domum ingredi volentes, sed quia nullus alteri præcessionis honorem concedere volebat, ab eadem exclusos. Significat eos, qui ex ambitione primatum ubique affectantes, malunt cœlo excludi, quam alteri cedere. 7. Ingressum hospitium vidisse famulos et ancillas splendidissime vestitos et pastos, hospitem ipsum cum uxore laceris vestibus indutos, et vix mucido pane refectos. Significat eos, qui omnem curam in ornandum et recreandum corpus impendunt, nulla animæ ratione habita. 8. Cum hospite cellam ingressum vidisse cellarium in terra jacentem, et aspicientem, quomodo vinum nobilissimum aperto epistomio in terram effluat, et ridentem eos, qui ad claudendum epistomium hortabantur. Significat eos, qui tempus nobilissimum sine fructu perire sinunt, frustra admoniti, ut modico labore illud conservare studeant. 9. Urbe egressum vidisse imaginem fœdissimam, et membris sine omni proportione pictis constantem, ante ædes pictoris prostare ; ubi, cum quæreret, qualis pictor ibi habitaret? responsum est esse hujus propositi, ut in pingendis imaginibus non artis suæ dictamina, sed vulgi judicium sequatur ; hinc ob diversitatem judiciorum tam fœdas imagines prodire Significat eos, qui hominibus placere cupientes, illorum potius judicio, quam rationis dictamini, et Sanctorum, Christique exemplis actiones suas conformare student. 10. Macellum prætergressum vidisse lanio-

nem cultro sibi digitum abscindentem, causamque quæsitum respondisse, accepisse se ex casu fortuito modicum vulnus in digito, ideoque ut justiorem habeat causam chirurgum vocandi, voluisse omnino digitum abscindere. Significat eos, qui commisso uno peccato, plura admittunt, ut copiosiorem habeant confessionis materiam, et eadem opera singula confiteantur. 11. Ulterius progressum vidisse duos sibi ultro pedes porrigentes et gladio abscindentes, et cum causam facti quærerentur, respondentes, pro nummi lucro ortum inter illos certamen esse, quis meliorem gladium haberet? et ideo in pedum abscissione probare eos voluisse. Significat eos, qui ut suas et militum suorum vires, animosque ostendant, bella suscipere, et plurima, utilissimaque membra a Republica abscindere non verentur. 12. Denique vidisse turbam cum magno furore tela in aera recta sursum jacientem, iterumque in sua capita non sine gravi læsione recipientem, eo quod de sole, qui æstu fruges impediisset, vindicare se voluerint. Significat eos, qui ob infortunia exorta de Deo per blasphemias et maledicta, et murmurationes ulcisci se volunt, faciuntque, ut omnia hæc tela iterum in capita eorum recidentia, duplicatum damnum inferant.

Nota ex his stultitiis tres conciones fieri posse, ita ut in prima stulti, quos ante urbem; in secunda, quos intra urbem; in tertia, quos urbe egressus invenerit, explicentur.

Ex occasione thematis: « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.» CANT. II, 5.

Narrari potest, quod S. Gertrudis, ut supra dictum est, viderit Christum tempore baccanaliorum ad similitudinem languentis et infirmi super ipsius pectus recumbere; quo viso significare videtur voluisse, quod hoc tempore cupiat a dilectis suis amicis velut infirmus tractari. Et 1. quidem medicinam confessionis salutaris accipere. 2. Cibo gratissimo sui SS. Corporis refici. 3. Blandissimo alloquio orationis ferventis recreari. 4. In lectulo mollissimo contriti, et in omne Dei beneplacitum resignati animi collocari. Quæ omnia paulo fusius explicari possunt, simul ostendendo, quam grata Christo hæc obsequia sint futura.

Ex occasione thematis: « Domine, ut videam. » LUC. XVIII, 41.

Dici potest, recte hoc tempore Evangelium hoc de cæco curato legi, quia nihil magis nunc necessarium est, quam ut homines videant. 1. quidem *vanitatem* gaudiorum, quæ sectantur, et de quibus olim cum Salomone dicent: Vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. ECCLES. II, 22.

Ita vanitatem agnovit fructuose, qui, cum post diem totum inter epulas aliaque gaudia traductum, noctu nihil aliud sibi, quam oneratum corpus et animam relictam adverteret, resipuit, et Religionem ingressus, meliora et veriora gaudia quærere statuit. 2. *Stultitiam*, quæ tunc committitur, dum omni licentiæ frenum permittitur, ut postea pœnitentia agatur. Quis enim seipsum fœdat, aut vulnerat propterea, ut occasionem habeat se lavandi, aut curari possit? 3. *Infelicitatem* ob damna secuta in opibus, fama, pace, virtutibus, meritis, gratia, et gloria, ut merito quidam dixerit, ejusmodi voluptates similes esse pomo a Fenella Regina præparato, quod qui tangebat, a telis erumpentibus petebatur, et occidebatur.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

FUGA. — Memorabile factum est, quod a pluribus classicis et authenticis scriptoribus, nominatim vero a S. Bernardino de Senis refertur. Hic enim postquam quæsisset: Vis nosse hanc distinctionem filiorum Dei, et diaboli? Mox subdit: Audi exemplum. Vir quidam uxorem cum tribus filiis habebat, quos veros et legitimos filios suos esse hactenus semper existimabat; donec tandem aliquando conjux ejus adultera suam erga maritum bilem emovere volens, aperte diceret, quod ex tribus illis filiis, quos maritus suos esse hactenus crediderat, duos ex habito cum aliis viris commercio genuisset; cumque maritus eam instanter, uter ex tribus illis verus suus et naturalis filius esset, interrogasset, illa hanc ei notitiam dare pertinaciter renuit, et paulo post, absque eo, quod filium legitimum manifestaret, mortua fuit. Maritus vero paulo post etiam infirmatus testamentum condidit, in quo illum hæredem suum futurum esse declaravit, qui ex tribus illis verus, legitimus et naturalis filius esse probaretur, absque specifica illius nominatione. Post mortem vero hujus, singuli hæreditatem tamquam veri filii adire

contendentes ad judicem concurrerunt, qui ad imitationem Regis Salomonis, ad discernendum, uter illorum verus filius esset, hoc medium excogitavit. Præcepit enim eorum patrem ad arborem alligari, et quod quilibet eorum fratrum sagitta impeteret patrem, ut noscere posset ex jactu, quis verus filius ejus esset; fuit forte memor iste prudentiæ Salomonis, III Reg. III, de meretricibus coram eo contendentibus, tam mirabiliter ex vinculo amoris naturalis veritatem conjecturantis, et justissime judicantis. Primus illorum fratrum sagittam jacit rectissime, quantum sapuit, in cadaver patris defuncti. Secundus toto conamine nititur superare primum. Cum ad tertium pervenitur, concutiuntur viscera ejus, titubare incepit animus ejus, et contremuit, negat natura filii vulnerare propriam carnem patris, horret facinus, patet vulnus, stupet spiritus, et demum ipsius naturæ vinculo tractus, prælegit potius pro hæreditate patris naturalem dilectionem, quam ejus substantiam temporalem, aitque judici: Date hæreditatem, cui dare licet quia potius eligo eam amittere, quam meum licet mortuum vulnerare patrem. Nescitur rei veritas, palam fit per naturam, quod absconditum erat per culpam, manifestatur hic esse filius verus, et tota hæreditas ejus in manibus relaxatur. Enim vero quis nostrum est, qui non videat, Salvatorem nostrum hisce diebus vehementius, quam alias, lamentari posse de fidelibus suis dicendo: « Posuerunt me quasi signum ad sagittam. » Etenim corpus et sanguis Christi in trunco crucis publice expositus esse cernitur. Sancta quoque Mater Ecclesia eos, qui veri filii, et ad cœlestem hæreditatem adeundam prædestinati sint, explorare nititur. Quotquot igitur hisce diebus, gaudiis et recreationibus suis ex vero Dei amore se privant, hi veri fideles sunt. E contra vero: « Ecce peccatores paraverunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent, » quia qui hisce diebus appetitibus suis inordinatis omnem libertatem indulgent, qui peccatorum suorum jacula sine ullo filiali respectu, aut reverentia, in pectus Christi figunt, hi infallibile in se signum edunt, e quo agnosci possit, quod filii sint adulteri et spurii. Non sic anima illa electa fecit, de qua dicitur: « Arcum conteret, et confringet arma. » Hi igitur cœli veri declarabuntur hæredes. S. Bern. Tom. I, 1. ser. XLI, a. 2, c. IV.

Si pictor aliquis virum doloribus plenum delineare volens, caput illius exprimeret, spinis et tribulis undequaque cinctum, cujus capilli livido sanguine rigentes, oculi profundati, vultus pallidus, et sputis defœdatus ac lividus esset, collum vero eboris instar candidum, ac cætera totius corporis membra veste pretiosissima auro et gemmis distincta, amicta depingeret, ipsum vero citharam intra manus illius depictam plectro tangentem, et hilari voce cantantem exprimeret, numquid pictoris illius stoliditati et imprudentiæ indignareris? Numquid illum pictorem amentem et delirum esse diceres? Utique sic de illo arbitrareris; sed audi, quid Apostolus de nobis Christianis dicat, imprimis de Christo asserit: « Ipse est caput corporis Ecclesiæ. » Sed quænam sunt huic capiti subordinata membra? Nos Christiani membra illius sumus: « An nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? » Quænam igitur est illa stoliditas nostra, quod, cum Sancta Mater Ecclesia, Christum caput nostrum nobis exhibeat sanguine et lacrymis manantem, cum clamore valido, et crudeliter flagellatum, spinis circumdatum, et felle potatum, nos stolidi homines, aliud nihil, quam voluptates, convivia et gaudia requiramus et cogitemus? Mansi, disc. XVIII, n. 8.

Deus olim serpentem æneum, qui Christi Crucifixi figura fuit, in palo quodam erigi jussit, ut omnes, qui ex serpentinis morsibus accensi et intoxicati erant, ex hujus ænei serpentis aspectu sanarentur. Serpentes infernales hoc tempore vel maxime igniti, in nostram perniciem venenum suum certatim evomere contendunt, lasciviam nimirum, gulam, profanitatem larvarum, et similes alias carnalis hominis dissolutiones; quonam vero remedio id obtinebimus, ut ab horum serpentum morsibus venenum prorsus nullum contrahamus, aut contractum protinus in nobis curetur? S. Bernardus ait: Si tentationum sentis aculeos, exaltatum serpentem æneum intuere, et suge non tam vulnera, quam ubera crucifixi. S. Bern. ep. XXV.

De insigni Dei servo, Joanne Baptista de Fulginio, implacabili illo Bacchanaliorum hoste, refertur, quod, cum quidam e germanis fratribus suis his diebus mortuus fuisset, ipse se lætum esse ostenderit, ea præcipue de causa, ut cadaver illius publice expositum, multis frenum illis diebus injiceret, quo a peccatis coercerentur; sperabat enim,

quod per hoc spectaculum, si non plures, saltem aliquem a peccato aliquo veniali deterrere posset. Sed quænam est proportio inter hominem aliquem naturali morte extinctum, et inter Filium Dei propter peccata nostra in crucis infami ligno suspensum? Fratres, exclamabat S. Augustinus, ut a peccato sanemur Christum Crucifixum intueamur. MANSI.

TURPITUDO.— Si miles aliquis crastino die cum valido quodam et exercitato inimico suo in duello conflictaturus, hodie eidem arma in manus consignaret, quibuscum adversus ipsum valide decertare posset, quid id ipsum videns de eo diceres? Omnibus nobis evidenter et clare satis constat, corpus nostrum intra paucos dies jejunio esse macerandum, ut tanto magis efficiatur spiritui subjectum, cur igitur tanta cum industria efficere satagimus, ut spiritui caro prævaleat? Dictio illa, *Carnevale*, quæ Italice idem, quod Bacchanalia significat, secundum suam etymologiam, idem significare videtur, quod, *Caro prævaleat,* quod nimirum non est, quia nos inimico nostro arma subministramus, adeoque directe operamur contra consilium Apostoli dicentis : « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. » Porro convivia, ebrietates, voluptates, et aliæ Bacchanaliorum dissolutiones arma sunt, quibuscum caro et corpus nostrum adversus spiritum dimicabit. MANSI, dis. III, 7.

S. Augustinus bacchanaliorum gaudia vocare solitus est diaboli sacramenta, quia sicut Sacramenta a Christo instituta sunt ad sanctificandas animas, ita sacramenta diaboli contrarium operantur effectum, siquidem eo solum tendunt, ut perdant animas, easque gratia et amicitia Dei privent, per voluptates ab ipso excogitatas, ut conscientias indissolubilibus peccatorum nodis illaqueare possit. Sacramenta, in quantum sacrificia, iram Dei placant; at vero dæmonis sacramenta, qualia sunt bacchanalia, eamdem semper magis irritant. S. AUG. tr. IX, in *Joan.* c. II.

Sacramenta Christi S. Augustinus portas Paradisi appellat, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur. At vero hæc dæmonis Sacramenta scopuli quidam sunt, procurantes nobis præcipitium inferni, cujusmodi sunt larvæ, comœdiæ, spectacula profana, scurrilitates impudicæ, tripudia, choreæ, crapulæ, ebrietates, et quævis aliæ bacchanaliorum turpitudines. S. AUG. tr. CXX, *in Joann.*

Quæstio est moralis, quare in Dominica Quinquagesimæ Sancta Mater Ecclesia facit mentionem de Christi passione, cum dicat Sapiens : « Omnia tempus habent, tempus flendi etc. » Omne negotium ipsius opportunitatem habet; cum ergo hodie sit tempus lætitiæ et exultationis, quare fit mentio de Christi passione, quæ est flebilis et tristis? Respondetque hic vir sanctus sequentibus verbis : Respondeo, quod Sancta Mater Ecclesia a Spiritu Sancto gubernata et recta, sciens excessum et gulositatem filiorum suorum, quam faciunt his tribus diebus in comedendo et bibendo, ideo cogitavit ponere coram filiis Christi passionem, ut fideles restringantur a gulositate, considerantes quantum constitit peccatum gulæ primorum parentum, non gallinarum et perdicum, sed unius pomi fructus esu commissum, quod Filius Dei habuit suspendi in patibulo crucis. Et quidem, quod sanctus hic prædicator de gula dixit, nos quoque aliis dissolutionibus et turpitudinibus bacchanalibus applicare possumus. S. VINC. FERRER. *ser.* I, *in Dom. Quinqua.*

DAMNUM. — Quærunt nonnulli, cur inter tot arborum et plantarum genera ficus potissimum ab illo Deo, qui præ cunctis aliis virtutibus de mansuetudine gloriatur, dicens: « Discite a me quia mitis sum, » maledictionem accepit, cur non potius pinus, vel ulmus, aut alia quædam arbor inutilis hoc maledictionis fulmine percussa fuit? Idque eo præcipue tempore, quod fructibus pariendis nequaquam a natura destinatum erat, (non enim erat tempus ficorum) solvit hanc difficultatem S. Bonaventura dicens : Per fici arborem potest intelligi homo deditus dulcedini mundanæ, qui dicitur esse secus viam, id est, in via carnis, non in via spiritus. Per hanc vero viam homo bacchanaliorum tempore dici potest incedere, ac proinde mirum non est, si Dei super se provocat maledictionem. S. BONAV. ser. I *in Dom.* 7 *post Pent.*

Cum Archias, Thebarum tyrannus, die quodam in numeroso amicorum se recreantium, et dulciter conversantium agmine constitutus, lætus, festivus et hilaris assisteret, littera quædam ad eum delata est, in qua ipse secreto monebatur multos in ipsius necem conjuratos hostes eodem in loco ipsi machinari mortem, ac proinde necessum ei esse,

ut ab eorum insidiis se caute subduceret; cumque litterarum bajulus instanter, litteras ut aperiret, illarumque seriem attente perlegeret, sollicitaret, is nihilominus earum lectionem usque et usque distulit; cumque ulterius litteras illas arduum illi significare negotium, ac proinde in mora lectionis magnum subesse periculum, moneretur; Tyrannus respondit : Seria in crastinum ! Sed gravi mulcta moram hanc luere coactus fuit. Siquidem mox, ut ab amicis digressus fuit, violenta hostium suorum manu protinus interemptus occubuit. Quot sunt, qui hisce diebus internas a Deo inspirationes accipiunt, a prædicatoribus enixe rogantur, monentur ex librorum lectione spiritualium, nec non ab optimis timoratorum hominum exemplis, ut hisce diebus a mundi universali vanitate se subducant, qui tamen, tempus adhuc sufficiens superesse, respondent, quo in imminente Quadragesimali tempore se ab iis subtrahere, et bona operari possint; nunc tempus esse, ut pro communi hominum aliorum more genialiter vivant, quos tamen Deus in Quadragesima justo suo judicio a mortali quadam infirmitate corripi, vel occasione insolentiarum illius temporis inimicitiæ alicujus gravissimum subire periculum, vel per crapulam suam totaliter perdere valetudinem, taliaque experiri discrimina permittet, ob quæ tota vita sua suspirare, et gemere cogantur. MANSI, dis. IX, n. 4.

Sardonica herba hanc proprietatem habet, quod tales in illam degustante spasmos causet, ut moriens os suum eo modo aperiat, et expandat, ut omnibus ridere videatur; quot sunt hisce diebus, qui ex hac herba degustarunt, id est, certi peccati cujusdam, vel dissolutionis venenum absorbuerunt, qui tametsi modo rideant, et jucundi ac hilares existant, attamen intra breve tempus se mulctandos ac puniendos esse pertimescunt, aut vero culpæ illius mortalis, quæ illos æternæ mortis reos effecit, gravem interius puncturam, et remorsum sentiunt ! Idem, disc. X, n. 7.

In Annalibus Ecclesiasticis refert Baronius, quod, dum Gentiles in urbe Neocæsariensi profano cuidam festo celebrando insisterent, ingens quædam hominum in confinibus habitantium multitudo eo confluxerit, adeo ut, dum unus alteri præ nimia populi confluentis densitate cedere vix posset, dæmonem, cujus solemnitates agebantur, supplices interpellarint, ut largiorem illis, commodioremque locum indulgeret, alta voce clamantes : Jupiter, fac nobis locum ! Quod cum S. Gregorio Thaumaturgo innotuisset, subito ad eos misit, qui illis futurum esse, nomine ejus prædicerent, quod post modicum tempus largiorem et capaciorem locum essent habituri, imo voto et desiderio ipsorum longe ampliorem. Unde eodemmet die pestilentialis quædam illis est immissa mortalitas, quæ cantus ipsorum in planctus subito convertit, tantus enim ex eadem lue morientium numerus fuit, ut vivi mortuis sepeliendis minime sufficerent, nam quotidie terribilis coram eis figura se spectandam præbuit, domus autem, ad quas propius accedebat figura ista, sine ullo remedio aut juvamine subito exanimabantur ab incolentibus illas. Tandem vero ideo supplicium istud sibi a Deo immissum fuisse animadvertentes, quia dæmonem invocaverant, ad Thaumaturgum accurrerunt, qui flagellum istud orationum suarum efficacia protinus amovit, eosque ad Christianam Religionem integerrime perduxit. BARON. ann. 256, n. 2.

Surius, in vita S. Eligii, refert, quod, dum populo suo die quadam prædicans, eidem ut a saltibus et tripudiis, cunctisque aliis profanitatibus, a dæmone ad præcipitandas in infernum animas adinventis, abstineret, persuadere conaretur, quidam ex eis Episcopum se ipsorum petulanti levitati opponentem diutius sustinere non valentes, de inferenda ei nece inter se deliberarunt. Quod cum sanctus hic Præsul, Martyrii patiendi cupidus, audisset, cum uno tantum Diacono et duobus Clericis ad eam se civitatis partem, ubi hi morabantur, contulit, et medium furibundæ multitudinis pertransiens, in locum quemdam sublimiorem et elevatum ascendit, indeque contra choreas, et tripudia mira cum energia prædicans, vanitates, dæmonis instrumentum et inventiones, esse dixit ; e contra vero furens plebecula variis eum convitiis et injuriis afficiens, mortem ei, nisi desisteret, comminabatur, aperte protestando, quod his se consuetis recreationibus et ludis nequaquam paterentur privari. Quare sanctus hic vir ovium suarum emendationem et resipiscentiam vehementer desiderans, Deum enixe rogat, ut ad salvandas ipsorum animas dæmones ipsorum corpora obsidere et ingredi permitteret, et subito quinquaginta ex illis, qui contra eum conjuraverant, a dæmone fuerunt obsessi, qui

omnes furiose salire et saltare cœperunt, non obstante, quod alii flexis coram S. Episcopo genibus in terram provoluti eum supplices rogarint, ut pro infelici illa hominum obsessorum multitudine suas apud Deum preces et orationes interponeret; quibus ipse respondit, admiranda potius et laudanda ab ipsis esse justa Dei judicia, qui in reos justis beneque promeritis suppliciis ad aliorum exemplum et correctionem animadverteret: Ad tempus illi traditi sunt dæmonibus, quos amant; sentiant magistros suos, quos colunt. Unde hi obsessi per annum integrum choreas et tripudia sua continuarunt, in cujus fine, recurrente die, quo saltare cœperant, eosdem aquæ benedictæ aspersione absolvit, et a tripudiis abire jussit. SURIUS, 11 Decemb.

MISCELLANEA.

Mahometanus quidam, legatus ad Christianos missus, cum quæsitum ex eo fuisset, quid apud eos notatu dignum vidisset? respondit, nihil sibi mirabilius visum, quam quod certo tempore per integrum triduum (bacchanalia intelligebat) omnes propemodum insanirent, et quarto die, modica quantitate cineris capiti imposita ad se redirent. BUSQUECK *in sua relat.*

Quod olim Seneca suis dixit, hoc Christianis non male accommodatur: His, inquit, maxime diebus animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba procubuit. Certissimum argumentum fortitudinis suæ capit, si ad blanda, et ad luxuriam trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius est, ebrio ac vomitante populo siccum ac sobrium esse: eadem, sed non eodem modo facere. Licet enim sine luxuria agere festum diem. SENECA ep. XVIII.

Nec minus huic tempori quadrant illa S. Chrysologi verba: Erras, homo, non sunt hæc ludicra, sed crimina. Quis de impietate ludit? De sacrilegio quis jocatur? Piaculum quis dicit risum? Satis se decipit, qui sic sentit. Qui jocari voluerit cum diabolo, non potest gaudere cum Christo. Nemo cum diabolo jocatur impune. S. CHRYSOL. f. 155.

Olim, inquit Bellarminus, hoc festum simplex erat, quia homines simpliciter sine larvis ac choreis moderate et christiane lætabantur; post brevi evasit semiduplex, et sic tandem crevit, ut etiam duplex primæ classis evaserit, et cum octava celebretur. BELLARM. c. XX *Dom.*

Olim Polyphemo Ulysses titione ardente unum, quem in fronte habebat, oculum extinxit; nunc Bacchus thyrso suo rationis lumen hominibus adimit tempore bacchanaliorum VIRG. l. III *Æneid.*

Sapienter Seneca: Magna pars sanitatis est, inquit, hortatores insaniæ reliquisse. Hoc ut esse verum scias, aspice, quanto aliter unusquisque sibi, aliter populo vivat. Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem, et familiarium, sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium, in quæ insanimus, admirator et conscius. SENECA *ep.* XCIV.

S. Catharina Senensis, quia feriis his antecineralibus se in conclave abdiderat, apparuit ei Christus, cum Matre et Angelis, dixitque: Quia tu sprevisti vanitates mundi, amplexa crucem et pœnitentiam, quærens summum et æternum bonum his diebus, dum mundani vacant gulæ et luxuriæ, ideo ego te desponsabo mihi. Annuloque digito inserto, illam adoptavit in sponsam. *Vit.* 30 April.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, Opusc. XI, c. XXI.

Matthias Faber, conc. VI, V et VI in Domin. Quinquag.

Henricus Engelgrav. *in Parth.* Dominica, et Fer. II ac III Quinquag. Item p. 2. *Lucis Evang.* Domin. Quinquag.

Thomas Sapletonus, tex. I in Quinquag.

BAPTISMUS.

QUOAD ESSENTIAM

DEFINITIO. — Est remedium, quo homines a peccato originali ac actuali liberantur, et felicitatis æternæ seu gloriæ hæredes efficiuntur. Quæ definitio omni Baptismo, ut examinanti patebit, convenit.

DIVISIO. — Dividitur in Baptismum « fluminis, flaminis et sanguinis. » Baptismus *fluminis* est novæ legis primum et maxime necessarium Sacramentum, in ablutione

corporis exteriore, et legitima verborum pronuntiatione, juxta Christi institutum, consistens : uti P. Petrus Canisius definivit. Baptismus *flaminis* est votum, seu desiderium efficax Baptismi fluminis suscipiendi, cum perfecta contritione conjunctum. De quo S. Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani junioris sic loquitur : Audio vos dolere, quod non acceperit Baptismatis Sacramentum ; atqui hoc etiam in votis habuit. An non ergo habuit gratiam, quam desideravit? Imo habuit, quia poposcit. Baptismus *sanguinis* est Martyrium, seu effusio sanguinis pro Christo suscepta ; de quo S. Clemens sic loquitur : Qui Martyrio habitus est dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus sit, et quod propter confessionem ex hac vita exeat. Et si Catechumenus sit, accedat ad Deum lætus ; cruciatus enim, quo propter Deum afficitur, erit ei verior Baptismus ; quia is quidem experientia ipsa mortuus commoritur Christo, reliqui vero mystica repræsentatione. S. CLEM. l. V, *Apost. Const.* c. VII.

Unde et S. Cyprianus : Numquid, ait, potest vis Baptismi major aut potior esse, quam confessio? Quam passio? Ut quis coram hominibus Christum confiteatur, et suo sanguine baptizetur? S. CYPR. ep. VII.

Cæremoniæ antecedentes Baptismum.

Prima est *Patrini, seu Susceptoris Assistentia;* qui ideo adhibetur, ut partim fidejussoris, partim pædagogi (unde S. Augustinus fidei Doctorem appellat), partim patris spiritualis munere fungatur. Unde S. Augustinus sic tales patrinos alloquitur : Vos ante omnia, tam mulieres, quam viros, qui filios in baptismate suscepistis moneo, ut cognoscatis vos fidejussores apud Deum exstitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere, ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia symbolum et orationem Dominicam vos ipsi tenete, et illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite. S. AUG. in serm. *post. Pasch.*

Secunda est *Nominis impositio ;* qua significatur, baptizatum Deo nomen dare, et catalogo militiæ ejus adscribi debere.

Tertia est *Insufflatio in faciem baptizandi ;* tum ut significetur, Satanam cum contemptu ab illo ejici ; tum ut indicetur, quod per Baptismum Spiritus Sanctus, velut spiraculum vitæ, illi insuffletur et novus homo regeneretur.

Quarta est *Formatio crucis in fronte et pectore ;* ut non erubescat nomen Christi crucifixi, sed potius amet, et intrepide confiteatur.

Quinta est *Benedictio et impositio salis* ; ut quemadmodum Origenes loquitur, baptizandus per salem typicum conditus, iniquitatis fœtore careat ; vel ut promissionis suæ memoria se a corruptione peccati præservet ; vel ut veram Sapientiam Divinam accipiens, discretione in omnibus utatur. ORIGEN. hom. VI, *in Ezech.*

Sexta est *Salivæ ad nares et aures appositio;* ut vocem Dei audire, et bonum odorem pietatis æternæ gustare incipiat.

Cæremoniæ comitantes Baptismum.

Septima est *Renuntiatio Satanæ* ; de qua S. Ambrosius : Ingressus es regenerationis sacrarium, repete, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo, luxuriæ, et voluptatibus ejus ; tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. Præsentibus Angelis locutus es; non est fallere, non negare. S. AMBR. lib. I, *de initiandis* c. II.

Octava est *Unctio baptizandi ;* de qua Ivo Carnotensis : Accepistis, inquit, et oleum sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia. Accepistis et in humero vestro, ut in exercitio bonorum operum indeficiens servetur patientia ; neque aliquando noverit sinistra vestra, quid faciat dextra vestra. Quia vero in humeris vigor constat portandi oneris, hujus partis unctione Christi Athletæ dedicati estis, ut sciatis, vos ad certamen esse vocatos. IVO CARNOT.

Nona est *Trina immersio vel perfusio* ; cujus rationem reddens S. Gregorius ait : Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta significamus, et dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimitur.

Cæremoniæ subsequentes Baptismum.

Decima est *Unctio verticis Chrismate peracta;* qua significatur, baptizatum tunc vere esse Christianum, id est, Chrismate unctum, et unctionem invisibilem Spiritus Sancti, per

quam regalis Sacerdotii Christi particeps factus est, accepisse.

Undecima est, *Vestis albæ oblatio*; tum ut lætitia interna significetur, tum ut meminerit baptizatus, se nunc esse candidatum regni cœlestis, tamque puram deinceps retinere animam debere, quam pura hæc vestis est, et quam purus ipse de fonte exiit. Hinc S. Ambrosius: Accepisti, inquit, vestimenta candida, ut essent indicium, quod exueris involucra peccatorum, et indueris innocentiæ casta velamina. S. AMBR. l. supra *Catech.*

Duodecima est *Cerei ardentis in manu traditio*; ut doceatur baptizatus, se Fidem, Spem et Charitatem non corde dumtaxat, sed etiam opere profiteri et exercere debere. Hinc S. Gregorius Nazianz. ait: Lampades, quas accendes, illius luminis gestationum figuram gerunt, cum qua splendidæ et virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obviam prodibimus.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — In illa die erit fons patens domui David, et habitatoribus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. ZACH. XIII, 1.

Euntes ergo, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. MATTH. ult. 19.

Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum inmortem. ROM. VI, 31.

Unus Deus, una Fides, unum Baptisma, Deus pater omnium. EPH. IV, 4.

In die illa exibunt aquæ vivæ de Jerusalem; medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum; in æstate et hyeme erunt. ZACH. XIV, 8.

Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. ISAI. XII, 3.

Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. THREN. IV, 7.

NECESSITAS. — Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. JOAN. III, 5.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. MARC. XVI, 16.

UTILITAS. — Sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet. EZECH. XLVII, 9.

Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri. Ib. XXXVI, 25.

Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. JOEL. III, 18.

Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. ACT. II, 38.

Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti. AD TIT. III, 5.

DIGNITAS. — Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus per baptismum, juxta illud S. Joannis: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri. I JOAN. I, 11.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Baptimus est, per quem primitias Spiritus accipimus, et principium alterius vitæ, ut sit nobis regeneratio, et sigillum, et custodia, et illuminatio. S. DAMASC. IV, *Sent.*

Detrahe verbum ab aqua, quid erit nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, fit Sacramentum. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur; nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens. S. AUG. hom. LXXX.

Verum Baptismus constat non tam ablutione corporis, quam fide cordis, sicut Apostolica doctrina tradidit dicens: Fide mundans corda eorum. Et alibi: Salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bona interrogatio in Deum. Idem, in lib. *Sent.*

Unum novimus Baptisma salutiferum, quandoquidem una est pro mundo mors, et una ex mortuis resurrectio, quarum figura est Baptisma. S. BASIL. l. *de S. Spir.* c. XV.

Baptismi aqua per Spiritum efficax est. AUGUST. *Confess.* c. CXIV.

Baptismus signaculum fidei. Idem, hom. X.

Baptisma tale est, qualis est per cujus potentiam datur, non qualis ille per quem datur. Idem, *in Matth.*

Baptismus non corporis est lavatio sed animæ. Idem, in *Evang. Joan.*

Baptismus extra Ecclesiam esse potest, sed non prodesse. Idem, in *Epist. ad Hebr.* hom. XIX.

NECESSITAS.—Si baptizata est caro Christi, quæ sine peccato erat, propter exemplum imitationis, quanto magis baptizanda est caro mortis, propter evitandum judicium damnationis? Id. Ep. L.

Confugite ad aquas istas; solæ enim sunt, quæ possint vim futuri ignis extinguere. Ad quas, qui moratur accedere, constat, in eo adhuc infidelitatis idolum permanere, et ab ipso prohiberi ad aquas properare, quæ salutem conferunt. Sive enim justus, sive sit injustus, Baptismus ei per omnia necessarius est; justo quidem, ut adimpleatur in eo perfectio, et regeneretur Deo; injusto vero, ut peccatorum, quæ gessit, remissio concedatur. S. AUG. l. *de Bap.*

Baptismus est captivorum, et alieni æris remissio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, character indeprehensibilis, cœli iter, regni cœlestis conciliatio, adoptionis gratia. Idem, ibid.

UTILITAS.—Per aquam baptismi transitus est de terrenis ad cœlestia. Ideo Pascha transitus dicitur: hic transitus est de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad sanctificationem. Qui per hanc aquam transit, non moritur, sed exurgit. S. AMBR. l. *de Sacramen.*

Ecce libertatis serenitate fruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; et cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; et in justitiæ sorte versantur, qui fuerunt in peccati confusione. Non enim sunt tantum liberi, sed et sancti; non tantum sancti, sed et justi; non solum justi, sed et filii; nec solum filii, sed et hæredes; nec tantum hæredes, sed et fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed et cohæredes; non solum cohæredes, sed et membra; non membra tantum, sed et templum; nec tantum templum, sed et organum Spiritus. Vides, quot sunt Baptismatis largitates? Sed multis videtur cœlestem gratiam tantum in peccatorum remissione consistere, nos autem honores computavimus decem. S. CHRYSOST. homil. *ad Neoph.*

In Baptismo Rex, Sacerdos et Propheta afficimur. S. AUG. *in Epist. ad Corinth.* hom. III.

Per Baptismum incipimus esse oves Christi. Idem, *de Peccat. merit. et remiss.*

DIGNITAS.—Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, et cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum.

EXEMPLA.

QUALITAS.—Christus, teste S. Ambrosio, baptizatus est, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis vim haberent. S. AMBR. l. II, *in Luc.* c. ult.

Cum Philippus Eunuchum catechizasset, simulque ad aquam in via pervenissent: Ecce, inquit Eunuchus, aqua; quis me prohibet baptizari? Et descendit uterque in aquam, et baptizavit Philippus Eunuchum. ACT. VIII, 36.

Cum Processus et Martinianus, milites custodientes S. Petrum in carcere Mamertino, viderent ejus cœlestem vitam et doctrinam, ad Christum conversi sunt. At cum aqua deesset, Petrus signo crucis in rupe expresso fontem eduxit, qui adhuc hodie post annos plus mille quingentos fluit. BARON. *ad ann. Dom.* 68.

Cedualla, Rex Britonum, Romam proficiscens, desiderabat baptizari, et post baptismum mundus ad cœlos ascendere, quod utrumque obtinuit; nam Sabbato Paschæ baptizatus mox languore corripitur, et paulo post carne solutus ad cœlum abiit. V. BEDA l. V, c. VII.

In Lusitania, apud Osem campum baptisterium, quod ante vacuum erat, toties et tamdiu aqua refertum inventum est, quamdiu baptizandi aderant; his deficientibus et ipsa disparuit. S. GREG. TUR. l. I, *de Glor. Mart.* c. XXIV et XXV.

Sed et in Lycia provincia in pago Cedebratis baptisterium erat, quod a seipso aqua implebatur in die Paschæ, et durabat usque ad diem Pentecostes, tunc vero evanescebat. SOPHRON. in *Prat. Spir.* c. XXV.

Anno Christi Domini 68, evenit, ut Sanctus Petrus Apostolus in carcerem Mamertinum mitteretur, uti asservatus est a militibus Processo et Martiniano, qui multas ob causas S. Petri monitu nomen Christo dederunt, cumque non esset eo in loco ad illos baptizandos aquæ copia, mirabiliter e saxo fons erupit, e cujus aqua baptismus est administratus. BARON. *Ann. Ecc.* tom. I, *ad Annum Dom.* 68.

Tempore Anastasii Imperatoris, et Symmachi Papæ, sub annum Christi Domini 506, Deuterius Arianorum Constantinopoli Episcopus, cum Barbatem quemdam sic dictum baptizaret, reprobata et corrupta Dominica traditione, ausus est inter baptizandum dicere: Baptizetur Barbas, in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto. Quo dicto aqua ex Colymbetra evanuit, Barbas vero arrepta fuga exivit, et miraculum hoc cunctis significavit. BARON. l. VI, anno 506, 14.

UTILITAS. — Mellitus monachus in extremis constitutus, dixit, apparuisse sibi juvenem litteras deferentem, et dicentem: Aperi, et lege. Illis vero apertis vidisse omnes, qui ab Episcopo baptizati fuerant, aureis litteris scriptos. Quapropter certum tenuit omnes brevi morituros, quod et factum est. S. GREG. l. IV *Dial.* c. XXVI.

Cum S. Cæcilia sponsum suum Valerianum ad Urbanum Pontificem mitteret baptizandum, et ipsa ei assistere non posset, Angelus sub juvenis fulgidissimi specie adstitit, qui ei libellum aureis litteris scriptum obtulit, in quo hæc verba legebantur: Unus Deus, una fides, unum baptisma. Quo viso adeo recreatus est Valerius, ut infracto animo martyrium sustinuerit. SURIUS, 21 Nov.

Cum Rex Tartarorum Cassianus desponsatam sibi Regis Armeniæ filiam morti adjudicasset, eo quod filio perquam deformi genito suspicionem adulterii creasset, Regina petiit, filium baptizare liceret, quo facto tam venustus apparuit filius, ut Rex ipse tanto miraculo commotus fidem Catholicam susceperit. D. ANTON. p. II *Hist.* tit. XX, c. IX, § 9.

S. Maria de Ogniaco vidit a puero, qui exorcismo et aliis precibus ad Baptismum parabatur, fugientem dæmonem, ac deinde cum primum sacris undis tinctus esset, Spiritum Sanctum visibili specie in pueri animam, in innumera beatarum mentium corona subingredientem. *Pædag. Christ.* p. I, c. I, § 1.

Constantinus Imperator lepra infectus cum suasu sacerdotum gentilium 3000 infantium adduci, eosque, ut illorum sanguine lavare se posset, occidi jussisset, sequenti nocte a SS. Petro et Paulo apparentibus, et collaudantibus, quod matrum precibus motus a cæde abstinuisset, jussus est, S. Silvestrum in monte Soracte latitantem accersere; a quo instructus in fide baptizatus, et curatus est. BARON. ann. 324.

S. Catharinæ, antequam baptizata fuit, B. Virgo cum Filio apparuit, cui cum Catharinam illa commendaret, avertit ille faciem suam dicens, nimiam esse deformitatem. Intelligens ergo Catharina hoc ob defectum Baptismi dici, festinavit illum accipere, et paulo post ipse Christus iterum ei apparens, annulo eamdem sibi desponsavit. RIBAD. 15 Nov.

In Ciazzurana Insula gentili adolescenti octodecim annorum se crebro visendum offerebat canis ingens, horribilis, rufus, qui eum alloquebatur, et per montes in loca abditissima deducebat, detinens eum ibi biduo, vel triduo, atque impellens, ut se manibus sublatis adoraret, aliaque scriptione indigna faceret. Videns itaque adolescens, se tantas molestias a capitali humani generis hoste perpeti, tantem perfugium habuit ad Ecclesiam, doctrinam Christianam audivit, et didicit, baptismi Sacramento Christo devinctus, ac de cætero nunquam a tartareo illo cane divexatus. LIT. *lap. Lud. Fros.* 1596.

Cum aliquando in Anglia tribus annis pluvia non cecidisset, ideoque plurimi fame periissent, ipsa, qua a Wilfrido Episcopo baptizati sunt die pluvia cecidit, totaque terra cum incolis refloruit. VEN. BEDA. l. IV, *Hist. Angl.* c. XII.

Prope Delphos Hollandiæ cum pueri quidam baptizati cæremonias ex contemptu admittere nollent, gravi infirmitate tamdiu sunt correpti, donec parentum precibus permotus Sacerdos eas adhibuit. BREDENT. lib. VII, *coll.* c. XLVIII.

Abbas Pachomius ea nocte, quæ illi a suscepto Baptismo prima fuit, mellitum rorem sibi de cœlo in dexteram manum decidentem videre, et vocem hanc audire visus est: Aperi mentis tuæ oculos, Pachomi, et agnosce in rore isto accipere a Deo gratiæ argumentum et pignus. *Pæd.* p. II, c. I, § 1.

DIGNITAS. — Ludovicus, Galliarum Rex, nullibi jucundius, quam Passiaci agebat, quod ea in urbe baptismo ablutus esset, quo honore nullibi majorem se accepisse dictitabat. Ibid. p. I, c. I, § 1, n. 6.

Cum Quintianus, Siciliæ Prætor, S. Agathæ diceret: Nonne pudet te nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? Respondit illa: Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus Regum opibus et superbia. Ibid. n. 5.

BAPTISMUS FLAMINIS. — Cum S. Philemon, a Deo illuminatus Christum confiteretur, et

Tyrannus illi objiceret, quod baptizatus non esset, rogavit ille, ut aliquis e media turba ipsum baptizaret; cum vero nemo id auderet, ipse autem Deum rogaret, ut Sacerdotem mitteret, Christus in nube descendens eum baptizavit. SURIUS, 4 Dec.

BAPTISMUS SANGUINIS.—Cum quinquaginta Philosophi, a S. Catharina conversi, jamque in media civitate cremandi, baptismum sollicite expeterent, S. Catharina jussit eos sine sollicitudine esse, eo quod mox proprio in sanguine essent baptizandi. Unde illi benedictione S. Virginis accepta signantes se signo sanctæ Crucis in ignem missi, animas Deo reddiderunt, ita tamen ut nec corpora, nec vestimenta, nec capillus igne fuerit correptus. SURIUS, 25 Nov.

Cum S. Gregorius ad Martyrium duceretur, multi ad pedes ejus procidentes per Christi nomen et signum sanabantur, inter quos cum Glycerius agricola exclamasset : Magnus est Deus Christianorum! ideoque Imperatoris jussu ad supplicium duceretur, currebat ante milites, magnaque voce Deum rogabat, ut martyrium sibi baptismatis loco esset. SURIUS, 23 April.

Apud Alexandriam Armeniæ, tempore Adriani Imperatoris, exercitus decem millium militum ab Angelis de Christi Domini fide instructus, Imperatorum jussu singuli primum, ut ipse Jesus flagellis cæsi, tum spinis coronati, tandem humi clavis crucifixi in monte Ararath, proprio sanguine baptizati triumphantes intrarunt in cœlum, ut sibi repositam reciperent coronam gloriæ. *Horolog. Græcor. Chron. S. Antonin.*

Sancta Emerentiana, virgo Romana, collactanea Beatæ Agnetis adhuc Catechumena fide et charitate flagrans, furentes in Christianos idolorum cultores cum vehementius argueret, a concitata multitudine est obruta lapidibus. Quæ in cruciatibus orans, ad sepulchrum S.Agnetis proprio sanguine quem pro Christo constanter effudit baptizata, animam Deo reddidit. *Breviar. Rom.* 25 Janv.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut per primum hominem in peccato et morte nascimur; ita per Christum in justitia et vita æterna in baptismo renascimur. S. AUG. l. *de bapt.*

Sicut Circumcisio non utile membrum amputat corporis sed superfluitatem inutilem; sic per baptismum sanctum a peccato circumcidimur; manifestum autem, quod peccatum superfluitas concupiscentiæ est, et non necessaria concupiscentia. S. AMB. l. IV, *Orth. fid.* c. XXVI.

Sicut vox advenientis spiritus, id est, venti auditur quidem, non autem videtur; sic et ratio baptismi. Auditur, quod dicitur; tamen quomodo per Spiritum fit, non videtur; auditur tamen, cum quid futurum est, ab eo, qui verba insinuat, prædicatur; ut fieri credatur, quod auditur, non tamen ratio facti reddatur. S. AUG. l. XCIX, *Veter. et novi test.* q. LIX.

Sicut viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter, quam ignis urit; sic Spiritus Sancti operatione aquæ ad divinam reformantur virtutem, qua baptizati corpus abstergunt. S. CYRILL. ALEX. lib. II, *in Joan.*

UTILITAS. — Sicut aqua superne infusa ex omni parte arcam abluebat, eamque non obruebat, sed sublevabat, ut qui in ea erant, illesi ab undis servarentur, impiis absorptis; eodem modo baptismi aquæ superne infusæ abluunt, et ad cœlum evehunt, ne ab undis iræ divinæ, vel scelerum, quis obruatur. BOZIUS t. I, *de Sign. Eccl.* XV.

Sicut Naaman per aquas Jordanis a lepra mundatus est, ejusque caro pura, quasi caro pueri effecta est; ita per aquas baptismi anima a peccati lepra mundatur, et puritati perfectæ restituitur. IV REG. V, 10.

Sicut in transitu Maris Rubri hostes a tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in eremo sunt inventi; sic omnes, qui sacro Baptismate tinguntur, eorum peccata præterita laxantur, quia eis velut a tergo Ægyptii hostes moriuntur; sed et in eremo alios hostes invenimus, quia, dum in hac vita vivimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, et ad terram viventium tendentibus iter intercludere festinant. S. GREG. lib. IX, ep. XXXIX.

Sicut aqua temperat æstum, radios solares excipit, et representat ipsum solem; ita baptismus concupiscentiæ et vitiorum ardorem extinguit, characterem virtutum et præterea gratiam, velut splendidissimam Dei imaginem homini imprimit. FABER, conc. X, *in festo SS. Trin.*

Sicut scorpii aut serpentes, qui in sicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non possunt; sic et spiritus nequam, qui scorpii ac serpentes appellantur, permanere ultra non possunt in hominum corpore, in quo baptizato et santificato incipit Spiritus

Sanctus habitare. S. CYPR. l. IV, Epist. VII.

Sicut Christi crucifixi corpus tumulatum salutem mundo protulit; sic et nostrum corpus per baptisma sepultum, justitiam nobis ipsis produxit. LANGIUS, *in Polyant*, v. eod.

NECESSITAS. — Sicut impossibile erat per Mare Rubrum pertransire, nisi miraculo via fuisset facta; sic a priore vita ad cœlos ascendere sine medicatione baptismi non possumus. S. CHRYS. hom. IV *in Matth.*

Sicut cruenta infantium corpora statim ut emittuntur ex utero, lavari solent; ita et generatio spiritualis lavacro indiget salutari; nullus enim mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus. S. HIER. l. IV *in Ezech.* c. XVI.

Sicut de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipit humorem, non fructificat; sic et nos lignum aridum nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia. S. IRENÆUS lib. I, cap. XXXIX.

JUCUNDITAS. — Sicut emissus est de arca corvus, et non redit, columba vero emissa ramum attulit; ita et in baptismate Ecclesiæ, teterrimo alite expulso, id est, diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus Sancti nuntiat. S. HIER. *contra Lucifer.*

MOTIVA.

PRO BAPTISMO RECIPIENDO. — *Necessitas*; quia nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum Dei. JOAN. III, 5.

Utilitas; cum per baptismum vir ad hæreditatem cœlestem conferatur, atque adeo merito de illo illud Salomonis usurpari possit: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illo. SAP. VII, 11.

Dignitas; quæ enim major obvenire potest dignitas, quam a Deo in filium adoptari? Hinc merito D. Joannes dixit: Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, et simus. JOAN. III, 1.

Jucunditas; si enim jucundissimum est vitæ corporalis usum accepisse, quantum censeri debet gaudium et voluptas, si ad vitam æternam omni bonorum genere affluentem quis renascatur?

MEDIA.

PRO BAPTISMO RITE RECIPIENDO. — *Præceptorum naturalium observatio*; facienti enim, quod est in se, non denegat Deus gratiam Baptismi; id quod multis hactenus exemplis comprobatum est.

Seria et constans hujus gratiæ petitio; cum enim hæc gratia sit donum et datum aliquod ex præcipuis, quæ Deus conferre potest, merito illud desursum descendere atque adeo a Deo peti debere dicitur.

Constans in misericordiæ operibus exercitatio; nam, ut bene S. Paulus dixit: Moys dicit (Deus) miserebor, cujus miserebor; et misericordiam præstabo, cujus miserebor. ROM. IX, 16.

Itaque non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Merito ergo ad hanc misericordiam promerendam, misericordia velut efficacissimum medium (juxta illud Christi, Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur) adhibetur. MATTH. V, 7.

Verbi divini auditio, aut privata cum baptizatis conversatio; ita iterum S. Apostolus indicat dicens: Quomodo autem audient sine prædicante? Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ ab Asceta de Baptismo notanda et scienda sunt. Primum est, ut sciat differentiam inter hunc, et S. Joannis Baptistæ baptismum. Quæ quidem septuplex fuit. I. In *forma*, 2. In *necessitate*, quia baptismus Joannis non erat necessarius ad salutem sicut baptismus Christi. 3. In *efficacia*; quia baptismus Joannis non remittebat peccata, nec conferebat gratiam, nec disponebat ad illam, ut baptismus Christi. 4. In *extensione*; quia non se extendebat baptismus Joannis ad parvulos, utpote pœnitentiæ incapaces. 5. In ratione *significati* quia baptismus Joannis non erat Sacramentum. 6. In *duratione*; quia ille ad annum duravit tantum, non autem baptismus Christi. 7. In *repetitione*; quia baptismus Christi ob impressionem characteris repeti non potest, uti tamen baptismus S. Joannis poterat.

Secundum est, ut institutionis causas bene cognoscat, quæ quidem quatuor plerumque assignantur. I. Est, ut spiritualis hominum generatio primæ animantium generationi respondeat, quæ ex aquis facta est, juxta illud

Genesis: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram. Gen. i, 10.

Ut causa efficiens gratiæ baptismatis, scilicet mors Christi, aptius repræsentetur; sicut enim Christus morte superata terræ commendatus, et tertia die sine carnis corruptione resuscitatus est; ita qui baptizatur, aquæ immergitur, indeque rursum mox emergitur sine læsione; ut sciat, se Christo consepultum, ejusque temporali morte ab æterna morte ereptum esse. 3. Ut principalis effectus, scilicet ablutio a peccatis, aptius repræsentetur. 4. Ut baptismus tanto facilius administrari possit, cum aqua elementaris facillimo negotio haberi possit.

Tertium est, ut bene cognoscat officium hominis baptizati, atque ad illud implendum juvet; quod quidem officium breviter indicavit S. Augustinus, dum dixit: Sancto baptismo consona sit vita Christiana, ne cuiquam homini, si utrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; ipse etiam dixit: Nisi abundaverit justitia vestra super Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. S. Aug. c. xxvi *de Fide et oper.*

Clarius vero S. Ambrosius id ipsum indicavit dicens: Quando Levita te interrogavit: Abrenuntias diabolo, et operibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo et voluptatibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis; si chirographum homini dederis, teneris adstrictus, et reluctantem te fœnerator adstringit; si recusas, vadit ad judicem, atque illic tua cautione convinceris. S. Ambr. l. I, *de Sacr.* c. ii.

Hoc bene considerans Muritta Diaconus, Elpidophorum, quem de fonte a se susceptum, a fide defecisse adverterat, ostensa veste alba, quam in baptismo acceperat, sic allocutus est: Hæc sunt linteamina, Elpidophore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis, quæ custodivit diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fontes urgentem. Hæc te acrius persequentur, cum flammantem gehennam cœperis possidere, quia induisti maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis et fidei sacramentum. Quid facies, miser, cum servi patris familias ad cœnam congregarint invitatos? Dicet tibi Rex: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Non video vestem, quam tibi dedi, perdidisti militiæ chlamydem, quam aqua mundavi, et purpura mei sanguinis decoravi. Characterem non video Trinitatis; ligate ergo eum pedibus et manibus, qui se separavit a fratribus Catholicis, in tenebras projicite. Victor. Uticens. lib. III, *de Persec. Wend.*

Hoc ipsum alia similitudine declarans S. Chrysostomus ait: Arbores, quæ insitæ sunt, et cæteram habuerunt diligentiam agricolarum adhibitam, si nullam referant laboris vicissitudinem, radicitus evulsæ igni tradentur; tale quid in causa contingit baptismatis. Cum Christus nos instituerit, et irrigatione spirituali potiti fuerimus, si deinde fructum nullum afferamus, ignis nos expectabit gehennæ, et flamma inextinguibilis.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » Ezech. iii, 25.

Possunt explicari effectus Baptismi per aquæ similitudinem. Et i, quidem ostendi, quod sicut olim in prima mundi creatione Spiritus Domini ferebatur, seu, ut alii interpretantur, incubabat super aquas, et sic varia viventia produxit; ita et Spiritus Sanctus aquam baptismalem et ipsum Baptismum sua virtute fecundarit, ut præstantissimum animalium genus, scilicet homo regeneratus, prodiret. 2. Quod sicut aqua mundat a sordibus; ita Baptismus a peccatis. 3. Quod sicut aqua extinguit ignem; ita Baptismus liberet a flammis Inferni et Purgatorii; imo et concupiscentiæ flammas mitiget. 4. Quod sicut aqua est summe necessaria ad vitam, juxta illud Ecclesiastici: Initium vitæ hominis, aqua et panis. (Eccl. xxix, 25); ita et Baptismus ad vitam spiritualem non minus necessarius sit.

Ex occasione thematis: « In illa die erit fons patens domui David, et habitatoribus Jerusalem in ablutionem peccatoris. » Zac. xiii, 1.

Potest huic fonti Baptismus comparari, et aliæ etiam sententiæ de variis fontibus in S. Scriptura prolatæ ei applicari. Nimirum. i. Quod sit parvus, qui crevit in fluvium magnum, id est, ex modicis initiis magna incrementa sumpserit. 2. Quod fons iste as-

cendebat a terra, irrrigans universam superficiem terræ (GEN. II. 6), id est, ab humanitate Christi exortus sit, et per totum mundum propagatur. 3. Quod sit fons patens, id est, omnibus accessus ad baptismum pateat, si mandata servare velit. 4. Quod sit fons aquarum, cujus non deficient aquæ (Is. LVIII, 11); quia hoc Sacramentum usque ad finem mundi durabit. 5. Quod sit fons aquæ salientis in vitam æternam (JOAN. IV, 14); eo quod jus ad illam tribuat. 6. Quod sit fons Salvatoris, juxta illud Isaiæ: Haurietis aquas de fontibus Salvatoris (Is. XIII, 3); eo quod Christus illum instituerit. Ut merito quivis dicat cum Davide : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te etc.

Ex occasione thematis : « Erat autem Jerosolymis probatica piscina. » JOAN. V, 8.

Potest Baptismus huic piscinæ probaticæ comparari. I. Quia sicut hæc piscina vocabatur ovilis, eo quod oves immolandæ ibi lavarentur ; ita et in baptismo homines Deo per mortificationem sacrificandi abluuntur. 2. Quia sicut in illa sunt quinque porticus; ita in baptismo quinque Christi vulnera, per quæ ad baptismum accessus datur. 3. Quia sicut in illa piscina jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum; ita per baptismum curantur cæci, id est, ignorantia fidei laborantes ; claudi, id est, Deo et mundo servire volentes; aridi, id est, charitate Dei et proximi carentes; languidi, id est, ab inordinatis affectibus debilitati. 2. Quia Angelus Domini, id est, Sacerdos movet, id est, applicat hanc aquam, sic infirmitatem tollit. Addatur vero, quod in hoc præstantior sit hæc piscina, quod non oporteat certa tempora exspectare, nec queri cum languido illo : Hominem non habeo, ut mittat me in piscinam etc.

Ex occasione thematis : « Baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. » MATTH. III, 6.

Potest baptismus Jordani fluvio comparari. I. Quia sicut Jordanes idem significat, ac fluvius Judicii, et regionem Judæorum fidelium a regione infidelium dividebat ; ita per baptismum Christiani ab infidelibus discernuntur. 2. Sicut in Jordane curabatur lepra Naaman ; ita et in baptismo lepra peccati. 3. Quia sicut Jordanes Filiis Israel se aperuit, et siccum iter præbuit ; ita et per baptismum aditus ad terram promissionis, id est, vitam æternam patet. 4. Quia sicut Christus Jordanis aquas suo contactu sanctificavit ; ita baptismo vim suam ac efficaciam sua institutione tribuit. 5. Quia sicut, dum Christus in Jordane lotus est, cœli aperti sunt, et Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit ; ita et per baptismum reseratur cœlum, ac Spiritus Sanctus descendit, facitque, ut de baptizato vere dicat Pater æternus : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui MATTH. III, 17.

AUCTORES.

Jacobus Marchantius, *in Candelabro mystico* tractatu II.

Petrus Canisius tom. III, c. II.

Antonius Dauroltius in *Catechismo Historiali* p. III, cap. VI.

Matthias Faber p. II, conc. VIII, in Dom. 3, Adv. et conc. VI, Dom. 4.

Josephus Langius *in Polyanthœa* V. eodem.

BEATITUDO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est status omnium bonorum aggregatione perfectus, juxta Boetium. BOET. l. III, *de Cons.*

Juxta S. Augustinum vero, ille Beatus est, qui omnia, quæ vult, habet, nec aliquid vult, quod non decet. S. AUG. *de Spir. et lit.*

Juxta S. Bernardum autem, Beatitudo est, ubi nihil sit, quod nolis ; ubi totum sit, quod velis. S. BERN. apud DREX. l. II, cal. c. X, § 1.

DIVISIO. — Dividitur in substantialem et accidentalem. Illa in visione beatifica, hæc in gaudiis et actibus a dicta visione distinctis consistit. Dividi etiam potest in beatitudinem corporis, et animæ; quarum illa, juxta D. Anselmum, pulchritudinem, agilitatem, fortitudinem, libertatem, sanitatem, voluptatem, et longævitatem involvit; hæc vero sapientiam, amicitiam, concordiam, honorem, potestatem, suavitatem, gaudium continet. S. ANSEL. l. IV, ser. *de Simil.*

ACTUS. — Potiores sunt, juxta Hugonem, sequentes : *Vivere* vita sine fine, sine molestia, sine diminutione, sine omni adversitate. Vita eorum, visio et cognitio beatæ Trinitatis, sicut Dominus ait : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti

Jesum Christum. Hugo, libro IV *de Anim.*

Sapere, scilicet consilia atque judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, item causas et origines rerum omnium. De qua sapientia sic clarius loquitur S. Anselmus : Sapientiam quam omnes in hac vita non inutiliter amant, tanta in futura vita bonis erit, ut eorum, quæ scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Bonus enim perfecta, quæ Deus est, sapientia replebitur, eamque a facie ad faciem intuebitur. Quam dum ita perspexerit, creaturas totius naturæ videbit, quæ in Deo melius, quam in seipsa consistit. Tunc etenim justi omnia scient, quæ Deus fecit scienda, tam ea, quæ præterita, quam ea, quæ postmodum sunt futura. Ibi a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur, nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit. S. Ansel. l. *de Simil.* c. lix.

Amare Deum incomparabiliter, quia sciunt, unde, et ad quid eos provexerit, amare item singulos, sicut seipsos.

Gaudere de Deo ineffabiliter ; gaudere de tanta sua beatitudine. Et quia unusquisque unumquemque diligit tamquam seipsum, tantum gaudium quisque habeat de bono singulorum, quantum de suo; quoniam bonum, quod non habet in seipso, possidet in altero. Constat ergo, quod singuli tot gaudia habent, quot socios. Et singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cum autem quisque plus amet Deum, quam seipsum, et omnes alios secum, plus gaudet de Dei felicitate, quam de sua et omnium aliorum secum. Si ergo cor uniuscujusque vix capit suum gaudium, quomodo capit tot et tanta gaudia? Ideo dicitur : Intra in gaudium Domini tui; non, intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset.

Laudare Deum sine fastidio, sine fine, sicut scriptum est; Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Psal. lxxxiii, 5.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Cum Moyses dixisset ad Dominum : Ostende mihi gloriam tuam. Respondit Dominus : Ostendam tibi omne bonum. Exod. xxxiii, 29.

Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Psal. xvi, 15.

Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. Is. xlix, 10.

O Israel, quam magna est domus Dei, et quam ingens locus possessionis ejus. Baruch iii, 34.

Tunc justi fulgebunt sicut sol in conspectu Patris eorum. Matth. xiii, 43.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. viii, 10.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum. I. Cor. ii, 9.

Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. I Joan. iii, 2

Nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. Apoc. xii, 5.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. Ib. xxi, 3.

Ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso, et platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ. Apoc., xxi, 10.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. v, 12.

Utilitas. — Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ps. xvi, 15.

Jucunditas. — Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Ps. xxx, 20.

Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora, et ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis in sempiternum in his quæ creo. Is. lxiii, 17.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Ps. xxxv, 9.

Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. JOAN. XVI, 12.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis sapientiæ, ut, etiamsi in ea non liceret amplius, quam unius diei mora permanere, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium recte meritoque contemnerentur. S. AUG. l. *de Moribus.*

Ibi Deus erit omnia in omnibus, ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Idem l. XXII, *de Civ.*

Facilius possumus dicere, quid ibi non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla tristitia. Idem, l. III, *de Symb.*

Non erit aliqua invidia disparis claritatis, quoniam regnavit in omnibus unitas charitatis. Idem, *super Joan.*

Hæreditas Christi, qua cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium. Regnum Dei tantum valet, quantum habueris. S. AUG. *sup.* PSAL. XL.

Quam speciosa debet esse cœlestis Jerusalem, si sic fulget Roma terrestris? Si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligenbus vanitatem; qualis præstabitur Sanctis diligentibus veritatem? S. FULGENTIUS, apud SUR. tom. I.

Merces Sanctorum tam magna est, quod non potest mensurari, tam copiosa, quod non potest finiri, tam pretiosa, quod non potest æstimari. S. BERN. l. *de Consid.*

Effugit omnem sermonem, excedit omnem humanum sensum decus illud atque majestas. Quod Deus præparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria et vota transgreditur. Acquiri potest, æstimari non potest. S. AUG. apud DREX. l. I *Cœl.* c. I.

Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Nam ex his minimis tua magna, et ex his visibilibus tua invisibilia comprehendimus. Idem, *Sol.* c. XXI.

De Rege autem, qui horum agminum medius residet, dicere vox nulla sufficit. Ultra omnem enim Sanctorum gloriam est, ipsius inæstimabilem adipisci conspectum, et spendore majestatis ejus irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus in gloria venientem, et Sanctorum ejus numero sociari, non erat dignum pati omne, quod mœstum est, ut tantæ gloriæ bonitatisque participes haberemus? S. AUG. s. XXXVII. *de Sanct.*

Frater charissime, regnum cœlorum clamat Deus se habere venale. Quod quidem regnum cœlorum tale est, ut ejus beatitudinem et gloriam nec oculus mortalis hominis possit videre, nec auris audire, nec cor cogitare. Ut tamen aliquo modo possis illud cogitare, quisquis ibi regnare meruerit, quidquid ipse volet, hoc erit in cœlo et in terra, quidquid vero nolet, non erit in cœlo et in terra. Tanta enim erit dilectio in Deum et eos, qui ibi erunt, et inter seipsos invicem, ut omnes se invicem diligant sicut seipsos, sed plus ament omnes Deum, quam seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod vult Deus, et quod volet unus, hoc volent omnes, et quod unus vel omnes, hoc ipsum volet Deus. Quapropter quidquid volet unusquisque, hoc erit et de seipso, et de omnibus aliis, et de tota creatura, et de ipso Deo. Et sic singuli erunt perfecti Reges, quia quod singuli volent, hoc erit, et omnes simul cum Deo unus Rex, et quasi unus homo, quia omnes unum volent, et quod omnes volent, erit. S. ANS. in ep. II. *ad Hugon.*

Qualis sit hæc gloria futura, et quibus divitiis floreat, quantoque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus. Quare? Quia legimus : « Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. S. AUG. s. I *de verb. Ap.*

Quantum est illud regnum! Hic deficit sensus, imaginatio, ratio, intelligentia. Est enim magnum longitudine æternitatis interminabilis, latitudine capacitatis incoarctabilis, celsitudine sublimitatis incomprehen-

sibilis. S. BER. s. in Dom. 5 *post Ep.* c. VI.

Tanta est magnitudo cœlorum, quod, si de novo crearet Deus hujus magnitudinis tot terrarum orbes, quot grana arenæ maris, adhuc non impleretur empyreum cœlum. Idem, t. I, l. LI art. 2, c. II.

Civitas ista est in mensura valde spatiosa; unde dicit Bernardus, quod ad litteram quilibet Sanctus in cœlo empyreo habebit locum sibi assignatum proprium et specialem, magis spatiosum, quam sit ab oriente ad occidentem. S. BERN. apud MANSI, tr. X, disc. III. num. 3.

Non tibi sit angusta domus ejus, pariter ab omnibus totum a singulis possidetur regnum Dei, crescente possessorum numero non minuitur, quia non dividitur; unicuique integrum est, quod concorditer habetur a multis. S. AUG. s. XVIII *de Verb. Do.* c. XVII.

Cum sint hæc omnia valde delectabilia, quæ bonis, pariterque malis communia tradidisti, qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondisti? Si tam innumera et varia tua dona, quæ nunc amicis pariter tribuis et inimicis, quam magna et innumerabilia, quam dulcia et delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? Si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta, quæso, continet patria? Idem, in MANSI, c. XXXIV.

In hoc præcipue regnum Dei est mirabile, nam quando quis in extera proficiscitur, dicitur abiisse in regnum Franciæ, vel in aliud quodvis, non tamen recte diceretur venisse regnum Franciæ in illum. Verum cum regnum Dei prius in hominem, quam homo in illud ingrediatur, optime dicitur, ad nos venisse regnum Dei, tunc enim regnat in homine, cum homo suscipit illud per fidem et charitatem. DIDACUS STELLA *in* c. XI *Luc.*

Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii compelluntur. Illi rapiunt, qui reliquunt omnia, et sequuntur Christum; mercantur, qui dant temporalia, et accipiunt æterna; fruuntur, qui bona occulte faciunt, et laudem humanam vitantes solo divino testimonio sunt contenti; compelluntur intrare pauperes, quos hic ignis paupertatis, Deo dispensante, probat, ne in futuro ignis judicii damnabiliter premat. S. BONAV. in c. XVI.

In gloria cœlesti est mira serenitas, plena securitas, æterna felicitas. BERN. *super Cant.* ser. XII.

Beatitudo vera non est, de cujus æternitate dubitatur. S. AUG. *de Civitate Dei.* l. XII.

Beatitudo posita est in vera fide.

Beatitudo est et in doloribus, nec perditur adversis. Idem, *de Temp.* ser. VI.

Beatitudo nostra futura non præsens. AMBROS. *de Jac.*

Regni cœlorum via arcta est, nec recipit nisi parvos. BERN. lib. *de pass. Domini.*

ULILITAS. — Si considerentur, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata pondus est, non subsidium. S. GREG. in hom.

O beati servi Christi! O Christiani, membra vestra ligata sunt cæteris, sed spiritus vester est liberrimus! Jacent corpora in carceribus, in equuleis, in tenebris, sed mentes vestras nil potest perturbare. Hoc tantum agite, conscendite cogitationibus vestris in palmam, considerate pulchritudinem et suavitatem cœlestis gloriæ, vagamini per pulcherrimas mansiones, quas Christus ait esse in cœlis. Quoties ea spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis. Nihil crus sentit in nervo, cujus animus est in cœlo. TERTULL. apud LYR. *in apoph. S. Ign.*

Si nautis minaces pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædesque militibus, si gravissimi illi ictus plagæque pugilibus leves videntur atque tolerabiles propter spem temporalium ac pereuntium commodorum, multo magis, cum cœlum proponatur in præmio, nihil ex præsentibus his adversitatibus sentietur. S. CHRYS. hom. XXIV *in Matth.*

JUCUNDITAS. — Talis erit illa pulchritudinis delectatio, ut semper tibi præsens sit, et nunquam satieris, imo ut semper satieris, et nunquam satieris. Si enim dixero, quod nunquam satiaberis, fames erit. Si dixero, quod satiaberis, fastidium times, ubi nec fastidium erit, nec fames. Quid dicam, nescio. Sed Deus habet, quod exhibeat. S. AUG. *ad Diocl.*

O vita vitalis, vita sempiterna et sempiterne beata! Ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Idem, *in Manual.*

Quia vidisti me, credidisti. Beati, qui non viderunt, et crediderunt! Si beatitudo est credere, quod annuntiatur, quanto ma-

joris beatudinis erit videre, quod creditur. Eusebius Emyss. hom. x *de Pass.*

Recordemur, quam jucunda sit quies, quam delectabilis repausatio, post depositam alicujus gravissimi oneris fascem! Quam dulce sit post longam navigationem et pericula, ad optatam terram atque portum desiderabilem pervenisse! Atque ex his colligamus et cognoscamus, quam jucundum erit, comite bona conscientia, ad vera et solida gaudia, atque ad Angelorum transire consortia, et ad illam vitam conscendere; ubi nulli erunt labores, nulla damna, nulla incommoda, et (quod supra omne bonum est) nulla peccata, sed æterna innocentia, inviolata justitia, inconcussa securitas, atque sempiterna felicitas! Idem, hom. viii.

Si dilectus in myrrha, multo magis in botri suavitate, quid faciet in præsentia, qui solum in memoria delectat? Si spes tam dulcis est, quanto res dulcior erit?

Hæc est plena beatitudo, et tota glorificatio hominis videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cœlum et terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum; videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. S. Bern.

Ibi anima valde delectabitur in continua visione delectabilis vultus Dei, de qua dicit Glossa super Psalmum, quod visione nihil delectabilius, quia semper amabunt, quem semper videbunt. In ea tanta est delectatio, quod, teste Augustino, si possent mali, mallent esse in pœnis, et Deum videre, quam esse extra pœnas, et Deum non videre, illa enim facies delectabiliter mirabilis est, et plena gratiarum. S. Th. ep. lxiii, 3.

Tanta in Deo est jucunditas et amabilitas, ut cognitus ab anima statim ipsam ad se trahat, eamque vehementer in se absorbeat, ad similitudinem magnetis, qui virtute sua fortiter ferrum ad se trahit. Ibidem.

Triplex gaudium illos beatos Spiritus lætificat et delectat. Gaudent delectabiliter in perfecta et clarissima divinæ charitatis contemplatione; gaudent dulciter in melliflua et suavissima Divinæ bonitatis degustatione; gaudent sempiternaliter in tranquilla et securissima divinæ Majestatis tentione. S. Bonav. *in soliloq.*

S. Petrus unam stillam dulcedinis gustavit, et omnem aliam fastidivit dulcedinem; quid putas, dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis Divinitatis gustasset, quam abscondisti timentibus te? S. Aug. in *Sol.* c. xxii

Cur per multa vagaris quærendo bona creata? Ama unum, in quo sunt omnia; si delectat pulchritudo : « Fulgebunt justi sicut sol; » si libertas, aut fortitudo :« Similes erunt Angelis Dei in cœlo ; » si longa et salubris vita : « Est ibi sanitas æterna; » si satietas aut ebrietas : « Satiabuntur de gloria et inebriabuntur de ubertate domus Dei; » si melodia : « Ibi canunt Angeli; » si societas, et amicitia : « Ibi est beatorum societas, et una omnium voluntas, » si honores et divitiæ : « Gloria et divitiæ in domo ejus; » si securitas et certitudo : « Ibi omnium temporum æterna longitudo.» S. Bonav. *in Solil*

Si singula bona delectabilia sunt, cogita mente; vide quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, et non qualem in rebus creatis sumus experti; sed tanto differentem, quantum differt creator a creatura. S. Aug. in *Medit.* c. xviii.

Si bona est vita creata, quam bona est vita creatrix? Si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus, quæ fecit salutem? Si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est in illo, qui fecit omnia delectabilia? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit! Idem.

Dignitas. — Si rex aliquis curatum suis regalibus ornamentis indutum sibi præsentari præciperet, ut in regno suo filius suus a cunctis haberetur, atque in nullo quod imperaret, a quoquam contradiceretur, hæredem suum, filiique sui cohæredem institueret, et cum suo nomine vocari vellet, nonne diceres, hunc magnifice et inopinate honoratum? Et certe Deus nobis hæc omnia faciet, nati enim de putredine carnis replemur multis miseriis, vocatos nos nomine suo Deos facit, ipse enim dicit : « Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes. » Sed ipse Deus deificans est, tu vero Deus deificatus.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Fili, non te frangant labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque, sed mea promissio in omni eventu te roboret et consoletur. Ego sufficiens sum ad reddendum supra omnem modum et mensuram.

Age, quod agis, fideliter labora in vinea

mea. Ego ero merces tua magna nimis. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria, digna enim est his omnibus et majoribus præliis vita æterna. Lib. III, c. XLVII.

Pensa, fili, horum fructum laborum, celerem finem atque præmium nimis magnum, non habebis inde gravamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen. Nam et pro modica voluptate, quam nunc sponte deseris, habebis semper voluptatem tuam in cœlis. Ibid. § 2.

Ibi invenies omne, quod volueris, omne, quod desiderare poteris. Ibi aderit totius facultas boni sine timore amittendi. Ibi voluntas tua una semper mecum, nihil capiet extraneum vel privatum. Ibi nullus resistet tibi, nemo de te conqueretur, nemo impediet, nihil obviabit, sed cuncta desiderata simul erunt præsentia, totumque affectum tuum reficient, et adimplebunt usque ad summum. Ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa, pallium laudis pro mœrore; pro loco novissimo sedem regni in sæcula. Ibi apparebit fructus obedientiæ, gaudebit labor pœnitentiæ, et humilis subjectio coronabitur gloriose. Lib. III, c. XLIX, § 6.

O si vidisses Sanctorum in cœlo coronas perpetuas, quanta quoque nunc exultant gloria, qui huic mundo olim contemptibiles et quasi vita ipsa indigni putabantur; profecto te statim humiliares usque ad terram, et affectares potius omnibus subesse, quam uni præesse, nec hujus vitæ lætos dies concupisceres, sed magis pro Deo tribulari gauderes, et pro nihilo inter homines computari maximum lucrum duceres! O si tibi hæc saperent, et profunde ad cor transirent, quomodo auderes vel semel conqueri? Nonne pro æterna vita cuncta laboriosa sunt toleranda? Non est parvum quid, perdere, aut lucrari regnum Dei. Lib. III, c. XXXVII, § 3.

EXEMPLA EXTERNA.

Qualitas. — S. Augustinus statuerat scripto exquirere ex S. Hieronymo, quid de beatitudine sentiret? Quia vero S. Hieronymus interea decessit e vita, ideo post mortem ei apparuit, dixitque: Vide, si numerare potes stellas cœli, arenas et guttas maris. Id namque facilius est, quam gloriam dicendo explicare. Est enim res tanta, quanta, nisi ipse vidissem, nunquam credidissem. Et tam longe abest ab eo, quod ego vivens cogitabam, ut omnino sit quidpiam infinities majus. S. Aug. ep. *ad Cyrill.*

Id fusius paulo narratum memini alibi, nimirum quod S. Augustinus, dum die quadam tractatum de Beatitudine scriberet, ad horam Completorii in extasim raptus, suavissimam quamdam vocem audivit. Cumque cujusnam hæc vox esset, inquisiisset; respondit loquens: Ego sum Hieronymus, amicus tuus, qui dum in hac vita etiamnum superstes esset, varia circa hanc materiam dubia contulit. Tunc S. Augustinus lætus ad hunc dixit: Utique ex quo in cœlis vivens omnia clare et intuitive intueris, omnes hactenus inter nos agitatas difficultates resolvere tibi jam minime arduum erit. Cui S. Hieronymus ait: Ut uno verbo edicam, quod desideras, opus erit ut mihi prius ad sequentia interrogata respondeas: Putas ne quod totam terræ rotunditatem in uno pugno claudere poteris; aut universam maris aquam in parvo vasculo coarcere? Si autem id impossibile judices, longe impossibilius esse dico, quod intellectus aliquis creatus illius gloriæ, quam Deus diligentibus se præparavit, minimam partem capere valeat. Hisque dictis, protinus disparuit. S. Aug. tract. *de Beat.*

S. Chrysostomus dicere solebat, se paratum esse ad ipsas etiam inferni pœnas sustinendas, modo aspectu Christi per momentum frui liceret.

S. Franciscus, cum gravissimo oculorum dolore et insomniis vexatus Deum laudaret, solumque patientiæ gratiam peteret, vox quæpiam de cœlo delapsa sic eum allocuta est: Francisce, si tota terra esset aurum, et mare, et flumina ac fontes, merum essent balsamum, et omnes montes ac colles essent lapides pretiosi, et tu invenires alium thesaurum his omnibus tanto nobiliorem, quanto aurum nobilius est terra, et balsamum aqua, et hunc thesaurum tibi quis pro infirmitate tua daret, an non gauderes? Cumque S. Franciscus indignum se thesauro tali diceret, ulterius vox ad eum dixit: Gaude nunc, Francisce, quia ille est thesaurus vitæ æternæ, quem tibi reposui! Et ex nunc te investio, et ista infirmitas et afflictio tua est arrha illius beati thesauri. Quo audito S. Franciscus mire lætabatur. *Spec. ex v. cœl. glor.* ex VIII.

B. Mechtildis a Christo quondam visitata, hanc a Sanctis illum comitantibus vocem

audivit : O beatos vos homines in terris, quibus tanta quotidie promerendi occasio est; si enim penetraretis gloriam vobis paratam, certe eo ipso momento, quo e lecto vos proripitis, præ immenso cordis gaudio exiliretis, quod ille illuxisset dies, in quo incrementa frugum justitiæ, et illic gloriæ, prope in immensum multiplicare possitis. RODRIQ. p. II, ep. I, c. XXI.

Rogarat aliquando S. Thomam Aquinatem soror illius, quid tandem esset cœlestis gloria? Cui ille : Ante, inquit, quam tu illam mereare, a nemine, quæ sit, intelliges. RIBBAD. 7 Mart.

Cum Hermenegildo, Regi Hispaniæ, pater necem minaretur, quod ab Ariana labe se expurgasset, respondit ille : Bene igitur mecum acturus es, pater, siquidem ut regnum hoc abs te jugulatus amittam, æternum cum superis consequar BEIRL. *in festo SS. Phil. et Jac.* tr. III.

Dæmon quondam ex energumena confessus est, se tanti gloriam cœlestem æstimare, ut libenter omnes Damnatorum pœnas usque ad diem Judicii passurus esset, modo per unicum momentum aspicere Deum posset. *Spec. Ex.* dist. IX, ex. XCIV.

Cœlestem gloriam ab brevissimum tempus expertus quidam puer, omnium hominum linguis loqui cœpit. *Spec. Ex.* dist. I. ex, LVII.

In vita S. Cæciliæ refertur, quod, cum martyrii ipsius ministri ipsam acrius reprehenderent, quod in flore ætatis pulcherrimo constituta, sponsalitii sui voluptates, divitias cunctaque alia hujus vitæ bona simul et semel perdere non dubitaret, ipsa voce libera responderit : Hoc est dare lutum, et accipere aurum; dare tabernaculum breve et miserabile, et magnam spatiosamque, et amplam domum accipere ex lapidibus pretiosis et auro ædificatam ; dare angulum, tenebrosum locum, et accipere lucidum, margaritis cœlestibus resplendentem; dare lapidem miserabilem, quem pedibus conculcatis, et accipere lapidem pretiosum, qui resplendet in regio diademate. SURIUS, in *Vita S. Cæciliæ*.

S. Fulgentius, Romanæ Urbis magnificentiam demiratus, dixit : Quam speciosa esse potest Civitas cœlestis, si ita fulget Romana terrestris? Et si in hoc sæculo tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur Sanctis diligentibus veritatem? MANSI, disc. V, n. 1.

S. Franciscus excessiva quadam melancolia oppressus, in lecto decumbens, rogavit fratrem Pacificum, ut Assisium abiens quemdam sui ordinis religiosum, qui perfectus citharædus erat, ad se accerseret, ad hoc ut ex citharæ sono modulato nonnihil sublevaretur. Cui frater Pacificus multos exinde scandalizandos fore respondit, ac proinde monuit, ut meliori usus consilio, ad Deum potius se toto corde converteret; sic enim futurum esse aiebat, ut pro molestæ illius tristitiæ mitigatione solatium aliquod perciperet. Cui consilio cum Seraphicus Pater morem gerere vellet, contigit, ut dum sanctus vir Dei ad sublevamen istud implorandum, suam in Deum mentem elevaret, protinus Angelus quidam citharam artificioso plectro pulsans coram viro Dei compareret, qui, dum vix primæ chordæ plectrum admovisset, Seraphicus Franciscus mox se tanto jubilo adeoque immensa lætitia demulceri et perfundi sensit, ut eum, ne secundam chordam tangeret, impense rogarit, timens, ne præ nimia suavitate et infinita dulcedine, qua interius afficiebatur, spiritum exhalaret. Unde ad infinitum hunc jubilum, quem in corde suo persentiscebat, temperandum, crucem quamdam vicinam amplexatus Passionem Redemptoris nostri menti suæ vivacissime impressit. IBID. dis. XX, 6.

Dimidio fere anno, priusquam vita excederet Archiepiscopus Hanno visus est sibi domum quamdam omni decore intus et foris resplendentem intrare. Ecce in subselliis judicialibus, tanquam ad concilium solemniter evocati residebant, Heribertus, Coloniensis Archiepiscopus, Bardo, Moguntinus Archiepiscopus, Boppo et Eberhardus, Trevirenses Archiepiscopi, Arnulphus, Wormatiensis Episcopus, et alii quamplures Galliarum Episcopi, quorum alios in carne noverat, alios fama tantum, et lectione compererat, amicti omnes stolis Pontificalibus, et habentes vestem instar nivis candidam; ipse quoque admodum candidis ac pretiosis indutus sibi videbatur, sed partem candentis vestimenti, eam scilicet, qua pectus tegebatur, sordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ut cæterum cultus ejus splendorem sua fœditate plurimum offuscaret; propter quam ipse nimio rubore perfusus, objecta manu tegere ac celare, ne inspicientium offenderet obtutum, conabatur. Videt inter eos sibi quoque sedem miri decoris paratam, quam cum occupare gaudio et exultatione æstuans

procuraret, surgens Arnulphus, Wormatiensis Episcopus, modesta voce eum prohibuit, dicens, reverendos Patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum, propterea quod vestem ejus turpis hæc macula fœdaret. Cumque jussus loco cedere, flens, confectoque nimium animo egrederetur, insecutus eum idem Episcopus : Æquo animo, ait, esto, Pater, maculam tantum hanc, quæ vestem tuam infecit, maturius ablui præcipe, quia non post multos annos beatæ hujus mansionis consortium, et Sanctorum Patrum, quos adspexisti, consessum voti compos percipies. Mane facto cum familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem conjiciens : Macula, inquit, hæc vesti tuæ illata, nihil aliud est, Pater, ut æstimo, quam memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus te, Divinæ pietatis aspectu, jam olim oportuerat admissi hujus veniam dedisse. Hæc, quod bona venia dixerim, pectori tuo tenacius, quam æquum sit, insidens, et amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ tuæ conversationis claritatem molesta quadam caligine obducit, et obscurat. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio convictus, ne inficiaretur, quod audiebat, reatum suum humiliter agnovit, statimque destinatis circumquaque nuntiis, cives omnes Coloniæ, quos in ultionem injuriæ suæ excommunicatos urbe fugaverat, ad se avocavit, eisque proxima festivitate Paschali (nam in Quadragesima visionem viderat) non solum communionem Ecclesiasticam, sed etiam bona sua omnia, quæ direpta fuerant, benignissime restituit. Sic gravis illa tempestas, quæ spiritu diabolico suscitata totam concusserat Coloniam, conquievit, pater filios, filii patrem recognoverunt ; Archepiscopus amaritudine, populus metu et sollicitudine, civitas liberata est solitudine. DAUROLT. c. VIII, tit. XXII, 5.

In ea mortalitate, quæ Patritii Narsi tempore hanc urbem vehementer afflixit, in domo Valeriani, Romanæ urbis advocati, puer armentarius fuit præcipuæ simplicitatis et humilitatis. Cum vero ejusdem advocati domus eadem clade vastaretur, idem puer percussus est, et usque ad extremum deductus. Qui subito sublatus a præsentibus rediit, sibique dominum suum fecit vocari, cui ait: Et ego in cœlo fui, et qui de hac domo morituri sunt, agnovi. Ille, atque ille morituri sunt, tu vero non timeas, quia hoc tempore moriturus non es ; ut vero scias, quia me fuisse in cœlo verum fateor, ecce accepi illic, ut linguis omnium loquar. Numquid non cognitum tibi fuit, Græcam linguam me omnino nescisse ? et tamen græce loquor, ut cognoscas, an verum sit, quod me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc græce dominus suus locutus est, atque ille in eadem lingua respondit, ut cuncti, qui aderant, mirarentur. In eadem quoque domo prædicti Narsi spatharius Ulgarus manebat, qui festine ad ægrum deductus, ei Ulgarica lingua locutus est, sed ita puer ille, in Italia natus, et nutritus, in eadem barbara locutione respondit, ac si eadem fuisset gente generatus. Mirati sunt omnes, qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento, quas eum ante nescisse noverant, crediderunt de omnibus, quas probare minime valebant. Tunc per biduum mors ejus dilata est ; sed die tertio (quo occulto judicio, nescitur) manus et brachia lacertosque suos dentibus dilaniavit, atque ita a corpore exivit. Quo mortuo, omnes illi, quos prædixerat, ex hac protinus luce subtracti sunt, nullusque in illa domo ex eadem tempestate defunctus est, qui voce illius denuntiatus non est. S. GREG. l. IV *Dial.* c. XX.

Anno Domini 1104, quidam Clericus de Vendopera, cum studeret in scholis apud Lugdunum, vidit visione noctis vallem sub monte, super quem civitas pulcherrima sita erat, cujus aspectus nimium delectabat intuentes, ita ut quisquis eam videret, de aspectu illius satiari non posset, et modis omnibus laboraret, quomodo ad eam pervenire valeret. Interea vidit fluvium quemdam sub pede montis, quem dum circumiret, quærens, quomodo illum transmearet, vidit super ripam fluminis duodecim pauperes lavantes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissima indutus, aliis dissimilis, qui juvabat alios in tunicarum suarum ablutione, qui postquam adjuverat unum, ibat postea adjuvare alium. Tunc Clericus, qui hoc videbat accessit ad illum, qui alios juvabat, et dixit: Quæ gens estis vos? qui ait: Isti pauperes homines sunt pœnitentiam agentes, et se a peccatis suis lavantes, et ego Filius Dei Jesus Christus, sine cujus auxilio nec isti, nec alii possunt benefacere. Civitas hæc pulchra, quam vides, Paradisus est, ubi ego maneo, et quando quis tunicam suam laverit, id est,

pœnitentiam egerit, in illam intrabit. Tu ipse satis diu quæsivisti viam, qua itur in illam, sed nulla alia via, quam ista, ducit ad eam. His dictis, Clericus evigilavit e somno; et mirari cœpit de visione. Cumque non multo post rediisset de schola in patriam, narravit Episcopo Cabilonensi visionem hanc, cui familiaris erat; qua audita Episcopus suasit ei, ut sæculum relinqueret, et religionem intraret, commendans ei super omnes Ordines novellum istum Ordinem Cisterciensem. Ille venit Cistercium, et invenit locum incultum et desertum, fratres inter bestias conversantes. Ad portam vero Monasterii, quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cujus sonitu ad portam, portarius compellabatur ab intrare volentibus. Hoc vero sonitu portarius vocatus, venit ad eum foras, et inclinans se salutavit eum. Quem Clericus intuens, statim cognovit eumdem vidisse inter eos, qui tunicas in flumine lavabant. Rogavitque eum, ut duceret ad Abbatem. Abbas igitur et totus Conventus venit ad eum, et recognovit Clericus omnes se vidisse tunicas suas in flumine lavantes. Statimque cecidit ad Abbatis pedes, rogans eum lacrymis, ut susciperetur, qui susceptus, non multo post factus est Prior. BELLVAC. lib. XXV, c. XXVI.

Contigit aliquando Fratrem Jordanum, Generalem Prædicatorum, loqui cuidam obsessæ; quæsivit a spiritu immundo, ubi foret libentius? Respondit: In cœlo. Et cum scrutaretur causam, quare magis desideraret esse in cœlo? Respondit. Ut faciem Creatoris viderem. Quæsivit Magister, quam libenter videre? Respondit spiritus : Paulo amplius vidi, quam ad ictum oculi, sed propter tamdiu denuo videre faciem Creatoris omnes pœnas, quas omnes dæmones sustinuerunt a die qua ejecti sunt de cœlo, et etiam quas sustinebunt usque ad diem judicii, vellem sustinere. Quod audiens Magister expavit vehementer, ita ut non videretur in eo spiritus. Postea ad se reversus dixit spiritui : Optime dixisti mihi, sed alicujus pulchritudinis comparationem dicas mihi ad pulchritudinem Dei. Et respondit spiritus nequam: Stulte quæsivisti, quia non potest enarrari. Sed propter instantiam petitionis tuæ unum tibi narrabo, quod tamen frivolum est, et penitus nihil respectu veritatis. Considera, inquit, quod si omnes pulchritudines omnium pulchritudinum terrarum sive cœlorum, atque gemmarum, vitri, auri, argenti, florum, atque omnium metallorum, et eorum omnium, quæ pulchritudine sua visum delectant, redactæ essent in unum, et omnes stellæ ad solis similitudinem lucerent, et sol præ omnibus stellis jam prædictis, lucem haberet, et omnes illæ pulchræ stellæ, radios suos jactarent in pulchritudinem unam : scias hoc pro certo, quod omnis illa pulchritudo humanam æstimationem excederet, et tam incomparabilis esset illa pulchritudo, ad pulchritudinem Creatoris, quam nox tenebrosa est ad diem, seu solem clarissimum. Væ ergo illis, qui separabuntur ab illa inæstimabili gloria! JOAN. HEROTA in *Promptuario*, l. c.

Fuit quidam Monachus, qui legens in matutinis cum aliis fratribus: « Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit,» miratus est nimis, quomodo illud esset possibile. Erat enim sanctus et devotus valde, post matutinas ergo mansit in choro in sua devotione, ut consueverat, et petivit sibi illum versum revelari a Deo, et incepit discere, et cum staret, avis pulcherrima ante oculos ejus, volavit et avolavit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem ejus. Tandem volavit extra Ecclesiam, et tamen semper prope ipsum, ut posset videri, et ita prope, ut posset apprehendi. Tandem deduxit eum extra claustrum, et ulterius deduxit eum ad unum nemus, quod fuit ante claustrum, magnum et spatiosum valde. Et ibi Monachum detinebat per dulcem melodiam per trecentos annos, nunc avolando, nunc appropinquando, quousque omnes Monachi dicti Monasterii essent defuncti. Et præ dulcedine cantus dictæ avis non esurivit, nec sitivit, nec comedit, nec bibit; postea avis avolans Monachum dimisit. Statim Monachus ad se reversus Monasterium suum petiit, quia prope erat, putans se eadem nocte post matutinas recessisse. Jam erat hora tertia, ut sibi videbatur, et se petivit intromitti. Dixit portarius, quis esset? Qui dixit: Sum sacrista istius Monasterii, qui post matutinas egressus sum. Portarius putans eum delirum, non cognovit eum omnino, tamen requisivit ab eo nomina fratrum, scilicet Abbatis, Prioris et Cellarii. Recitavit ergo nomina eorum, qui erant temporibus suis, et portario incogniti omnino erant. Et admirans Monachus, quod non intromitteret eum, et simularet, se nescire nomina fratrum, petivit, ut duceret eum ad Abbatem. Ductus autem ad Abbatem, nec ipse cognovit Abbatem, nec Abbas e converso eum.

Et inquisivit Abbatem de prædecessore suo, et sic inventum fuit, quod Abbas ille cum aliis, quos nominavit, ante trecentos annos esset defunctus. Tunc ostendit Abbati et omnibus fratribus, quid Deus secum operatus est per tot annos in eremo per avem, et illum versiculum: « Mille anni, etc. » et de gaudio Paradisi, et tunc ipsum in fratrem receperunt, qui statim sumptis Sacramentis Ecclesiasticis, dulciter obdormivit in Domino, et ad gaudia vitæ æternæ pervenit.

Martini Episcopi vultus, cum obiisset, splendidus apparuit, ut non mori eum, sed ad immortalitem transire cuivis fidem faceret. Angelici præterea cantus circa ipsum auditi, eadem hora Severus Coloniensis Episcopus animam ejus ab Angelis ad cœlum ferri vidit. Severus etiam Monachus ipsum in quiete conspexit niveo tegumento, vultu rutili, radiantibus oculis, librum manu gerentem, summa cœli petere, et evigilans audivit eumdem tunc decessisse. MARULL. l. II.

In Petri Apostoli martyrio a multis Angelos visos tradunt coronas illi rosarum liliorumque porrigentes, atque etiam juxta stantem Christum, apertumque librum manu tenentem, in quo ea scripta conspiciebantur, quæ Petrus ad populum expromebat, et dum plebs eum subtrahere neci vellet, ne oblatam gloriam impedirent, petiit. Sed quota hæc beatitudinis ejus pars, quæ tantum ad fidelium consolationem vel ad infidelium conversionem se ostendit? Cum ille etiam invisibilibus intra se jam frueretur bonis, quæ plenius liberiusque affectans amplecti crucifigi optavit, et tam immane supplicium gratanter subiit; nec mors ei gravis, sed dilatio mortis erat. Ibidem.

Pauli Apostoli caput a corpore dissectum ter per humum prosiliit, ter nomen Jesu Christi invocavit, tres fonticulos, qua saliendo terram contigit scaturire fecit, de vulnere ejus lac primo, deinde sanguis emanavit. Quorsum tot miracula in morte sancti hujus, nisi ut hæc tam magnifica oculis nostris objecta pensitantes, quanto illa in cælo magnificentiora sint ejus præmia, quæ oculus videre non potest, cogitemus. Ibidem.

D. Hieron. corpus cum spiritum reddidisset subita lux circumfulsit: visi sunt Angeli et Christi vox audita, quæ illum ad possidendum cœleste regnum invitaret. Lux cum spiritu abiit, odor suavissimus cum corpore remansit. Eadem hora Cyrillus, Episcopus Hierosol. animam ejus Angelicis manibus gestatam cælum versus tendere conspexit. Eodem die sancta hæc anima miro radians fulgore Aug. Hipponæ apparuit. Ibidem.

UTILITAS BEATITUDINIS CONSIDERATÆ. — Milites tres fidelitatem mutuo promiserunt, ut in quacumque necessitate se non desererent, erant in bellis et torneamentis strenui, et ad omnia mundi facta probi. Contigit tandem quadam die transisse silvam omnes in silentio; cum autem essent extra silvam, unus eorum dixit: Miror, quare sic obmutuimus in transitu silvæ hujus; et dixit unus causam sui silentii esse hanc, quia videns amœnitatem silvæ memor fui amœnitatis cœlestis, quam causam etiam cæteri confessi sunt. Quibus senior dixit: Credite, non sine causa hoc factum esse, sed nutu Dei, ut sicut hactenus mundo, ita nunc Deo serviamus. Quapropter consulo, ut laustrum ingrediamur, et eamdem fidelitatem in Domino habeamus. Quod factum est. Et laudabiliter et strenue per aliquod tempus illic vixerunt. Tandem duo juniores cœperunt tepescere, et hoc invicem confessi sunt, et consolationem ad invicem quæsierunt. Venerunt ergo ad tertium de statu quærentes suo, et invenerunt eum Deo servientem, hilarem et devotum. Videns autem ille vultus eorum tristes, dixit: Ex multo otio et tædio estis tristes et segnes, mihi autem totum tempus breve videtur, quia semper occupor. Illis autem mirantibus quibus studiis et occupationibus tempus impenderet, cum sicut ipsi illitteratus esset, dixit: Tres litteras tantum inveni quas docuit me magister meus in ingressu meo, quas legens quotidie, nullo unquam tædio afficior, sed præ desiderio legendi deficit mihi tempus. Una scripta est nigro colore, quæ significat peccata mea, quæ denigraverunt animam meam, et falsitatem et instabilitatem mundi, et pœnas inferni. Hanc lego a mane usque ad Missam. Secunda scripta est colore rubeo, quæ significat passionem Salvatoris nostri, qui multa pro nobis sustinuit. Hanc lego a Missa usque ad Nonam, quando emisit spiritum. Tertia scripta est aureis litteris, hæc est amœnitas et multiplicitas gaudii cœlestis. Hanc lego usque ad Completorium, et sic expendo tempus meum sine tædio. Quo audito, cæteri multum accensi, profecerunt de cætero et ipsi. Ibid. ex. XI.

Cum quidam novitius laboraret in extremis in Conventu Argentinensi in Teutonica,

et fratres recommendarent animam ipsius Creatori, ex insperato aperuit oculos suos, et ait : Audite, fratres charissimi, mihi accidit, sicut alicui eunti ad forum, et parvo pretio magnas merces ementi ; ecce enim regnum accipio, et causas nescio meritorum. Et hoc dicto requievit in pace. *Vitæ Prædicat.* p. V, c. I.

Quidam juvenis valde nobilis et delicatus venit ad ordinem S. Francisci, qui indutus habitu fratrum post aliquos dies, diabolo instigante, cœpit habere in tanta abominatione habitum, quem gerebat, quod videbatur sibi portare saccum vilissimum, et propterea horrebat manicas, abominabatur caputium, et ipsam longitudinem tunicæ, et ejus asperitatem tanquam importabilem æstimabat. Unde factum est, quod crescente Religionis fastidio, deliberavit penitus rejicere habitum, et redire ad sæculum. Magister autem ejus docuerat eum, quod quando ante Altare Conventus transiret, in quo servabatur sanctissimum Christi corpus, cum magna reverentia genibus flexis, et discooperto capite et cancellatis manibus, se devotissime inclinaret. Dictus autem juvenis hoc semper sollicite observavit. Accidit autem illa nocte qua deliberaverat dimittere habitum, et redire ad sæculum, quod oportebat eum transire Altare, ubi, sicut consueverat, genuflexit, et statim fuit raptus in spiritu, et ostensa fuit sibi mirabilis visio. Vidit enim quasi multitudinem infinitam coram eo processionaliter transeuntem, omnes vero, qui in illa processione beata erant, bini incedebant, et erant vestiti in ornatissimis diasperis. Facies autem eorum et manus, et quidquid apparebat de corpore, sole splendidius radiabat, et ibant cum cantu, et jubilo Angelorum solemnissime et dulcissime decantando. Inter quos duo nobiliores cæteris incedebant, tanta claritate velati, quod mirandum stuporem inspicientibus ingerebant, et quasi circa finem processionis prædictæ vidit etiam quemdam tanta gloria decoratum, quod videbatur quasi novus miles ab omnibus singulariter honorari. Dictus autem juvenis hoc videns mirabatur valde, et nesciebat, quid hoc esset, nec interrogare transeuntes audebat, nec poterat, nimia dulcedine stupefactus. Sed cum processio pertransisset, et ipse adhuc videns extremos, resumens audaciam cucurrit, et illos interrogans, dixit : O charissimi, rogo vos, quod dicere placeat, qui sunt isti tam admirabiles, quos continet hæc veneranda processio ? Illi vero convertentes ad eum splendissimas facies dixerunt : Nos omnes sumus Fratres Minores, qui modo venimus de Paradiso. Et ille rursum interrogans ait : Qui sunt illi duo, qui tam excellenter inter alios rutilant? Responderunt : Illi duo, cæteris clariores, sunt beatus Franciscus et S. Antonius. Ille autem ultimus tantum honoratus, est quidam sanctus Frater noviter mortuus, quem (quia valenter contra tentationes pugnavit, et usque ad finem perseveravit in sancto proposito) ad gaudia æterni Regni cum gloria et triumpho perducimus, non solum comitantibus sanctis, sed etiam lætantibus Angelis. Ista vero vestimenta diasperi, quæ nos tam decora portamus, data sunt nobis propter asperas tunicas, quas in Religione patienter detulimus ; et gloriæ claritas, quam tu vides, data est nobis a Deo propter humilem patientiam, quam fecimus, et propter sanctam paupertatem, et obedientiam, et castitatem mundissimam, quam usque in finem hilari mente servavimus. Unde, fili, non sit tibi durum, saccum Religionis tam fructiferum deferre ; quia si in sacco beati Francisci, amore Domini Dei nostri Jesu Christi mundum spernendo, carnem mortificando, et contra diabolum dimicando, viriliter te habueris, nobiscum simili veste fulgebis. Et his dictis, juvenis ad se rediit, et confortatus ex ipsa visione, omnem tentationem abjecit ; culpam coram Guardiano et aliis fratribus recognovit, asperitatem pœnitentiæ et indumenti, ut divitias de cætero concupivit, et sic mutatus in melius, in sancta vita finivit. *Specul. Exempl.* loc. cit. ex. VI.

Ingravescente vi persecutionis, præses Martianus sanctum Julianum, post dira tormenta, diversis pœnis afflictum, et vinculis ferreis per omne corpus oneratum, jussit sub voce præconis civitatem circumire, dicens : Hæc merentur Deorum rebelles, et Principum contemptores. Et cum veniret ad locum, ubi Celsus unicus filius præsidis studebat, ait puer ad condiscipulos suos : Rem inauditam video, illum scilicet Christianum, quem ducunt, cum multitudine albatorum colloquentem, et coronam super caput ejus ex gemnis et auro, cujus fulgor excæcat hujus aeris lucem, et alios tres viros albescentibus comis, alarumque volatu in similitudinem aquilarum super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur,

quia dignum est tali Deo servire, qui suos sic tuetur, et tali decore circumdat. Hoc audientes discipuli et magister ejus, blande corripientes eum, ab intentione revocare conati sunt. At ille doctorum volumina abjiciens, etiam vestes, quas indutus erat, abjecit dicens : Nudum me mater fudit huic sæculo, quod mundi est, mundo relinquo. Hæc dicens per plateas civitatis cursum arripuit, donec, ubi sanctus Julianus torquebatur, veniens, pedibus ejus prostratus, ait : Te secundæ nativitatis, quam mihi Christus ostendit, patrem agnosco ; Martianum vero genitorem meum, veritatis inimicum despicio. Tota autem civitas concurrebat, et filium præsidis sic vulnera Martyris osculantem mirabatur. Si quis autem voluisset, ex præcepto præsidis, puerum a Juliani complexu avellere, statim manus ejus et brachia contrahebantur. Præsentatis ergo eis præsidi, ait Juliano præses : Spei meæ fructum magicis artibus auferre contendis, et ipsum parentum amorem negare compellis. Hoc eo dicente advenit et mater, cum multiplicata familia, crine soluto et nudatis uberibus, clamans. Quod videns præses clamavit incisis vestibus ad Julianum : Juliane crudelis, aspice dolorem patris et matris, et planctum tantæ familiæ, et a magicis artibus innocentem solve, et ego Imperatoribus suggeram, ut illæsus abscedas. Cui ille respondit : Suffragiis tuis opus non habeo, nec dimitti desidero. Ecce adest, qui a te natus, modo credendo mecum renatus est, ipse tibi et matri respondeat. Respondit puer : De spinis rosæ nascuntur, nec rosa nata de spinis, odorem suavissimum, nec frutex, qui rosas genuit, amittit aculeos suarum pœnarum. Ut ergo consuevistis, pungite, et me odorem suavitatis credentibus propinare permittite. Vobis obediant, qui perire parati sunt, me imitentur, qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego pro Christo vos parentes nego, et per vitam temporalem vitam æternam acquiro. Non possum in vos pius esse, et in me crudelis. Quid moraris? Quasi incredulus et crudelis, quasi Abraham, paternis manibus apprehende gladium, et victimam offer filium. Vani sunt vultus vestri, falsæ lacrymæ, ab hac confessione pietatis nemo me valebit disjungere. Mox ergo jubetur in tenebrosum carcerem vermibus scaturientem includi. Quem ingressus statim tenebræ vertuntur in lucem, et ebulliens pœna disparuit. Hoc videntes milites viginti conversi sunt. Surius, in *Vita*, t. I.

Christus Dominus, teste S. Paulo, proposito sibi gaudio sustinuit Crucem. Hebr. xii, 2.

Moyses, eodem teste, magis eligebat affligi cum populo, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem. Heb. xi, 15.

S. David de seipso fatetur : Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes, propter retributionem. Ps. cxviii, 1, 2.

S. Stephanus lapides fortiter excepit quia vidit cœlos apertos, Jesum stantem a dextris Dei. Act. vii.

S. Serapion, cum omnibus se nudasset, manu gerens Bibliorum Codicem solum, nudus per agros circumibat; sciscitantibus vero, quis eum spoliasset? *Hoc*, aiebat, Biblia monstrans; quo indicare voluit, se præmiis, quæ in hoc volumine promittuntur, illectum, omnia terrena sprevisse. Bessæus *de Novem.*

Cum S. Adriano, nondum Christiano, obstupescendam Martyrum constantiam admiranti, et roganti quid se tanta patientia consecuturos sperarent? respondissent illi, se bona illa sperare, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt ; ita is amore Martyrii accensus est, ut mox Christi fidem amplexus, mortem pro Christo, totius corporis membris in frusta dissectis obierit. Surius, 8 Sept.

S. Symphoriani mater filium suum in gravissimis tormentis constitutum sic alloquebatur : Fili, esto memor illius vitæ, quæ tibi in cœlo parata est : vide ibi et te ad æternam gloriam invitantem Deum ; neque enim vita tibi suppliciis eripitur, sed in meliorem beatioremque commutabitur. Surius, 27 August.

Cum Thomam Morum in carcere detentum Aloysia uxor sollicitaret, ut sui, suorumque misertus, iniquæ Regis voluntati dissimulanter saltem pareret, eique, quot annis se oblatis a Rege honoribus frui posset, quærenti responderet, viginti adhuc annis, si Deo placeret, frui talibus posse, respondit ille : Abi, stulta mercatrix ; tune me caducis viginti annorum bonis æterna commutare postules? Absit, ut talem ego emptionem faciam ; quin potius omnia tormenta, mortesque mille sustinebo, quam ut æternam

felicitatem tanto periculo exponam. SANDERUS l. I, *Schis. Angl.*

Silvanus Abbas, cum prolixiores preces finiisset, manus oculis apponens, sic eos allocutus est : O mei oculi, diem vobis negari permittite. Claudamus has valvas, quæ vix unquam sine periculo patent. Nihil est in orbe terrarum, quod dignum visu sit. Quidquid ostentat terra, modicum est ac vile, nihil ad cœlum. In cœlo magna, pulchra, æterna sunt. Illic abundabimus, Deum videbimus. DREX. II. *Cœl.* cap. XV, § 5.

JUCUNDITAS. — Miles quidam a socio suo defuncto ad convivium invitatus, cum comparuisset, et ad ultimum dumtaxat ferculum venisset, redire jussus, invenit Monasterium loco domus, ex qua exierat, ædificatum, seque ducentis annis emansisse. *Spec. ex v. cœl. glor.* ex. XII.

PAUCITAS SALVANDORUM. — Quo tempore Bertoldus ex Franciscana Familia in Germania inter prædicandum Dei verbum acrius in vitium invectus esset, mulier, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentiæ ac contritionis vi in media concione mortua concidit. Verum, cum omnibus in preces procumbentibus, paulo post revixisset, narravit omnibus mortis causam, jussamque se ad corpus redire, ut peccatum illud confessione expiaret. Adjecit etiam tum alia multa, quæ viderat, tum illud in primis horribile, et dictu etiam mirabile: Cum ipsa ad Dei tribunal apparuisset, adducta simul esse sexaginta animarum millia, quæ in omnibus mundi partibus, fidelium et infidelium, variis casibus excesserant ex hac vita, atque ex his tres tantum addictas purgatorio, reliquas omnes ad ignem æternum damnatas; unum autem ex Franciscanis Fratribus, eodem ipsum quoque temporis articulo defunctum, per purgatorii quidem locum transisse; sed tamen non modo ibi diutius non commoratum, verum etiam pars animarum, quæ præcipua cum eo amicitia conjunctæ fuerant, secum in cœlum abduxisse. HIERONYMUS PLATUS l. I, c. V.

Cum D. Bernardus, Abbas Clarevallensis, ab hac vita migrasset, quod contigit Anno Domini 1153, Indictione I, 13, Calendas Septembris, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, horrenda visio Lingonensi Episcopo facta est. Apparuit ei namque eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui divino timore compunctus ante aliquot annos, cum esset Decanus dives et nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Christi amore intravit. Quem cum de statu suo, et divini judicii districtione interrogasset, ille respondit : Ex hora, in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce transierunt. E quibus Bernardus, Clarevallensis Abbas, qui eadem hora obiit, una mecum ad cœlos evolavit; tres alii ad purgatorium missi sunt; cæteri omnes per sententiam judicis condemnati, ad infernum perpetuo cruciandi descenderunt. JOAN. TRITHEMIUS ad Ann. 1160.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, cum cœli pulchritudinem contemplabatur, exclamabat subito : O quam sordet mihi terra, cum cœlum intueor! *Vita* l. V, c. I.

P. Sebastianus a Campo in morbo extremo nolebat de Beatorum præmio, quo illum Deus remuneraturus esset, loquentes audire, eo quod indignum se tanto præmio judicaret. *Annuæ Prov. Sard.* 1098.

P. Georgius Colibrant in omni conversatione Prologi et Epilogi loco hæc verba usurpabat : « Ad vitam æternam. » Hinc si quis sermonem faceret de ejus laboribus, puerorum lusum vocabat. *Annuæ Belg.* 1619, f. 230.

P. Joannes Hieronymus ad mortem decumbens, cum aliqui dicerent, se oraturos pro illo, ut Deus illi vitam prorogare dignetur, respondit : Nescitis, quid petatis. Perpendite, quod ego et Paradisi gloria una dumtaxat cortina (corpus suum morbidum intelligebat,) dividimur. *Annuæ Bœt. dom. prof. His.* 1605.

Sebastianus Baretthus, juvenis incredibili desiderio fruendi beatitudine accensus, cum fratres de æterna felicitate ad lectum ejus canerent, inter hæc desideria animam efflavit. *Annuæ Lusit.* 1599.

Joannes Rodericius, grammaticæ magister, rogatus a Rectore, num aliquid animum torqueret? respondit, hoc unicum se timere, ne forte vita prorogetur, sicque optata beatitudine pro voto suo frui non possit. *Hist. Soc.* p. II, l. I.

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut omnes quidem canonici

ad electionem veniunt, sed unus tantum eligitur; sic multi quidem simul moriuntur, et in altera vita conveniunt, sed, proh dolor! sæpe unus dumtaxat alterve ad æternam vitam admittitur, uti pluribus historiis probatum est. RABANUS *super illud Matth.* XX, Multi vocati.

Sicut si equus ad splendidum convivium invitaretur, nihil aliud sibi imaginaretur apponendum, quam optimam avenam et aquam frigidissimam ac purissimam, quia nullas alias delicias novit; ita et nos homines cum nullas alias fere delicias quam eas, quas sensu percipimus, agnoscamus, non melius cœlestes voluptates apprehendere aut explicare possumus, quam per epulas, potum, et similia.

Sicut si ingressus palatium, cerneres coquinam, stabula etc. auro incrustata, et gemmis ornata, summam æstimationem præconciperes de ipso regio conclavi et ingens illius videndi desiderium haurires; ita et dum ea, quæ in hoc mundo conspicis, tam præclara vides, majora de cœlo concipe, ad S. Augustini imitationem, dum ait: O Domine. si tanta tribuis nobis in carcere, quid dabis in Patria? Si tanta amicis et inimicis, quid est quod solis amicis servasti? Si tanta solatia in hac die lacrymarum tribuis, quanta in die nuptiarum conferes? S. AUG. in lib. *Med.*

Sicut corallum, quandiu intra maris aquas latet, molle admodum est, et omnibus injuriis expositum; extractum vero ex aquis mox solidum et quasi immutabile efficitur; ita homines, quandiu in mari hujus mundi degunt, molles sunt et mutabiles; solidantur vero et confirmantur in gratia, quando ex mari hujus mundi extracti, Beatis associantur. S. FRANC. SALES. *de Amor.*

Sicut per speculum vitreum trina nobis visio administratur, qua nos ipsos, et ipsum speculum, et quidquid præsens est, videmus; sic per speculum divinæ claritatis et ipsum Deum, ut est, videbimus, quantum creaturæ possibile est, et nos ipsos, et omnia alia, vera et certa scientia cognoscemus. S. FULG. *in epist.*

Sicut sol unicus mundum magis, quam omnia alia cœli luminaria illuminat; ita solus Deus magis animam satiat, quam omnium aliarum rerum possessio. GRANAT. in l. c. f. 338.

Sicut ursi alvearia invadunt favorum dulcedine illecti, quos illic melle plenos esse autumant, nec apum aculeos curant; sic qui Deum gustare cœperunt, æternæ beatitudini toto desiderio inhiant, nec adversitates propter illam tolerandas æstimant. STAPLET. *Dom. sep.* t. VII.

Sicut mercator locuples in emptorium vadens, ut merces emat, pro vilioribus statim pretium persolvit; pro pretiosioribus vero ad certum tempus se soluturum pollicetur; ita Deus mortales et civiles virtutes ac opera solvit, ac præmiat in hac vita; supernaturales vero virtutes ac merita in altera vita se remuneraturum promittit. Ibid.

Sicut oculus unus verti non potest, quin vertatur et alius, et in eamdem partem; sic etiam corpus et anima, vel societas illa justorum nihil poterunt velle diversum, sed eamdem semper voluntatem habebunt. S. ANSEL. l. *de Simil.* c. LXIII.

Sicut corporis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibos non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes sancti licet aliqua graduum suorum diversitate sint distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati futuri sunt. S. PROSP. l. I, *de Vit. contempl.* c. IV.

Sicut sol in ædificium suos radios sic mittit, ut omnes quidem partes illuminet, sed magis eas, quæ ampliores sunt, et magis capaces; ita Deus omnes quidem beatos per lumen gloriæ illuminat, sed magis eos, qui per plura merita sese capaciores effecerunt. BEIRL. *in festo SS. Phil. et Jac.* t. III.

Sicut alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, et tamen in eodem omnes firmamento sunt stabilitæ; sic licet sancti discrepent in merito, omnes tamen in immortalis et æternæ beatitudinis firmamento manent stabiliti. Ibid.

Sicut in corpore humano, vel pes loco aut officio manus, vel manus pedis fungi non exoptat, aut os vel nasus, ubi oculi sunt, aut oculi ubi os et nasus, relictis sedibus non cupiunt transferri, aut si transferrentur, convenienter et sine injuria non id paterentur; eodem modo in illa admirabili et glorificata dispositione, et æque disposita glorificatione beatæ civitatis Dei, ita quisque quod adeptus fuerit, amabit, ut statum suum potiori gradu immutari non velit. Quare? quia cuique satis erit sua felicitas, et beatitudo sibi pro meritis suis misericorditer impertita. S. ANSEL. l. *de Simil.* c. LXIV.

UTILITAS BEATITUDINIS CONSIDERATÆ. —

Sicut stilla aquæ modica, multo infusa vino puro, a se deficere tota videtur, et saporem vini induit, et colorem; et quomodo ferrum candens ignitum, simillimum igni fit, pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce aer perfusus in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quam ipsum lumen videatur; sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquefacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. S. BERN. *De dilig. Deo.*

Sicut mercenarius agricola omnibus aeris injuriis expositus arat, occat, fodit, sudat, et laborat, nec eum toto die hosce labores continuare piget, quia ad mercedem, quam ex diurno labore sibi comparat, cor et animum suum directum habet; sic electi quique dum mundi hujus adversa patiuntur, cum inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia, quibus exercentur pensant; sed cum mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii, quam sit leve, quod patiuntur, inveniunt. S. GREG. l. VIII, *Mor.* c. LI.

Sicut filius, qui in exilio esset, et sciret se avidissime ab amicis et parentibus expectari et desiderari, avidissime utique in patriam abire cuperet; ita et merito quivis homo ad cœlum properere deberet, ac suspirare, cum sciat, se avidissime a Deo, Sanctisque ejus expectari. S. CYPR. c. VI.

Sicut is, qui sciret sibi in Hispania perpetuo vivendum, utique ibi domum et habitationem præstantissimam ædificaret, eamque omnibus rebus necessariis optime instrueret; ita multo magis quivis homo conabitur merita virtutesque augere, si meminerit, se æternam in cœlis mansionem sperare.

Sicut avarus, si incidat in tabulas thesaurum indicantes, advertat autem locum, in quo thesaurus absconditus est, non sine multo labore et sudore adiri posse, nulli labori parcet, ut thesaurum obtineat, quia avarus est, cui ad pecunias congerendas nihil arduum videtur; sic vir pius et Deo frui desiderans, inventis scripturæ tabulis, quæ docent, servis fidelibus vitam æternam in præmium promitti, nulli labori parcet, ut ea potiatur. STAPL. *in dom. sept.* th. VII.

Sicut pondus grave si levioribus rebus imponatur, eas comprimit et constringit; sic momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. II COR. IV.

DIGNITAS. — Sicut is, qui indubitatum jus habet, ut in Regno aliquo succedat, Rex communiter vocari solet, tametsi sceptrum Regni illius actualiter non moderetur; ita quoque dici posse videtur, quod is, qui gratiam Dei in anima sua possidet, quæ pignus quoddam et semen est gloriæ, Regnum quoque Dei intra se habeat. MANSI disc. II, n. 14.

PERPETUITAS.—Sicut corallus, licet arbusculum tenue et flexile sit, mox tamen, ubi ex aqua extrahitur, solidatur et indurescit, nec amplius flecti patitur, colorem quoque suum pallidiusculum in rubicundum mutat; eodem modo nos quandiu in mari hujus mundi constituti sumus continuis lapsibus, iisque periculosis subjicimur, continuam contra nosmetipsos luctam experimur et prævaricari facile possumus. At vero ex hujus maris undis extracti, et in aliam vitam translati, in amore Dei solidi, et constantes efficimur, atque in beatitudine immutabilem quemdam statum nobis comparamus. Unde S. Bonaventura ait : De hujus regni et convivii æternitate dicit Augustinus : O vita vitalis, dulcis et amabilis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, et beata vita sine fine! Idem, disc. XXVI, n. 12.

MOTIVA.

AD BEATITUDINEM QUÆRENDAM.— « Quia in cœlis sunt meri Reges,» uti Jeremias Propheta indicavit, dicens : « Ingredientur per portas Civitatis hujus Reges et Principes sedentes super solium.» Quam nobilis Societas, inquit ibi Doctor Seraphicus, quam gloriosa civitas illa esset, in qua nullus omnino nisi Principes et Reges habitarent; si in civitate aliqua, duos civium milliones numerante, neminem videres alium, quam Principes, Reges, Papas, qualis in tali Regnorum et Monarchiarum Metropoli nobilitas et magnificentia reluceret! Pergit autem idem S. Bonav. de Regno cœlorum ulterius dicere : Reges utique sunt, qui de manu supremi Imperatoris coronam Regni accipiunt. Idem, c. XVII.

« Quia voluntas beatorum semper im-

pletur; » sicut enim Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, nec constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrime; ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis ullatenus obstet; non elementum, quod nobis ad velle nostrum promptum omnino non extet. S. Ansel. *de Simil.* cap. LIII.

Quod confirmans Angelicus Doctor, ibi ait: Voluntas cujusque semper et ubique complebitur, juxta illud S. Augustini: Omnipotentes erunt voluntatis suæ, sicut Deus suæ. S. Thom. Opusc. LXIII, c. IV.

Quia, ut idem S. Doctor testatur, « ubi nullus alteri subjicitur, ibi cessabit omnis prælatio, sed soli Deo omnes subjecti sunt. » Ibidem.

« Quia ibi omnes pulchritudine summa sunt præditi. » Nam S. Vincentius Ferrerius corpus aliquod gloriosum septies sole luminosius futurum scribit, unde id ipsum arguit, quod si Deus ad mundum illuminandum glorioso aliquo corpore, loco solis uteretur, hoc majori lumine mundum perfunderet, quam quo sole illustratur. S. Vincent. Ferrer. ser. III, *in Dom. in Albis.*

Quod confirmans S. Augustinus: Hujus corporis claritas, inquit, tantum solem excedit, quantum sol nostrum corpus in claritate præcellit. Si ergo unicus tantum sol in cœlo suo constitutus omnes homines, animalia et plantas lætificat, vitam et calorem omnibus viventibus subministrat, totque alios admirandos hic in terra, quæ vallis est lacrymarum, effectus producit, quale gaudium, qualis lux et claritas in cœlo empyreo ex tot innumerabilium animarum beatarum, et gloriosorum corporum consortio coruscabit, ubi hæc velut totidem soles luminosa erunt, suosque radios in illam civitatem Dei ex auro instar crystalli corusco stratam, totque inæstimabilibus et splendentibus gemmis locupletatam effundet? S. Aug. s. IX, in tr. V, c. XLVII.

« Quia omnes beati impassibiles erunt, » quæ impassibilitas resultabit ex virtute animæ suum corpus potenter retinens, ita quod a nullo exteriori agente immutari valebit. Unde in Apocalypsi dicitur: « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum; etiam non erit amplius, neque clamor, sed nec ullus dolor. » Apoc. VII.

Ibi lætitia, ut S. Aug. notat, sine tristitia, alus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, bonum sine omni malo. Ubi juventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit. S. Aug. in *Solil.* cap. XXXV.

« Quia summe agiles erunt iidem beati; » nam teste S. Bernardo, tanta credenda est futura corporum levitas, et agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. S. Bern. s. IV, *in Fest. Om. SS.*

Hujus autem velocitatis exemplum in radio solis licet intueri, qui statim orto sole in plaga Orientali pertingit usque ad ultimum plagæ Occidentalis, ut eo perpendamus non esse impossibile, quod de nostra dicimus futura celeritate, præsertim cum rebus animatis soleat inesse major velocitas, quam inanimatis. S. Ansel. *de Simil.* c. LI.

« Quia summa intra beatos unio et concordia erit; » nam ut S. Laurentius Justinianus notat, tanta vis in illa cœlesti pace nos sociat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultet. Una cunctis erit Beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ. S. Laur. Just. *de Lign. Vit.* c. VII.

Et confirmans id ipsum S. Anselmus: Ibi, inquit, erit tam perfecta et beata charitas justorum, quod unusquisque in tantum diligit proximum suum, quantum se ipsum, ex quo illud inæstimabile sequetur bonum, quod ita unusquisque de alterius bono, vel gaudio gaudebit, sicut de merito proprio, proinde cum inenarrabilis sit numerus Electorum, quis putas narrare sufficiat gaudium Beatorum? Ibi virgo gaudebit de castæ virginitatis privilegio; ibi vidua exultabit de sanctæ viduitatis merito; ibi Confessor de Martyris jucundabitur triumpho; ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio; ibi Propheta lætabitur de Patriarcharum pia conversatione; ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide; ibi Apostoli et Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum; ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria et corona superiorum. Omnibus erit una voluntas, ut S. Anselmus ait, quasi nulla esset iis, nisi Dei voluntas; ideo erit omnibus plena concordia, et ideo sicut volent illi non aliud, quam quod ille, ita volet, quidquid volent illi, et ideo Filii Dei, et Dii vocabun-

tur, cujus rationem genuinam reddens S. Augustinus : Hæreditas, inquit, in qua cohæredes Christi sumus, non multitudine minuitur filiorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus. S. Ansel. l. c. lix.

« Quia jucundissima erit in cœlis societas, » ut iterum S. Anselmus notavit, dicens : Ad cumulum beatitudinis suæ aliud habebit, unde magis possit gaudere, quia enim quisque sicut se alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate, ut de sua, gaudebit. O quot igitur, et quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot tantisque beatitudinibus Sanctorum jubilabit? Quod si tantum de aliis, quos ut se diliget, gaudebit, quantum de Deo, quem supra se diligit, exultabit? Gaudium ei erit intus et extra, gaudium sursum et deorsum, ubique gaudium plenum. S. Ansel. *de Simil.* c. lxxi.

« Quia ibidem erit perfecta perpetuitas omnium gaudiorum, » teste S. Augustino dicente : Quæ dat (Deus) in præsenti, temporalia sunt, quæ autem in futuro sæculo se promittit suis daturum, æterna sunt. Temporalia bona difficile acquiruntur et acquisita facile dilabuntur, et quæ habita sunt, cum gravi sollicitudine custodiuntur, et cum dolore amittuntur, et amissa cum gravi dolore recuperantur ; futuri autem sæculi bona nunquam amittuntur, cum gaudio et quiete possidentur, cum semel quis acceperit, ita securus erit, se ea nunquam amissurum, sicut certus est, vel erit, se nunquam velle amittere. S. Aug. *Medit.* c. x.

Cui consentiens S. Bonaventura : Cujus cursus, ait, sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova jucunditas, et sine timore amittendi continuata felicitas.

« Quia brevis labor exigitur ad beatitudinem obtinendam, » nam ut S. Augustinus notavit : Dei ineffabilis et immensa bonitas, inquit, etiam hoc providit, ut laboris quidem tempus, et agonis non extenderet, nec longum faceret, aut æternum, sed breve, et ut ita dicam momentaneum. S. Aug. s. xxxvii, *de Sanctis.*

Et alibi : Qualis misericordia Dei? Non dicit : decies centena millia annorum labora; non dicit : vel mille annos labora, cum vivis, labora in paucis annis, inde jam requies erit, et finem non habebit. Momentaneum hoc etc. Idem, *in Ps.* xciii.

Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos.

« Quia facilis est via perveniendi ad beatitudinem. » Non enim exigitur, ait S. Thomas Villanova, hodie a te, o Christiane, mors, non sanguis, non supplicia : ama, et regna ; quid facilius, quam amare? O quam constrata est via et quam plana, ut diligendo pervenias, quo pervenit Laurentius patiendo ! Cujus rationem assignans Paulus de Palatio : Non pigeat, ait, audire causam, cur Dominus solam charitatem et misericordiam delegit, cui possessionem regni tribueret; causa est, quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo ; at sola charitas deduxit Christum ad nos, igitur sola charitas efferet nos ad Christum. S. Thom. Vill. *Conc. Quinquag.*

« Quia memoria hujus beatudinis est remedium potentissimum ad peccata vitanda. » Quis enim vellet esse impius in patriam, cui æternus civis adscribi cupit? Dicet sane is mundo ac carni, quod olim Demosthenes meretrici allicienti fertur dixisse : Tanti pœnitere non emo. Bessæus *de Nov.*

Quia eadem memoria vehementer ad pugnam animat; si enim David ob Michol promissam tam fortiter contra Goliathum pugnavit, quomodo non fortius pugnabit, cui beatitudo promissa est?

Quia mire addit animos ad laborandum, omniaque adversa fortiter toleranda. Si enim gubernator navis non fluctus, sed commodum ; miles non cædem et vulnera attendit, sed triumphum et victoriam; agricola non tempestates, sed messem ; ambitiosi non difficultates et sumptus, sed dignitatem considerant ; quidni et candidatus dignitatis cœlestis, desiderio regni cœlestis consequendi, omnes difficultates et pericula spernat?

Quia jucundos facit labores. Si enim Jacobo Patriarchæ viginti anni videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, quo erga Rachelem ferebatur; quam brevis et jucundus videbitur labor pro visione Dei consequenda impensus?

« Quia cœlum Patria est, ad quam fruendam et contemplandam nati sumus. » Hinc philosophi hominem arborem inversam dixerunt, cujus radix cœlum spectet, eo quod inde succum trahere oporteat. Hinc etiam Deus os homini sublime dedit, cœlumque

tueri jussit, et erectos ad sidera tollere vultus. Id quod Anaxagoras agnovit, dum sciscitanti, cur natus esset? Ut cœlum contempler, respondit.

MEDIA.

AD BEATITUDINEM OBTINENDAM. — *Desiderium ardens*, uti S. Eusebius monet : « Petite et accipietis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis, » id est, ut petamus orando, quæramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando, et in spem cœlestium promissorum tanto incitemur studio, tantoque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. S. EUSEB. EMISSENUS in c. XI, 9.

Certe quantopere Deus a nobis hoc desiderium requirat, testatur S. Vincentius, dum narrat, quod cum quidam eximius Dei servus, qui cum magna sanctitatis opinione semper vixerat ad alteram vitam moriendo transisset, vehemens quemdam suorum amicorum incesserit desiderium sciendi, an anima ejus recta volasset ad cœlum, cumque super hoc Dei responsum sibi revelari ardenter petiisset, anima dicti servi igne circumdata ei apparuit, et terrefacto ex hac apparitione amico suo dixit, se in purgatorio ad aliquod tempus condemnatam hœrere, eo quod in vita sua cœli gloriam eo, quo par erat, ardenti desiderio non quæsisset, aut desiderasset. S. VINCENT. FERRER. *in fest. Omn. SS.*

Charitas seu dilectio Dei, uti S. Apostolus indicavit, dicens : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus. » I *Cor.* c. II, 9.

Sed quibus? *Iis, qui diligunt illum*, adeo ut S. Thom. firmiter hanc statuat conclusionem : Qui plus diligit, majorem locum habebit.

Patientia constans in tribulationibus, juxta Christi testimonium : « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » LUC. XXIV.

Et illud Actuum Apostolorum : « Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei. ACT. c. XIV.

Hinc S. Bernardinus quoque ait : Deum ante Paradisum constituisse Angelum cum flammeo gladio, ut significaret, quod nullus possit intrare in Regnum Dei, nisi transeat per flammeum gladium atque versalitem, qui, positus est ad custodiam ligni vitæ, sed hoc nullus potest facere, nisi per patientiam in tribulatione, gladius enim flammeus atque versatilis tribulatio est, affligens animam et corpus. S. BERN. *Dom. post Epiph.*

Cujus ulteriorem reddit rationem Jos. Mansi sic discurrens : Trita jure regula est, quod hæres possessionis alicujus, majus in illam jus habere nequeat, quam testator habuerit. Ac proinde cum Christus discipulis suis, ac consequenter nobis omnibus, sub iisdem oneribus et obligationibus Regnum suum relinquat, quibuscum ipse illud ab æterno Patre suo accepit, consequens est, quod si in supernæ illius hæreditatis possessionem subingredi volumus, onera quoque et obligationes illius adimplere necessario debeamus. MANSI, dis. XXIII, v. 2.

Unde Cajetanus verba illa : « Dispono vobis » etc. ita explicat : Similes mihi dispono vos futuros in Regno, qui perseverastis mecum in afflictionibus; prius enim Apostolis dixit : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. MATTH. VI, 10.

Et postea subdit : « Et ego dispono vobis Regnum. » Hinc idem alibi dixit : Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Sicut ergo mercator prudens, qui vult cito ditescere, ibi merces emit, ubi in magna copia habentur, ut postea revendat, ubi raro inveniuntur; sic justi in hac vita multos pro Deo labores suscipiunt, velut vulgares merces, ut in altera vita copiosam a Deo mercedem percipiant. Hinc ipse Christus dixit : Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me : gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Ibid. 11.

Pœnitentia seria; hinc B. Virgo olim ad Christum dixit : « Dolentes quærebamus te », ut nos doceret, ut siquidem invenire eumdem in templo gloriæ volumus, ubi in medio Angelorum, et aliorum cœlicolarum positus omnes suo aspectu beatos efficit, ad eum modum, quo Maria et Joseph, quæramus illum dolentes cum luctu et lacrymis, per opera pœnitentiæ, et tolerantiam adversitatum. Qui enim Deum gloriosum aliter quærunt, illi spe sua frustrabuntur, et non invenient. DID. NYSSEN. ser. IV *in Dom.* 1. *post Epiph.*

Non incommoda quoque huc veniet quæ-

Jam mellifluì Doctoris observatio : Sponsam invitabat sponsus, ut sursum erectis cogitationibus, relictisque rebus hisce terrenis aspiraret ad vitæ futuræ quietem, utque alacrem illam redderet, aiebat : « Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. » Cant. II, 10. « Vide simul, quam vernet patria nostra floribus, quam flagret rosis : flores apparuerunt in terra nostra. » Sanctus Bernardus in horum expositione ait : In eodem Cantico evidenter expressum est, quod florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed quid mysterii habet apparitio florum conjuncta cum auditione turturis? Flores symbolum gloriæ sunt, turtures typus pœnitentiæ, et animi ex recordatione male actæ vitæ mœsti ac tristis. S. BERN. *in c.* II *Cant.*

Quod S. Gregorius Magnus, Pierius Riciardus, Lauretus et alii affirmant. Et recte hominem pœnitentem scelerum suorum et illacrymantem peccatis hæc avis designat, quæ pro cantu gemit, et querulas dat voces. Quod ergo Sponsus flagrantes flores, quibus gloria significatur, cum gemebundis turturibus, pœnitentiæ symbolis, conjungit, tantumdem est, ac si dixisset, separari horum aliud ab alio non posse, sed necessum esse, ut per amaritudinem pœnitentiæ, per acerbitatem luctus ac suspiriorum transeat, qui ad amœnitatem æternum vernantis, ac florentis gloriæ anhelat, nec enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

Contemptus mundi et rerum terrenarum, uti S. Bernardinus per aptum apologum ostendit, dum ait : Patrem quemdam fuisse, qui duas habebat filias, aliam facie valde decoram, turpem vero valdeque deformem alteram, quarum primam quidem singuli procabantur; aliam vero nemo non abominabatur, qua de re cum hæc apud patrem querula voce lamentaretur, pater, ut eam consolaretur, bono eamdem animo esse jussit, subdens, quod primæ nullam assignasset dotem; ipsi vero, id est, deformi, omnes suas facultates fecisse dotales, tametsi hæ regnum facile adæquarent. Moxque prædictum apologum in sensu morali explicans, per patrem Deum intelligit, per filiam vero apparenter speciosam prosperitatem mundanam, per deformem vero paupertatem exponit. Hanc turpem filiam qui acceperit in uxorem, promittit ei Deus Regnum suum, dicens : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. » Quanto autem facilius est unicuique, paupertatem profiteri, quam divitem esse. S. BERN. serm. *de Paupert. in proœmio.*

Consonum hoc ei quod Christus alibi dicit : « Amen dico vobis, quod omnis, qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. » MATTH. IX, 19.

Misericordia erga miseros, uti S. Laurentius Justinianus indicavit dicens : Venalis est beatitudo cœlestis, et tanti valet, quantum quis potest expendere. S. LAUR. JUST. l. II.

Hanc per egenorum susceptionem sibi vendicavit Abraham; Job per miserorum compassionem; Tobias per defunctorum exequias; Zachæus per distributionem dimidii bonorum suorum; vidua duobus minutis, alii vero pro calice aquæ frigidæ; quod ipsum etiam S. Chrysostomus confirmavit in persona Dei sic loquens : Pretium non appono, ne objicias inopiam, quanti potes, tanti eme, habes obolum, eme cœlum; non habes obolum, da calicem frigidæ aquæ, da panem, et accipe Paradisum. S. CHRYS. hom. LVII *ad Pop.*

Unde S. Augustinus : Quid potentius, ait, quam ut Regnum cœlorum non solum Zachæus emat dimidio rerum suarum, sed et vidua duobus minutis, et tantumdem ibi uterque possideant ? Quid potentius, quam ut idem Regnum et thesauris diviti, et calice aquæ frigidæ pauperi valeat. S. AUG. *in Ps.* CXI.

Immaculata vita, seu mandatorum observatio, juxta illud Psalmistæ : Beati immaculati in via. Ps. CXVIII, 1.

Tamquam diceret, inquit S. Augustinus, scio quid velis; quæris beatitudinem. Si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Quis enim ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde. Ps. XXIII, 3.

Hinc et Christus adolescenti quærenti, quid faciens vitam æternam possideret? respondit : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. MATTH. XIX, 17.

Mortificatio passionum inordinatarum; nam teste Salvatore, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. MATTH. XI, 12.

Resignatio sui; nam, ut S. Augustinus sapienter dixit : Res ista, id est, Regnum cœleste, aliud non quærit pretium, nisi teipsum. Tantum valet, quantum es tu. Te da, et ha-

bebis illum. Quid turbaris de pretio? Christus semetipsum dedit, ut acquireret se regnum Deo Patri. Ita et tu teipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed Spiritus in acquisitionem vitæ. S. Aug. lib. XXXVII *de Sanct.*

Consideratio seria cœlestium gaudiorum; nam ut S. Gregorius notavit: Si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, prope nihil esse hoc conspicit, quidquid ad finem currit. S. Gregor. l. X *Moral.* c. XIX.

Imo teste S. Thoma Villanova: Momentum tibi erit vita præsens, si oculum dirigas ad æternum præmium; transit cito, quod cruciat, permanet in æternum, quod coronat. S. Th. Vil. *in conc. funeb.*

Et quo altius in æternorum civium visione quispiam suspenditur, eo et sibi fortior, et aliis utilior invenitur, ait iterum S. Gregorius. S. Gregor. lib. I *de Reg.* c. IX.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta naturam et essentiam Beatitudinis, quod scilicet consistat in perfecta et secura fruitione Dei; cum ipsi etiam Philosophi jam olim dixerint, nisi stabili et fixo bono beatum neminem esse posse. Cic. v *Tuscul.*

Tale autem bonum cum sit solus Deus, merito beatitudo in illius fruitione, quæ fit per visionem et amorem inde consequentem, consistere dicitur. Distincte magis beatitudinis naturam insinuat S. Antonius Paduanus, dum ait: Primum gaudium a dextris est de jucunda Angelorum societate, quando inter Sanctos tanta erit claritas, ut gaudium singulorum sit omnium commune. Neque enim anima glorificata solum in gaudium Domini sui intrabit: « Intra in gaudium Domini tui; » verum in gaudia ingredietur omnium beatorum, cunctorum Angelorum in genere, et in specie. Secundum, de beatitudine et stola propria animæ, quando lætitia sempiterna erit super caput eorum, et gaudium et lætitiam obtinebunt. Isaiæ LVIII. « Implebit splendoribus animam tuam. » Tertium, de Resurrectionis expectatione, quando in terra sua duplicia possidebunt. Quartum, de admirabili Christi hominis fraternitate, quando carnem illam gloriosam oculo ad oculum videbimus, quando poterimus eum vocare fratrem, et dicere os meum, et caro mea. Adducitque auctoritatem S. Bernardi dicentis: Plenum prorsus omnis suavitatis dulcedine, hominem videre hominis conditorem, hoc gaudium speciale præ Angelis habebimus. Quintum, de manifesta Trinitatis cognitione. Sextum, de horum omnium æterna et secura possessione: « Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. » Apocal. III. « Foras non egredietur amplius. » S. Anton. Paduan. apud Mansi, dis. VII, n. 5.

Nosse debet *digne æstimare hanc beatitudinem*; quod obtinebit si omnia vana duxerit, quæcumque non ad hanc beatitudinem consequendam ordinantur, cum enim tota felicitas animæ in possessione finis sui consistat, finis autem illius sit possessio Dei, merito vana et inutilia reputantur omnia, quæ non ad hunc finem, a quo bonitatem suam accipiunt ordinantur.

Nosse debet *solidam praxim se per hanc beatitudinem ad contemptum rerum terrenarum, aliaque media ad ipsam obtinendam conducentia excitandi*; quam quidem praxim breviter indicavit S. Hieronymus sequentibus verbis: Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio; quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad Paradisum mente transgredere: esse incipe, quod futura es, et tunc poteris dicere: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. S. Hier. ep. XXII, *ad Eustoch.*

Eodem modo in adversis casibus solatium a beatitudine futura petendum esse, idem Sanctus Demetriadem monuit dicens: Respice, quod promissum est: omne opus leve solet fieri, quando ejus pretium cogitatur; et spes præmii solatium est laboris. Idem *ad Demetr.*

Certe, S. Gregorio teste, mala præsentis vitæ tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum, quod sequitur, negligit; et quia non vult præmia considerare, quæ restant, gravia æstimat esse, quæ tolerat. At si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, prope nihil esse hoc conspicit, quidquid ad finem currit. S. Greg. l. X, *Mor.* c. XII.

Nosse debet *duplicem beatis coronam esse præparatam, scilicet auream et aureolam.* Aurea dicitur præmium substantiale, quod consistit in tribus, scilicet in visione Dei clarissima, in fruitione suavissima, et in recre-

atione securissima, de qua dicitur: « Corona aurea supra mitram ejus, » quæ est ornatus Pontificum, quia omnes Sancti non solum erunt Reges omnipotentes voluntatis suæ, sed etiam erunt Sacerdotes et Pontifices, offerentes Deo semper sacrificium laudis; et ideo dicitur: « Fecisti nos Deo nostro Regnum et Sacerdotes. » Alia corona dicitur aureola, id est, coronula parva; redditque coronæ hujus rationem dicendo, quod sit gloria quædam specialis accidentalis, quæ Sanctis quibusdam propter excellentiora quædam opera communicatur. Datur tribus generibus operum; *Virginibus*, et hæc est *florea*; *Martyribus*, et hæc est *gemmea*; *Doctoribus*, et hæc est *stellata*. S. BONAV. *in Diar.* s. l. X, c. II.

Nosse debet, *cur beatitudo a Christo gaudium plenum dicatur*, nimirum propter tria. Primo, quia adimplebit totum animi appetitum, de quo Propheta ait: « Adimplebit me lætitia cum vultu suo. » Secundo, quia consistit in visione, fruitione, et possessione plenissimi et consummati boni, quod est Deus trinus et unus. De quo immenso et infinito bono intelligendum esse dicit Textum illum Exodi, cap. XXXIII. « Ego ostendam tibi omne bonum. » Tertio, quia tale et tantum gaudium omnino inamissibile est. Unde S. Joan. XVI, dicit discipulis suis: « Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. » S. BERN. tex. II, s. XLIX, c. ult.

S. Bonaventura per 12 fructus explicat horum gaudiorum plenitudinem; quorum primus est, sanitas absque infirmitate. Secundus, juventus sine senectute. Tertius, satietas sine fastidio. Quartus, libertas sine servitute. Quintus, pulchritudo sine deformitate. Sextus, impassibilitas, vel immortalitas. Septimus, abundantia sine indigentia. Octavus, pax sine perturbatione. Nonus, securitas absque timore. Decimus, cognitio absque ignorantia. Undecimus gloria sine ignominia. Duodecimus, gaudium sine tristitia. S. BONAV. l. c. IV.

S. Bernardus per similitudinem coronæ duodecim stellarum eamdem plenitudinem demonstrat; quarum prima est memoria sine oblivione. Secunda, ratio sine omni errore. Tertia, voluntas sine omni perturbatione. Quarta, impossibilitas moriendi, quia resurget corpus incorruptibile. Quinta, claritas, quia configuramur claritati Christi corporaliter. Sexta, agilitas, ut corpus sit agile secundum agilitatem mentis. Septima est subtilitas, ut corpus nostrum penetret omnia corpora. Octava est, ut quilibet diligat alterum, sicut seipsum. Nona est, videre, quod proximus quilibet diligit ipsum sicut seipsum. Decima est, Deum perfecte diligere, et plus quam seipsum. Undecima est, diligere seipsum tantummodo propter Deum. Duodecima est, videre Deum se diligentem, plus quam homo ille diligat seipsum. S. BERN. ibi.

Nosse debet, *quibus mediis oporteat obtinere beatitudinem*, de quibus discurrit Mansi: S. Ambrosius in ea est opinione, quod quando se Deus Moysi in spineto, sive rubo spinoso videndum exhibuit, mysterium incarnationis nobis, licet a longe, præfigurare voluerit. Per rubum Christum intelligendum existimo, secundum quod homo est; flamma vero rubi ejus divinitatem figuravit. Quo supposito, quærendum venit, cur Deus non potius in alia quadam arbore, vel planta nobiliori, v. g. platano, cedro, vel alia simili apparere voluerit? Cur videri voluit intra densum quoddam dumetum, spinis et sentibus undique obseptum? Cur non potius se rosas inter et flores conspiciendum exhibuit? Ipse quidem lilio comparatur: *sicut lilium*, sed inter spinas constituto. S. AMBR. in c. VI *Exodi.*

Unde Seraphicus Doctor ait: Volve et revolve vitam boni Jesu, et non invenies eum, nisi in cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit. A primo instanti, quo Filius Dei hac se mortalitate nostra vestivit, nusquam illum alibi, quam inter spinas inveniemus. Unde et S. Eusebius ait: Omnes Sancti, quanta passi sunt tormenta! Ecce per totum mundum in Sanctis Apostolis atque Martyribus felicitati adversitas viam fecit, saluti perditio militavit, et ostium dum vitæ claudit, gloriæ patefecit. S. EUSEB. hom. *de SS. Elph. et Alex.*

Nosse debet, *cur Deus per tribulationes voluerit beatitudinem obtineri;* de qua quæstione sic Mansi discurrit: Lactantius Firmianus optime considerat, quod, licet Deus adeo se erga hominem benignum, et propitium exhibuerit, ut in eum ad imaginem et similitudinem suam a se creatum, pretiosissimos quosque cœli thesauros infuderit; ex altera tamen parte corpus illi dederit corruptibile, millenisque miseriis et ærumnis subjectum; sed quonam fine id eum fecisse existimas? Ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum; sed qua utilitate id fecit? Per quam possit gloriam im-

mortalem adipisci, ne immortalitas homini sine ulla difficultate constaret. Et quidem horum ultimorum verborum Eusebius Emissenus rationem assignat, dicens : Non vult Deus bona sua nimia inveniendi facilitate vilescere, pretiosa et concupiscibilis merces cupidum amatorem, et avidum negotiatorem requirit. Quid avari continuo laborando non sustinent, ut opulentas sibi facultates congregare valeant? Et cœlum nobis acquirere volemus quiete et suaviter dormiendo. MANSI, disc. XXIV, n. 4.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Homo quidam fecit cœnam magnam. » LUC. XIV, 16.

Potest beatitudo huic cœnæ comparari, et ostendi 1. Cur dicatur magna, scilicet propter *invitantem*, qui est magnus et laudabilis nimis; propter *convivas*, qui omnes sunt principes et reges cœli; propter ipsam *cœnam*, quæ perfectissime famem expellet, et tamen appetitum relinquet, juxta illud : Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Ps. XVI, 15.

Sed et sitim copiosissimo gratissimoque potu levabit, juxta illud ejusdem Psalmistæ : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis potabis eos. » Ps. XXXV, 9.

Ut merito tandem exclamet cum admiratione : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Ps. XXX, 20.

Propter *Durationem*, quia per totam æternitatem durabit, juxta testimonium Christi dicentis : Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. JOAN. XVI, 22.

Et iterum : Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. MATTH. XXV, 26.

2. Ostendatur, quantam quisque curam merito suscipere debeat, ut vestem nuptialem gratiæ ac charitatis habeat. Quam libenter item interea a vilibus escis, id est, voluptatibus illicitis et carnalibus, abstinere debeat, ut tanto perfectius in illa cœna satietur.

Ex occasione thematis : « Noli timere Abraham; ego protector tuus suum, et merces magna nimis. » GEN. XV, 1.

Potest ostendi. 1. Cur Deus dicatur merces magna nimis; nimirum quia beatitudo, quæ hic per mercedem intelligitur, et ex ejus visione oritur, tam magna est, ut Deus ipse majorem facere non possit, teste D. Thoma. Deinde quia magno, imo infinito excessu excedit omne hominum meritum. Præterea quia certissime dabitur, quamprimum labor hujus vitæ fuerit finitus. Et ultimo, quia est merces stabiliter durans per totam æternitatem. 2. Ostendatur, si famuli et operarii hujus mundi propter modicam, incertam et perituram mercedem tam fidele, promptumque servitium præstant suis dominis carnalibus, quanta cum alacritate et fidelitate Deo ob tantam mercedem servire oporteat. Unde semper quisque sibi hos famulos ob oculos ponere, illudque olim S. Augustino dictum objicere deberet : Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris?

Ex occasione thematis : « Apud te est fons vitæ. » Ps. XXXV, 10.

Potest ostendi, quam merito beatitudo fons dicatur veræ vitæ, quia scilicet ex ea solidum gaudium, in quo vita consistit animæ in altera vita, hauritur *purius*, (cum nihil ibi sit, quod corrumpere queat ejusmodi gaudium), *recentius* (cum adeo recens videatur Beatis gaudium, ac si eo primum die frui illo cœpissent) et *abundantius* (cum fons illius a se sit, atque adeo exarescere non possit), quam merito ergo cum S. David quivis ad hunc fontem aspirare debeat ac dicere : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Ps. XLI, 2.

Item : Dulcius ex ipso fonte petuntur aquæ.

Ex eodem themate, vel isto : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum vivum. » JOAN. XVII, 3.

Ostendi in primis potest, quomodo vita animæ consistit in cognitione Dei, perfecta nempe seu beatifica visione, quia ex hac oritur amor perfectus, per quem anima unitur moraliter summo bono atque adeo fruitur illo, sicque operationem illam, ob quam creata est, elicit, quod est vere vivere. 2. Ostendi potest, qualis hæc vita sit, scilicet *vera*, cum vita mortalis, teste S. Gregorio, æternæ vitæ comparata, mors sit potius dicenda, quam vita; ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? S. GREG. hom. XXXVII.

Vita *beata*, quia omnium bonorum aggregatione perfecta, cum tunc Deus cuivis Sancto dicat, quod olim Moysi dixit : Veni, ostendam omne bonum tibi. EXOD. XXXIII, 19.

Atque adeo quivis cum Salomone dicere queat : Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius. SAP. VII, 11.

Vita *sempiterna,* uti colligitur ex citato themate, et alio Christi dicto apud Matthæum : Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam. MATTH. XXV, 46

Quæ omnia breviter complexus S. Prosper dixit: Futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata ; ubi est certa securitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, felix æternitas, et æterna felicitas ; ubi est amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione securus ; ubi ipsa civitas, quæ est Angelorum, Sanctorum et hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, et æterna salus exuberat, veritas regnat; ubi nec fallitur quisque, nec fallit; unde nullus ejicitur beatus, quo nullus adjicitur miser. PROSP. l. I *de vita contempl.* c. II.

Excitentur proin auditores ad hanc vitam quærendam illis Psalmistæ verbis : Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Declina a malo, et fac bonum. PSAL. XXXIII, 13.

Ostendaturque, quam modicum sit, quod petitur (cum mandata ejus gravia non sint, sed potius jugum suave, et onus leve), atque adeo merito cuivis dici queat, quod olim Naamano servi sui dixerant : Pater, et si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras; (V REG. V, 13), quanto magis, quia nunc dixit tibi : Declina a malo, et fac bonum?

Ex occasione thematis: « Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. MATTH. V, 12.

Potest magnitudo beatitudinis ex septem testium testimoniis probari. 1. Ex testimonio Dei dicentis Abrahamo : Ego protector tuus sum, et merces magna nimis. GENES. XV, 1.

Item Moysis dicentis: Veni, ostendam omne bonum tibi. EXOD. XXXIII, 19.

2. Ex testimonio *Christi,* in citato themate, et alibi dicentis : Simile esse regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum. MATTH. XXIII, 44.

Id quod ipse abunde implevit, dum vitam et sanguinem infiniti pretii pro eo obtulit. 3. Ex testimonio *Sanctorum*, de quibus canit Ecclesia : Omnes Sancti, quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam Martyrii et præmium felicitatis æternæ, qui omnes nunc, cum sancto Paulo, testantur, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Et quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum. I COR. VI, 9.

4. Ex testimonio *Cœlorum,* qui enarrant gloriam Dei. Hinc merito Baruch exclamavit: O Israël, quam magna est domus Dei, et quam ingens locus possessionis ejus. BARUCH III, 24.

Et S. Ignatius : Heu quam sordet terra, cum cœlum aspicio! Et si exterior cœli facies talis est, quid intus latebit? Apud FABR. conc. II in *Festo omnium Sanctor.*

5. Ex testimonio *terræ.* Si enim, ut olim S. Porphyrius, Græcorum Episcopus, visa pompa, qua Theodosius Junior baptizabatur, dicebat, ea, quæ paulo post evanescunt, tantum gloriæ splendorem habent, quantum habitura sunt cœlestia, quæ parata sunt Sanctis et electis Dei? Et ut S. Bernardus dixit : Quid erit in Patria, si tantum est delectationis in via? 6. Ex testimonio *malorum et reproborum hominum.* Si enim in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis præstabitur Sanctis diligentibus veritatem? Ut recte discurrit S. Fulgentius, apud SUR. tom. 1.

7. Ex testimonio *dæmonis* quondam fatentis, si columna ferrea, eaque ignita novaculis, acutisque calamis undequaque instructa, atque a terra ad cœlum usque pertingens staret, se assumpto humano corpore libenter per illam usque ad extremum judicii diem volvi et revolvi velle, si cœlo potiri per hæc tormenta liceret. Imo alias dicere auditus est, se omnia damnatorum tormenta libenter usque ad judicii diem toleraturum, si unico momento Deum aspicere liceret. CÆSARIUS, l. V, c. X.

Ex occasione thematis : « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. » Vide FABRUM l. I.

Ostendatur, quale hoc sit gaudium, scilicet I. Gaudium *sincerum* seu *purum* propter omnis mali absentiam, juxta illud Apoca-

lypsis : Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Apoc. xxi, 4.

2. Gaudium *plenum* propter omnis boni præsentiam, de quo gaudio Christus apud S. Joannem locutus est dicens : Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ubi breviter ostendi potest, qualia gaudia in corpore et anima Sancti sunt habituri. 3. Gaudium *perpetuum*, juxta illud Christi testimonium : Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Ib.

Excitentur proin auditores, ut in hac vita libenter modicam tristitiam super peccata, et adversitates pœnasque ob peccata inflictas patiantur, ut hæc tristitia in tale gaudium mutetur. Item ut sint fideles super pauca, id est, talenta a Deo data bene impendere studeant, ut super multa constitui olim mereantur.

Ex occasione thematis : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis potabis eos» Ps. xxv, 9.

Possunt enarrari quinque fontes, ex quibus inexplicabilis voluptas, et gaudium Sanctorum oritur. Videlicet. 1. *Ex loci amœnitate et magnitudine*, de qua S. David dixit : Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Psal. lxxxiii, 1.

Et Baruch : O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis ejus! Baruch iii, 24.

2. *Ex societate Sanctorum*, tam *multorum*, juxta illud S. Joannis testimonium : Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Apoc. vii, 9, tam *concordium*, (erit enim, tunc maxime eorum cor unum et anima, quia nihil proprium possidebunt ; et hoc ipso, quod perfectissime unum erunt, cum tertio, nempe Deo, etiam inter se unum erunt), tam *speciosorum* (tunc enim justi fulgebunt, sicut sol. Matth. xiii, 43), quorum omnium gaudium commune erit. 3. *Ex oblectatione sensuum ;* quæ breviter enarrari possunt. 4. *Ex corporis glorificatione*, quod, teste S. Paulo surget in virtute, surget spirituale, surget incorruptibile. Cor. xv, 52, ideoque etiam quatuor dotibus impassibilitatis, agilitatis, subtilitatis, et incorruptibilitatis ornatum. 5. *Ex visione beatifica ;* de qua S. David locutus est, dum dixit : Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Ps. xx, 7

Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum, conc. iii, in Festo omnium Sanctorum.

Ex occasione thematis : « Peto, nate, ut aspicias ad cœlum. » II Mach. vii, 28.

Ostendi potest, quomodo per beatitudinis memoriam se quivis contra duplicem tentationem, scilicet concupiscentiam et timorem inordinatum, armare et tueri queat. Et 1. quidem, quoties aliquid delectabile in terra occurrit, recordando, quanto melius olim in altera vita id habituri simus, ideoque imitemur illos, qui ad convivium ituri a vilioribus cibis abstinent, melioribus se reservantes. Id quod S. David fecit dicens : Renuit consolari anima mea (in rebus creatis,) memor fui Dei, et delectatus sum. Psal. lxxvi, 3.

2. Quoties adversitas occurrit, oculos iterum sursum ad cœlos elevando, exemplo illorum, qui super ponticulum aquis rapacibus imminentem ambulant, et vertiginem timent. Sic Mater Machabæorum filium natu minimum verbis in themate citatis animavit. Et Christus discipulos, dum dixit : Beati estis, cum maledixerint vobis homines, etc. Gaudete et exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. vii, 11.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Fuerunt nonnulli, qui ad cœlestem gloriam adumbrandam emblemate usi sunt, cujus corpus erat cœlum quoddam, stellis, sole, luna, aliisque omnibus elegantissimis et pretiosissimis ornamentis mire adornatum ; anima autem dicti emblamatis hac epigraphe exprimebatur : « Pulchriora latent. » Idem quoque nos in præsenti dicere possumus; postquam enim de cœlesti gloria multum speculati sumus ; postquam de ea scripsimus, legimus, diximus, quicquid de ea a nobis scribi, legi, aut dici potuit ; imo postquam imaginationi, et desiderio nostro, omne quidvis bonum, pulchrum, jucundum et appetibile, quod excogitari potest, imaginandi et desiderandi libertatem indulsimus, tandem libere dicere possumus et debemus, quod longe plura, nobiliora, et præstantiora in cœlis visuri et

possessuri simus, siquidem « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit etc. Mansi, dis. x, n. 16.

S. Bonaventura explicans illa verba : « Tunc justi fulgebunt sicut sol. » In hoc planeta quatuor corporum gloriosorum dotes considerat, dicens : In splendore significatur dos claritatis; in perpetuitate solis dos impassibilitatis; in virtute solis activa (sol enim penetrat integrum vitrum) dos subtilitatis; in celeritate solis dos agilitatis, sole celeriores erunt Sancti. S. Bonav. ser. v *de Resur.*

S. Bernardinus quatuor hasce dotes enumerat, illumque Sapientiæ textum : « Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent » adducens, ita scribit : Primo in fulgore designatur claritas. Secundo impassibilitas denotatur in igne. Tertio in scintilla subtilitas indicatur. Quarto in discursu potest agilitas designari. S. Bernardinus tom. I, serm xciii, art. 1, c. i.

Angelicus Doctor dubium movet, cur increata et incarnata Sapientia potius dixerit : « Intra in gaudium Domini tui, » quam, accipe gaudium ; cui hac adhibita distinctione respondet : Quod est in aliquo, continetur ab illo, et continens majus est ; quando ergo gaudium est de aliquo, quod minus est quam cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum. Sed Deus major est corde, ideo qui gaudet de Deo, intrat in gaudium. S. Thom. *in c.* 25.

Cajetanus tamen aptius ad propositum loquitur, dum ad gaudiorum cœlestium æternæ beatitudinis immensitatem sese reflectens, inquit : Tam magnum est gaudium cœlestis patriæ de Deo, ut non possit concludi in homine, et ideo homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, et non intrat gaudium illud in hominem, velut comprehensum ab homine.

Accessit quondam ad Salvatorem mater sanctorum Jacobi et Joannis, et suppliciter eum rogavit : « Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram ; » cui jure merito ab eodem Salvatore protinus responsum fuit : « Nescitis quid petatis. » Verum dicet fortassis aliquis : Cur Christus hos discipulos, et matrem eorum reprehendit, et ignorantiæ redarguit, qui alias ab ejus ore verba hæc audierant : « Primum quærite Regnum Dei ? » Numquid illos in oratione Dominica petere docuerat : « Adveniat regnum tuum ? » Cur igitur nunc illos rejicit, dicens : « Nescitis quid petatis ? » Nimirum errorem, in quo hærebant, e mentibus eorum tollere voluit, siquidem ipsi in beato cœlorum Regno etiam sinistram reperiri credebant, in quo tamen graviter errabant, nequaquam enim ibi sinistra locum habet, sed solus et merus ibi dexteræ locus reperitur; nullum est ibi tristitiæ genus, sed solum gaudium, et mera lætitia : Delectationes in dextera tua usque in finem. Ibi lætitia est sine melancolia, tranquillitas sine turbatione, divitiæ sine jactura, honores sine periculis, sanitas sine indispositione, abundantia sine paupertate, vita sine morte, felicitas sine miseria. E contra vero in lacrymarum valle nullus unquam sol sine sua ecclipsi nascitur, nulla dies sine nocte oritur ; omnis creatura vanitati subjecta est. Mansi, disc. i, n. 10.

Considerari meretur ad hunc finem differentia, quæ est inter margaritas, et alias gemmas, et lapides pretiosos ; hi enim scalpello opus habent, et expoliri debent, postquam e terræ visceribus eruti sunt. Quantus enim non adhibetur labor ad perficiendum et expoliendum aliquem adamantem, jaspidem, vel alios lapides similes? Sola margarita eo modo, quo ex aquis marinis extrahitur, ad exornandas regum coronas apta est et idonea, omnemque ab ipsis primis natalibus suis perfectionem secum adfert. Tales autem esse quoque debent animæ, quæ Paradisum ingredi volunt, scalpello indigere minime debent ; quia « non intrabit in eam aliquid coinquinatum, » ideoque necessario mundæ, puræ, nitidæ, atque ab omni culpæ nævo expurgatæ esse debent. Idem, disc. xiii, n. 3.

In Exodo, inter auri, argenti, purpuræ, gemmarumque pretiosas oblationes, pili quoque caprarum, licet viles sint, connumerabantur : « Pilos caprarum pellesque arietum ; » pari quoque modo pauperes rustici pro patientia, paupertate et laboribus, quos in hac vita sustinuerunt, pari in cœlis præmio remunerabuntur, quo multæ animæ, quæ in hac vita sublimibus Ecclesiæ ministeriis suam impenderunt industriam. Unde S. Isidorus agricola in cœlo cum multis Sanctis Episcopis par erit in præmio ; ac proinde nullus est adeo egenus et pauper, quantumvis mendicus sit, qui non habeat unde Regnum Dei comparare sibi possit. Inveniuntur quidem nonnunquam mendici, qui ne

micam panis ad sui refectionem habent; at vero nullus hominum adeo est desolatus, qui monetam non habeat ad comparandam sibi cœlestem gloriam; cujus evidens in Lazaro habemus exemplum, cui quantumvis pauperrimo et afflictissimo, solemnes in cœlo ab Angelis celebratæ fuerunt exequiæ, suaque mendicitate comparavit sibi Regnum cœlorum; liberalitati enim et magnificentiæ illius, qui absolutus est Dominus Paradisi, abunde sufficit, si demus quod habemus. Ibid. disc. XXX, n. 3.

Imitari hac in re Deus videtur creditores, qui, ut a morosis debitoribus tandem solutionem expeditam obtineant, acceptant quidquid apud illos inveniunt; unde si debitor dixerit : Non sunt mihi ullæ pecuniæ, creditor juxta pecuniæ debitæ quantitatem, granum se libenter acceptaturum esse respondet; si non habet grana, acceptabit ligna; si ligna desint, acquiescit fœno; si fœno careat, tanta fimeti aut sterquilinii quantitate contentus erit. Eodem quoque modo in casu nostro discurrere possumus; Salvator etenim a divitibus pro pretio gloriæ pecunias postulat in eleemosynas erogatas; cui non est facultas dispensandi nummos, corpus suum per disciplinas et cilicia affligat; qui vero corporis austeritates ob nimiam debilitatem sustinere nequit, lucro animarum se consecret; qui neque ad hoc faciendum talentum a Deo habet, in operibus misericordiæ corporalibus, sese exerceat; qui infirmus est, tribulationem a Deo sibi immissam patienter sustineat, divinæque obsequatur voluntati; si contemmatur aut afficiatur opprobriis, gaudens Deum benedicat et collaudet, qui pro ejus amore patiendi occasionem ei tribuit, quod si etiam nudus cum Jobo redigatur in sterquilinium, roget Deum, ut peccata offensæ et injuriæ, quibus illum adversum se irritavit, illius miseriæ intuitu condonet; sic enim peccata nostra nobis ad cœlum conscensuris scalæ loco deservient, dummodo pro illis pœniteamus, et emendemur.

Modus acquirendi Beatitudinem.

Deus in venditione Paradisi ad eum se modum habuisse videtur, quo mercatores in nundinis merces suas vendere solent, in principio etenim nundinarum omnia caro pretio divendunt, quæ tandem in fine pro levi pecunia dimittunt. Quando Christus in die Ascensionis cœli officinam prima vice aperuit, primis sæculis illam sequentibus magna fidelium pars sub persecutionum, solitudinum, martyriorum pretio, æternam sibi beatitudinem comparare non dubitavit; tunc in Ægypto vastæ pro Christo incolebantur horridorum desertorum solitudines, fervidissimi Christiani tunc in equuleis extendi, uncinis et pectinibus ferreis dilaniari, feris objici, ab iisdemque devorari se permittebant. Postea vero cessantibus persecutionibus faciliori et planiori via cœlum sunt ingressi, in quiete contemplationis cœlestium dulciter conquiescendo, aut fervidos charitatis actus exercendo, aut vero virtutum christianarum praxi et studio assiduam operam impendendo. MANSI, disc. XXX, n. 3.

Quando David Rex post devictos Amalecitas victor in Siceleg rediit, orta est inter milites, qui ad sarcinarum custodiam remanserant, et alios, qui cruento illi prælio interfuerant, gravis de spoliorum participatione controversia, hisce nimirum adversus illos prætendentibus, nullam illis ex partis spoliis partem deberi. Respondensque omnis vir pessimus et iniquus de viris, qui ierant cum David, dixit : « Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda, sed sufficiat unicuique uxor sua, et filii. » David autem justus Princeps, ambabus partibus rite auditis, controversiam prædictam in favorem determinavit illorum, qui ad sarcinarum et hospitiorum custodiam remanserant. Dixit autem David : « Non sic facietis, fratres mei, de his, quæ tradidit vobis Dominus, æqua enim pars erit descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident. » III REG. XXX.

Origenes historiam hanc proposito nostro applicans considerat, quod illi, qui Davidem ad prælium fuere secuti, Religiosos significent, qui mortificationis ferrum in seipsos vertentes, implacabile sibi ipsis bellum indicunt; aut vero gladio Verbi Dei vibrante multas animas convertunt, atque ab inimico infernali liberant, cum inferno continuo præliantur, nec non adversus mundi illecebras, et allicientes blanditias. Per illos vero qui domi ad sarcinarum custodiam remanserunt, Sæculares intelligit, quibus ob vocationem suam bonis hisce temporalibus sese applicare incumbit. Terminato prælio, id est, post vitæ hujus, quæ « militia est super

terram, JOB. VII, 1, consummationem, Religiosi forte se solos, spoliorum æternæ beatitudinis participes futuros esse credent; sed deceptos esse experientur, siquidem Deus (verus David) declarabat : « Æqua pars erit, etc. » ORIG. hom. XXV *in Nativ.*

Et ratio est, quia amor Dei adeo intensus esse, adeoque vehementer ardere potest sub purpura et paludamento regio, quam sub vili aliquo sacco et cilicio. Quot enim Cardinales, Reges, Imperatores, et Summi Pontifices in supremo honorum, thesaurorum, et terrenæ felicitatis culmine positi Sancti fuere ?

Ad quartam vigiliam noctis apparuit quondam inter procellosi maris fluctus, Christus discipulis suis, quos sæva tempestas misere et periculose exagitabat. Ut viderunt tam inusitatum prodigium, phantasma arbitrati sunt, quod oculis usurpabant, quibus cum locutus, et de sermone agnitus fuisset, aiebat Petrus : « Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. » Matth. XIV, 28, cui Christus : Esto, veni, accurre, sis huc ad me; scis enim quam hoc percupiam, qui huc omnes invitavi, cum dixi : « Venite ad me omnes; » Matth. II, 18, et quomodo te unum prohibeam venire cupientem, qui alios nihil tale cogitantes advocavi ? Desiliit ad ea verba in mare Petrus, cumque ventus validior de repente excitatus, velle illum fluctibus involvere videretur, præsentaneumque periculum suum animadverteret, Christum inclamabat, atque ut a proximo discrimine eriperet, magnis vocibus obsecrabat. « Videns ventum validum timuit, et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac! » ibidem 30. Quid est, quod Petro ad Christum aspiranti, jamque contendenti occurrunt irati maris fluctus, et rem tam bonam, sanctamque meditanti minatur interitum tempestas, cui favere debuisse elementa omnia videntur, ut securus appellere posset ad eum, quem petebat? Cur a turbine in periculum adductus fuit, qui ad Christum totius salutis portum anhelabat? Respondet S. Ambrosius, ser. II de Sanctis : Sanctus Petrus, dum fluctuat, dum mergitur, sic pervenit ad Dominum, ostendens nobis, quod non nisi per pericula properatur ad Christum. Exemplo ergo Petri docemur, qui naufragii pericula non fortiter ferat, qui vitæ discrimina non libenter adeat, qui tribulationes et ærumnas, et rerum suarum jacturas non æquo et magno animo toleret, eum pervadere in gloriæ portum tranquillum non posse, ac delirare, qui aliter, quam per tempestates adversitatum eo pervenire posse existimat. Non enim nisi per pericula properatur ad Christum. DIPAC. NYSSEN. § 4 *in Dom. 1 post Epiph.*

Quæstio est, quare Dominus Moysen et Eliam, præ aliis veteris Testamenti Patriarchis, testes gloriæ suæ adesse voluit? Respondet appositissime Galfridus in Allegor. Biblior. apud Godefrig. Tilman : Ne clarificato facile credas, nisi occurrant ei Moyses et Elias; ut si quis affirmet, ac glorietur, Christum in se glorificari, se quemdam Thaborem esse, et theatrum factum gloriæ, donorum, ac favorum illius, non credas, nisi fide jussores adducat Moysen et Eliam, testes omni exceptione majores, quorum alter promulgator et reverentissimus observator legis, alter acerrimus illius propugnator fuit, ardens et vivus ignis, formidabile et horribile fulmen, qui nec regibus parcebat, neque cum subditis connivebat. Illa tuta gloria, ille indubitatus favor, inquit Galfridus, quem observantia et zelus legis probant, commendantque. Plurimum enim suspecta, et parum tuta gloria, quæcumque talium testium calculis et suffragiis destituitur. Ne Christo clarificato facile credas, nisi occurrant ei Moyses Elias. Ibid. I, § 1, 6 *in sab. post 1 Dom. Quadrag.*

S. Joannes cum amœnum et cœlestem Paradisum gloriæ, et æternæ patriæ Beatorum, sub metaphora magnæ, amplæ, elegantis, et sumptuosæ civitatis delineat, murorumque firmitatem, et portarum magnitudinem adumbrat, denique situm his paucis exprimit : « Civitas in quadro posita est; » Apoc. XXI, 16. Qui architectandi periti sunt, aiunt hanc esse stabiliendæ civitati commodissimam fabricam, sed cum felix illa civitas, si etiam quocumque alio modo constructa foret, æternum nihilominus duratura esset, quare magis in quadrangulum, quam in orbem et sphæricam formam redacta fuit? Respondet Aretas: Cum civitas quadrangularis sit, per figuram crucis ex diametro dividitur. Quid sibi velit, quod in formam crucis ordinata est illa Beatorum civitas ? Indicio est, et documento, parum fidendum gloriæ hujus vitæ, quæ non obtinetur pretio crucis et afflictionis, postquam æterna, ut videtur, opus habet crucis commendatione, et adminiculo, ut suam habeat a cruce secu-

civitatem. Quod ergo illa superna civitas in quadro posita fertur, tale est, ac si diceretur: Civitas supremæ gloriæ in formam crucis digesta consistit; secura ergo ea gloria est, quæcumque enim e cruce nascitur, eadem firma, stabilis gloria est, et interitus nescia; cum civitas quadrangularis sit, per figuram crucis ex diametro dividebatur. Ibidem.

Conclusio.

Festinemus igitur ingredi in illam requiem, ubi vere magnus est, quisquis etiam in ea minimus est. Non mihi curæ est, Deus meus, quantus futurus sim apud te in Regno tuo, sed hoc magis curo et exopto, ut de Regno tuo sim, quia si ad domum tuam pertineo, qualiscumque fuero, magnus ero. Quanta enim illa gloria, quo tendimus, ubi omnium minimus maximo, sapientia, puritate, virtute, perfectione major est! Quisquis maximus habetur, ad illam felicitatem comparatus, velut infantulus reputatur. S. Thom. Villanov. Conc. I *de S. Joan.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — Eveniet Beatis olim, quod Reginæ Sabæ, visa gloria Salomonis, evenit; nam et illi dicent: Verus est sermo, quem audivi in terra mea etc., et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit. Major est sapientia tua et opera tua quam rumor, quem audivi. Beati viri tui et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam! III Reg. x.

Cœlum Empyreum distat a terra mille septingentis nonaginta myriadibus, nongentis viginti quinque millibus, et quingentis milliariis. Nam juxta Clavium cœlum lunæ distat 120,630 milliariis, cœlum solis 4,013,923. Firmamentum autem 161,884,943. Unde si lapis molaris e firmamento decideret, cadendo consumeret 1,500 annos solares, licet quotidie cadendo conficeret 32,780 milliaria, et singulis horis 1,300. Magnitudo vero hujus cœli est prope immensa, cum minima stella magnitudine terram decies octies superare dicatur. Clavius *in Sphæram Joan. de Sacro bosco c.* xi.

Antiochus Rex in honorem Daphnidis mire adamatæ, convivium in intima aula sic instituit, ut tamen interea sexcentos ephebos formosissimos, et ducentas puellas elegantissime vestitas per urbem mitteret, qui floreis redimiti sertis ex vasis crystallinis vina, et ex orbibus candidissimis candidos panes, et saccaraceos fructus offerrent, aliis interea jucunda musica accinentibus. Quod totum ideo factum, ut ex hac munificentia colligerent cives, quam nobile convivium in aula esset apparatum. Applicatio facilis ad convivium cœleste, ad cujus magnitudinem demonstrandam Deus mittit in terram Angelos varia interdum cœli gaudia prægustanda offerentes. Kissel. to. II, f. 847.

Recte de beatitudine cecinit Ovidius:

Ultima semper
Expectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.
Ovid. iii, *Met.*

Empedocles rogatus, cur viveret? Ut cœlum aspiciam, respondit; tolle cœlum, et nullus ero. Engelgr. in hom. xxii *post Pent.*

Alcinous Rex palatium habuit ex muris æneis, portis aureis, postibus argenteis, laquearibus ex electro et ebore ad miraculum elaboratis. Sed quid hoc ad cœlum, cujus plateæ aurum mundum, et portæ ex singulis gemmis. Ibidem.

Pulchre poeta S. Ignatium terras ex aspectu cœli despicientem sic describit:

Vos astra testor, agmen in cœlo vigil,
Orbisque sempiternus errantis chorus,
Divinitatis intimæ scena extima:
Dum vos avaro sæpe conspectu fruor,
Dedisco rerum pretia, nunc gemmæ jacent;
Jam pallet aurum; non habet flores humus,
Et quæ placebant ante, nunc sordent opes.
Lyræus l. I, *Apopht.* viii.

Breviter, sed nervose etiam Ecclesia admonens, sic canit:

Oculos in altum tollite;
Illic licebit visere,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum.
Ecclesia, *in Offi. Transfig.*

Sursum, inquit Seneca, ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur. Senec. nat. qq. c. i.

Simonides interrogatus ab Hierone, Siciliæ tyranno, quid, qualisve esset Deus? unius diei post alterum spatium petiit ad cogitandum; et tandem post multos dies dixit: Quo considero diutius, hoc mihi res videtur obscurior. Cicero l. I *de Nat. Deor.*

Idem de beatitudine non male dixeris.

Philosophus quidam interrogatus, cur patriæ curam non gereret? Digito in cœlum intento dixit: Hanc curo. Bessæus *de novis*.

Is est beatus, inquit Cicero, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut minus lætabile ad efferendum videri potest. Cicero IV *Tusc.*

Aristoteles varie sic definiri posse beatitudinem putat, ita ut sit vel prosperitas cum virtute conjuncta; vel fortunata rerum cum virtute administratio, actiove; vel ratio per se sufficiens ad bene vivendum; vel vita plenissima voluptatis, summa securitate et præsidio nixa; vel abundantia copiarum, et absolutissima incolumitas corporis, cum potestate hujusmodi atque vi, quæ ad paranda illa et conservanda sufficiat. Arist. l. I *Rhet.* c. v.

Utilitas.— Musca contemnens formicam: Vide, inquit, quanta sit humilitas tua! Cava loca terrarum incolis, et perpetuo humi reptas, magno cum labore tenuem victum quæris. At me alæ in sublime ferunt, et mensæ regiæ accipiunt, delicatissimis cibis vescor, et purpuræ regiæ incumbo, quin et formosissimas genas deosculor. Cui formica: Atqui improbitas tua odiosa est omnibus, ob quam etiam flabella et venena in necem tuam parantur. Sed et modica anni parte durat felicitas tua, cum hyemis tempore mox pereas, ego autem in æstate mediocri laboris exerceor, ut in hyeme quietam et securam vitam degere possim. Langius *in Polyant.* V. eod.

S. Chrysostomus inter alia suadet, ut, quoniam lumen majus obfuscat minus, cum quis viderit mulierem formosam, oculis splendentem, respiciat desuper, quo tale spectaculum prætereat. Id quod in aliis quoque casibus faciendum. S. Chrys. hom. viii *de Pœn*.

Quid potest ei magnum videri, inquit Cicero, in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque Mundi nota sit magnitudo? Ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret. Cicero *in somnia Scipion.*

Lysander, a Persa interrogatus, quam Rempublicam florentissimam censeret? respondit: In qua bene meritis condigna præmia redduntur. Qualis ergo erit Respublica Christiana, in qua talia præmia bene meritos exspectant, quæ in cor hominis non ascenderunt? Beyrl. *in festo SS. Phil. et Jacob.* th. iii.

Beatitudo est in hoc mari laborantibus, inquit Beyrlinck, quod fundamentum ædificio, quod navi carina, quod in animalium generatione cor, quod viatoribus iter non asperum, euntibus hospitium commodum, mercium amor mercatoribus, agricolis spes fertilitatis. Ibidem.

Herculi, adhuc adolescenti, dubitanti, quod vitæ iter sectaretur, duæ se objecerunt mulieres, una decora, deliciis affluens, et præter voluptatum illecebras nihil promittens, et hæc vitium erat; altera macilenta, rugosa, et præter labores nihil laudans, sed post eos exantlatos Deorum consortium pollicens, et hæc virtus erat; quam proinde priore rejecta amplexus est Hercules. Idem de beatitudine hujus et alterius vitæ dici potest. Ibidem.

S. Martinus rogatus, ut corpusculum lateris conversione nonnihil relevaret: Sinite me, ait, cœlum respicere potius quam terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Sulpicius *in Vita.*

Jucunditas.— Socrates interrogatus, quid esset felicitas? Voluptas, respondit, quam nulla pœnitudo sequitur. Stobæus ciii.

AUCTORES.

Petrus Canisius tom. IV, cap. ul.

Hieremias Drexelius *in Cœlo.*

Ludovicus Granatensis *in loc. comm.* f. 834.

Petrus Bessæus *de quatuor noviss.*

Gabriel Inchinus *de novissimis.*

Philippus D. Outreman *in Pædag. Chr.* p. I, c. viii, § 10.

Matthias Faber con. i, ii et iii *in festo omnium Sanctorum.* Item con. ii in Dom. 2 Quadr.

Thomas Stapletonus text. vii in Dom. Sept. et text. ii in Dom. 2 Quadrag.

Laurentius Beyrlinck *in festo SS. Philippi et Jacobi.*

Joannes Major *in Magno speculo Exemplorum.* Tit. *Gloria cœlestis.*

Antonius Dauroltius *in Catechismo Historiali* p. III, c. viii, tit. xxii et seqq.

BLASPHEMIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est contumelia Deo illata, quo modo omnibus speciebus Blasphemiæ mox afferendis convenit; licet aliqui strictius eam sumendo definiant: Verbum in contumeliam Dei prolatum. LANGIUS *in Polyanth.*

Blasphemia, juxta S. Augustinum, est vitium, quo aliqua mala dicuntur de bonis; itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba Deo dicere. De hominibus namque dubitari potest, Deus vero sine controversia bonus est. S. AUG. l. II *de Mor. Manich.* c. XI.

Unde et Suarez ait: Usu receptum est, ut blasphemia ad derogationem divini honoris, ac bonitatis applicata sit. Citatque eodem loco Hugonem de S. Victore, dicentem: Blasphemiam esse, cum quadam probrosa irreligiositate, et diminutione honoris divini, vituperium, ac convitium. SUAREZ t. II *de Indign.* c. IV.

DIVISIO. — Dividi potest in mentalem, verbalem, et actualem. *Mentalis* est, quæ sola mente peragitur; quo modo etiam diaboli blasphemant Deum, uti et alii damnati spiritus in inferno. *Verbalis* est, quæ voce exprimitur, et magis in sensus cadit. *Actualis* est, quæ opere peragitur, sive dein per scripturam, sive per alia mala opera in contumeliam Dei directe peracta; de qua S. Ephrem locutus est dicens: Quemadmodum Deus operibus bonis glorificatur, ita contra malis actionibus blasphematur; nam cum Infideles intuentur Christianos, quod instar Ethnicorum ipsi quoque in crapula et ebrietate vitam degant, ludentes atque saltantes cum citharis et tympanis, non amplius dictitant, quod insensati sint Christiani, dum Christi legem transgrediuntur; verum blasphemantes asserunt, eos, sicut traditum a Christo acceperunt, ita et facere. S. EPHR. tom. I *Interrog.*

Unde et S. Augustinus: Raro, inquit, jam inveniuntur, qui Christum lingua blasphement, sed multi, qui vita. S. AUG. tr. XXVII in c. VI, 10.

S. Bonaventura tres modos declarat, quibus aliquis blasphemiam committere possit, scilicet vel cum attribuitur Deo, quod sibi non convenit; vel cum removetur ab eo, quod sibi convenit; vel cum creaturæ, attribuitur, quod proprie Deo convenit. S. BONAV. *in* V *Luc.*

S. Thomas Deum variis modis offendi posse scribit: Primo quantum ad suas creaturas, scilicet in homicidiis, furtis, adulteriis, et similibus. Secundo quantum ad suam familiam spiritualem. Tertio quoad personam velatam. Quarto quantum ad naturam assumptam. Quinto quantum ad naturam divinam. Etenim qui furatur, inquit hic Sanctus, qui committit fornicationem, vel homicidium, Deum in subditis suis male tractat; qui vero Martyribus, Apostolis, aliisque familiaribus Dei amicis necem infert, gravius illum offendit. Denique qui sacratissimum ejus Corpus sumptum pedibus suis protereret, et conculcaret, præcedentibus longe abominabiliorem Deo inferret injuriam: sed qui offendunt Deum, quantum ad naturam divinam, gravissime peccant, quod faciunt blasphemantes. Nam blasphemia est peccatum immediatum contra Deum.

ACTUS. — *Attribuere Deo falsum prædicatum*, uti fecerunt Pharisæi dicentes, Christum in Beelzebub ejicere dæmonia. LUC. XI, 15.

Item Lutherus et Calvinus Deum auctorem peccati constituentes.

Adimere Deo, quod ei debetur, v. g. negando sapientiam, bonitatem, aut potentiam; uti Rapsaces negavit, Deum Judæis opem ferre posse. Item Alphonsus, Rex Hispaniæ, qui dicere ausus est, se principio mundi, si Deo præsens fuisset, multa melius et sapientius ordinaturum fuisse. FAB. con. III *in Dom.* 18 *post Pent.* n. 2.

Tribuere creaturæ, quod solius Dei proprium est; ut si quis dicat, diabolum tam potentem esse, ac Deum: æque colendum, adorandum, etc. Item solem et lunam aut alias creaturas, rectores orbis terrarum Deos putare, ut in Sapientiæ libro de nonnullis dicitur. SAP. XIII, 2.

Inhonorare Sacramenta, Reliquias aut alias res sacras, quatenus ad Deum spectant, uti faciunt Iconoclastici, Hæretici et nostri etiam Lutherani, B. Virgini, et Sanctis debitum cultum et invocationem negantes

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas et gravitas.

Non assumes nomen Domini Dei tui in

vanum ; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. EXOD. XX, 2.

Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. ECCL. XXIII, 9.

Cui exprobrasti, et quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? Contra Sanctum Israel. IV REG. VI, 22.

Docuit iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. JOB XV, 5.

Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo? I REG. II, 25.

Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram. PS. LXIII, 4.

Quis est, qui loquitur blasphemias? LUC. V.

Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra. PS. LXXII.

Blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. EPH. IV.

Dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur; propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa. ISAI. LII.

Spiritus autem blasphemiæ non remittetur. MATTH. c. XII.

Blasphemarunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum, dereliquerunt Dominum. ISAIÆ I.

Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ. APOC. XVII.

DAMNUM. — Maledicti erunt, qui contempserint te, et condemnati erunt omnes, qui blasphemaverint te. TOB. XIII, 16.

Tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. I TIMOTH. I.

Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes, qui audierunt, manus super caput ejus, et lapidet eum populus universus. LEV. XXIV.

Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum. MARC. III, 29.

Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum; et qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur, lapidibus obruet eum omnis multitudo populi. LEVIT. XXIV, 16.

Qui in altum mittit lapidem (aut blasphemiam), super caput ejus cadet. ECCL. XXVII, 28.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas et Gravitas.

Nihil est horribilius blasphemia, quæ ponit in cœlum os suum; omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ, levius est. S. HIER. *in c.* XVIII *Is.*

Nescitis, quis sit Deus, et quali debeat ore vocari? Quod si de studioso quodam viro male loquamur, dicimus: Os tuum ablue, et ita commemora; nunc vero nomen venerandum, quod audientes dæmones horrent, temerarie circumferimus? S. CHRYS. hom. XXVI *ad Pop.*

Non metuis, ne forte ignis de cœlo descendat, et devoret te, qui sic os adversus Omnipotentem aperis? Neque vereris, ne forte terra sub te disrumpatur, et te absorbeat? Ne decipiaris, o homo; impossibile enim est, manus effugere Creatoris; audi eum, qui dicit: Blasphemantes rationem reddent Deo, qui paratus est judicare vivos et mortuos. S. EPHR. II *Perœn.* c. V.

Non est hoc peccato ullum deterius, sed neque par; nam in eo et accessio omnium malorum est, omnisque confusio, inexpiabile supplicium et intolerabilis pœna. S. CHRYS. tom. I, Orat. II *de Fato et provid.*

Alii peccatores appetunt delectationes, honores, vel aliud quidpiam mundi; et vellent, si possent, his bonis frui, sine Dei offensa, sed blasphemus multo aliter, quia consulto et præmeditate contra Deum insurgit. DIDAC. STELLA *in Luc.* c. V.

Omnia alia peccata videntur procedere partim ex fragilitate humanæ naturæ, partim ex ignorantia; sed illud peccatum blasphemiæ procedit ex propria malitia, et quanto est major persona offensa, tanto major culpa, et plus crescit malitia culpæ, et sic blasphemia continet in se majorem malitiam aliis peccatis, et nullum est peccatum, quod habeat in se tantam iniquitatem, sicut blasphemia. S. BERN. t. IV, ser. XXXIII.

Peccatum tanto majus et gravius est, quanto minus motivum habet; si juvenis et senex adulterium perpetrant, plus in hoc peccaret senex. In cæteris peccatis aliquod motivum est ad peccandum inducens, sicut in superbia excellentia dignitatis, in luxuria delectatio carnis, in gula gustus, in avaritia pecunia, in blasphemia autem nullum est

motivum, quia nulla est ibi delectatio ad blasphemandum inducens. Idem, t. I, ser. XLI, a. 1, c. III.

Quis magis ingratus est Deo de beneficio specialiter sibi collato præ cæteris creaturis, scilicet loquela et lingua, quam blasphemator nominis Dei, qui cum dicere debeat cum Propheta : « Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo; » Dominum suo ore fœtido maledicit? Omnes enim creaturæ, et quælibet suo modo sollicite laudant Deum et benedicunt potentiam, sapientiam, et clementiam Salvatoris. Ibid.

Ingratus etiam de beneficio Incarnationis ; nam membra illa humanæ infirmitatis, quæ pro salute nostra assumpsit Dei Filius, blasphemus nominat ad contumeliam, quasi non satis afflictus fuerit Christus pro sua et aliorum salute, ab impietate Judaica, propterea compleat contumelias ejus. Ibid.

Patet, quod blasphemantes Deum pejores sunt bestiis, canibus et aliis; canes enim non mordent dominos suos, licet ab eis lædantur, sed blasphemus eodem ore, quo Dei beneficium percipit, et bibendo vinum, Deum blasphemat. MANSI, disc. IV, n. 6.

Blasphemia est lepra, quæ omnino mundari non potest, et ideo extra castra pellenda, hoc est, crimen blasphemiæ, quod in Spiritum Sanctum committitur, de quo dicitur : « Qui peccat in Spiritum Sanctum, non remittetur ei. » *Gloss.* c. XIII LEV.

Nihil est, quod animum nostrum magis exulceret et confodiat, quam horribilis atque impia, et christianis auribus intolerabilis divini nominis blasphemia, cum audivimus sacratissimum Dei, et Jesu Christi Domini nostri nomen, quod super omne nomen cœlestia venerantur, terrestria adorant, inferna contremiscunt (quod ne temere quidem a quopiam propter ejus sublimitatem et majestatem usurpandum sit) passim pravorum efferatorumque hominum vocibus scindi etc., ut minime mirandum sit, si a Christianis populis, in tantis calamitatibus constitutis, divinæ iracundiæ flagella non amoveantur. JUL. III, *Bulla* 23.

Blasphemia est peccatum diabolicum, loquela infernalis. Sicut enim Spiritus Sanctus loquitur per bonos; ita diabolus per blasphemos. MANSI, disc. VII, n. 2.

O lingua diabolica, quid potest te inducere ad blasphemandum Deum tuum, qui te plasmavit, in quo tuum summum bonum consistit, qui te pretioso sanguine redemit? S. BERN. t. IV, ser. XXXIII.

Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt. S. BERN. ser. II *de Convers. S. Pauli.*

Audes aperire os tuum audacter, et in cœlum verba emittere, juramenta atque blasphemias, et non times, ne falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, donec ex ea, quæ sub cœlo est, te excidat, dum sic audes os aperire adversus Deum omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubim ac Seraphim non audent oculos conjicere ? S. EPHR. *Perœnes.* XLIII.

Nullum gratiarum actioni par bonum; quemadmodum blasphemia pejus nihil. S. CHRYS. hom. I *ad Pop.*

Cum Deus laudatur de bono opere tuo, laudas opere tuo Deum. Et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum. Itaque ad aurium exhortationem canta voce, corde ne sileas, vita ne taceas. Si ergo bene agis, et quando manducas et bibis, ad refectionem corporis sumis, gratias agens Deo, cibus tunc, et potus laudat Deum. Si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites, quantaslibet laudes lingua tua sonet, vita blasphemat. S. AUGUST. *in Ps.* XLVI.

Cum probrum jacitur in Principem, patriæ bonum et utilem, nonne tanto est indignius, quanto a veritate remotius, et a vita illius alienus ? Quæ igitur supplicia sufficiunt, cum Deo fit ista tam nefaria, tam insignis injuria ? Idem, l. *de Civ. Dei* c. IX.

DAMNUM. — Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundo sinus, abripiuntur noxii, et ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aerem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro. S. AMBR. ep. LXXXII.

EXEMPLA EXTERNA.

FUGA. — « Cum S. Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Imperet tibi Dominus. » Ex quo Josephus Mansi sic concludit. quod is, qui cœlestis militiæ Princeps est pro divini honoris defensione inimico De

non fuit ausus maledicere, qua fronte homo, vilissimus ille terræ vermiculus, tantis a Deo beneficiis cumulatus, eumdem optimum Deum, cum tanto honoris et reverentiæ ei debitæ præjudicio, blasphemare, et execrari, eique maledicere audebit? EP. JUD. I, 9.

S. Polycarpus, quando sollicitabatur a tyranno, ut si vitæ suæ consulere vellet, Christum blasphemaret, animose respondit: Jam octoginta sex anni elapsi sunt, quibus Christo meo inservio, nec tamen unquam mali quidpiam ab illo recepi, imo multis iisque præclaris bonis de manu ipsius auctus sum, qua igitur ratione illum, prout tu, o Proconsul, a me fieri desideras, blasphemare, illique maledicere potero, qui tot mihi beneficia præstitit, et hactenus adeo benigne conservavit? Qua fronte tam bono Deo et Domino ingratus esse potero? MANSI, disc. IV.

Venerabilis Pæmen Abbas, quemdam discipulorum suorum, qui frequentibus a spiritu blasphemiæ pulsabatur tentationibus, docuit, ut tentatus semper diceret: Ego causam non habeo, blasphemia tua super te sit Satanas, hanc enim causam anima mea non vult. Ita sanus frater ille discessit. RUFFIN. AQUIL. l. III, *in Vit. PP. de verbis seniorum* n. 57.

Cum S. Ludovicus, Rex Franciæ, edicto publico sancivisset, ut cuilibet nomen Dei blasphemanti ignito ferro in labiis stigma inureretur; accidit, ut, postquam civis quidam Parisiensis hujus pœnæ reatum incurrisset, multi pro illius ab hac pœna exemptione intercederent, quem Rex justus absque misericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti, in peccati sui memoriam sempiternam, et in aliorum exemplum. Non defuere quidem multi etiam secundum mundum sapientes viri, qui S. Regem velut nimis crudelem et rigidum censurarent. At vero S. Rex verissimum esse sciens, quod ait Christus: « Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et dixerint omne malum propter me; » hanc protulit regia majestate sua dignam sententiam, videlicet quod desideraret potius simile cauterium sibi in labiis esse inustum, et quoad viveret, talem indecentiam sustinere, dummodo hujusmodi perniciosum vitium de Regno suo penitus tolleretur. *Annal. Eccl. Rayn.* 1267, n. 63.

De Philippo, pariter Franciæ Rege, legimus, quod, quotiescumque aliquos in tabernis, vel etiam in bello milites blasphemias protulisse audiebat, illos protinus submergi jusserit, hancque legem in Regno suo perpetuo ac inviolabiliter observari voluerit; et de hoc edictum, posteris firmiter tenendum, reliquit ante mortem. VINCENT. in *Spec. histor.*

Anno 1509, accidit Argentinæ, quod Senatus pro tribunali sedens judicium ferre debuerit, quoad duos milites urbis præsidiarios, quorum unus armis suis gubernatorem suum graviter data opera offenderat, alter vero enormes in Deum blasphemias evomuerat; et quidem unus illorum pro se suique liberatione habebat advocatos, alter vero neminem habebat, qui in ejus defensionem os suum aperiret. Pro illo ob spectatam fortitudinem optimi quique intercedebant, pro hoc nulli; Senatus prudens ratus violatorem Dei non meliori conditione esse, quam calumniatorem hominis, causæ cognitione, quibus oportuit, demandata, ubi blasphemiam horrendam, licet ab ebrio et emotæ mentis homine admissam cognovit, plus divinæ Majestati, quam humanæ gratiæ et intercessioni tribuendum ratus, supplicio capitali, extracta per cervicem lingua blasphemum affecit. MANSI, disc. II, n. 1.

Michael de Barro Navaræus, Ordinis S. Jacobi nobilis Eques, de Rege suo optime meritus, semel tantum, *per vitam Dei*, publice jurans, triginta et uno diebus in carcerem conjectus fuit; cumque de gravi nimis pœna qua mulctabatur, apud Regem conquereretur, Rex filium suum se ipsi in socium additurum respondit, qui catenarum pondus dimidiatum cum ipso ferret, ita enim de se meritum esse, ut libenter ipsum juvare velit, hac vero in re nullam aliam gratificandi rationem dispicere; ac proinde carcerem quidem in gratiam illius nonnihil ornamentis apparari fecit, at vero compedes et catenas ab ipso tollere renuit. FLORENT, *de Orig. hæres.* l. V, c. VI.

Ezechias Rex, utpote a Deo magnopere illuminatus, mox ut horrendam Sennacherib blasphemiam audivit, certam contra ipsum obtinendam victoriam in manu sua se habere existimavit, neque tam Hierosolymæ fortificationibus, munitionibus, victualium annonæ, militumque suorum generositati innixus est, quam indubitatæ spei, quam de Deo protinus concepit, qua futurum esse confidit, quod Deus honorem ab inimico suo Sennacherib enormissime læsum defensurus esset, vindicando illatas sibi per blasphemiam gravissimas injurias. Unde S. Cy-

rillus Alexandrinus ait: Convitia in Deum detorta ægerrime ferens Rex, eaque si dissimularentur, capiendæ civitatis causam esse posse, pie prudenterque considerans, et se nihilominus ab ipso blasphemarum vocem crimine exsolvere percupiens, derepente conscissa veste in domum Dei ascendit, precibusque, quibus potuit, iræ divinæ se opposuit; sciebat enim, quod eo ipso, quo de illatis Deo injuriis intrinsecum cordis exterius testaretur dolorem, divinamque ejus justitiam ad injurias illas debite mulctandas imploraret, consequens futurum esset totius hostilis exercitus infallibile exterminium. S. Cyrill. Alexand. l. *de Fide ad Theodos.*

Robertus, Rex Franciæ, pacem publicam in Regnis suis pro virium suarum possibilitate conservare satagebat, eoque fine devotissimas coram crucifixo quodam preces effundebat. In procemio pragmaticæ sanctionis narratur, quod Roberto, Regi Francorum, filio Capeti, in urbe Aurelia pro pace Regni sui oranti, crucifixus non sine ingenti prodigio, et ingenti miraculo respondit: Non habiturum pacem in Regno, donec blasphemias extirparet. Lorinus *in* c. xxiv. *Lev.*

In Annalibus Ecclesiasticis legimus, quod S. Ludovicus, Rex vere Christianissimus, inter alia monita, quæ filio suo, qui in Regno successurus erat, specialiter commendata esse voluit, unum hoc fuerit: Maxime autem nullum verbum blasphemiæ de Deo, sive de Sanctis, patiaris dici ab aliquo, quin vindictam de eo fieri facias. Et paulo post vitæ ejus historia ibid. n. 17, repetit, Sanctum hunc Regem eidem filio suo de novo, singulari cum anxietate animi et sollicitudine dixisse: Labora, quod omne peccatum de terra tua removeatur, maxime autem blasphemia. Raynal. *ad* ann. 1270. n. 15.

Moyses, licet alioqui mitissimus, ubi tamen populus vitulum aureum adoravit, tam severe vindicavit, ut comminutum vitulum eidem potandum dederit, imperaveritque ut unusquisque occidat fratrem suum, et amicum, et proximum. Exod. xxxii; S. Chrys. Orat. l.

Job; etsi ab uxore ad maledicendum Deo graviter incitatus, potius tamen duxit, ut loquitur S. Chrysostomus, innumera perpeti mala, quam blasphemia tantorum malorum relaxationem consequi. Fab. *Con.* iii *in Dom* 18. *post Pent.*

Abbas Pœmen docuit juvenem de blasphemia tentatum ita respondere: Vellem quidem blasphemare, sed non habeo causam blasphemandi Deum.

B. Ludovicus, Rex Franciæ, cum multi peterent, ut nobili cuidam pœna blasphemis ab eo decreta, scilicet cauterii in fronte inurendi, remitteretur, respondit: Ego paratus essem, et pro gratia reputarem si tale signum fronti meæ inureretur, dummodo tale scelus e Regno meo extirparetur. Æmilius l. VII. *Hist. Franc.*

Joannes Hurtado, Dominicanus, cum militem graviter blasphemantem audivisset, sic eum allocutus est: Mentiris maligne, Deus is non est, qualem tu blasphemo ore fingis, sed bonus est, justus et misericors. Cumque miles hoc dicto efferatus ferrum stringeret, Joannes in genua provolutus martyrii palmam avide expectabat. Engel. *in Dom.* 11. *post Pent.*

Imperator Justinianus blasphemos morte plecti volebat. Rex Scotiæ impiam linguam radicitus exscindi. Argentoratensis Magistratus, anno 1569, uni e præsidiariis militibus suis, quod blasphemasset, linguam per cervices extrahi jussit. *Pœdag. Chr.* p. I, c. v, §. 2.

DAMNUM.

Sennacherib Rex ob blasphemiam in Deum jactam primo centum octoginta quinque millia militum una nocte, Angelo Dei percutiente, amisit; deinde ipsemet a filiis suis percussus interiit. IV Reg. xix.

Nicanoris lingua jussu Judæ præcisa particulatim avibus devoranda exposita et manus contra Domum Sanctam omnipotentis Dei suspensa, II. Mach. xv 33.

Herodes Rex a vermibus consumptus est. Act. xii 23.

Antiochus vero miserabili et invisibili plaga a Deo ob blasphemiam humiliatus interiit. II Mach. ix, 9.

Anno 1623, 9 octobris, duo adulterinæ monetæ cursores ad furcam damnati sunt, quorum alter catholicus cum magna aspicientium ædificatione obiit, alter vero hæreticus, nomine Michael Thomas Houssaye, horrendas in Deum et ejus SS. Matrem blasphemias cum effudisset, e scala vix dejectus, fune ne minimum quidem fracto, e furca delabitur, capite procul ab humeris, ac si

novacula abscissum foret, excusso, sola lingua excepta, quæ longa, infamis, et visu horrida e trunco corporis pendebat, unde eidem funis iterum applicatus, truncumque corpus in patibulo iterum suspensum est. *Mercur. Gallic.* l. x.

B. Petrus Damianus scribit, non procul Bononia duos commessatores ad cœnam convenisse, in qua cum alter gallinaceum pullum dissecuisset, alter: Tam apte, inquit, hunc pullum divisisti, ut ne ipse quidem S. Petrus integrum nobis restituere queat. Imo nec Deus, subjecit alter. Qua blasphemia vix prolata gallus ex jusculo vivus exiliens cantat, et alas concutiens multo jure blasphemos conspergit, ipsi vero lepra tacti eamdem etiam in posteros transfuderunt, qui in criminis a majoribus patrati memoriam deinceps Ecclesiæ multis annis facti sunt vectigales. S. Dam. l. II. ep. ii.

S. Gregorius narrat, puerum quinquennem in patris gremio blasphemantem a dæmone abreptum, nec unquam amplius conspectum esse. S. Greg. l. IV. *Dial.* c. xviii.

Simile quid S. Cyrillus narrat de puero duodenni cum patre ludente et S. Hieronymum blasphemante. Cyrill. in ep. *de mira.*

Simon de Tornaco, Doctor Parisiensis celeberrimus, cum publice dixisset, tres fuisse impostores, qui mundum fraudibus suis subjugarint, Moysen, Christum et Mahumetum, quorum primus Judæos, alter Christianos, tertius Turcas infatuarit, subito eversis oculis, mugitum emittens, et per epilepsiam elisus in terram, tertio die misere obiit, neminem nisi concubinam nominare valens. S. Hier. *Cantipr.* c. xlviii.

Clericus quidam cum dixisset, falsam esse illam Christi sententiam : Omnis, qui se humiliat, exaltabitur; repente gladio per os instar fulminis transfixus est. S. Damian. l. II. ep. xv.

Aleator quidam, cum per membra Christi et Mariæ horrende jurasset, illico corruit, voceque terribili clamavit : Heu miser! qui es, qui me interficis? Et volutatus aliquantum humi tartaream animam efflavit. Postea vero in tergo reperta est plaga recens horribili hiatu dehiscens, quasi securi facta. *Spec. Ex.* xliii, apud Busæum in *Pana V. Blasph.*

Mulier hæretica, in oppido Hollandiæ, cum in summa difficultate pariens Deiparam scropham appellasset, mox divinitus punita, nigellas aliquot suculas emortuas enixa est. Ibid.

In Mediolanensi Provincia, cum juvenis quidam cum socio duellaturus, blasphemas in Dei Matrem voces protulisset, eo ipso temporis articulo ab adversario, lingua et palato transfossis, peremptus est. *Stim. Viri.* l. III. c. xxi.

Villanovæ, cum, anno 1613, notarius quidam publicus, Sacerdotes catholicos sepulturam catholico ritu peragentes rudentibus asinis æquiparare solitus esset, ipse quoque cum ad sepulchrum efferretur, magnus asinus coloris fuci apparuit, circa mortui cadaver horrendum in modum rudens, et sepulchrum aliquoties circumiens, et tandem, postquam amicos ad domum defuncti comitatus esset, ex oculis evanescens. Gualter. *Sæc.* xvii, p. 121.

In Phœnicia mimus quidam erat, Gajanus nomine, qui, cum in theatro B. Virginem blasphemasset, hæc ei apparens dixit : Noli, quæso, noli ita lædere animam tuam. Idque tertia vice faciebat; cum autem ille magis blasphemaret, meridie dormienti apparens iterum, nihilque dicens, manus et pedes digito signavit; quo facto ipse evigilans manibus et pedibus se truncatum reperiit. Bredenb. l. III. *collat.* c. i.

Baronius in Annalibus refert, quod, cum Constantinopoli ex Arianæ sectæ hæreticis, qui SS. Trinitatis jurati hostes erant, unus, cui nomen Olympius, in balneo corpus suuum abluens, impias contra eamdem et horrendas blasphemias evomuisset, confestim in rabiem actus, semetipsum unguibus miserabiliter dilaniarit, et paulo post sacrilegam animam ad infernum transmiserit.

Alius quoque scriptor memorabilem quemdam casum recenset, qui in regno Hispaniarum contigit circa quemdam, qui postquam omnia, quæ habebat, ludendo perdidisset, Deum instanter rogavit, ut pro jactura sua reparanda gratiam suam impertiretur; at vero, quia fortuna illi totaliter adversante, ludus semper de malo devolvebatur in pejus, pecuniis ludendo penitus amissis, tandem vestes quoque suas ejusdem ludi exponebat discrimini, ac demum vestibus denudatus domum repetiit, ibidemque assumptis armis, et conscenso equo in forum concessit, ubi coram multis alta voce exclamavit, et ait : Si quis est amicus et fidelis Dei, qui dicat, Deum esse aliquid, vadat, et

se armet, et congrediatur mecum in nomine Dei sui, et ego ipsum occidam sine Deo, et intelliget, quod nullus sit Deus. Ad quam propositionem omnes quidem exhorrescentes, præ nimio stupore hæsere attoniti, nullus tamen ex omnibus erat, qui detestabile facinus istud, ejusque inverecundam temeritatem ei improperare auderet. Sed cui non respondit homo, protinus Deus respondit, nam qui olim flagellaverat Pharaonem, se potentiæ suæ opponentem, non ursis et leonibus, sed ranis et muscis, immisit Deus, huic væsano unam muscam, licet esset tempus hyemis, quæ eum in facie sic invasit, et sic inter faciem et galeam se opponens, aculeis suis graviter illum læsit, ita quod oportuit galeam deponere, et ad terram projicere; at ubi musca liberum habuit accessum, sic eum in facie feriebat, quod se defendere non valens, de equo ad terram decidit, faciem versus terram firmans, ut posset se tueri a musca, quæ etiam ibi eum fortiter invasit, nec cessavit, quousque publice blasphemiam, quam ore profano protulerat, omnibus audientibus cum cordis gemitu revocavit. UNGARUS MINORIT. s. x. *in explor. Symboli.*

De alio quoque blasphemo refertur, quod, cum in villa quadam Terræ Laboris, in Regno Neapolitano situatæ, in die sancto Parasceves duo, quorum unus Christianus, alter Judæus erat, taxillis luderent, et Judæus magnam pecuniæ summam perdidisset, hic Christum horrendum in modum blasphemare cœperit; cumque ludum repetere volens, taxillos apprehendere niteretur, subito nervi manuum ejus contracti fuerunt; quare magis indignatus, manibus hoc modo contractis mensam lusoriam in terram dejicere contendit, majori cum impetu blasphemias contra Christum, ejusque Sanctissimam Matrem multiplicando. At vero confestim super temerarium hunc hominem divina vindicta animadvertere cœpit, siquidem subversis in capite oculis protinus in terram corruit mortuus; Christianus collusor illius pavore nimio in amentiam versus elanguit, et miseram vitam morte misera finivit. TH. CANTIPRAT. XLII, ap. c. l. 9, §. 6.

In historiis virorum illustrium ordinis Cisterciensis, Abbas Gherebaldus quemdam inverecundum Beatissimæ Virginis blasphematorem dæmonis potestati traditum fuisse refert, qui idem insuper durissima passione divexatus atque distortus est, ita ut oculis eversis, et facie tota enormiter intumescente, linguam ardentem atque ejectam longius ab ore porrigeret, qui cum ita fuisset longo et horrendo tormento excruciatus, tandem miserabilem animam dæmoniacis spiritibus reddidit, linguamque effrenem, quam extraxerat, nec in morte retraxit. In *Historiis. Ordin. Cister.*

Dum post demolitum quoddam in Flandria Ordinis S. Francisci monasterium, dum multæ Sanctorum statuæ igne conflagrante absumerentur, unus illorum sacrilegorum in statuam quamdam S. Antonii incidens, postquam variis illam contumeliis affecisset, tandem in execranda hæc verba prorupit: Si quam vim, aut virtutem habet, declaretur. Et ecce protinus ignis e statua illa egressus, eumdem viventem totaliter combussit. BREDENB. l. III *Coll.* c. XXVII.

In ejusdem libri, capita XXIX et XXX, narratur, quod, dum hæreticus quidam ejusdem Sancti statuam ad ignem comburendam deportaret, eidem ludibriose dixerit: Antoni, Antoni, tu quidem soles in mortale genus desævire, eosque misere ustulare, at ubi nunc vires illæ? Et ecce subito lingua illius peste correpta est, ac demum paulo post cum tota familia sua igne pestilentiæ consumptus est. Ibidem.

B. Petrus Damianus pariter de quodam impio, rixisque dedito clerico refert quod, cum tempore diem et horam præsignasset, in qua cum quodam hoste suo, qui nonnullas beneficii sui possessiones usurpabat, manus conserere decreverat, acciderit, quod mane Missæ audiendæ assistens, verbaque illa audiens: « Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur, » illico hic clericus conversus in hanc vocem sacrilegam protervus eruperit: Hæc sententia vera non est, nam si ego me meis adversariis humiliter inclinassem, hodie tot possessionum copias, atque clientum non haberem. Cumque in eodem loco ab adversario clerici missus nuntius, alterum de clerici proposito informaturus, præsens adesset, hancque a clerico prolatam blasphemiam ei, a quo missus fuerat, referret, mox ille plaudens in Domino lætus efficitur, atque ad spem proculdubio obtinendæ victoriæ milites cohortatur. Pridie vero, quam manus conserturi ad invicem erant, Deus blasphemum istum castigare volens, jumentum ejus quemdam salis modium in via obvium habere permisit, quem cum avide abliguriisset

sitibundus equus, ad copiosum quemdam aquarum rivum perveniens, ut se in torrentem illum mergeret, sitimque suam mitigaret, frenum clerico e manibus avulsit. Ille vero dum ea manu, qua scutum tenebat, cum jumento confligit, hostilibus jaculis faciem coactus exponit, et ecce repente gladius os ejus fulminis more transfigit, talique fine reprobus vitam suam conclusit. O quam congue in illa pertulit corporis parte vindictam, qua nigri fellis in Dominum vomuerat blasphemiam! Et cum Propheta de talibus dicat: « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus; » qui linguam suam et dentes adversus Deum gladii more vibravit, digne per eadem membra materialis gladii pœnas exsolvit. S. PETR. DAMIAN. c. II, Ep. XV.

P. Hieremias Drexelius refert, quod, cum anno 1581, in civitate Bituriensi, Elisabetha Blæstina, in die Sacratissimi Corporis Christi una cum marito suo, matre item et ancilla, in Ecclesiam S. Severi filiolum suum in ulnis deferens ingressa fuisset, quemdam verbum Dei publice ex pulpito declamantem audiens, cum deriserit; concione vero finita, dum Parochus ejusdem loci sacrum Missæ officium exordiretur, ipsa ritus Missæ et cæremonias sacras pari risu prosequens, dixit: Accedamus propinquius, et spectemus sulti illius Presbyteri superstitiosas gesticulationes. Et ecce mox ut ad altare propius accessit, subito veluti fulminata, sine ulla pueruli, quem in ulnis portabat, læsione, in terram ad pedes gubernatoris civitatis illius concidit; mater autem ejus, quæ blasphemiæ consors fuerat, muta, nec sibi præsens, elata templo, ubi magnam sanguinis copiam ex ore et naribus ejecit. DREXELIUS. in *Phaet.* c. XIV, §. 2.

Refert quidam scriptor, quod Alvarado regio Hispaniarum ministro, in prælio cum Xaliscæ populis habito, mortuo, Beatrix de Cuena, uxor illius, in blasphemas voces eruperit, dicendo: Nullam in Deo esse omnipotentiam. Unde subitanea quædam tempestas oborta, e vicino monte, diluvio quodam civitatem a marito ipsius ædificatam inundavit, quod prægrandia secum a monte divulsa saxa rapiens in domum, in qua blasphemiam illam, in cujus pœnam universa civitas subversa remansit, evomuerat, ingenti cum impetu allisit, soloque tenus eamdem subvertit; quod vero vel maxime ad propositum nostrum facit, est, quod præfatus auctor scribat, quod blasphema hæc mulier imminentem domus suæ ruinam videns, saniori exinde mente concepta, precibus malum, quod imminebat, a domo sua avertere quidem conabatur, sed incassum, siquidem diluvium raptata secum saxa in domum illidens, eamdem oppressit, totamque civitatem momento evertit. AP. MANSI, disc. V, n. 8.

Narrat Drexelius quod Batavi, postquam sacellum Beatæ Virginis Sichemiensis deprædati fuerunt, duas deinceps valde præcipuas amiserint civitates, Ostendam nimirum, et Bredam; multaque alia infausta et funesta illis acciderint. Et quidem hoc loco sileri non debet, quod ex prædonum illorum numero unus fuerit, qui equo cæco insidens per ludibrium dicit: Eia Maria, nunc miracula faciendi tempus adest, si potest, huic equo meo visum restituas. Quibus verbis dictis, equo quidem oculorum lumen restitutum fuit, ipse autem blasphemus prædo penitus excæcatus remansit, in mulctam criminis, quo Deiparam Virginem ipse deriserat. DREXEL. l. c. VI §. 5.

Eusebius, in Historia Ecclesiastica, Maximiani Imperatoris odium, quo Christianos prosequebatur, tantum fuisse refert, ut multas adversus Christum componi fecerit blasphemias, easdemque scholarum didascalis seu ludimagistris dari et distribui præceperit, ut scholares easdem edocti, ad majus fidei nostræ ludibrium per vicos et plateas publicas decantarent, ut tanto firmius teneræ illius ætatis menti et memoriæ imprimerentur. At vero per sævam adeo pestilentiam punitus fuit, ut mortuorum cadavera ob nimiam illorum multitudinem insepulta remanserint; ita tamen, quod nullus Christianorum eadem infectus fuerit. Ipse quoque Imperator oculorum lumine orbatus, et rabie plenus, caput suum columnæ sæpius valideque allidens, totus desperatus necem sibimetipsi intulit. EUSEBIUS ap. MANSI, disc. X. n. 15.

Ludovicus, Episcopus Tudensis, refert, Eliam, qui S. Francisco in Generalatu Ordinis Minorum successit, sequentem casum retulisse, qui Laudæ revera accidit. Ibi namque in hospitali quodam hæreticus quidam, licet ignotus, ad mortem usque infirmabatur, quem proinde Sacerdos, ut sacro se viatico armaret, hortatus fuit; cui hæreticus cum suspiriis respondit: Ecquis dabit mihi corpus Christi, ut accipiam, et adorem? Cui Sacerdos, Sacellanum illud confestim

allaturum esse, respondit: cui infirmus replicavit: Apage sis, Presbyter non deferet Corpus Dominicum, sed panem nostrum. Et ecce eodem, quo hæc dicebat, momento, cattus quidam, qui alias cicur et domesticus fuerat, in gulam temerarii illius insilivit, dentibusque et unguibus illum misere discerpere cœpit, adeo ut summa cum difficultate cattum istum ab illo avellere possent. Quo miraculo circumstantes animati, infirmo enixe conati sunt persuadere, ut Christi in hoc Sacramento præsentiam crederet, suamque hæresim detestans abjuraret, eo vel maxime, quod jam oculis conspexisset, qualiter se bestiola ista ad insultum, in communem sui et ipsius Creatorem ab ipso temere dictum vindicandum, armasset. Quibus ille, cattum illum utique antea ferocem et rabidum fuisse, respondit. Ubi vero ab illis rei veritatem percepisset, quod scilicet numquam ferociisset, quin potius hactenus semper unicuique familiaris et blandus existens, hanc suam ferociam et rabiem, tamquam instrumentum ab ultrice divina justitia assumptum exercuit, infirmus etiamnum licet, in sua contumacia perseverans, subticuit. Cum vero Sacerdos paulo post ad eum accedens, hortaretur eum, ut se ad saniorem fidem converteret, ille vero de novo blasphemaret, et in Sacerdotis faciem conspueret, cattus ille protinus reversus, eum, ut antea, crudeliter invasit, unguibusque atrociter in collo et facie discerpsit, eumque quasi ad mortis angustias reduxit; qui tamen a circumstantibus coercitus, et ne deinceps ipsum lædere posset, videreturque, num infirmus ad saniorem rediturus esset mentem, caveæ inclusus fuit. Intererea blasphemus ille desperatus et obstinatus mortuus est. Cumque sua catto restitueretur libertas, ex hospitali ad agrum properavit, in quem cadaver impii illius projectum fuerat, ibique clamoribus et ejulatibus aera replens, tandem et ipse mortuus est. MANSI, disc. XI, n. 2.

In partibus Vasconiæ, duo laniones in blasphemiis quotidianis habituati, corpus Christi frequenter per diem ex contemptu nominare consueverunt; cumque ambo die quadam a suis inimicis ad mortem usque sauciati essent, omnes regionis illius canes certatim a eos accurrentes, utrumque aggressi, corpora illorum dilaniarunt, et in minutas partes discerpserunt. *Pratum Florum.* D. I, l, l, c. VI.

In alio quodam scriptore legimus, quod, cum ex duobus lusoribus unus, qui sua ludendo perdiderat, varias contra Deum blasphemias effudisset, collusor id ipsum audiens ei dixerit, quod modum efficaciter blasphemandi ignoraret; ac proinde ipsum docere volens, horrendas contra Deum et sanctissimam ejus Matrem evomuerit blasphemias. Et ecce subito vox quædam audita fuit, hæc verba articulate pronuntians: Hactenus illatam mihi injuriam dissimulavi; at vero nunc, quia de honore Matris meæ agitur, vindictam differre nequeo. Et confestim in eodem loco ab invisibili manu ferro transfossus animam exhalavit. CÆS. WITERB. l. VII, c. XLIV.

In eadem historia de nobili quodam legitur, quod, dum longo tempore aerem quotidie turbari, novamque imminere tempestatem vidisset, impatiens et furore plenus dixerit: Ecce de novo iste diabolus se prodere incipit. Qui vix blasphemum hoc verbum finierat, cum ecce filius ejus inter manus nutricis positus fulminis sagitta percussus interiit, nutrice prorsus illæsa permanente. Eodem fulmine quædam ejus ædificia conquassata corruerunt, omniaque ejus armenta, et ovium greges disparuerunt. Ibid. l. IV, c. II.

Non procul a celebri quadam Galliarum urbe degebat vir magnæ nobilitatis, sed sceleribus infamis; neque contentus pejerare, idem liberos docebat. Provocatus a viro nobili, cum alariter cum eo congrederetur, lethale vulnus accepit. Uxor ejus perquam pia mox virum religiosum acciri curat, qui mariti confessionem audita (fuit is ipse rei totius oculatus testis) sed is ab ægro aliud nihil audiit, nisi blasphemias, juramenta et execrationes. Cumque nihil efficere se videret, cum socio in proximum conclave secedit, et per horæ quadrantem pro misero illo Deum orat. Interea audit clamorem in cubiculo et inter vociferationes et ejulatus has voces interruptas. Pater, Pater, misericordia! Adest Pater, et videt hominem furiis et horrendis convulsionibus agitatum. Interrogatus, quid vellet, respondit verbis concisis: Video ante me scripturam. Pater legere scripturam jubet, quam semimortua et languente voce protulit; et erat: « Dum tempus habemus, operemur bonum. » Tum Pater sumpto crucifixo, lacrymis plenus in collum et postea pedes ægri ruit; eum amplexatur, orat, obtestatur, ut confiteri ve

lit, Dei in obstinatos justitiam, in pœnitentes misericordiam ob oculos ponit; præstare, sero tandem, quam nunquam resipiscere. Ubi Pater mite responsum accepit, spem salutis concepit, voluitque in eo actus contritionis elicere, multa in eam rem prolocutus. At ille: Pater, inquit voce concisa, et oculis dolore quocumque plenis; ah! Pater, quid cogitas de contritione? E centum millibus vix quatuor ad eam mortales pertingere possunt. Pater, cum ostenderet, facile id ope Dei fieri posse; cum neque blandis verbis, nec minis Dei judicis quidquam efficeret, iterum in proximum conclave se contulit, et coram B. Virginis imagine se prostravit, subinde æger in magnum deliquium incidit, ut coactus fuerit aliquid medicamenti sumere, quod vires restauraret. Interim æger ad mortem festinat, intus computrescit, vexatur insomnia, infestatur somniis et iterum auditur instar rabidi vociferari: Pater, mi Pater, misericordia! Redit Pater, et instar canis spumantem reperit, jam vultum hominis damnati præseferentem. Quem æger quidem inclamat, sed cum ejulatu, blasphemiis, et omnis impietatis phrasi. Pater illum animat, superesse adhuc locum pœnitentiæ et veniæ. Cui ille: Non hoc agitur! Velut furens loquitur: Iterum scripturam video. Cum tamen et Pater et conjux nil viderent. Tunc voce rauca legit: « Quæretis me, et non invenietis. » Hic Pater zelum suum et minas intendit, spem et lenitatem admiscens. At æger: Non moriar, clamat cum rabie et dentium stridore, vulnus non est mortale, injuriam facerem generosæ menti, et commilitones jure possent meam timiditatem criminari, ac dicere, me mortis metu confessum esse. Igitur Pater tertia jam vice secedit, plane consternatus, et mox iterum horrendos clamores execrandi hominis audit. Accurrit, hortatur ad confessionem. Cui æger: Non est jam tempus amplius; diabolus ingens volumen meorum scelerum mihi ostendit; jam sentio ejus sævitiem, et uncos, qui viscera mihi evellunt. Habuit tunc tantum adhuc virium, ut diceret, tertiam se scripturam videre (quam ipse vidit solus) legit igitur et hanc, sed horribili cum clamore: « In peccato vestro moriemini. » Eo momento, quo hæc edixit, supremum agonem adiit, fremuit, tremuit, et stridit dentibus, modo prorsus horrendo. Et inter inauditos terrores immane vociferatus, infelicem animam orco transmisit. Eodem tempore corpus apparuit tam terribile, ut vix alicujus hominis formam retineret. Vermes ex omni parte cadaveris scaturiebant, tanto cum fœtore, ut nemo eum posset perferre, præter duos agrestes, qui ad eum sepeliendum in cubiculo relinquebantur. Pater postquam consolatus est viduam, ut potuit, ex arce egreditur, mortuo similis. Cumque in via ea secum volvit, quæ gesta sunt, vocem audit se appellantem, videtque ex arce hominem formidine plenum ad se adventare, qui ait: Ah Pater, revertere quantocius, diaboli herum abstulerunt; duo molossi nigerrimi per caminum illapsi, corpus abripuerunt, et per caminum regressi corpus abstulerunt nulla re alia de hero relicta, quam linteamine, cui insutus erat. Pater prope examimatus est hoc nuntio, ac robur a Deo expostulavit; et reversus ad arcem, reperit omnia, uti in via audierat, et linteum super culcitram stramineam; dæmones in linteo foramen pugni magnitudine fecere, ut inde cadaver auferrent. Tamque tetrum fœtorem post se reliquere in cubili, ut ne fortissimis quidem tolerabilis esset, quin illico pedem referrent. Interea Pater viduam vidit ad crucifixi pedes prostratam, oculis in cœlum levatis, adeo desolatam, ut vocem ab ea elicere non posset; et pro illa Christum inibi e cruce pendentem precatus, eidem valedixit, et ipse mœrore plenus, itaque fractus, ut quindecim dies præ languore ægresceret. Uxor autem proba cœpit mature penitusque res mundi abjicere; negotiisque compositis, ac liberis duobus adhuc admodum teneris (qui intra paucos menses mortui sunt) in tutorum manus traditis, eodem adhuc anno religiosis Visitatæ B. Virginis se adjunxit. Ad anni finem feralis fuit dies mortui anniversarius; nam eodem die, qui est a morte annuus, cadem hora et momento, quo anno priore impiam animam efflavit, tam horribili fragore fulmen in ejus cubile irruit, ut turres corruerent, et muri minutim confracti per aera volarent, tota denique arx ita in voraginem subsedit, ut ne vestigium quidem ejus supersit, et nunc locus sit curribus passim pervius, neque de execrabili homine aliud monumentum restat, quam ejus apud inferos corpus et anima. Contigit hæc tragœdia 15 Octob. 1653, quam vidit, et sua manu consignavit vir ille Religiosus, qui ad eum evocatus erat. TH. BLANCUS in *Milite generoso*, l. II. c. III.

P. Hieremias Drexelius refert, quod, anno 1583, Novesii in Diœcesi Coloniensi, mulier quædam hæretica, sed occulta, interrogata, cur cum aliis non frequentaret Ecclesiam et officia divina, per lubidrium responderit: Adeo alta et sublimis est illius fabrica, ut de illius ruina vix in ea securi esse possimus. Accidit autem eodem tempore, ut ibidem Monasterium quoddam religiosorum extra urbis mœnia situm dirueretur; alibi in urbe situ quodam commodiori et securiori reædificandum, quod prædicta videns mulier, ex petulantia quadam hæretica, se gaudere, dixit, quod ad illud usque tempus vitam suam produxisset, quo Papistarum Ecclesias devastari, et solo tenus everti videri licet; et ecce, dum prædictam Monasterii demolitionem jucundo vultu spectat, columna quædam in ipsam collapsa eamdem oppressit, et totaliter contrivit, aliis astantibus nec quidquam læsis. DREXEL *Phaet.* c. XIV, §. 2.

In Annalibus Ecclesiasticis, ex Thoma Waldensi Carmelitano, oculato teste, refertur, quod jam memoratus præclarus Ecclesiæ et fidei pugil propriis oculis quemdam viderit hæreticum, qui, cum veram et realem Christi in sanctissimo altaris Sacramento præsentiam credere nollet, ab Episcopo illum reverenter adorare jussus, dixerit: Vere dignior est aranea revereri. Dicitque præfatus Waldensis, qui id ipsum Londini in Ecclesia Cathedrali S. Pauli vidit, quod, dum Archiepiscopus Cantuariensis ipsum ad saniorem fidem apprehendendam frustra et incassum hortaretur, divina justitia vindex, debitum huic temerario homini immiserit supplicium. Nam statim de alto culmine tecti descendens ingens et horrenda visu aranea ad os blasphemi pervenit, et dum loqueretur, ut intraret per polluta labia sollicite procuravit, et multorum manibus vix potuit prohiberi. Unde Episcopus occasione hac usus, hanc divinæ justitiæ demonstrationem populo manifestavit. Nec mora, qui pretiosissimæ carni Agni præelegit araneam, peccatricem carnem suam flammis devorandam amisit. *Annal. Eccles.* Anno 1396, n. 17.

Refert Baronius de Libanio sophista, qui S. Gregorii Nazianzeni magister fuit, de quo etiam Theodoretus, lib. III, c. XVIII, scribit, quod Juliani Apostatæ amicus et sectator existens, Christianorum quemdam sibi familiariter notum per ludibrium, quid filius fabri, id est Christus, faceret, interrogarit; cui ille id, quod postea revera accidit, protinus respondit, videlicet: Deus hujus universi Creator, quem tu per ludibrium fabri filium appellas, Juliano feretrum, in quo mox moriturus collocabitur, fabricat. Factumque est, ut paulo post Julianum pessima morte defunctum fuisse nuntiaretur; nam ex vulnere lethifero, quo ab invisibili manu sauciatus fuerat, effluentem sanguinem vola manus excipiens, cœlum versus projecit, ad ultimum usque spiritum blasphema voce dicendo: Vicisti, Galilæe! BARON. ann. 363, n. 32.

Thomas Cantipratensis refert, quod, dum Lovanii in Brabantia civis quidam timoratæ conscientiæ mane, feria sexta in Parasceve, ad templum properans, ante tabernam quamdam transeundo, dissolutos juvenes quosdam audiret ludentes, Deumque enormiter blasphemantes, viderit pariter in platea, quam pertransibat, multos homines, ex compassione miserabilis cujusdam hominis graviter sauciati, ignoti tamen, amare plorantes. Cumque circumstantes, quisnam crimen illud commisisset, sciscitaretur, responderunt, id a juvenibus illis petulantibus, Deumque in taberna sine intermissione blasphemantibus fuisse patratum, ad quos proinde ingressus, execrabile hoc facinus acerrime illis improperavit, qui tamen id ab se minime factum esse, constanter asseverarunt, falsamque hanc de illis conceptam opinionem efficacibus rationibus a se nisi sunt propulsare, utpote qui nec verbis, nec factis illi homini saucio molestiam ullam intulissent; quia vero egressi, ut vulneratum hunc hominem viderent, et criminis auctorem ab eo explorarent, ipsum disparuisse invenerunt. Conversi singuli ad se ipsos, animadverterunt blasphemis suis rursus Christum Dominum contumeliis affectum, rursus improperiis cruciatum. THOM. CANTIPRAT. l. II *Apum* v. c. XXIX, § 9, 10.

Blasphemia castigata.

In Hispania quidam, quod taxillis infeliciter luderet, et post opem etiam Dei invocatam nihil proficeret, tandem furens, domi galeam, loricam et arma sumit, et conscenso equo, in forum provolans, omnes et singulos illic provocat, ut si quem Deum esse crederent, ejus causam armis tuerentur; se vero cæsis omnibus demonstratum, nullum Deum

esse. Tum Deus unam in illum vespam misit, quæ per galeam illapsa ejus vultum, aculeo passim confixit. Donec tandem gemebundus fateretur, Deum esse, justum commissi sceleris ultorem. PAUL. ZEBENTUER in *Verm. conscient.* l. III, c. I, §. 1.

Filius cujusdam mulieris Israeliticæ præcepto Domini lapidatus est, quod nomen ejus blasphemaverit.

Holophernes indignatus, quod Achion potentiam Dei cœli commendasset, dixit : Quia prophetasti quod gens Israel defendatur a Deo suo, ostendam tibi, quod non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus omnes quasi hominem unum; JUDITH. c. VI, verum postea per unius feminæ manum caput ejus amputatur.

Propter blasphemiam D. Paulus Alexandrum et Hymenæum dæmoni torquendos permisit.

Blasphemus Antiochus insanabili plaga percussus est. II. MACH. c. IX.

Cum Anthemius quidam, qui non parvi quidem nominis fuit propter studium eloquentiæ, gentilis autem religione, alioquin linguæ nimis et sibi indulgens, Beato Joan. Chrysostomo, Archiepiscopo Constantinopolitano, religionis diversitatem obtruderet, ipsi sic respondit Sanctus vir : Quod dicis me esse dissimilem vobis religione, erubescerem, si viderer tacere, ducens hoc esse pudendum; ego enim Deos neque novi, nec me eos unquam esse adoraturum profiteor. Absit ut adeo desipiam et sit mihi lingua tam temeraria, sed unus mihi Deus est Christus, qui cognoscitur in Patre et Spiritu, qui, et omnia ab initio produxit ex nihilo, et nunc ineffabili virtute continet et annuos nobis fructus suppeditat, et manum aperiens omne animal implet benedictione. Sed non Christus, dixit interpellans Anthemius, producit hos fructus annuos, sed elementa mundi suis temporibus producunt, Deorum providentia. Nondum finem acceperat ejus sermo, cum a maligno spiritu possessus et terræ allisus, misere jacebat rugiens, lacrymarum et timoris simul causa iis qui aderant, pervertens quidem oculos, stridens autem dentibus, spumam vero ex ore turpissime expuens. *In vita S. Chrysost.* apud SUR. 17. *Jan.*

EXEMPLA DOMESTICA.

FUGA BLASPHEMIÆ. — S. Ignatius dicere solebat, si Deus ipsum in inferno collocaret, nihil sibi acerbius fore, quam audire blasphemias in Deum. *Hist. Soc.* p. I, l. X, n. 62.

S. Franciscus Xaverius scripsit in quadam epistola : Tædet me interdum vivere, ac satius esse arbitrior pro religione mortem oppetere, quam in tot tantisque divini Numinis contumeliis vivere. L. I. ap. VII.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut filius, qui a patris præceptis deviat, minus peccat, quam qui in faciem ei proterve repugnat; ita contra Deum gravius peccat, qui blasphemiam vel sacrilegium committit, quam qui humanitus delinquit. LANGIUS, in *Polyanth.* f. 160.

Sicut olla quæ cum magno impetu et ardore sursum aquas projicit, vehementer se succensam esse ostendit; ita grandis in Deum odii signum est, blasphemiam in ipsum sursum projicere. FAB. conc. III *in Dom. post Pent.* n. 3.

DAMNUM. — Sicut jaculum, si in solidum aliquod ceciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur; ita convitium in fortem et constantem virum tortum, recidit in convitium facientem. PLUT. in *Moral.*

Et quidem si id ipsum in hominibus virtuosis locum habet, quanto magis in Deo; ac proinde David cum dixisset : « Posuerunt in cœlum os suum, » et immediate subdit : « Et lingua eorum transivit in terra. » Ps. LXXII, 9.

Sicut qui lapidem sursum jaculatur, corpus cœleste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cum lapis eodem, unde jaculatus est, redeat; ita qui Beatam illam blasphemat Substantiam, ut nunquam offendere eam potest, cum longe potior atque excelsior sit, quam ut affici aliquo possit detrimento; sic ferrum adversus animam suam acuit et parat, cum se ingratum Domino bene merenti exhibet. S. CHRYS. hom. III, *de Natura Dei.*

MOTIVA.

AD FUGIENDAM BLASPHEMIAM. — *Quia per hoc vitium non creata aliqua res,* uti fit in

furto, homicidio, adulterio, *sed ipsa Dei majestas in seipsa læditur.* Unde S. Ephrem : Desine, inquit, o homo, blasphemare, ne forte idem sermo, quem contemnis, fiat flamma in ore tuo, et tuam linguam comburat. Nam si homo homini pugnam suscitans, etiam pace jam facta in conspectum ejus prodire erubescit, quomodo tu hodie in mundo constitutus, si cras tribunali ipsius præsentandus, audes talia eloqui et non metuis, ne forte ignis descendat de cœlo, et devoret te? S. Ephr. *Perœn.* xliii.

Certe S. Hieronymus dicere ausus est, nihil horribilius esse blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum. Omne quippe peccatum blasphemia levius est. S. Hier. *in Ap.* l. XVIII, c. xviii.

Quia Christum ipsum flagellat iterum, ac crucifigit; sic enim S. Augustinus aperte testatus est dicens : Flagellatus est Christus flagellis Judæorum, sed non minus flagellatur flagellis falsorum Christianorum. S. Augus. *super* Joan.

Unde graviter aliquando vulneratus ante hospitium jacere a viro quopiam sancto deprehensus est, quæsitusque, quis tam graviter eum vulnerasset; se ab adolescentibus in hospitio blasphemantibus sic tractatum fuisse respondit. Herold *in Promptuar. de blasph.*

Quia diabolo et damnatis hoc vitium proprium est juxta illud Apocalypsis : Æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei. Apoc. xvi, 9.

Et de diabolo : Aperuit os suum (Draco infernalis) in blasphemias ad Deum, blasphemare faciens nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos, qui in cœlis habitant. Ibid. xiii, 6.

Hinc S. Chrysost. linguam vehiculum diaboli appellat, quo blasphemiis onerato contra Deum invehitur.

Quia nihil magis dedecet Christianos, quam blasphemia. Quemadmodum enim, inquit recte Guillelmus Peraldus, blasphemi, filii diaboli ea cantica discunt in mundo, quæ canant in inferno; ita filii Dei divinis laudibus assueti eos psalmos addiscunt in terris, quos cantabunt in cœlis. Perald. in *summ. virt.* tr. IX, c, i.

Quia Deus genitor noster est; quod si enim honor et reverentia erga proprios genitores, adeo unicuique homini ab omni lege, naturali, positiva, humana et divina, sub gravissimis pœnis præcipitur, quanto magis unumquemque urgere debet reverentia erga illum Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur? Hoc scelus est in cælestem Patrem, et ideo dignum æterna morte. *Qui maledixerit patri aut matri, morte morietur.* S. Bern. t. I, s. xli, a. 3, c. i.

Quia Deus præcepit, ut inimicos tuos diligas; tu vero Deum te amantem aversaris? Deus jussit, ut convitiis insectantibus benigne loquaris, maledicentibus benedicas? Tu vero illi benefacienti, et tui curam agenti maledicis, cum nulla in re læsus sis! S. Chrys. hom. iii *de Lazaro.*

Quia idem Deus tot nobis beneficia contulit. Unde S. Ephrem sic loquitur : Quousque tandem exacerbamus eum, qui tanta nobis bona donavit; qui pulverem e terra capiens formavit hominem, et spiravit in eum spiritum vitæ; qui cuncta subjecit sub pedibus suis, et nos dormientes custodit, et excitatos protegit, et esurientes nutrit, et nudos vestit, pusillanimes consolatur, corripit et miseretur, qui etiam filium suum unigenitum pro omnium vita tradidit? S. Ephr. *Perœn.* xlii.

MEDIA.

Metus pœnæ æternæ, de qua locutus est S. Augustinus, dum dixit : Cum probrum jacitur in Principem patriæ bonum ac utilem, nonne tanto est indignius, quanto a veritate remotius, et a vita illius alienius; quæ igitur supplicia sufficiunt, cum Deo fit ista tam nefaria, tam insignis injuria? *De Civit. Dei*, c. ix.

Metus pœnæ temporalis a seipso infligendæ. Sic militi cuipiam suasit quidam Pater societatis Jesu ut toties terram oscularetur, quoties in blasphemiam prorupisset; quod cum facit miles, globus plumbeus, qui sine dubio ipsum stantem occidisset, prætervolavit, nec damnum aliud, quam levem thoracis adustionem intulit. *Annuæ* f. 1592.

Beneficiorum a Deo acceptorum ponderatio; nemo siquidem est tam impius, qui amico suo et benefactori maledicat, cum bestiæ ferocissimæ minimo beneficio mansuefiant. Busæus *in Panar V. blasph.*

Cito resistere tentationi blasphemiæ. Ita B. Joan. Climacus suasit dicens : Qui blasphemiæ spiritu se perturbari sentit, atque ab eo liberari cupit, pro certo habeat, non suam animam hujusmodi tentationum esse causam, sed impurum illum spiritum, qui aliquando Domino dixit : Hæc omnia tibi dabo,

si procidens adoraveris me. Idcirco nos quoque contemnentes ipsum et quæ ab illo dicuntur nihil æstimantes, securi et intrepidi dicamus : Vade post me, Satana. Sermo autem dolusque tuus in caput tuum convertetur, et in verticem tuum blasphemia tua descendet in præsenti, et in futuro sæculo. Qui præter hunc modum adversus blasphemiæ spiritum pugnare vult, is ei similis est, qui manibus suis coruscationem continere nititur. S. CLIMAC. *grad.* XXXIII.

Patri suo spirituali aperire tentationem. Sic Monachus ille apud S. Climacum exemplo suo docuit, qui cum viginti annis frustra jejuniis, et vigiliis spiritum blasphemiæ fugare studuisset, tandem scriptam in charta tentationem sancto cuidam seni in faciem prostratus, nec illum intueri valens obtulit, quam ut legit senior, subridens, fratremque erigens dixit : Pone, fili, manum tuam super oculum meum. Quod cum fecisset, ait illi senior : Super collum meum, o frater, sit hoc peccatum. Tu autem id observa, ut floccipendas illud et nihil æstimes. Quibus verbis ita roboratus est frater, ut non ante senis cella excederet quam hujusmodi morbus evanesceret. S. CLIM. Ib.

Spes præmii propter fugam blasphemiæ conferendi; ita correctus est miles ad urbem Ostendam, qui adeo blasphemiis assuetus erat, ut ad singula verba iteraret; monitus sæpe dicebat, usu ita roboratam eam consuetudinem, ut dediscere nequiret. Tandem inopia pressus stipem petiit ab uno e Patribus nostris castrensibus, qui solitus erat eam egenis militibus præbere. Aureum illi nummum Pater promittit, si per horam se sequatur, castra et stationes militum lustrando, citra juramentum ; acceptat conditionem. Dum per transennam a sociis varie lacessitur, irritatur. Sacerdos præit, aureum illi ad hos insultus ostendens. Res mira ! solus conspectus et spes aurei ita hominem cepit, ut consuetudinem omnino superarit. ENGEL. in t. II *Panth. de Assumpt. B. V.* § 4.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, *quomodo blasphemia per sanctos aut alias creaturas committatur*, id quod S. Th. sequentibus verbis ostendit : Sancti ex vi sui status habent quasi intrinsecam habitudinem ad Deum, et ideo si contumelia afficiantur, injuria transit in Deum ipsum, etiamsi hoc formaliter non intendatur, vel illa habitudo expresse non consideretur, sicut considerari posset et deberet. Unde S. Thom. ait : Sicut Deus in Sanctis suis laudatur in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit ; ita et blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat. Quia vero objicere quis posset, pari ratione futuram esse blasphemiam, si quis contumeliam aliquam proferat contra quamvis aliam creaturam, ideo cum eodem S. Th. respondetur : Maledicere rebus irrationalibus, in quantum sunt creaturæ, esse peccatum blasphemiæ. S. TH. II, II, q. XXVI, a. 2.

Nosse debet, *unde oriatur gravitas blasphemiæ*, quod S. Bernardinus sic ostendit : In omnibus aliis peccatis, quæ fiunt maxime contra proximum, nullus intendit divinam offensam, neque intendit se vindicare de Deo ; sive committat homicidium, sive furtum, sive adulterium, sive quod simile crimen, imo potius cuperet homo hujusmodi operari, ita quod non offenderet Deum. In blasphemia autem intendit homo directe offensam Dei, et de ipso se vindicare, qui nullam commisit, neque committere potest culpam. S. BER. t. II, s. XLI, a. 2, c. 1.

Eamdem optime declaravit Origenes, dum dixit : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Quis porro magis pater, quam Deus? Nonne, inquit, ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit te, et salvavit te? Quanto ergo magis digni erunt, qui huic Patri spirituum maledicunt? Hinc etiam in Levitico præcepit Deus, ut blasphemus extra castra educeretur, et non tantum carnifex, sed omnis populus eum lapidaret, ut omnes communis parentis Dei injuriam zelo gloriæ ejus incensi vindicarent, et ut admonerentur hoc exemplo, ne id committerent, quod tam horrendo ac ignominioso supplicii genere plectendum esset.

Nosse debet, *cur blasphemantes Judæis deteriores a SS. Patribus dicantur* ; nimirum ob sequentes causas. Prima, quia Judæi Christum in crucem egerunt, dire tractarunt, dum mortalis etiamnum esset, et in statu abjecto, paupere et vili nobiscum viveret ; at vero blasphemans illum, in cœlis gloriose regnantem injuria afficit. Adducitque quamdam ex Alexandro de Ales petitam rationem, qui ait : Fit major injuria ratione majoris status ; status autem regnantis in cœlis est major ipsius regnantis in terris. Secunda ratio illius est : Judæi hoc fecerunt ex igno-

rantia ; « si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.» I Cor. II, blasphemus autem hoc perpetrat ex malitia. Tertia, eaque præcedentibus non minus efficax, est: Judæi non promiserunt ei fidem, blasphemi autem in baptismate promiserunt, et in Chrismate confirmaverunt; ac proinde Deum illis apud Isaiam improperare dicit : « Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Deum, blasphemaverunt sanctum Israël. S. BER. tom. I, ser. XLI, a. 2, c. I.

Nosse debet, *cur blasphemia neque in hoc sæculo remitti dicatur, neque in futuro ;* nimirum quia, ut Hugo Victorinus ait : Hoc malum nihil in se habet excusationis, non meretur habere executionem remissionis. Ubi notanda est dictio illa, executionem remissionis : quia tametsi Deus nonnunquam ad placandum, concedendamque ei commissarum in se culparum remissionem promptus esset, justo tamen judicio suo permittit, ne blasphemus prompta hac ejus voluntate utatur, quin potius ad recidivam subito redeat. HUGO VICTOR. a S. Ber. l. c. citatus.

S. Bernardinus quemdam textum S. Joannis adducit, dicens : Spiritus blasphemiæ non remittitur, ideo vocatur peccatum ad mortem. Unde I Joan. v, 16, dicitur : « Est peccatum ad mortem, non dico, ut pro eo roget quis, » id est, quilibet, quia necesse est, ut magni meriti sit, qui hujus sceleris remissionem impetrare valet; cujus ratio est, quia tanta cæcitate obtenebratur mens talis, maxime judicio Dei, in puncto mortis, quod peccatum suum nullo modo cognoscere potest, unde pervenire ad veram pœnitentiam possit, juxta illud Levitici, c. XX. « *Qui maledixerit patri*, id est Christo, et Deo, *vel matri*, id est, Virgini, vel Ecclesiæ triumphanti, *extinguetur lumen ejus in mediis tenebris* ! » id est, in puncto mortis. In alio quoque sermone, qui est in tom. IV, serm. XXXIII, idem Sanctus textum illum S. Matth. « Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro, » ponderans ait : Quia propter ejus ingratitudinem in puncto mortis non recordatur pœnitendi se, et in isto modo remanet damnatus, quia est extra gratiam Dei, et est peccatum in Spiritum Sanctum.

Nosse debet *solidum modum curandi hoc vitium*, qui in eo fere consistit, ut ex parte gravitas illius clare demonstretur; ex altera vero parte etiam ostendatur, quod hoc vitium nihil commodi afferat homini, sicut alia vitia, ad quæ plerumque voluptatis aut honoris cupiditate trahimur ; blasphemus autem sola sua malitia et odio impellitur ad blasphemandum Deum, unde merito diabolicum vocatur vitium, ut supra vidimus. ORIG. in c. XXVI *Levit.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: *Lapidet eum populus universus.* LEVIT XXIV, 14.

Ostendatur, quam merito hæc pœna, et longe gravior in altera vita infligatur blasphemo. 1. Quia condemnatur a Deo. Qui iterato repetit in Scriptura : Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Ibid. XVII, 16. Idque actu in tot blasphemis terribili, et repentina morte castigatis ostendit. 2. A SS. *Angelis*, aliisque *cælitibus*, quorum unus centum octoginta quinque millia Assyriorum ob blasphemiam Sennacherib, alii Sancti alios blasphemos graviter castigarunt. 3. Ab *hominibus*, præcipue magistratus dignitate et potestate præditis, qui tam per leges canonicas, quam civiles huic sceleri gravissimas pœnas decreverunt. 4. A *Creaturis irrationabilibus*, quæ sæpe ad Dei imperium vel absorpserunt blasphemos, vel consumpserunt alio mortis genere, uti supra variis exemplis ostensum est. 5. A *Dæmonibus*, qui non semel blasphemos ex Dei permissione ad tartara corpore et animo rapuerunt. 6. A *Seipsis* qui, uti S. Joannes testatur, commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Vide fusius hæc deducta apud Fabrum, conc. VIII in Dom. Pass.

Ex occasione thematis : « Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionnem peccatorum. » MARC. III, 29.

Explicari possunt causæ, cur hoc peccatum tam grave censeatur. 1. Quia gravissimum est ratione *Offensi*; quia directe committitur in Deum, hinc Judæi audita blasphemia vestes lacerabant. 2. Ratione *Offensæ*; quia maximam Deo infert injuriam auferendo ipsi honorem, quem præ omnibus æstimat ac defendit. 3. Ratione *Offendentis*; quia ex sola malitia, et grandi furia et odio in Deum committitur. 4. Ratione

Effectus annexi, scilicet pertinaciæ, quæ in hoc peccato plerumque reperitur. Vide hæc fusius apud Fabrum, conc. III. in Dom. 18 post Pentec.

Ex occasione ejusdem thematis declarari possunt rationes, cur tam difficulter hoc peccatum remittatur, nimirum 1. Quia ipsum Auctorem gratiæ, et veniæ largitorem oppugnat. 2. Quia blasphemat, et vituperat ea, per quæ sanari debebat, nempe passionem, Sanguinem, et vulnera Christi ac Sacramenta, item bonitatem ac misericordiam Dei. 3. Quia nihil ignorantiæ aut infirmitatis in eo miscetur, sed ex pura malitia committitur. 4. Quia duritiam cordis plerumque annexam habet; unde respuit omnem medelam. Vide fusius hæc apud Fabrum loco citato.

Ex occasione thematis : « Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam. » COLOSS. II, 3.

Narrari potest factum medici cujusdam, qui mulieri querenti, quod assiduo verberetur a marito, et remedium evadendi hoc malum postulanti, vasculum aqua communi plenum dedit, jussitque, quoties maritus iratus fuerit, eadem os implere, et retinere illam in ore, donec mariti ira deferbuerit; hoc, inquam, factum narrari potest, dicique, simile medium blasphemo suaderi, scilicet, ut quoties se iratum, et ad blasphemiam concitatum adverti, os et mentem suam una ex sequentibus quinque aquis repleat. 1. Aqua ex latere Chriti fluente, cogitando, quod ipse blasphemiis suis latus Christi aperuerit, et aquam ac Sanguinem effluere fecerit. 1. Aqua baptismali, perpendendo, quantum beneficium per baptismum acceperit, et quid ibi per patrinum promiserit. 3. Aqua supernaturali gratiæ Divinæ, de qua Christus, Joannis IV, locutus est quod adeo efficax sit, ut, qui eam bibiturus sit, non habiturus sit sitim in æternum. 4. Aqua lacrymarum; qui enim vere agnoscit gravitatem blasphemiæ, eamque detestatur, non facile eamdem denuo committet. 5. Aqua naturali, accipiendo eam in os, ut silere cogatur; ita enim S. Catharinæ Senensi suasit ipse Christus, ut scilicet tempore contradictionis et concitationis ad iram silentio se defendat, et soletur.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Mahometus infidelissimus canis in Alcorano suo præcepit, quod quicumque Deum et Christum, et etiam B. V. blasphemaret, medius divideretur. Retulit mihi quidam Frater de ordine socius noster, unum Saracenum in Terra Sancta graviter fuisse punitum ab officiali pagano, eo quod verbum inhonestum contra Virginem protulisset. Quanta igitur Christianismi indignitas erit, quod minorem reverentiam et respectum Deo, et beatissimæ Virgini deferat? S. BERN. t. I, s. XLI, a. 3, c. III.

Si quis lupum cooperiat pelle ovina, quomodo cognoscas illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ovis inclinata deorsum balat, lupus in aera convertit caput suum contra cœlum, et sic ululat. Qui ergo secundum Deum vocem humilitatis et confessionis emittit, ovis est; qui vero adversus veritatem turpiter blasphemiis ululat contra Deum, lupus est, sicut dicit Propheta de illis : « Iniquitatem in excelso locuti sunt, posuerunt in cœlum os suum. »

Ex duobus illis famosis latronibus, qui eorumdem erant criminum rei, (*in eadem damnatione es*), quique Christo crucifixo æque vicini in crucibus suis hærebant, illique sanguini, qui in salutem et redemptionem peccatorum etiam obstinatissimorum tanta cum aviditate bulliebat, æque proximi erant, unus ex sanguine illo vitam consecutus est æternam, alter vero nullum illius in se effectum sensit. Sed quænam fuit hujus in duobus hisce latronibus diversitatis ratio? Scio equidem multorum opinionem esse, quod, quia bonus latro ex illa crucis Christi parte crucifixus pendebat, in qua B. V. quæ refugium est peccatorum, subsistebat, ideo ipsa pro ejus conversione apud Filium suum intercesserit. At vero cur eadem Sanctissima Virgo cujus intercessio adeo est liberalis et efficax, ut etiam alteri latroni reprobo pœnitentiæ donum facili negotio impetrare potuisset, non pariter illi latroni patrocinata fuit? Ideo id facere omisit, quia is non merebatur ut patrocinio ejus frueretur, siquidem is una cum aliis Filium ejus pariter blasphemavit : « Unus autem ex his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. » Alter vero non item, quin potius : « Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es; nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit. » Atque ideo patrocinium Mariæ

jure promeruit, quia tametsi ipse quoque ante blasphemasset, hoc tamen eo tempore factum est, quo lumen et notitiam Dei non habebat; protinus vero ut eum cognovit, blasphemiam in eum emovere tantopere horruit, ut ad consodalem suum aspere reprehendendum zelo se ardentissimo obarmarit. MANSI, disc. v, n. 15.

Participes sunt Prælati et animarum Rectores (intellige tam quoad culpam, quam quoad pœnam) qui, si in correptione hujus sceleris sunt negligentes, Judæis sunt deteriores, qui audita blasphemia lapidabant blasphemantem; si hoc agere non poterant, aures obturabant, vestes scindebant. In hoc scelere participes sunt domini, et regimina civitatum habentes, de correctione hujus vitii non curantes. Quid enim, si in terra sua idololatriam sustinerent, nonne æstimaretur horrendum? Tamen blasphemia in hoc deterior est, quia idololatria honorem suum Deo aufert, sed ultra hoc blasphemia contumeliam eidem infert. S. BERNAR. t. I, s. XLI, a. c. IV.

MISCELLANEA.

Deus olim, apud Isaiam, questus est : Et jugiter tota die nomen meum blasphematur? Is. LII, 5.

Eamdem querelam nunc etiam repetere potest, quia licet raro inveniantur inter christianos, qui voce blasphement; multi tamen, qui vita, teste S. Augustino. Hinc S. Davidi quoque dictum : Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. II REG. XII, 14.

Antesignanum blasphemorum Cainum dicentem : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. GEN. IV, 13; sic castigavit suo dicto S. Bernardus : Mentiris, o Cain, major est enim Dei pietas, quam quævis iniquitas.

Theodoretus explicans præceptum Dei, quo jusserat blasphemum extra castra educi et lapidibus obrui, ait : Recte homicidii pœna et morte puniri vult Deus blasphemiam; blasphemus enim, cum Conditorem nequeat perimere ferro, lingua ferit. GRÆC. qq. III.

Olim consuetum blasphemorum præmium fuit, maledicam linguam asserculo clavis affigere, et simul reo cultrum dare in manus quo se liberaret, ut posset. Culter hic pœnitentiæ seriæ non immerito applicari potest, per hanc quippe liberari potest a pœna inferni sibi decreta blasphemus. DREXEL. *in Phaet.* c. VI, §. 4.

Cum Rupertus Cæsar, Rex Romanorum anno 1400 electus, Spiram venisset, et cum eo, ut tunc mos erat, proscriptorum non exiguus numerus, pro quibus rogabatur, ut reditum in urbem impetraret, auditis causis, propter quas proscripti essent, cum de cive quodam diceretur, eum proscriptum esse, quod ludo ncalescens aliquoties in Deum impias voces jecisset, dignum Cæsare responsum dedit : Pro omnibus rogaverim, ut recipiantur urbe, hoc solo in exilium remisso ; nam alii deliquerunt in homines potissimum, iste vero in Deum ; cæteris igitur, si placet, omnibus parcite; hic in locum, quo dignus est, exulatum habeat. Ib. *ex Joan. Nide.* l. IV, *Fam.* c. III.

Similis sententia in blasphemos a Deo fertur, quia de his quoque dictum est : Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. MARC. III, 63.

Lyrano teste, olim apud Judæos, si blasphemus ad mortem damnabatur, testes manus suas super caput ejus imponentes dicebant : Malitia tua adduxit te ad mortem, non nos. DREXEL. l. c. §. 2.

Sic olim in judicio dicet Deus illud Jobi : Condemnabit te os tuum, et non ego, et labia tua respondebunt tibi. JOB. XV, 6.

S. Paulus Titum instruens, inter alia dixit : Admone illos, neminem blasphemare. *Ad* TITUM III, v. 1.

Super quæ verba S. Hieronymus : Absolute neminem, inquit, non tantum non Deum, sed nec Angelum, nec hominem, nec ullam aliam creaturam ; omnia quippe, quæ a Deo facta sunt, valde bona sunt.

In Levitico dicitur : Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum ; LEV. XXIV, 1; quasi diceret Deus, hanc solam etiam pœnam sat gravem esse, portare in conscientia tam grande peccatum; sicut militibus interdum gravis pœna est, sua et aliorum arma humeris imposita circumferre.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius in *Phaetone* p. I, c. VI.

Joannes Busæus in *Panario*. V. eodem.

Philippus D'Outreman in *Pædagogo Christiano*, p. I, c. v, §. 2.

Jacobus Marchantius in *Horto Pastorum* tr. III, lect. II. Et in *Tuba Sacerdot.* tr. VI, lect. IV.

Josephus Langius in *Polyanthæa.* V. eodem.

Matthias Faber, conc. VIII. in Dom. Passionis, et conc. III. in Dom. 18. post Pent.

Ludov. Granat. in locis comm. f. 383.

Antonius Dauroltius in *Floribus Exemplorum* c. III, tit. 28.

Josephus Mansi in *Bibl. morali* tr. II.

CARITAS DEI.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus, qua Deus non ob timorem pœnæ, nec ob spem præmii, sed propter seipsum, et ob suam bonitatem, diligitur. S. Dionysius eam sic describit : Est virtus unionem (cum Deo scilicet) faciens. Quam descriptionem sic exponit : Amor facit unionem, vel effective, ut amor concupiscentiæ movens ad desiderandam et amandam præsentiam amati, quasi sibi convenientis, et ad se pertinentis; vel formaliter, ut amor amicitiæ, qui est talis unio vel nexus. S. Dion. de *divino cultu* c. v.

Unde S. Augustinus dicit, quod amor est quasi junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet et quod amatur. Quod enim dicit (copulans) refert ad unionem affectus, sine qua non est amor : quod vero dicit (copulare intendens) pertinet ad unionem realem. Utramque amoris rationem et vim exprimit David; priorem quidem illis verbis : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus : » posteriorem vero sequentibus : « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » Sic S. August. Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, et inebries illud, ut obliviscar mala mea et unum bonum amplectar te? Noli abscondere faciem tuam. Moriar, et eam videam!

Divisio. — Dividitur in *affectivam, et effectivam.* Illa est, quæ in solo affectu, et quidem inefficaci tantum, id est, non impellente efficaciter ad bonum amato procurandum consistit. Hæc in affectu efficaci, hoc est, semper, quantum est ex se, ad bonum amati promovendum incitante sita est. De utraque loquitur S. Joannes : Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suadebimus corda nostra. Joan. c. III, 18.

Actus, — Complacere sibi in summa bonitate Dei.

Velle Deo suum bonum intrinsecum, et gaudere, quod tam perfectus sit. Et ex his duobus actibus, complacentia scilicet et benevolentia, juxta D. Th. componitur dilectio, quæ est primarius Caritatis actus.

Desiderare Deo gloriam, bonumque externum, ut videlicet ejus nomen sanctificetur a nobis et aliis, et sic omnia fiant ad majorem Dei gloriam.

Dolere de impedimentis gloriæ divinæ, v. g. de peccatis nostris et alienis aliisque obstaculis, eaque efficaciter removere.

Velle frequenter conversari cum Deo, aut de Deo.

Desiderare magis Deo frui in hac vita, eique magis uniri per perfectionem, et consiliorum Evangelicorum adimpletionem.

Desiderare eodem magis et citius frui in Patria, adeoque, juxta exemplum, S. Pauli cupere dissolvi, et esse cum Deo.

Diligere omnia, quæ Dei sunt, præcipue tamen Proximum.

Omnia adversa, etiam ipsum martyrium, propter Deum cum gaudio sustinere.

P. Ludovicus de Ponte illius actus paulo fusius declarat, dum, ut Nicolaus Lancizius de eo refert, imaginabatur sibi amorem instar fluvii, qui in rivos dividitur et suo impetu vias sibi aperit, et obstacula perrumpit, et facit canales, per quos currant inclinationes amorosæ. Lanciz. Opusc. X, n. 210, f. 222.

Prima inclinatio amoris Dei est destruere majores Dei inimicos, quos habet, scilicet peccata, et satisfacere Deo pro illis, castigando suam voluntatem, sensus et carnem, tanquam auctores tanti mali dignissimos omni pœna, et fugere inposterum talia, et ad hoc utitur mortificatione.

Secunda inclinatio amoris est crescere infinite, desiderando magis ac magis cognoscere et amare suum Deum. Ideo rumpit obstacula, quæ habet ad crescendum, scili-

cet affectionnes terrenas, quia diminutio cupiditatis est augmentem caritatis, et hoc facit per mortificationem.

Tertia inclinatio amoris est, cum debita gratitudine recognoscere auctorem sui esse, qui Deus est, qui nos creavit, sustentat, auget, perficit infinitis beneficiis, ideoque desiderat illa facere obsequia usque ad sanguinis effusionem, quod facit abnegatione sui. « Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. »

Quarta inclinatio amoris est, assimilare se amato, quia ita magis amabitur, et quia similitudo est causa amoris; et quia vita Christi tota fuit mortificatio in paupertate, contemptu, dolore, labore, ideo mortificatio amat hæc.

Quinta inclinatio amoris est, benefacere amatis ab amato, qui sunt proximi, procurando lucrari eorum animas, ad augendum patrimonium amati, et serviendo illis corporaliter, quia in illis est suus dilectus; et hoc non potest præstare, quin perdat multa commoda sua, ideo amat mortificationem.

Sexta inclinatio amoris perfecti est, desiderare conspectum sui dilecti, et gaudere ejus præsentia, et præsumit duas res esse posse impedimento. Primo non complevisse numerum meritorum, quem Deus vult illum habere. Secundo post completa merita, non satisfecisse pro pœnis peccato debitis. Ideo ut acceleret primum, et auferat secundum, exercet se in abnegatione et mortificatione; quia scit eum, qui vivit et moritur in cruce, currere valde, et volare sine impedimento ad gloriam; siquidem et bonus latro audivit in cruce : « Hodie mecum eris in Paradiso. »

Septima inclinatio et super omnes est, implere voluntatem dilecti, anteponendo eam omnibus suis utilitatibus et commodis etiam visioni Dei. Ideo delectatur mortificatione propriæ voluntatis, et acceptat omnem abnegationem, quia ita vult ejus dilectus.

Denique, sicut homo satiatus cibis pretiosis fastidit alios; ita amor solo Deo contentus nihili facit omne creatum; et ita illi facilis est omnis mortificatio, in non videndo eo, nec gustando, nec possidendo. Multoties ad hoc propositum obtulit se mihi satietas, quam habuit Beatissima Virgo videndo suum Christum, quem possidendo non sentiebat paupertatem, contemptum et alia; sicut dicebat mater Tobiæ : Omnia in te uno habentes, in Deo solo habeo omnia.

EX S. SCRIPTURA.

Causæ motivæ ad diligendum Deum. — Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum, velut æs sonans. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes tranferam, caritatem autem non habuero, nihil sum; et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest, etc. I Cor. xiii, 1.

Super omnia autem caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. Coloss. iii, 14.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, et probatum, ut locuples fias. Apoc. iii, 18.

Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? Luc. xii, 49.

Introduxit me Rex in cellam vinariam et ordinavit in me caritatem. Cant. ii. Eccl. vii, 32

In omni virtute tua dilige illum, qui te fecit. Eph. v, 5.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione; sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam in odorem suavitatis. Eph. v, 1.

Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum. Josue xxiii, 11.

Præbe, fili mi, cor tuum mihi, et oculi tui vias meas custodiant. Prov. xxiii, 26.

Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, utque obedias voci illius, et illi adhæreas; ipse enim est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Deut. xxx, 19.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. I Joan. iv, 10.

Modus diligendi. — Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex tote corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Deut. vi, 5.

Et dilexerunt eum in ore suo; cor autem eorum non erat rectum cum eo. Ibidem

Filioli, non diligamus verbo aut lingua sed opere et veritate. In hoc cognoscimus. quoniam ex veritate sumus, et in conspectu

ejus suadebimus corda nostra, scilicet, ut cum ex toto corde diligamus. I JOAN. III, 18.

Pone me, ut signaculum super brachium tuum (id est, ut omnes cogitationes et opera dirigantur). CANT. VIII, 6.

Fortis est, ut mors, dilectio; dura sicut infernus æmulatio. Ibid.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Ibid.

Hæc est caritas Dei, ut mandata illius custodiamus. I JOAN. V, 3.

Omni vita tua dilige Deum. ECCL. XIII, 18.

Quis ergo nos separabit a caritate Dei? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. AD ROM. VIII, 25.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. JOAN. XIV, 23.

Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. JOAN. XIV, 21.

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. I COR. II, 9.

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur. ECCL. III, 4.

Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. ROM. VIII, 18.

Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. PHIL. III, 8.

Qui diligunt te, sicut sol in ortu splendet, ita rutilent. JUDIC. V, 31.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. LUC. VII, 47.

Custodit Dominus omnes diligentes se. PS. CXLIV, 20.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Rogo, ut amorem Christi ostendas sociabus tuis, non solum verbis, sed et operibus bonis. Tunc vere Deum diligis, si pro amore illius bona, quæ potes, operaris. Unaquæque anima sancta debet in se monstrare amorem Dei, et verbis sanctis, et actionibus. Unde in Canticis Canticorum Sponsus, scilicet Christus, Sponsam, id est, animam sanctam orat dicens : « Pone me ut signaculum super cor tuum et super brachium tuum. » In corde sunt cogitationes, in brachio operationes. Ergo super cor et super brachium sponsæ, dilectus in signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantum ab ea diligatur, et voluntate et actione designatur ; quia amor Dei nunquam est otiosus. Si vere est amor, magna operatur ; si vero non operatur, amor non est. Si vere Deum diligis, nulla hora otiosa eris. BERN. S. LI, *de Modo bene vivendi.*

Nescio, quo inexplicabili modo quisquis se ipsum, non Deum amat ; et quisquis Deum, non seipsum, amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se ; cum vero ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo, magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat, de quo vivat. S. AUG. tr. CXXIII, *in Joan.*

Amicitiæ amor debet esse gratuitus ; non enim propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet. Si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale ; non illum amas, sed illud, quod præstat ; amicus gratis amandus est propter se, non propter aliud, si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas ; quam gratis amandus est Deus, qui jubet, ut hominem diligas? Nihil delectabilius Deo. Nam in homine sunt, quæ offendant, per amicitiam, tamen cogis te, ut etiam illa, quæ offendunt in homine, toleres propter amicitiam. Si ergo non debes propter quædam toleranda dissolvere hominis amicitiam ; Dei amicitia, quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur a te? Id. hom. XXXVIII.

Sed dicturus es mihi : Non Deum video, quomodo sum amaturus, quem non video? Modo ostendo; ecce amas amicum gratis. Sed forte homo senex est amicus iste tuus. Quid amas in sene ; incurvum corpus, album capus, rugas in fronte, contractam maxillam? Corpus, quod vides, non amas, quia deforme est. Unde vides, quod amas? Responsurus es, te amare, quia homo est fidelis. Ergo fidem amas. Quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus. Ibidem.

Amat anima sponsum suum. Quid ab illo quærit? A sponso suo, quem diligit, forte divitias et aurum ejus amat etc. Absit. Ipsum solum amat, et gratis amat, quia in ipso habet omnia. Hinc ipse amantissimus, dulcissimus. Quoties talem salutas, etiam ad te conversio ejus. Id. *in Ps.* LXXII.

Habet omnis amor vim suam, nec potest

vacare amor in anima amantis; necesse est, ut ducat. Sed vis nosse, qualis amor sit? Vide, quo ducat. Non enim monemus, ut nil ametis; sed monemus, ne mundum ametis, ut eum, qui fecit mundum, libere ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata vero ab affectibus sordidissimis sæculi tanquam extensis pennis, et duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei et proximi volat. Quo, nisi ad Deum volando, quia ascendit amando. Id. *in Ps.* CXXI.

Quomodo diligis eum, cujus odisti præceptum? Quis est, qui dicat: Diligo Imperatorem, sed odi leges ejus? Id. tr. IV *in ep.* I *Joan.*

Probatio dilectionis exhibitio est operis; vere enim diligimus, si ad mandata ejus a nostris nos voluptatibus coarctamus. S. GREG. c. XXX.

Anima, quæ amat, operatur magna, et reputat parva; operatur multa, et reputat pauca; operatur diu, et reputat breve. S. TH.

Dilectio, quæ tendit in Deum, tendit in immensum, in infinitum (nam et infinitus Deus est, et immensus) quisnam, quæso, dabitur finis esse nostri, vel modus amoris? Quid? Quod amor ipse noster non jam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus, amat ergo immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ caritas, amat Deus, cujus magnitudinis non est finis, cujus sapientiæ non est numerus, cujus pax exsuperat omnem intellectum, et vicem rependimus cum mensura. Diligam te, Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, et modulo meo, minus quidem justo, sed plane non minus posse meo; qui etsi, quantum debeo, non possum, non possum tamen ultra, quam possum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis; numquam tamen, pro ut dignus haberis. S. BER. *de dil. Deo.*

Ponderibus suis aguntur omnia, et loca sua petunt. Pondus meum amor meus, illo feror, quocumque feror. S. AUG. l. XXIII *Conf.*

Minus, Domine, te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. S. AUG. in *Conf.* l. X, c. XX.

Magna res est amor, si ad suum recurrat principium, si suæ origini reddatur, si refusus suo fonti semper ex eo sumat, unde jugiter fluat. S. BERN. *sup. Can.* s. XX.

Pes tuus, amor tuus; habeto duos pedes, noli esse claudus. Duo pedes sunt duo amores, Dei et proximi. S. AUG. *Ps.* XXXIII.

Putate amorem hominis, quasi manum animæ; si quid tenet, tenere aliud non potest; ideo qui amat aliud, Deum amare non potest, occupatam habet animam. S. AUG.

O ignis, qui semper ardes, et nunquam extingueris. O amor, qui semper uris, et nunquam tepescis, accende me et accendar; accendar, inquam, ut totus te diligam solum. Minus enim amat te, qui tecum aliquid amat.

Vultis a me audire, quare et quomodo est diligendus Deus? et ego dico, quod causa diligendi Deum, Deus est. Modus diligendi sine modo, est diligere ob duplicem causam, dico, Deum propter se diligendum, vel quia nihil justius, vel quia nihil fructuosius diligi potest. S. BERN. in l. *de Amor. Dei.*

Cum dicit, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re frui velit, sed quidquid aliud diligendum occurrit, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. S. AUG. *de Doct. Christ.* l. I, c. XXII.

Illi plus, quam se, diligunt Deum, qui pro ejus amore suæ ad tempus saluti non parcunt, se ipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus propriis, patriæ suæ extorres fieri, parentibus et uxoribus, et filiis suis renuntiare parati sunt, et ut totum dicam, ipsam corporis mortem non solum non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes a corporis sui vita magis, quam a Deo vita vitæ suæ discedere. S. PROSP. s. II. *de Vit. contempl.* c. XV.

Illi perfecte diligunt Deum, qui volendo, quod vult Deus, et nolendo, quod non vult, nec ullis peccatis, quibus offenditur, acquiescunt; et semper se ad virtutes, quas ipse dignatur donare, diligendas et habendas extendunt. Ibid.

Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quia carnem induit. Sapienter, quia culpam cavit. Fortiter, quia mortem sustinuit. Disce ergo, christiane, a Christo, quemadmodum diligas Christum; disce amare dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne compressi deficiamus. S. BERN. *super Cant.* s. XX.

Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie? Quid significat meridies? Magnum fervorem, et magnum splendorem, fervorem caritatis et splendorem veritatis. CANT. I.

Amoris Dei suavitas experimento, et non ratione percipitur. BERN. *de Dil.* ser. LXVII.

Amandus est Deus affectuose, circumspecte, dulciter, fortiter et prudenter. AUG. in ser. *de Trib.*

Si necessitas venerit, ut amor parentum sive filiorum amore Dei comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, caritas in Deum servanda est. HIERON.

Ille in amore Dei major est, qui ad illius amorem plurimos attrahit. GREG. in hom.

Numquam Dei amor otiosus est, operatur enim magna si est, si vero operari renuit, amor non est. Id. in hom.

Amor Dei amorem animæ parit. AUG. *supr. Cant.* ser. LXX.

UTILITAS. — In quantum quisque amat, in tantum ad ingressum Regni appropinquat. In quantum vero amare negligit, in tantum ingredi recusat. S. GREG. hom. XXV *super illud*: *Domine, si tu sustulisti.*

O jugum sancti amoris, quam dulciter capis, gloriose illaqueas, suaviter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis! O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas. BERN. *de dil. Deo.*

Si vis perfecte purgari a vitiis, in quantum prævales, accende in te ignem divini amoris? Si dulcedinem divini amoris perfecte gustaveris, de temporali dulcedine non curabis. RABANUS in quodam sermone.

Thesaurus indeficiens est amor divinus, quem, qui habet, dives est; quo quicumque caret, pauper est. S. BASIL. *in Hex.*

Caritas omnem animi languorem sanat. Caritas omnium vitiorum radices extirpat. Caritas omnium virtutum origo est. Caritas mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, Deum demonstrat. Animam, in qua charitas habitat, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non dissipat, tristitia mala non vexat, avaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat, semper munda est, semper casta, semper quieta, semper læta, semper pacifica, semper benigna, semper modesta. HUGO, *de Laude caritatis.*

Quisquis cognoscit te, diligit te, obliviscitur se, amat te plus quam se, relinquit se, et invenit se, et venit ad te, ut gaudeat de se. S. AUG. c. VI *Solil.*

Sancti viri amando discunt, quod docendo proferunt. S. GREG. *sup. Ezech.*

Machina mentis vis amoris, quæ illam et a mundo extrahit, et in alta tollit. Ibid. c. CCXXVII.

Non sine præmio diligitur, qui sine præmio est diligendus. S. BERN.

Meliora sunt ubera tua vino, id est, amores tui vino consolationis terrenæ, quia universalior afficiens totum hominem; intimior penetrans intima cordis; durabilior, quia in æternum durat. S. THOM.

Duæ lectiones amoris sunt, dulcoris et doloris. O adesse et abesse! primum ad majus solatium, secundum ad majus meritum. Præsentia jucundior, absentia utilior. In præsentia delectatur anima cum Deo; in absentia delectatur Deus in anima. S. BERN. *Psalm.*

Scio, Domine, quia male est mihi præter te, non solum extra me, sed in me ipso. Et omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. S. AUG. l. XIII *Conf.* c. I.

Nec absque caritate quodlibet magnum bonum suscipitur, nec cum illa quodlibet exiguum respuitur. S. BERN. Ep. XLII.

Beati, qui veræ illius pulchritudinis amore inardescunt, caritatis enim vinculis quodammodo adstricti, cœlestem ac beatum amantes amorem, obliviscuntur domesticorum et amicorum; obliviscuntur familiæ, et facultatum omnium, quin et immemores potus et cibi ad corporis sustentationem necessarii, soli divino et puro amori penitus adhærescunt. S. BASILIUS, *in Psal.* XLV.

Quisquis habet caritatem, ut quid eum longe mittimus, ut videat Deum? Conscientiam suam attendat, et ibi videt Deum. Vult eum forte videre sedentem in cœlo! Habet caritatem, et in eo habitat, sicut in cœlo. S. AUG. *in Ps.* XLIX.

ÆQUITAS. — Meretur amari propter se ipsum Deus, et ab infideli; qui etsi nesciat Christum, scit tamen se ipsum. Proinde inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Domimum Deum suum, toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata, et non ignota ratione justitia, quia ex toto se diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. S. BERN. tr. *de dil. Deo.*

Si homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse; si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, cari sui absentiam non sine

magno mœrore ferens; qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore, anima, quam desponsasti tibi fide et miserationibus, debet diligere te verum Deum, et pulcherrimum sponsum, qui nos sic amasti, et salvasti, qui pro nobis tot, tanta et talia fecisti? Quamquam autem hæc infima habeant suas delectationes, suosque amores, tamen non tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur justus, quia amor tui suavis est, et quietus. Nam pectora, quæ possides, dulcedine et suavitate reples. Et contra amor sæculi et carnis anxius est, et perturbatus; animas certe, quas ingreditur, quietas esse non patitur. Semper enim suspicionibus et perturbationibus, variisque timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, et merito. Quies enim valida est apud te, et imperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini sui. S. Aug. *Medit.* c. xxxv.

Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Autori, vel ipsi mutuam rependere vicem. Amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, et captivat affectus, animæ per se sufficit, per se placet, et propter se, ipse meritum, ipse causa, ipse fructus, ipse usus. S. Aug. *Man.* c. xviii.

Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, aliquid se melius habituram. Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus, Domine, requies. S. Aug. VI, *Conf.* c. xvi.

Avare, an parum tibi est, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat, sine auro et argento, non vis illum? Quid ergo de his, quæ fecit Deus, tibi sufficiet, cui Deus ipse non sufficit? S. Aug. s. v *in Ps.* xxx.

Da, quod peto, quoniam si cuncta, quæ fecisti, mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis. Id. *solil,* c. i.

Hic aurum quod est, non potest tibi esse argentum. Vinum quod est, non potest esse tibi panis. Quod tibi lux est, non potest tibi esse potus. Deus tuus totum tibi erit, manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne deficias; possidebis totum integrum totus integer. Id. l. V *in Ps.* xxxvi.

Ob duplicem causam Deus propter seipsum diligendus est, sive quia nihil justius, sive quia nihil diligi fructuosius potest. Meretur amari propter seipsum Deus et ab infideli, qui, etsi nesciat Christum, scit tamen seipsum. Poinde inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata, et non ignota ratione justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. S. Bern. t. *De dilig. Deo.*

Quid mihi es? Miserere, ut loquar. Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam, irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Hei mihi, parvane est ipsa miseria, si non amem te? S. Aug. l. I *Conf.* c. v.

Quando ignorabam, me instruxit; quando errabam, me reduxit; quando peccabam, me correxit; quando steti, me tenuit; quando cecidi, me erexit; quando ivi, me duxit; quando veni ad ipsum, me suscepit.... Nec pro his omnibus, quod rependam habeo, nisi tantum ut diligam. Non enim, melius, nec decentius quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. S. Bern. *super illud Psal.*: *Quid retribuam.*

Altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse ex illo ad Deum flammam caritatis indesinenter ascendere. S. Greg. l. XV Mor. xvii.

Cum amat Deus, non aliud vult, quam amari. Quippe non ob aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint. S. Bern. s. lxxxiii *in Cant.*

Nulla major est ad amorem invitatio, quam ad amorem pervenire; nimis durus est animus, qui, si dilectionem nolit impendere, nolit rependere. S. Bern. s. lxxxiii *in Cant.*

Jucunditas.—Verus amor non sentit amaritudinem, sed dulcedinem, quia soror amoris dulcedo est, sicut soror odii est amaritudo. S. Aug. l. XIII *Conf.*

Quamquam hæc infima habeant delectationes suas, suosque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu, Deus noster. In te enim delectatur justus, quia amor tui suavis est et quietus. Nam pectora, quæ possides, dulcedine et suavitate reples. E contra amor sæculi et carnis anxius est et perturbatus; animas certe, quas ingreditur, quietas esse non patitur. S. Aug. *Med.* c. xxxv.

Qui vult gaudere de se, tristis est, qui autem de Deo gaudere vult, semper gaudebit, quia solus Deus sempiternus est. Id. s. xxx, *de SS.*

Domine Deus virtutum, ostende faciem

tuam, et salvi erimus. Nam quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te, tametsi figitur in pulchris extra te, et extra se. Id. l. IV *Conf.* c. x.

Anima amans debet continuo stare in præsentia Dei, et habitare intra Deum, sicut intra favum mellis habitat apis, quæ ita se ei includit, ut non aliud nisi mel videat, gustet et tangat; sic illa non aliud nisi divinam suavitatem aut in ipso Deo tanquam fonte, aut in creaturis instillatam gustet. Suge, suge, et bibe dulcedinis divinæ suavitatem inenarrabilem, immergere et replere, adhære, sume, et fruere. S. August.

Laudatur vobis caritas, erigimini, acclamatis, laudatis! Exhortor vos, quantum datur ad magnum thesaurum. Si vobis ostenderetur aliquod vasculum anaglyphum, inauratum, operose factum, et illiceret oculos vestros, et duceret in se intentionem cordis vestri, et placeret vobis manus artificis, et splendor metalli, et pondus argenti, nonne unusquisque vestrum diceret: O si haberem vasculum istud? Laudatur vobis caritas, si placet, habete, possidete. Non opus est, ut furtum alicui faciatis; non opus est, ut emere cogitetis, gratis constat; tenete eam, amplectimini eam, dulcius illa nihil est. Si, cum commemoratur, talis est, cum habetur qualis est? S. Aug. tr. VII *in Ep. Joann.*

Existimo, quia nec cum inventus fuerit, cessabitur a quærendo non; pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus. Et utique non extundit sanctum desiderium felix inventio, sed extendit. Numquid consummatio gaudii, desiderii est consumptio? Oleum magis est illi. S. Bern. serm. lxxxiv. *in Cant*

Dignitas. — Talis est quisque, qualis ejus dilectio; terram diligis? Terra es.

Deum diligis? Quid dicam? Deus es! *Ego dixi, Dii estis.* S. Aug. h. ii *in S. Joan.*

Cum quæritur, utrum quisque sit homo bonus? non quæritur, quid credat, aut speret, sed quid amet? Item, nihil esse isto Dei dono excellentius. Id. *in Ench.* c. cxvii.

Nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, nihil est desiderabilius diabolo exstinctione caritatis. S. Greg. *in Past.*

Beatus vir, qui ascensiones in corde suo disponit, non gressibus corporis, sed affectibus mentis. Amando ascende, quanto plus amaveris, tanto plus ascendes. S. Aug. *in Ps.* lxxxiii.

Non clarescit anima fulgore æternæ pulchritudinis, nisi prius hic arserit in officina caritatis. S. Greg. l. XVIII. *Mor.* c. xv.

Quantitas cujusque animæ æstimatur de mensura caritatis, quam habet. S. Bern. *in Cant.* s. xxvii.

Nunquam humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei; dejicit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest.

Facilitas. — Nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent separare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica; respuit jacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet. Si amor est, vincit omnia. S. Cypr. l. *de Spect.*

Qui amat, non laborat; et omnis labor non amantibus gravis est; amor solus est, qui nomen difficultatis erubescit. S. Aug. l. XIII. *Conf.*

Ideo sponsa, dum dicit: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore illius ducat, quidquid laboris immineat, et doloris. S. Bern.

Quomodo grave est mandatum Dei? Aut enim quisque non diligit, et ideo grave est; aut diligit, et grave esse non potest. S. Aug. l. IX. *de Nat. et grat.* c. ix.

Quid hic molestum est, aut difficile? Non juberis maria nondum tentata trajicere, et tempestate furente in mediis fluctibus susque deque jactari, non itinera ingredi feris infesta et latronibus, satis est, si annuat animus. Did. Nyssen. s. ii. *in Dom.* 17.

Nihil difficile est, nihil grave est, quod nobis imperatur, si voluerimus. S. Chrys. hom. xiv *in epist. ad Hebr.*

Amor facilis est, omnibus se exhibet, nulli se negat, capit eum juvenis et senex, vir et mulier, sanus et infirmus, dives et pauper, summus et infimus, liber et servus, sæcularis et Religiosus, debilis et fortis, nec est, qui se valeat excusare. Idiota *de Div. amore* c. i.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Vere magnus est, qui magnam caritatem habet. L. I, c. iii.

Qui Deum ex toto corde amat, nec mor-

tem, nec supplicium, nec judicium, nec infernum metuit, quia perfectus amor securum ad Deum accessum facit. L. I, c. XXIV.

Si semel perfecte introisses in interiora Jesu, et modicum de ardenti amore ejus sapuisses, tunc de proprio commodo vel incommodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes, quia amor Jesu facit hominem seipsum contemnere. L. I, c. I.

Amans Deum anima, sub Deo despicit universa, L. II. c. V.

Dilectus tuus talis est naturæ, ut alienum non velit admittere, sed solus vult cor tuum habere, et tamquam Rex in proprio throno sedere. Ib. l. II.

Verus amator Christi et studiosus sectator virtutum non cadit super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines; sed magis fortes exercitationes, et pro Christo duros sustinere labores. L. II. c. IX.

Ecce Deus meus et omnia, quid volo amplius, et quid felicius desiderare possum? O sapidum et dulce verbum; sed amanti verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo sunt. L. III. c. XXXIV.

Quidam amando me intime, didicit divina, et loquebatur mirabilia. Plus profecit in reliquendo omnia, quam in studendo subtilia. L. III, c. XLVIII.

O qui scintillam haberet veræ caritatis, profecto omnia terrena sentiret esse plena vanitatis. L. I, c. XV, §. 3.

Vere ineffabilis dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te. L. III, c. X, §. 1.

EXEMPLA EXTERNA.

B. Virgo Maria adeo amavit Deum, ut amore mortua fuerit, ut communiter sentiunt SS. PP. et Doctores. *SS. PP. et Interp.*

S. Petrus Domino sæpius roganti, amas me? Respondit: Domine, tu scis, quia amo te. JOAN. XXI.

S. Paulus ita dilexit Deum, ut cum veritate dicere ausus sit: Quis me separabit a caritate Dei? ROM. VIII.

De S. Maria Magdalena Christus ipse dixit: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. LUC. VII.

S. Ignatius Martyr adeo Christum dilexit, ut dixerit: Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorumque divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. *Vita*, apud SURIUM, I *Febr.*

S. Thecla, post superatas bestias et carceres, sic orasse scribitur: Etiamsi in singulos dies mihi cum igne, belluis, vinculis, carceribus rem esse contingat, adeo mihi omne mortis et discriminis genus pro pietate subeundum ipsismet Paradisi deliciis, epulisque instructissimis potius ducitur; tantummodo digna, quæ pro te et nomine tuo cruciatus tolerare semper possim, habear. *Vita.*

Junior quidam monachus ex seniore quodam quærebat, cur caritas modo tam perfecta non sit, atque olim fuerat? Cui ille respondit: Olim omnes sursum progrediebantur et hinc corda etiam secum rapiebant. Sed nunc omnes ad terram inclinantur, et quæ sua sunt, quærunt. PETRUS SANCH. in *Regn. Dei* p. VI, c. VI.

Cum Zeno monachus in eremo contemplatione absorptus circumiret, obviam illi factus Macedonius Imperator, quid ageret? interrogavit. Cui Zeno: Et quod tuum in hoc loco negotium est? Cumque Imperator responderet: Venatio meum negotium est. Respondit Zeno: Et ego pariter consector Deum, neque donec apprehendero, cessabo. Quo dicto tergum vertens Imperatori, abiit. Idem, p. VII, c. VIII.

Dominicus cum aliquando solus in campo ab hæreticis deprehensus interrogaretur, ecquid acturus esset, si ipsum occidere præsumerent? respondit, se hoc unum petiturum, ut, quo diutius cruciatum sentire, suumque erga Deum amorem magis testari posset, lento eum martyrio excruciarent. Ibid.

S. Antonius tantum in amore Dei profecerat, ut Abbati Ammonio dicere ausus sit: Nunc tandem non timeo Deum. (Intellige servili timore.) Cumque Ammonius diceret: Et quare tu tanti æstimaris ab hominibus, cum tamen ego plus multo laborem et agam, quam tu? Respondit S. Antonius: Quia *ego* etiam Deum plus diligo, quam tu. Et hoc sine vana gloriatione proferebat. Ibid.

Virgo quædam in molestis mali dæmonis impugnationibus constituta, cum jam pene succubuisset, atque ideo nubere statueret, Christus eam invisit, dixitque: Me dilige, qui sum formosus, dulcis et generosus. CANTIP. l. II *Apum* c. LVII, p. 25.

Joannes Junior de scholari scribit in *Scala cœli*: Qui ingressus Parisiis, Theologiam, cum

audisset legi : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc. subito surrexit, et abivit; mirantibus vero Magistro et condiscipulis dixit : Antequam plus audiam, volo hoc opere complere. Et mox religionem ingressus est. *Spec. Ex. tit dilectio.* Ex. II.

Urbanus adolescens post vitam diu inter flagitia exactam, tandem seria pœnitudine eam detestatus est; quo facto ductus ab Angelo Custode ad stabulum Bethlemiticum, ubi juxta Christum ac B. V. misericordia in candida veste ramum olivæ portans astabat, qua suadente hic modo pedes, modo manus Jesuli deosculans, mille elicit actus contritionis, spei et demissionis, præcipue tamen amoris, quibus eo usque exarsit, ut omnino denique consumptus conciderit. KISSELIUS t. I, c. LX, §. 18.

B. Ægidius, e Francisci familia, ita aliquando S. Bonaventuram familiari sermone, et innato, quo erat, candore agressus legitur : O vos beatos, quibus eruditio miros Deo serviendi laudandique modos suppeditat! Nos idiotæ quid ea in re scimus, quid facere possumus? Cui Bonaventura : Etsi cætera omnia, quæ tu tantopere suspicis, desint, mi Ægidi, parum est, si Dei adsit amor, illo enim uno plus ad Dei obsequium poteris, quam aliis omnibus. At potestne, subjicit Ægidius, tam facile et ardenter amare imperitus aliquis, quam doctus? Potest vel maxime, inquit, Bonaventura. Ad quæ sanctus ille Idiota e conspectu se illius proripit ad Monasterii muros, qua parte in urbis plateam patebat aspectus, accurrit, et qua potest, voce clamat : Audite, o vetulæ, audi ignarum vulgus. Si Dominum Jesum Servatorem vestrum amabitis, Doctore nostro Bonaventura poteritis esse apud Deum majores. Quo dicto hæsit in Deum absorptus non minus tres horas immobilis. *Chron. Franc.* p. II, l, VII. c. XIV,

S. Augustinus dixisse fertur : Domine Deus, ita te diligo, ut si Deus essem, vellem sortem inter nos commutare, et ego Augustinus esse, ut tu Deus esses. In quo apparet quasi cæco impetu voluntatem in amati bonum ferri, neque dare otium intellectui, ut attendat ad ea, quæ dicit, et dictorum, ac voti impossibilitatem videat. Impossibile enim est Deum velle non esse; cum ultimus ipse sit sibi omnium suorum amorum, et desideriorum finis. PENNEQ. *Consid.* XXIII. f. 581.

Non immerito ergo cor ipsius Angelis traditum est, ut incorruptum servaretur. Sigiberto, deinde Episcopo Lugdunensi, post longas preces ad impetrandum aliquid reliquiarum S. Augustini ad Deum fusas, pyxide crystallina, auro gemmisque distincta inclusum ab eodem tutelari Angelo donatur, ac dum in Hymno : *Te Deum,* in gratiarum actionem decantatur, ad illa verba : *Sanctus, Sanctus*, palpitare, et exultare conspicitur, Deo ad tanti viri celebrem in amore Sancto memoriam hominum animis imprimendam, in corde ejus post quinque amplius annorum centurias tam admiranda amoris divini argumenta manifestante, dum ille viveret, a Trinitatis comprehendendo mysterio a puero cochleari totum mare in exiguam fossam exhaurire satagenti deterretur; non vero ab illa infinitæ caritatis divinæ, quam proxime poterat, accessione, a qua tantos amoris ignes concepit, repellitur.

Erat puella quædam in Brabantiæ partibus inter proceres generosa, quæ in amorem cujusdam juvenis per multos annos miro dæmonum stimulabatur insultu. Hæc enim cum mihi frequenter cum multis lacrymis in confessione diabolicas insidias aperiret, consului, ut summopere caveret, ne nutu aut verbo juveni tentationis occasio præberetur; et paruit illa diligenter, ut monui. Cumque adeo graviter tentaretur, ut somni cibique perderet appetitum, accidit nocte quadam, ut tanto dæmonum agitaretur impulsu, ut superveniente aurora surgere cogitaret, et clam adire juvenem, qui in vicinia morabatur. Nec mora, ubi oculos aperuit, vidit Christum, quasi plagis recentibus crucifixum, leni sermone dicentem sibi lingua patria : « Tu me dois aimer, je suis très-beau ; bon et doux, noble et loyal. » Quod nos latine coloratis verbis exponimus : Me diligas, qui sum formosus, bonus, dulcis, et generosus. Unde versus :

Diliges formosum, dulcemque, bonum, et generosum.

Hæc ut dixit, repente disparuit, et puellam in omni pace, et gaudio, et gratiarum actione ab omni tentatione liberrimam dereliquit. Bene et veridice de se Christus asseruit. Diligendus est enim præ omnibus; quia « speciosus forma præ filiis hominum ; » et splendor est gloriæ, et figura substantiæ Patris. Contra de homine dicitur : « Omnis caro fænum. » Diligendus est etiam, quia « bonus, a quo omne bonum. » Contra de hominibus : « Nemo bonus, nisi solus Deus. »

Diligendus est etiam, quia dulcis, « cujus labia favus distillans. Misericordia enim ejus super omnia opera ejus. » Contra de homine Salomon quærit : « Nequius oculo quid creatum est? Qui tamen est lucerna corporis nostri. » Diligendus est etiam, quia generosus, « quem Deus Pater constituit Hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. » Contra de hominibus Malachias ait : « Numquid non pater unus omnium nostrum? Quare despicit unusquisque proximum suum? » Merito ergo puellæ juvenem diligenti Christus per hæc verba conclusit, et se potius diligendum, formosum, bonum, dulcem, et generosum comprobavit. TH. CANTIPR. li. II *Apum* c. LVII, p. 24.

Erat quædam virgo nobilis, 14 annorum, quæ B. Virgini valde erat devota. Hæc gloriosam Virginem rogabat continue septem annis, ut sibi dignaretur ostendere Filium suum. Quæ cum in vigilia Nativitatis Domini orationis causa sola capellam intrasset, apparuit ei Virgo pulcherrima, tenens Filium in manibus, et allocuta est virginem Dei : Accipe Filium meum, et lude cum eo. Quæ gaudens fecit. Cui puer : Diligisne me? Et illa : Omnino. Et ille : Quantum? Tunc illa : Plus quam corpus meum. Et Jesus ait : Quantum plus corde tuo diligis me? Et illa : Nescio dicere, sed ipsum cor loquatur. Quo dicto statim cor ejus præ amore scissum est. Tunc Beata Virgo accepta anima ejus in concentu Angelorum deduxit in cœlum. Ad cantum vero Angelorum familia cucurrit, et virginem mortuam invenientes, odore inenarrabili sunt repleti. Et Fratres Prædicatores, qui aderant, cor ejus aperientes scissum invenerunt, et in eo scriptum erat : Diligo te plus, quam me, quia tu creasti, redemisti, dotasti me. *Spec. Ex* V. *Dilectio* ex II.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis frequentissimum fuit, cursare per domum, obvias sorores apprehensa dextera ardentibus verbis ad amorem Dei excitare, hortum ingredi, spatia citato gressu conficere, identidem succlamare. O amorem! Ad æris campani turrim accurrere, illudque totis connixa viribus pulsare, cum illis vocibus : Excitemus mortales omnes, ut amorem hunc ament. O amor, si mihi ferrea vox foret, quam vocalissime profecto inclamarem : Amate hunc amorem, mortales, amate! Ad hæc ardoris haud tolerans, brachia et sinum, frigida immergere, ac spargere consueverat. Hæc illa in ipso æstu caritatis, quæ ex imo cordis oceani instar effusa in animæ facultates, minoris prudentiæ fines omnes obruit; eadem, quum sibi relinquebatur, mirum quanta modestia eos ignes dissimularet, quorum pallido in ore cineres gerebat. JOAN. RHO. *Hist.* I.

Cornelia etiam Lampugnana, quum se unam illis ardoribus exhauriendis imparem sentiret, identidem ad socias succlamabat : Ferte opem, properate sociæ, ut amorem amem! Tum vehementius incitata, jamque amore victa : Satis est, satis, non ultra ferre valeo. Mox : Proh! quam libenter cor mihi dilacerari vellem pro Dei honore! Parcite, qui hæc legitis, imperiosus amor est, et mira velocitate omnes ciet, agitque animæ affectiones. Idem. ex II.

Violentior in S. Philippum Nerium incubuit divina flamma, quam ut excussa juste contentus acquiesceret; huic olim triumphalibus martyrum in spelæis ad D. Sebastiani, profunda jam nocte intentius precanti, tantus repente divini amoris incidit e cœlo calor, ut animo in amorem dulcissime liquescente, humi abjectus exclamaret : Impar sum, Domine, impar sum. Mox ubi concitatissima illa vis, paululum se remittens, consuetæ vitæ officiis, liberum animum reliquit, sinistras inter costas repentinum tumorem dolore nullo animadvertit Philippus. Novum insuper cordis laxato spatio motum existere, cum veluti exultans subsultaret, ac inaudito sub fornice, costis duabus majorem in arcum curvatis, vel triumphum ageret de sæculi cupidine victo, vel regium in morem, magnifice habitans, ac sibi in illa perplacens nova ædis laxitate gloriosissime plauderet. Fuit hoc deinde Philippo proprium, ut quum divinis rebus tractandis, mysteriisque impertiendis amorem excitasset, illius vim non ferens toto corpore concuteretur. Quin summa non minus hyeme, quam senectute, jam octogenario ab hac pietate æstuanti facies, oculique dulcissima quadam vi emicabant, totusque in ore erat amor, cujus lumini venerabilis quidam pallor, et qualis amantium solet esse, succedebat. Non hæc tamen summa illius amoris laus, sed quod liquidissimis hisce voluptatibus carere, ut sincerius amaret, præoptabat. Ibid., ex. II.

Nicolao Factorio, Ordinis Minorum, adeo promptus amoris flammæ explicandæ animus erat, ut vel levi ejus recordatione a sensibus procul abriperetur, eoque duce ad divina

peregrinaretur. Itaque opere summo cavebat, ne in publico de amore sermonem inferret, cujus recordatione violentius excitabatur. At quum domi se illi permiserat, nihil omittebat eorum, quæ amantibus solemnia sunt suspiria, concursationes, gemitus. Verum illud non vulgare, quod quum æstum non ferens, in piscinas desiliret, ferveret illico frigida, quasi admoto igne, haud aliter ac in fabrorum lacubus, quum tingitur ferrum. Et vero admirabilis erat ardor caritatis, quæ mediis in aquis fervorem excitabat. Ibid. exempl. xv.

B. Jacoponus quondam interrogatus, cur tantam vim lacrymarum profunderet : Quod amor non amatur, respondit. S. Franciscus Seraphicus, concepto etiam voto, se obligavit nihil se cuiquam postulanti negaturum, si amore Dei postularet. Unde accidit, ut cum quidam ex ejus sancta familia ob viri sancti venerationem cuperet illius veste uti, per amorem Dei poscenti, quam primum facta permutationne suam illi tunicam cederet. Unicum dumtaxat pauperem semel rejecit, etsi legitima esset observandi formula usus, quod domesticis negotiis nimium quantum esset occupatus ; mox tamen, repulsæ memor, inquisito liberalem stipem erogavit, veniam etiam precatus, quod eum indonatum ad primas preces dimisisset. Barry, in *Bland.* c. vi, *exer.*

Raymundus Lullus quavis occasione amoris nomen iteravit, et responsi loco reposuit: Si ab eo quæsiisses : Cujus es? Amoris, respondisset. Unde venis ? ab Amore. Quo pergis? Ad amorem. Quis te huc adduxit? Amor. Unde vivis? Amore. Ubi habitas? In amore. Totum ejus ac unicum negotium erat, de amore cogitare, ac loqui. Ibid. l. I.

S. Gertrudis, recolens vice quadam diversos casus instabilitatis, conversa ad Dominum dixit : Mihi adhærere tibi soli, dilecte mi, bonum est. Tunc Dominus inclinatus circumplectebatur eam dicens : Et mihi semper adhærere tibi suave est, dilecta mea. Quod cum diceret, omnes Sancti assurgentes obtulerunt merita sua ante thronum ob reverentiam Domini, ut inde tribueret animæ istius, ut vel sic dignior sibi fieret habitatio in ea. Unde intellexit, quam faciliter Dominus inclinatur ad animam, et quam libenter Sanctorum cætus ipsi ad hoc famulantur, quo ex ipsorum meritis indignitas animæ suppleatur. Hinc cum ex affectu desideriorum diceret : Ego vilis homuncio saluto te, amantissime Domine. Tale a dulcissima pietate Dei accepit responsum : Et ego resaluto te meam amantissimam. Per quod intellexit, quod, quotiescumque aliquis dicet Deo : dilecte mi, vel dulcissime, vel amantissime, et similia cum intenta devotione, frequenter ab ipso tale accipit responsum, ex quo ipse quasi privilegium specialis gratiæ habebit in cœlis, sicut Joannes Evangelista specialem habet gloriam in terris ex eo, quod vocatur « Discipulus, quem diligebat Jesus. » Insinuat. c. xxix.

Eadem virgo cum quadam vice circa Dominicam Passionem memoriam haberet devotius occupatam, et inde quasi effrenis in abyssum desideriorum ageretur, sensit jecur suum præ nimio æstu desideriorum valde succensum, et dixit ad Dominum : Mi amator dulcissime, si istud, quod nunc sentio, scirent homines, dicerent, quod jure a tali fervore abstinere deberem propter recuperandam corporis sanitatem ; cum tamen tibi occultorum meorum cognitori perspicue pateat, quod omni conatu virium et sensuum meorum non possem me modo continuisse a tuæ suavitatis pertransitiva commotione. Ad quod Dominus respondit : Quis, nisi sensu carens nesciat, quod inæstimabiliter efficax dulcedo divinitatis meæ incomprehensibiliter longe excedit omnem humanam et carnalem delectationem, cum omnis dulcedo corporea, divinæ dulcedini coæquata, sit quasi stilla roris exigua ad immensum pelagus totius maris, cum tamen sæpius homines tam efficaciter humana delectatione trahantur, quod nullatenus se possunt continere ab aliquibus, unde non corporis, sed etiam animæ se sciunt periculum incursuros æternum. Qanto minus anima meæ divinitatis dulcedine penetrata se potest ab amore meo continere, unde sibi scit æternam felicitatem provenire ? Ibid. l. III, c. xliv.

S. Petrus, audiente S. Brigitta, ad militem quemdam dicebat : Ego, qui graviter cecidi, sed fortiter surrexi, impetrabo tibi loricam, id est, divinam caritatem ; sicut enim lorica ex multis constat ferreis circulis, sic caritas defendit contra tela inimici et animæ, fortiorem reddit hominem ad tolerauda mala ingruentia, agiliorem efficit ad amorem Dei, et ferventiorem ad divinos labores, invictum in adversitatibus, longanimem in spe, perseverantem in inceptis. Hæc itaque lorica fulgere debet, ut aurum, fortis esse ut chalybs et ferrum. Quia omnis homo

caritatem habens, ductilis esse debet, ut aurum, per patientiam contra omnes adversitates, fulgensque per sapientiam et discretionem, ne hæresim recipiat, pro integritate fidei, dubiaque pro certis. Sit quoque lorica fortis, et ut ferrum domat omnia, sic homo utens caritate, studeat humiliare eos, qu resistunt fidei et bonis moribus. Non retrocedat propter oblocutiones, non flectatur propter amicitias. Non tepescat propter commoda sua temporalia. Non dissimulet propter quietem carnis. Non revereatur propter mortem, quia nemo potest auferre vitam, nisi permittente Deo. Verumtamem quamvis lorica ex multis constet circulis, tamen duo sunt principales circuli, quibus lorica contexitur caritatis. Primus itaque circulus est cognitio Dei, et frequens consideratio divinorum beneficiorum ac præceptorum, ut sciat homo, quid faciendum sit Deo, quid proximo, quid mundo. Secundus circulus est refrenatio propriæ voluntatis propter Deum; omnis quippe, qui Deum perfecte et integre diligit, nihil sibi de voluntate, quæ contra Deum est, reservat. Lib. IV *Revel.* c. LXXIV.

His similia tradit S. Gregorius Papa : Qui perfecte Deo placere desiderat (quales sunt omnes ii, qui volunt perfecta erga Deum caritate fervere) sibi de se nihil relinquat.

Fr. Victor Bergomat dæmoni dicenti damnatum esse, respondit : Si sum, ergo Deum in vita laudabo. Sumensque flagellum, et se cædens interea cantabat : Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero. *Annal.* v, *Capuc.* 1566.

S. Apostolus Paulus cum esset Tyri, ab Agapo Propheta et Spiritu Sancto ipsi fuit prædictum, quod vincula tribulationesque passurus Hierosolymis esset, ipse tamen eodem Spiritu confirmatus, illuc proficisci nequaquam dubitavit; lugentibus discipulis, et magistrum indulgentissimum pariter ac doctissimum a proposito deterrentibus : Quid facitis, inquit, flentes et affligentes cor meum? Ego autem non solum alligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. Ivit, in insidias incidit, comprehenditur, ligatur, cæditur, torquetur. Et tamen cum ei fandi copiam fecissent, tortores suos in viam salutis dirigere moliebatur, non pro se sollicitus, ut vel sic acceptus dimitteretur, sed pro illis, ne errantes in æternum perirent pro injuria, referens beneficium, pro malo bonum. Non enim languescit odium sustinens caritas; sed accenditur, si vera fuerit. MARULL. lib. V, *ex Act. Ap.*

Caritas Sanctos homines Dei non modo divitiarum dignitatumque sæcularium, atque honorum, verum etiam vitæ lucis hujus contemptores fecit. Nullis tyrannorum minis suppliciisve absterreri potuerunt, ne nomen Christi ubique palam prædicarent, atque extollerent. Petrus, Andreas, Philippus crucifigi non recusarunt, Jacobus et Paulus capite truncari, Jacobus alter de pinnaculo templi dejici et fullonis fuste mactari, Joannes in bullientis olei dolium nudus demitti, Thomas et Matthæus lanceis confodi, Stephanus lapidibus obrui, Matthias securi percuti, Simon et Judas irruenti sacrilegorum impetu elidi atque obteri, reliqui omnes discipuli diversis tormentorum generibus absumi ac perimi. Quid post illos de tot millibus martyrum dicam? Dulcia illis tormenta erant, per quæ ad Christum ascendere, et cum ipso jungi properabant. Nihil illis formidini, nihil timori esse poterat, quoniam perfecta caritas foras mittit timorem; vehementiores pœnas repetierunt, ut majora erga Christum amoris testimonia redderent; sed nulla tam vehemens a persecutoribus excogitari poterat, ut æquaret patientum affectum, graviora tolerare parati erant, quam noverat inferre rabies inimici in ipsos debacchantis. MARULL. ibid.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius quantopere diligeret Deum, ex eo colligi poterat, quod post mortem visus sit corde aperto, in quo dilecti Jesu nomen aureis characteribus scriptum legebatur. Ante conditas Constitutiones promulgavit regulas quasdam, quas tunc omnes observabant. Earum prima erat, ut purum pectus, et in amore Dei flagrans perpetuo custodirent, nihil ut aliud amarent, expeterentve, nisi Deum, aut esse, ac sermocinari cum Deo. NIER. c. VIII *de amore erga Jesum, H. S.* p. 1, l. VII, num. 11.

Dicere solitus erat, si Deus eum in gehenna collocaret, nihil sibi acerbius fore, quam audire blasphemias in Deum. H. S. p. l. I, l. X, n. 2. *Rib.* lib. V, c. I.

Adeo vero desiderabat frui Deo, ut quoties de morte sua cogitaret, a lacrymis temperare vix posset. Quantalibet vero cura et molestia fatigatus esset, in Dei tamen recor-

datione mox acquiescebat. *Gloria S. Ign.* c. VII, ubi plura vide.

Clarum quoque de ejus eximia caritate testimonium habetur in relatione pro Canonizatione in hæc verba : Quantopere diligeret, patet ex summa illa cura, ac diligentia, qua studuit propter Deum proximo in spiritualibus, ac temporalibus semper benefacere, et ex maxima vigilantia, qua curavit cor suum mundum custodire. Neque vero tantummodo custodivit cor suum ab iis, quæ sunt contra dilectionem, sed etiam a se ipso amorem omnium rerum, quæ Deus non sunt, prorsus abjecit, atque in eumdem transtulit Deum ; omnemque affectionem ad Dei dilectionem referre conatus est. Hanc in Deum caritatem (pergunt iidem Apostolici Commissarii) adeo puram in suo corde aluit, retinuitque, ut etiam sui ipsius amorem prorsus amandarit. Dixit enim aliquando, se, si optio daretur, velle potius vivere cum incertitudine Beatitudinis, et interim servire Deo, quam cum certitudine tunc obire; et judicare, sibi magis durum et pœnale futurum, audire blasphemias in Domini nomen, quam pœnas inferni pati, si unquam ad inferos detruderetur a Deo. Tanto denique erga Deum amore flagrabat, ut tota die illum exquireret, et nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quam placere Deo, et illius obtemperare voluntati. Itaque illi se totum committebat, illum omnino sequi decreverat etiamsi toto cœlo, terraque privaretur. Omnes suas cogitationes, verba, opera in Deum, tamquam in finem referebat; ad Deum, ac Dei gloriam honoremque destinabat ; atque ad hoc, veluti symbolum : *Ad majorem Dei gloriam*, in ore semper habebat. Ex his nimirum oriebatur illud magnum gaudium spirituale, quo hic Dei servus plane repletus erat; illa serenitas, quam semper in vultu præseferebat ; illa pax interior animi. Hæc illi. *Relatio pro Canoniz.*

S. Franciscus Xaverius scribebat in quadam Epistola : Tædet me interdum vitæ, ac satius esse arbitror pro religione mortem oppetere, quam in tot tantisque divini Numinis contumeliis vivere. Lib. I, ep. VII.

B. Aloysius tanto Dei amore flagrabat, ut, quoties ejus mentio fiebat, ita inflammaretur, ut in vultu etiam signa quædam emicarent.

P. Petrus Faber cupiebat ad eum amoris gradum venire, ut animæ suæ damnationem non tam timeret ob gehennæ tormenta, quam ne tam pretiosus Christi sanguis in ipso periret. *Vita* l. I, c. XIII.

P. Sebastianus a Campo adeo amabat Deum, ut præter eum nihil in mente et ore illi esset, hunc solum desideraret; hinc non modo rumores tota urbe notissimos nesciebat, sed neque quæ domi erant omnibus trita, audiebat, imo sæpe ignorabat, quæ nostri in collegio munia haberent. *Prov. Scrdin.* 1598.

P. Jacobus Salesius divini amoris magnitudinem tot modis exprimebat, ut nunquam satis ardere videretur, omnis illius sermo inde fere principium, ibi finem sortiebatur. Si quando jubebatur ac socios verba facere, nihil sonabat aliud, quam amorem divinum. Illiusque et usque nutriendo adinveniebat spirituales industrias, quibus uteretur, qua rum potiores sequentibus versibus comprehenderat.

> Gusto Deum, cupio, zelor, gratusque revolvo,
> Offero, depono, atque resigno, mortificorque :
> Confero, magnifico, admiror, congratulor ipsi.
> *Biblioth. Scrip. Soc.*

Quorum verborum iste est sensus breve quoddam amoris compendium complectens : Delector Dei quodam gustatu ; cupio unice ipso frui, quæ cupido mihi zelum acuit ipsi serviendi; idque vel maxime, dum recolo beneficia illius in me, pro quibus ipsi debitas gratias persolvo ; meque illi in signum gratitudinis ex integro offero ; et me, meaque omnia ad pedes ipsius depono ; ut, cum me ipsi plene resignavero, de me constituat arbitratu suo ; atque ut in hoc me resignative contineam, me mortifico; conferoque cum ipsius perfectionibus creata omnia, quæ ubi longe inferiora deprehendo, illas extollo atque magnifico ; cumque laudando deficio, admirabundus veneror ; et tandem Deo suas gratulor excellentias. *Mortes Illust.*, 5 *Feb.* fol. 160.

Insuetus in Joanne Baptista Sanctio amoris ardor fuit, et votum ultra mortalium vota quæsitissimum. Nam, quum amori se totum permisisset, ita comparatus vivere didicerat, ut una moriendi, id est, ad videndum, quem unice diligebat, Deum, evolandi spe vitam toleraret. Hinc gravissima illi affirmatio, si integram sibi vitæ diem superesse, vel divinitus acciperet, vel certa crederet persuasione, atroci se doloris telo confixum iri, ideoque certissime moriturum, quod tamdiu ab amato Deo abfuturum se certus esset. Res igitur plena erat admirabilitatis, vivere ho-

minem ea tantum gratia, quod se cito speraret esse moriturum. JOAN. RHOD. *Hist.* II, fol. 15.

Vincentius Caraffa jam inde a pueritia perenni Numinis memoriæ mentem assuefecit; et ut sensus quoque, præter genium suum, ejus imagini effingendæ famularetur, a tyrocinio solitus erat objicere oculis hæc verba : Præsentia Dei. Quam artem junioribus, aliisque amandi necdum satis peritis suadebat, usque dum animus suopte impetu in Deum feratur. Idem benefaciebat omnibus, non tantum extra spem cujuslibet commodi, verum etiam actionis gratiarum, male namque repeti, aiebat, ab hominibus, quod Deo omnino dederis. Semper in ore habuit hæc verba : Amare, et pati ; pati, et amare. Et in rei hujus memoriam diu super nudo pectore gestavit paupertinum signum Redemptoris in cruce pendentis, at sine cruce; sive quod ipse cordi suo tanquam cruci clavis amoris, illum affigi desideraret; sive quod molestiam atque crucem majorem ferret. L. II, *Vita* c. IX et XII.

SIMILITUDINES.

NATURA ET QUALITAS. — Sicut carbo nisi ignitus sit, nullam habet pulchritudinem; ita nec anima, nisi habeat caritatem. Unde S. Bernardinus ait : Caritas est animæ pulchritudo. S. BERNARDINUS.

Sicut oleum omnibus humoribus superius esse cognoscimus; ita caritas omnibus virtutibus sublimior comprobatur. S. AUG. ser. XLII *de Temp.*

Sicut si quis in via publica initium ejus recta apprehendit, recta via ducitur, et non habet opus, ut manu ducatur; sic etiam in caritate tantum arripe principium, et statim manum ipsa tibi præbens te deducit, et dirigit. S. CHRYS. hom. XIX *ad Heb.*

Sicut ii, qui volunt domos construere et palatia, ante omnia student solidum fundamentum ponere; ita qui absque sui detrimento, et aliorum scandalo spiritualem in seipso domum ædificare desiderat, veræ caritatis fundamentum jacere debet. S. LAUR. JUSTIN. *de disc.* c. XXI.

Sicut in navi etiamsi magna sint instrumenta, si tamen non per vincula connectantur, nihil proderunt: et sicut in corpore etsi magna sint ossa, si tamen non fuerint etiam per nervos et compagines connexa, nihil juvabunt; ita quæcumque, quis habeat recte facta, aut sapienter inventa, inania erunt omnia, nisi una adsit caritas. S. CHRYS. hom. in ep. *ad Colos.*

Sicut natura arborum radices sub terra abscondit, ut a nulla re lædantur, quia ex illis rami et folia vegetantur, flores ac fructus producuntur; sic cor nostrum, unde omnia procedunt, vel bona, vel mala, et maxime amor, ante omnia conservari debet, juxta illud Salom. Prov. IV. Omni custodia custodi cor tuum. STAPL. *in Dom.* 17 *post Pent.* § 2.

Sicut in templo Salomonis non solum Sanctum Sanctorum, sive interior pars oraculi, sed etiam domus ante oraculum vestita erat auro purissimo; sic quilibet Christi fidelis, qui est templum Domini sanctum, ex omni parte, scilicet corde, anima, viribus, pura in Deum caritate fulgere debet. Ibidem.

EFFECTUS. — Sicut lapis, quo propior centro est, eo velocius movetur; ita et homo, quo propior per verum amorem fit Deo tamquam centro suo, hoc velocius in via perfectionis decurrenda movetur. NIERENB. in lib. *de Ador.*

Sicut homo, qui multo vino obrutus est, usum suorum sensuum amittit, nec a mortuo multum differt; ita cum quis plenus est vino cœlestis caritatis, moritur mundo, habetque omnes sensus suos in cupiditatibus impeditos. Idem.

Sicut Procus non spectat nisi Amasiam, et Amasia fit ei omnia; sic qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, qui nihil curat gloriam et ignominiam. Tentationes sic contemnit et flagella ac carceres, quasi in alieno corpore pateretur, et quasi adamantinum possideret corpus. Ea autem, quæ suavia sunt in hac vita, ita ridet, et non sentit, sicut nos vel ipsi mortui mortua corpora. S. CHRYS. hom. LI *in Acta.*

Sicut amor immundus inflammat animam ad terrena concupiscenda, et peritura sectanda vocat, et in ima præcipitat, atque in profunda demergit; sic amor sanctus ad superna elevat, et ad æterna inflammat, et de profundo inferni levat ad Cœlum. S. AUG. *in Psal.* CXXI.

Sicut mulier, si locupleti viro, aut honorato nubat, in summa pace et affluentia vitam deget; ita anima, quæ Deo per amorem se desponsat, fateri debebit cum Salo-

mone: Omnia bona venerunt mihi pariter cum illo, et innumerabilis honestas per manus illius, et lætata sum in omnibus. STAPLET. *in Dom. Quad.* § 10.

Sicut cœlum plus lucet, cum unum solis oculum habet, quam cum mille stellarum oculis distinguitur; sic anima mea a te unico Deo meo plus splendoris, quam ab omnibus creaturis accipit. Fabulis annumerari potest, quod Aristoteles narrat, ad Phasim amnem arbusculam nasci, quæ a marito in thoro collocata, conjugem fidam, et amore firmam reddat. Vere autem ejus plantæ gratiam præstare nobis potest Dei gratia, quæ cordibus nostris illata, amorem eorumdem firmare et devincire potest, ne vagam et lascivientem flammam per creaturas circumferant. MICH. STAUDAC. *Affectus* XLIII, pag. 129, loc. c. p. 137.

MOTIVA.

Quia in Deo omnia perfectissime velut in fonte continentur. Hinc S. Anselmus dicebat: Cur, o anima, vagaris per multa, quærens bona corporis et animæ? Quære unum bonum, in quo est omne bonum, et sufficit. S. ANSEL.

Et S. Augustinus: Si quæris verum gaudium, quære; sed non ubi quæris: quære in fonte; ibi enim omnia vivunt. Nam ut idem S. Doctor recte dixit: Si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? Amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. S. AUG.

S. Francisco Deum ardentissime amanti ac proinde Seraphico appellato, valde familiaria fuere verba illa: « Deus meus, et omnia. » Quænam etenim a quopiam imaginari poterit pulchritudo et venustas amabilior illa, in quam desiderant Angeli prospicere, quæque paradisum vere paradisum esse facit? Aliam adhuc rationem addit S. Thomas, dum ait: Bona creata delectant tantum superficialiter, Deus autem intime; solus Deus substantiam animæ substantialiter penetrat, et ideo medullitus delectat. S. TH. II, II, q. XXIII, ar. 8.

Clarius denique hoc proponens motivum S. Thom. Villanova sic loquitur: Amor, teste Philosopho, est naturalis inclinatio quædam in bonum, quanto ergo aliquid melius, tanto amore dignius. Primum igitur ac summum bonum, in quo omne bonum, quo amore prosequendum erit? Dic mihi, obsecro te, anima mea, quid tibi potest placere, quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te sapientia, sapientissimus est; si potentia, omnipotens est; si pulchritudo, candor est lucis æternæ; si divitiæ, si gloria, « Gloriæ et divitiæ in domo ejus; » si delectatio, si vita, « Delectationes in dextera ejus usque in finem, et vita in voluntate ejus. » S. TH. VILLA. ser. *de S. Maria Magd.*

Quia nemo dignior amore, quam Deus, uti idem S. Episcopus indicavit dicens: Quis amore dignior, quam Deus? Quis præstantior? Quis perfectior? Quis gloriosior? Nihil nobis contulerit Deus, nihil pro nobis passus fuerit, nihil nobis promiserit, certe propter hoc, quod ipse est, omni amore a nobis amandus est, quia scilicet ejus excellentia infinita infinito etiam amore dignissima est. Ibidem.

Quia invitat ad amorem, imo præcipit. Nam ut S. Bernardus ait: Huc nos provocavit anticipantis benignitas illius, qui nos et prior quæsivit, et prius dilexit, cujus utraque tam amica comperta suavitas, et ausum dedit, et verecundiam depulit, et movit affectum. S. BERN. s. § 4 *sup. Cant.*

S. Thomas de Villanovæ quoque obstupescit, quod Deus tanto hominem dignetur honore, ut se ab illo amari velit, idque sub gravi pœna ei facere præcipiat. Sed nequeo satis mirari, et intra me obstupesco, Domine mi, quid est hoc, quod sic amari vis a me, ut mihi mortem et æternos cruciatus mineris, si non amavero te? Tanti facis amorem meum? Quis ego sum, ut sic æstimes amari a me? S. Augustinus similem prorsus considerationem instituit dicens: Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus meus, quid tibi sum ipse, ut amari a te jubeas me, et nisi faciam, irascaris mihi? Hinc igitur infinita cognoscitur æstimatio, quam Deus de nobis habet; id quod continui calcaris et stimuli loco ad illum quoque æstimandum et amandum esse merito deberet. Totum Evangelium, omnesque hactenus datæ leges ad hunc amorem ordinantur. *Plenitudo legis est dilectio.* S. AUG. V, *Conf.* c. XX.

Porro S. Thomas de Villanova hæc omnia considerans continere se nequit, quin exclamet: Inter tot et tanta cœlestium Spirituum agmina, et tam splendidam, tamque decoram te diligentium multitudinem, despicabilis hujus ac vilis vermiculi tu, Domine,

non solum non despicis amorem, sed insuper velut grande aliquid et pretiosum cum minis et terroribus reddit ibi efflagitas et indicas! Multum dignificas me, dum sic amari vis a me; sed intelligo, Domine, quoniam in amore meo non tuam, sed meam inquiris utilitatem.

Quia sine caritate omnia nihil sunt, ut sapienter Richardus de S. Victore advertit dicens: Hæc est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur; non prædicatio, etiam si fiat lingua Angelorum; non fides, etiamsi montes transferat; non eleemosyna, etiamsi facultates in cibos pauperum distribuat; non corporis afflictio, etiamsi tradatur corpus ita, ut ardeat. Adeoque ad hoc, ut omnia opera apud Deum accepta et grata habeantur, necessum est, ut hujus amoris signaculo, velut legitimationis charactere sint obsignata, cui perfecte consonat, quod in S. Augustino legimus, scilicet: Sola caritas sufficit, si adsit; cætera omnia nihil prosunt, si sola caritas desit. Rich. de S. Victore p. I *de Gra. char.* c. iii.

Quia caritas omnia opera meritoria facit, uti S. Bernardinus indicat dicens: O quam pretiosus est amor, qui in conspectu Dei omnia pretiosa facit! Ideo aurum denominatur; aurum enim omnium thesaurorum pretium est. Adducitque jam mentionatam similitudinem, quod, sicut auro appretiantur omnia, quæ per illud comparantur; sic cunctæ hominis cogitationes et affectiones, cuncti sermones, insuper omnes operationes amoris pretio mensurantur. S. Bern. t. II, ser. v, a. ii, c. i.

Quia caritas est optima via perveniendi ad Deum, uti S. Thomas Villanova indicavit dicens: Hæc est via altior, via securior, planior et brevior perveniendi ad Deum, omnis via, quæ a charitate non procedit, circuitus est. Similiter Idiota ad Deum conversus dicit: Non ergo, Domine susceptor amoris et largitor, jejunium, oratio et eleemosyna est via recta omnino, sed amor et dilectio tua est via rectissima absque devio, via brevis absque tædio, via plana absque tumulo, via clara absque nubilo, via secura absque periculo, via jucunda cum bono socio, scilicet cum te, Domine, amantissimo duce. Si quis ad patriam cœlestem velit celeriter pervenire, per viam dilectionis et amoris ambulare debet, quia qui amat ardentius, currit velocius, et pervenit citius.

Quia Deus proprie noster est, juxta illud: « Diliges Dominum Deum tuum. » Quod confirmans S. Thomas Villanova sic loquitur: Si non diligis quia Deum, neque diligis quia Dominum, saltem dilige quia *tuum*. Quis enim propria sua non diligat? O homo, diligis vestem tuam, diligis domum tuam, diligis arva tua, dilige quoque *Deum tuum*. Dilige vel quia tuum; nihil enim ita tuum est, sicut Deus tuus, quia tibi magis est tuus, quam tu. Nimirum Sanctus hic Archipræsul considerat, quod nos creaturas vehementer amemus, et Deus noster, qui creator est omnium creaturarum, nonnumquam, ut ita dicam, contentus esset, si pari saltem, quo ipsas, prosequeremur et illum. Cur Deum maxime et super omnia tuum a communi tuorum exceptas dilectione? Solusne inter tua indignus a te judicatur amore, ut cum omnia tua diligas, ipsum maxime tuum minime diligas? Nonne indignabitur Deus super tam execrando contemptu? Pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, zonam tuam diligis, et Deum tuum non diligis? S. Thom. Vill. ser. *in Dom.* 17 *post Pent.*

Didacus Stella idem *tuum* ponderando, iisdem motivis, aliis licet verbis, utitur, dum ait: Deum dilige, quia tuus est; nam nihil est sic tibi proprium et tuum ut ipse Deus, qui potius tibi tuus est, quam tu ipse tibi.

Quia thesaurus est animæ, uti S. Laurentius Justinianus testatur dicens: Nullæ majores sunt divitiæ, quam Deum possidere, et charitatem habere. S. Laur. Just. *de Lig. vit.* c. iv.

Cui consonat, quod Idiota meditatur dicens: Amorem animæ thesaurus nullus superat; nescit enim homo pretium ejus, omne aurum in comparatione ejus arena est exigua; sine amore dives pauper est, et cum illo pauper dives est, quia qui Deum tota anima amat et diligit, jam habet, quem amat. In alio vero ejusdem tractatus capite scripsit: Non potest esse pauper, qui Deum habet, quem amat; et quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conscientia? Qui habet aurum in arca, dives non est, sed qui te habet in conscientia, dives est; unde scribitur de te: In me sunt divitiæ et gloria, ut ditem omnes diligentes me, et thesauros eorum repleam. Idiot. c. iv.

Quia omnes creaturæ suo exemplo incitant ad amandum Deum, uti Oleaster recte advertit: Omnia, inquit, etiam insensata dant Deo Creatori suo, quidquid ab eis postula-

verit, etiamsi id sua natura non habeant; solus homo negat Deo suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem, et præcordia sua, ac tandem merito ferrea nos viscera habere, et silicibus duriores esse concludit: Ferreus, et plus quam lapideus es, si dante petra aquas Deo et populo, tu non des Domino Deo tuo cor tuum. OLEASTER *in c.* XX *Num.*

Quia summe in nos beneficus est. Hinc S. Thomas: Præponderat, inquit, evidenter Deus, qui tibi communicans, et dat sua, et se; de donis datis magna et multa donavit in præterito; donat, et donare non cessat in præsenti; sed maxima, et plura donabit in futuro. S. THOM. opus. LXI, c. XI.

Alius quoque ejusdem nominis S. Thomas eleganter ostendit, quantum affectum nostrum ad se rapiat is, qui nulli alteri rei adeo intenta mente studet, quam ut nobis benefacere possit. Quem in sensum etiam Didacus Stella loquitur dicens: Saltem amorem ejus amplectere eo tempore, quo tibi benefacit, cum vero beneficia non contulerit, non eum diligas; parum certe homo ab homine peteret, qui solum postularet, ut, si quando beneficia aliqua ipso actu in eum exerceret, tum temporis diligeret; cum igitur Deus omni tempore, et omni hora beneficiis factis alia majora et ampliora semper cumulet, amorem semper illi debes. Ita S. Augustinus injuriam illam, quam anima ingrata Deo facit, dum tot se ab eo beneficiis cumulatam cernens, eum non amat, graviter exprobrat, dicens: Majorem caritati ejus injuriam facis, si dona illius accipis, et tamen vicissitudinem dilectionis non impendis.

Quia per Eucharistiam, se suaque omnia donat. Hinc S. Augustinus: Ama amorem, inquit, illum, qui amore tui descendit in substantiam panis, et ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis. S. AUG. l. II *de catech. rudibus.*

S. Laurentius Justinianus, in libro de *Casto Connubio*, de cælesti inter Deum et animam sponsalitio tractans ait: Quid se majus dare potuit? Se fecerat fratrem, et ad humanæ inclinaverat naturæ consortium; parum se judicavit egisse, nisi etiam se daret in cibum. O incomprehensibilis bonitas! Et paulo post, quonam ad hoc faciendum motivo ductus fuerit, edisserit dicens: Ut per quotidianum experimentum ipsius agnoscatur dilectio usque ad mundi terminum, voluit, ut hoc perseveret mysterium.

Quia propter beneficium redemptionis amorem nostrum specialiter sibi vindicat, ut præclare S. Augustinus advertit dicens: Magnum quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum, sed multo plus est, quod transiisse ipsum video in pretium meum; quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. S. AUGUST. ap. MANSI. dis. x, n. 1.

Hinc Didacus Stella merito dixit: Tot sunt ora, tot linguæ, quæ in ejus amorem invitant, quot sunt vulnera, quæ in suo corpore pro tuo amore accepit, quilibet ictus est lingua quædam, quæ semper vociferatur, ut eum diligas. DID. STELLA, *in c. X Luc.*

Et S. Thomas Villanova exclamat: Heu, heu! dic, obsecro, o Christiane, qui nomen Christi solo verbo profiteris, despicis in Christo, quod non despicis in vernaculo, et in filio æthiopis amas æthiopem, et multum amas, et juste amas, quia ipse amat te. Et amat te Deus tuus, et amore tuo ardet, et pro tuo amore moritur, et solus Deus et ejus dilectio habetur contemptui, non dignus redamari putatur! Et alibi: Si adhuc in amando frigidus inveniris, duriorem te lapidibus ostendis, siquidem ad tantæ dignationis conspectum durissimi lapides confracti sunt, et qui sensum non habent, sensum ostenderunt, ut attendas quid facere teneantur hominum corda, si tantum pondus amoris, neque rupes ipsæ sustinere valuerunt. S. THOM. VILL. c. III. *in Dom.* 17 *Pent.*

Quæ omnia iterum confirmans S. Augustinus: Opus, ait, nostræ redemptionis totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facile sibi vendicat, totum hoc, inquam, est, quare devotionem nostram et excitat melius, et quærit suavius, et auget amplius.

Quia omnes causæ amoris ab Ethnicis assignari solitæ, nempe bonitas, pulchritudo, similitudo, amor, *perfectissimo modo in Deo reperiuntur.*

Quia Deus omnem amandi potentiam in animam plantavit, ergo illi fructus et primitiæ debentur amoris. Quis enim plantavit vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat? I. COR. III, 8.

Ideo Deus jussit: Primitias frugum

terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Exod. xxiii. Atqui primitiæ cordis sunt affectus, amor, etc. ergo.

Quia Deus est nostrum totum, sed pars diligit naturaliter suum totum ; ergo.

Quia Deus hominem ad amandum creavit. Hinc Deus hominem ultimo creavit, postquam Angelis cœlos, terram animalibus, aerem avibus, piscibus undas diviserat, ut indicaret, homini nihil aliud superesse, quam Deum.

Quia amor est donum ex natura sua et donum per se, ergo bono ex natura sua debetur, quale est solus Deus.

Quia nihil æquius, utilius, dignius, jucundius, facilius est amore Dei. uti ex sententiis SS. PP. supra citatis patet.

MEDIA.

Consideratio creaturarum, nam ut Richardus de S, Victore ait : Integer amator Dei, quocumque se vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his pro speculis utitur, et in omne, quod cernit, sui amatoris sibi resultat memoria. Aspicit cuncta, quæ condidit, et quo condiderit fine, et in his non tam admirabilis, quam amabilis sibi occurrit; atque ex arrha dilectionis, quam præcontulit, sapienter æstimat, quanta reservavit in dotem. Castus profecto columbinusque oculus amor est, qui in rebus humano usui concessis nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum. Rich. de S. Vict. *de Gradibus caritatis*, c. iii.

Quod confirmans S. Augustinus : Si ista diligis, inquit, ut subjecta dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini, sic tamen, ut memineris semper, quid illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum, nec ista cum illo, sed ista propter illum, et per ista illum, et super ista diligas illum.

Consideratio sui ipsius. Sic enim S. Bernardus suasit dicens : Quærat homo eminentiora bona sua in ea parte sui, qua præeminet sibi, hoc est, in anima, quæ sunt dignitas, scientia, virtus. Dignitatem in homine liberum arbitrium dico, in quo ei nimirum datum est, cæteris non solum præeminere, sed et præsidere animantibus. Scientiam vero, qua eamdem in se dignitatem agnoscat, non a se tamen. Porro virtutem, qua subinde ipsum, a quo est, et inquirat non segniter, et teneat fortiter, cum invenerit. S. Bern. v *de Tit. Dei.*

Meditatio assidua bonitatis et pulchritudinis divinæ, de hac enim verificatur illud S. Davidis : Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. Psal. xxxviii, 4.

Magnum desiderium ; nam initium sapientiæ et caritatis concupiscentia disciplinæ, teste Salomone. Sap. vi.

Imo, ut idem testatur, præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.

Generosus contemptus omnium rerum extra Deum, quia, teste S. Augustino, diminutio cupiditatis est augmentum caritatis. Et hic proprie locum habet illud Thom. Kempensis : Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Lib. I de *Imit.* c. xxv. Et illud Dei apud S. Joannem : Vincenti dabo manna absconditum, Apoc. ii, 17. Amoris scilicet divini omnem saporeme minenter continentis.

ASCETICA.

De hac virtute nosse debet Asceta, in e totam perfectionem et felicitatem hominis consistere; uti S. Thomas ostendit. S. Thom. I. II, qu. i, ar. 3.

Et colligitur ex eo, quod perfectio et felicitas hominis consistat in possessione summi boni ; hæc autem possessio cum non possit ordinaria via haberi per realem unionem, necessario per intentionalem, qualis est caritas, obtineri debet. Hinc colligitur, cur Christus dixerit : « Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est. » Matth. xi, v. ult.

Indicare enim voluit, quod, sicut Pater seu natura divina cum Paternitate identificata quodammodo perficitur, et completur, dum seipsam perfectissime cognoscendo generat Filium, et cum hoc spirat Spiritum Sanctum velut perfectissimum amorem, atque adeo ipsius Patris perfectio in perfectissima sui cognitione et amore consistit, ita hominis quoque perfectionem in iisdem duabus entitatibus consistere.

Nosse debet, quid requiratur ad dictam unionem, seu amorem, nempe quod duas partes involvat, amorem scilicet *affectivum*, qui consistit in hoc, quod Deus et nos ad exemplum illius velit sibi bonitatem summam, et summe

gaudeat se esse eum, qui est, id est summe bonum et perfectum. Et *effectivum*, qui in hoc consistit, quod omnia, quæ ad extra operatur, ad majorem suam gloriam dirigat, id est, ad hoc, ut clarius et perfectus semper cognoscatur et ametur a creaturis, conformando se ejus sanctissimæ voluntati in substantia, modo, et fine nostrarum actionum, ut advertit P. Caraffa, in *Itinerario*; vel, ut alii clarius explicant, eligendo semper et agendo vel patiendo, *quæ Deo magis placent* (qualia sunt cæteris paribus, in quibus amor copiosius demonstratur, uti fit per tribulationes fortiter perpessas; hæc enim ostendunt, firmam hominis cum Deo unionem intercedere, cum per tantam violentiam abstrahi se a Deo non patiatur. Item per caritatem proximo velut imagini Dei exhibitam, per hanc enim fit, ut amplius cognoscatur et ametur Deus, atque ideo iterum major longe in amante affectus arguitur, quam si solus ipse Deum amare studuisset) *quo modo magis placent* (uti fit, si cum magna alacritate, diligentia, et constantia opus peragant; hæc enim omnia magnam iterum in amante æstimationem Dei, et adhæsionem ostendunt) *et quia magis placent*, id est, purissime propter ipsius beneplacitum, unde ex hoc capite tanto perfectior est amor, quanto minus solatii, vel præmii a creaturis sperat, vel capit.

Nosse debet, quod ex hac unione velut perfectissima regula cujusque hominis profectus in perfectione sit metiendus. Pro quo notandum ex S. Thoma: Perfectionem caritatis ex parte diligentis tunc perfectam esse, quando diligit quis tantum, quantum potest. S. Th. I, II, qu. XXIV, a. 2 et 9.

Quod contingit tribus modis. Primus est, ut totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, et hæc est perfectio caritatis in patria, in via autem ordinarie possibilis non est ob humanam infirmitatem. Secundus modus est, ut quis totum cor suum habitualiter figat in Deo, ita scilicet, ut nihil cogitet, vel velit, quod divinæ caritati sit contrarium, quale est solum peccatum mortale; et hæc caritas est de necessitate salutis. Tertius modus est medius inter hos duos, ad quem duo requiruntur. 1. Ut quandoquidem aliquis semper actualiter in Deum ferri non potest, conetur, saltem quantum necessitas præsentis vitæ patitur, actualiter cum Deo uniri, ut S. Thomas pulchre docet, dum ait: « In cœlo una et continua et sempiterna operatione mens hominis Deo conjungitur, sed in hac vita, quantum deficimus ab unitate et continuitate talis operationis, tantum deficimus a beatitudine et perfectione. Licet ergo homo non semper actu operetur hujusmodi operationem, tamen quia in promptu habet eam, semper potest operari; et quia etiam ipsam cessationem, puta somni vel occupationis naturalis ad prædictam operationem ordinat, quasi videtur continua operatio esse. S. Th. I, II, q. 3.

2. Requiritur, ut vitia et affectiones sic aliquis habeat mortificatas, ut ab illis vix aut parum impediatur vel retardetur unione cum Deo, sed potius fruatur pace interna, quæ est effectus perfectæ caritatis. Atque hæc perfectio in hac vita haberi potest, non tamen præcepta est, sed solum sub consilium cadit. Et ex hac potissimum profectus colligendus est, quo enim magis accedit ad primum gradum; scilicet Beatorum caritatem, tanto major perfectio censetur.

Nosse debet, cur caritas inter omnes virtutes excellentissima dicatur, nempe, quia Deum attingit, ut in ipso sistat, et non ut ex eo nobis aliquid proveniat, uti S. Thomas docet. Cur item sine caritate reliquæ virtutes nihil æstimentur, nimirum quia per ipsam homo et omnes ejus actus et virtutes ad ultimum finem diriguntur; quam ob causam etiam a SS. PP. et Ascetis regina et forma virtutum reliquarum dicitur, quia scilicet omnes, ut supernaturalem bonitatem habeant, ipsi in ordine ad finem suum consequendum servire debent, atque ab ipsa velut radice prædictam bonitatem supernaturalem accipiunt. S. Th. II, II, q. XXIII, a. 6.

Ex modo dictis sciat sequentia sex Axiomata erui posse, non parum servitura Ascetæ ad perfectionis studium prosequendum. Primum est. « Nemo bonus nisi solus Deus, » quia in Deo tanquam fonte reperitur vera bonitas. Secundum: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, præter amare Deum, » quia ad imaginem Dei facta anima rationalis cæteris rebus occupari potest, repleri non potest, ut recte dixit S. Bernardus. Tertium: « Minus Deum amat, qui aliquid præter ipsum amat quod propter ipsum non amat; » quia hoc ipso ostendit, se dignam de Deo æstimationem non habere, ut qui in ipso tanquam fonte verum gaudium haurire non malit. Quartum: « Nullum malum, nisi peccatum; » quia scilicet hoc solum privat

vero bono, aut certe minuit conjunctionem cum illo. Quintum : « Nemo læditur, nisi a seipso; » quia nemo invitus ad peccatum cogi potest, a quo solo, ut dictum, vera læsio timeri debet. Sextum : « Non est pax impiis; » quia cum res quævis non nisi in centro suo quiescat, impius autem a Deo velut centro suo discedat, hoc ipso pacem sperare non potest.

Nosse debet quatuor amores, quos S. Maria Magdalena de Pazzis communicandos sponsis Verbi divinitus accepit. Primus est *unitivus*, qui cum magna velocitate eas unit cum sponso, ac purificat certas maculas imperfectionum, quas habere possent sponsæ.

Secundus amor est *communicativus*, quem qui habet, non potest eum gustare, nisi videat eum gustari simul ab omnibus creaturis, et libenter se privaret Deo, ut illum posset communicare cuilibet creaturæ, sicut eum gustavit Paulus cum dixit : « Optabam anathema esse a Christo, pro fratribus. »

Tertius est *transformativus*, qui facit, ut anima per participationem voluntatis et amoris, fiat quasi unus quidam Deus, et hæc transformatio est quasi vinculum, quod vincit et ligat animam cum Deo.

Quartus est *præsentativus*, qui facit voluntatem operari sapienter et prudenter; quia facit ut operationes omnes fiant recta intentione, tantum ad honorandum Deum, prudenter, ut conserventur omnes virtutes, quæ producent in anima amores. Qui simul uniti in unum, facient pretiosissimum annulum ad desponsandam sponsam. VITA, par. III, § 5.

Nosse pariter debet naturam divinæ dilectionis, quam quidem eleganter declaravit S. Thomas sic scribens : Natura humani cordis cognata est dilectionis actioni; est enim cor in complexione calidum et siccum, hæc est ignea natura, sicut naturale igni calere est, ideo naturale est cordi amando ardere. Adducitque sequentem Hugonis a S. Victore auctoritatem, ita scribentis : Vita cordis amor est, et ideo impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere quærit. Psal. XXXVII : Concaluit cor meum intra me, calidum consequitur leve, et sursum mobile; sed heu ! « Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem ? » Prosequitur deinde causas structuræ et architecturæ cordis humani, et primo quidem loco cordis substantiam ex materia solida constare considerat, hujusque mysticam quamdam et spiritualem reddit rationem dicens : Est cor in substantia solidum, ne facile a voluptate dissolvatur; est inferius acutum, superius latum; inferius acutum, ut ad temporalia, et hæc inferiora modice attingat; superius latum, ut ad cœlestia dilatet affectum. Item est interius concavum, in signum, quod per creaturas sufficienter impleri non valet, citatque sequens S. Bernardi testimonium, dicentis : Capacem quippe Dei rationalem animam, quidquid Deo minus est, non implebit. S. THOM. opusc. LXI. c. XXIX.

Nosse debet modum recte diligendi Deum, quem iterum percommode S. Thomas sequentibus verbis indicavit : Ex parte diligentis tunc est caritas perfecta, quando diligit tantum, quantum potest, quod quidem contingit tripliciter : Uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, et hæc est perfectio caritatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, per humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, et moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, et rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas vitæ præsentis requirit, et ista perfectio caritatis, quæ possibilis est in vita, non tamen est communis omnibus habentibus caritatem. Tertius vero modus, quem assignat, cuilibet statui, sexui, ætati, conditioni, et personarum professioni adaptari potest, estque facilis, et ab unoquoque practicabilis; sic enim loquitur : Tertio modo ita, quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium, et hæc perfectio est communis omnibus caritatem habentibus. Ibidem II, II, qu. XXIV, art. 8.

Nosse debet, quomodo creaturæ, salva caritate Dei, diligi queant, id quod S. Augustinus sic declarat : Quando vobis dicitur : Nolite ista diligere, an hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis ? Non hoc dicitur, sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione, ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis. Et iterum alibi : « Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus, » ita ait : Amorem parentum, uxoris, filiorum non abstulit, sed or-

dinavit; non dixit, qui amat, sed qui am... super me; hoc est, quod Ecclesia loquitur in canticis Canticorum : « Ordinavit in me caritatem. » Ama patrem, sed noli supra Dominum; ama genitorem, sed noli supra Creatorem. S. AUG. apud MANSI, disc. XIV. num. 1.

Quod confirmans S. Leo sic loquitur: Æternis bonis inseparabiliter inhærendum; temporalibus vero transeunter utendum est, et peregrinantibus nobis, et ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebræ mansionis. S. LEO ser. V *de jejun.* 7. *mens.*

Nosse debet signa veræ dilectionis; quæ quidem breviter indicavit S. Laurentius Justinianus dicens : De signis, quibus cognoscitur, utrum homo Deum diligat, hæc accipe : cum aliquis cogitat de Deo libenter, et audit, cum quis libenter pro Deo dat, cum quis pro Deo libenter patitur. S. LAUR. JUST. *de Lign. vit.* c. XI.

Quod confirmans S. Bonaventura : Vis scire, inquit, si Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo ames? Attende, si de Deo plus, quam de aliis rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas? Ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est; si plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de amico vel socio, quam de Christo, non vertas in dubium, sed tibi certissimum sit argumentum, quod ames ista plus, quam Christum. S. BONAV. Ser. *de S. M. Magdalena.*

Hinc sponsus sponsæ dixit in Canticis : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » CANT. III, 6; ut per hoc nobis insinuaret, ut non diligamus verbo, neque lingua, sed opere. Medicus infirmi vigorem exploraturus pulsum cum primis tangit, qui si debilis est, vitam periclitari significat; simili modo Idiota ait : Amor vita est animæ, et qui non amat, mortuus est; si autem, an vita hæc in debito vigore constituta sit, an vero languescat, experiri volumus, opera examinemus; nam probatio dilectionis exhibitio est operis. Amor semper aliquid operatur, inquit idem Idiota, semper crescit, et augetur.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Potest ostendi, quomodo militia sit vita nostra super terram, et quomodo per gladium S. Michaelis : « Quis ut Deus? » vincere omnes tentationes possumus etc. In exordio ergo dicat concionator, videri sibi nobis contingere, quod Judæ Machabæo, cui Jeremias dedit gladium aureum dicens : Accipe gladium sanctum munus a Deo, in quo dejicias adversarios populi mei etc. II MACH. XXV, 15.

In corpore ostendat, quatuor occasiones esse, in quibus homo tentari solet, ut ad creaturas se convertat, 1. In *spectatore*, operum suorum quærendo; est quippe homo laudis a natura cupidus, et per hoc similis Japonibus, qui etiam magno salario persoluto tristes abeunt, nisi addatur illud encomium : « Optime laborastis. » Sed in hac tentatione facile vincemus hoc gladio, *quis ut Deus?* qui omnes conditiones veri spectatoris ita contineat. Est quippe 1. summæ auctoritatis, ut plus sit ipsi placere, quam infinities infinitis creaturis. Est 2. summæ sapientiæ, ut possit judicium ferre de operibus. Est 3. omniscius, qui etiam cor et intentionem intuetur, et secundum illam judicat. An non ergo de illo recte usurpatur illud Epicteti : Hæc ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Et illud Jobi : Ecce in cœlo testis (et spectator) meus. JOB. XVI, 20.

2. In *adjutore* pro necessitatibus quærendo. Sed quis ut Deus? qui *sciat*, *possit* et *velit* juvare; quæ tres sunt conditiones ad adjutorem requisitæ, et facile deduci fusius possunt. Hinc merito illam sibi Thomæ Kemp. Dei nomine probatam exhortatiunculam applicet: Fili, ego Dominus confortans etc. l. III, *de Imitat.* c. XXX.

3. In *consolatore* quærendo; nam libenter, teste eodem auctore, habemus aliquid pro solatio etc. L. II *de Imit.* c. IX. Sed quis ut Deus? qui utpote summum bonum potest satiare, omni loco et tempore, et sine omni labore, aut grandi pretio haberi, quæ sunt conditiones veri consolatoris. Juvabit ad hanc veritatem dilatandam, cap. XVI l. III ejusdem auctoris. 4. In *præmiatore* quærendo; nam unum fere, teste Thoma eodem libello, est, quod multos a profectu retrahit, horror difficultatis, et labor certaminis. Hinc prima quæstio cum Davide plerumque movetur : Quid dabitur viro, qui percusserit? Sed quis ut Deus? qui nos ultro adhortatur illis verbis, ad Abrahamum, Gen. XV, 1. dictis : Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum, et merces

magna, nimis. Vere merces magna, quia Dei beneplacitum, quod solum verus amans, quærit, est 1. *Summum præmium*, utpote quod Beati etiam ipsi beatitudini suæ et deliciis longe præferunt. 2. *Semper præsens*, quia in illo statim instanti, quo opus peragitur, conferri solet. 3. *Inauferibile*, quia impossibile est, ut opus, quod semel placuit, non semper ei placeat. Claudatur ergo concio illis Psalmi versiculis: Quid mihi est in Cœlo etc. PSAL. LXXII, 25. Mihi adhærere etc. v. 28.

Potest ostendi, cur Christus dixerit de præcepto diligendi Deum : Hoc est maximum et primum mandatum. MATTH. XXII, 38.

Nempe maximum. 1. *Necessitate*, quia qui non diligit, manet in morte. I. JOAN. III, 15.

Hinc S. Aug. : Sola caritas sufficit, si adsit; cætera omnia nil prosunt, si caritas sola desit. S. AUG. tom. L.

Et S. Paulus : Si linguis etc. 1, COR. XIII, 1.

2. *Dignitate*, quia major omnium virtutum caritas; utpote quæ est regina et forma illarum; et ex illius quantitate cujusque animæ quantitas mensuratur, ut S. Aug. ait.

3. *Utilitate*, quia cum hoc præcepto omnia bona pariter veniunt, nam amanti Deus dicit illud Exodi : Ego omne bonum ostendam tibi etc. EXOD. XIII, 19. Si enim non est inopina timentibus eum, teste Davide, PSAL. XXXIII, 10 ; quanto minus amantibus eum, quidquam deerit?

4. *Jucunditate*, quid enim jucundius, quam summo bono frui, semper veri gaudii ad fontem sedere, in centro suo quiescere, summum præmium sperare, scilicet plenam ejusdem boni et centri possessionem?

5. *Faciliate*, vide sent. SS. Patrum supra §. 3, et simil. §. 7. An non de illo merito dicitur illud : Mandatum hoc, quod ego etc.? DEUT. XXX, 11.

Claudatur ergo concio hortando, ut auditores sibi dictam putent illam Dei adhortationem. Considera etc. ac proinde maximum hoc mandatum, maximo affectu amplectantur, maximo conatu implere satagant, et maxima denique constantia continuent, ut maximum præmium, id est, maximam cum Deo unionem, et per hoc maximam felicitatem acquirant. Vide Fabr. Dom. 17, post Pent. conc. I. et Stapl. in ead. Dom. §. 3.

Potest ex occasione illius sententiæ a sponsa prolatæ : « Introduxit me in cellam vinariam, et ordinavit in me caritatem. » CANT. II, 14.

Declarari mira vis et efficacia per similitudinem ebrietatis, et exordium fieri a judicio Judæorum, quo judicarunt Apostolos ebrios esse, et musto plenos, ACT. II, 11; dicique cum S. Cyrillo, Catech. XXVII, vera dicunt Judæi, novum enim vere erat illud vinum, novi Testamenti gratia (et caritas). In ipso deinde corpore comparari possunt effectus ebrietatis cum effectibus caritatis. Et 1, quidem, quia hominem quodammodo ratione naturali privat, et in alium hominem mutat. 2. Quia facit hominem impavidum et animosum. 3. Quia facit pugnacem, et obvios quosque invadentem et provocantem ad gustanda vina. 4. Quia facit jucundum et hilarem, imo omnino quasi insanientem. 5. Quia accendit et inflammat hominem. Quæ omnia pulche caritati applicari possunt, uti videre est apud Fab. Fer. II, Pentec. conc. VI.

Potest utilis concio fieri de signis amoris, qualia sunt : 1. *Frequenter* de Deo cogitare. Juxta id : Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. MATTH. VI, 21.

2. *Libenter et reverenter de eo loqui*, juxta illud Luc. VI, 43. Ex abundantia cordis os loquitur.

3. *Revelare ei arcana*, præcipue in confessione, juxta illud : Quomodo dicis, quod ames me, cum animus tuus non sit mecum? JUD. XVI, 15.

4. *Libenter*, et quasi *inseparabiliter conversari*; nam inaudita est dilectio, quæ amicum diligit, et præsentiam ejus non amat, inquit Cassiodorus, *super Ps.* XVIII. Hinc S. Paulus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. I. PHILIP., 23.

5. *Facere*, *quæ placita sunt ei*, juxta illud Joannis : Ut cognoscat mundus, quoniam diligo Patrem etc. JOAN. XIV, 31.

6. *Contemnere pericula et adversa propter ipsum*, quia fortis est ut mors dilectio, CANT. VIII, 6; et majorem caritatem nemo habet, quam qui animam suam ponit pro amicis suis. JOAN. XV, 13.

7. *Etiam imaginem illius*, *et alia ad ipsum pertinentia diligere*, juxta Proverbium : Qui amat quempiam, etiam canem ejus diligit, quanto magis proximum similem sibi? Juxta illud S. Joannis : Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. I JOAN. IV, 12.

Potest etiam ex occasione verborum illorum Levitici : « Ignis semper in altari meo ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna. » LEVIT. VI, 12.

Caritas igni comparari, et id probari in prima parte ex proprietatibus illius. 1. Quod semper tendat sursum ad suum centrum, ita et caritas, juxta illud S. Augustini : Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. S. AUG. l. IX *Conf.* c. I. 2. Quod purificet, illuminet, calefaciat, uti facile ex effectibus caritatis supra indicatis videre est. 3. Quod valde fortis sit, et omnia in nutrimentum suum convertere conetur, quod vel maxime caritati convenit, ut quam aquæ multæ non potuerunt extinguere; nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Hinc dicat cum S. Paulo : Quis nos separabit a caritate Dei? etc. ROM. VIII, 25.

In secunda parte potest ostendi, quomodo hic ignis nutriri a nobis debeat per considerationem beneficiorum creationis, redemptionis, institutionis Sacramentorum, justificationis, prædestinationis etc. juxta illud S. Augustini : O ignis qui semper ardes, et nunquam extingueris ! O amor, qui semper ferves, et nunquam tepescis ! Unde mihi verbum, ut exprimam signa dilectionis tuæ erga me propter innumerabilia beneficia, quibus ab initio educasti me? etc. S. AUG. c. XVIII, *Solil.*

In epilogo posset invocari Spiritus S. dicendo : Veni, S. Spiritus etc.

Potest alio modo caritas igni comparari, et in exordio narrari fabula de Prometheo ignem seu particulam divinæ auræ de cœlo auferente, ut corpus a se confictum animaret, dicique, hoc cum veritate dici posse de corpore Ecclesiæ mystico, et igne caritatis a S. Spiritu allato. Ostendatur postea in corpore concionis, quomodo caritas sit anima Ecclesiæ et membrorum ejus. Et 1. quidem : quomodo exerceat officium animæ vegetativæ, faciens hominem attrahere alimentum et vegetari. Est autem triplex hoc alimentum, scilicet : Verbum Dei, S. Eucharistia, Voluntas Dei etc. quæ in antiquo Testamento parum, vel omnino non attrahebantur, unde Deus per David querebatur : « Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas. » PSAL. XCIV, 10. Sed post adventum Spiritus S. velut animæ mox copiose, et quidem Eucharistiam etiam quotidie attrahebant, et per hoc adeo vegetabantur, ut contra omnes tentationes robustissimæ evaderent. 2. Quomodo exerceat officium animæ sensitivæ, faciens videre cœlestia per meditationem et fidem, audire Verbum Dei et inspirationes illius, odorari odorem bonorum exemplorum et virtutum a Christo et SS. relictorum, gustare suavitatem Domini et bonæ conscientiæ, tangere difficilia etiam opera, quæ prius horrebat; movere se, et ambulare viam mandatorum et consiliorum, immo exultare ut gigantes ad currendam viam, ita ut diceret sponsa : Similis est dilectus meus capreæ etc. 3. Quomodo exerceat officium animæ rationalis, recte apprehendendo cœlestia, et terrestria spernendo cum S. Paulo : Omnia detrimentum feci etc. Et cum S. Ignatio : O quam sordet mihi terra, cum cœlum aspicio ! Judicando sincere, Deum esse super omnia amandum, seipsum odio habendum, proximum diligendum sicut seipsum, omnia esse vanitatem præter amare Deum etc. Discurrendo, et convincendo voluntatem, ut amplectatur, quæ Christus amavit, et fugiat, quæ ille vitanda docuit. Volendo recte, ut amplectatur virtutes, et vitia fugiat, conformando voluntatem suam cum divina etc. reminiscendo semper Deum, et dicendo cum S. David : Providebam Dominum etc. PSAL. XV, 8. Memor fui Dei, et delectatus etc. PSAL. LXXVI, 4.

In epilogo hortari posset, ut hanc animam omni custodia defendant, quoniam ex ipsa vita procedit. Atque adeo fugiant ignem concupiscentiæ, aquam terrenarum delectationum, laqueum divitiarum, latrones malos socios, vulnera peccati mortalis, etc. nutriant calorem naturalem pane Angelico, hauriant aerem divinarum inspirationum et gratiæ divinæ per orationem, juxta illud : Os meum aperui et attraxi spiritum. PSAL. XI, 131. Non ascendat in altum, ne cadat, et elidat spiritum; semper sit memor illius Matth. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur etc. MATTH. XVI, 2, 26.

Potest caritas auro comparari, juxta illud Apocalypsis : « Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, ut locuples fias. » APOC. III, 17.

In corpore concionis possunt quatuor auri proprietates comparari cum effectibus amoris; nempe. 1. Præstantia auri super alia metalla cum dignitate amoris. 2. Utilitas ad omnia cum efficacia caritatis ad omnia a Deo impetranda; si enim pietas ad omnia

utilis, quidni multa magis caritas? Si quærentibus Regnum Dei omnia adjicientur, quanto magis diligentibus? Tunc implebitur illud: Carissimi, si cor nostrum etc. I JOAN. III, 30. — 3. Aptitudo dilatationis cum extensione caritatis ad proximum; dum cedens percussionibus, seu persecutionibus se magis dilatat, et sinum quodammodo magis aperit, etiam inimicis. 4. Vis confortandi cor cum virtute caritatis eumdem effectum spiritualiter præstante ante, in et post mortem; quæ omnia facile fusius deduci possunt. Hortetur ergo, ut emant hoc aurum offerendo pro eo seipsos, sicut sæpe homines se diabolo pro auro transcribunt, tantoque promptius faciant, quanto præstantius et verius est hoc aurum, et quanto certiora promissa a Christo, quam diabolo facta. Subscribant ergo se sanguine suo, et promittant se multos in obsequium adducturos.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Balthasar Alvarez, ex Societate Jesu, aiebat, religiosas domos videri sibi nosocomia divina caritate vulneratorum. Qui enim aliter ibi ex disciplina vitam possent traducere? Fornaces item, in quibus innumerabilibus Dei donis, quasi subditis ignibus corda quantumvis lapidea amore solverentur. Nimirum tum ex rei dignitate loquebatur, tum ex animi sententia, cum ita comparatus viveret, ut humanis omnibus major, Deoque tantum modo intentus. JOAN. RHOD. v. *amor.* exem. XV.

Sacer textus refert, quod *plurima turba sequebatur Christum*, et causam hanc adjicit, *quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Variæ fuerunt sequelæ consilia. Namque alii illum sequebantur, ut viderent miracula nova, hi curiosi. Alii, ut comederent de panibus ejus, hi gulosi. Alii, ut sanitatem reciperent, hi infirmi. Alii, ut eum in sermone caperent, hi Pharisæi. Alii, ut doctrinam ejus acciperent, hi Discipuli. Cumque tam multi illum sequerentur, solos hoc nomine laudat Discipulos, dicens: « Vos, qui secuti estis me. » Matth. XIX, vers. 28. Sed quomodo Christus solos ait secutos Discipulos, cum Joannes dicat: *Sequebatur eum multitudo magna?* Respondet, Christi arbitrio et existimatione eos solos illum sequi, qui solum sequuntur, ut sequantur, et ob id tantum amant, ut ament, sine alterius lucri cujuspiam expectatione, aut cupiditate, quia et hoc omnium maximum lucrum est, quod Deus amari se permittit a creaturis tam vilibus et abjectis, quam sunt homines, itaque vult etiam diligi, tantum ut diligatur, quia amor, qui non est avidus lucri, huic Deus plurimum defert. Propterea dicebat S. Augustinus, tractatu septuagesimo sexto in Joannem: Quia diligunt, eliguntur; hoc est, ii, qui amant solum, ut ament, hos Deus unice amat, ii Dei ingenium, quantum homini fas, referunt, et mores æmulantur. DIDACUS NYSSENUS. *Dom. 4 Quadra.* § 3.

Dignum est notatu, quod Deus in veteri lege cavit, ne sibi asinus offerretur: « Nolo mihi brutum tam brutum immoles, sed primogenitum asini mutabis ove, quod si non redemeris, interficies, » inquit, Exod. decimo tertio, versu decimo tertio. Bovem e contra tam gratum habebat, ut eum sibi litari etiam præceperit. Quid vero causæ, quod tam vehementer et probarit bovem Dominus, et improbarit asinum? Sanctus Basilius Magnus in caput primum Isaiæ reddit rationem quam acutam, tam opportunam, aitque ab Isaia indicatam causam, cum inquit: « Bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. » Isaiæ c. I, v. 3. Bos dominum suum novit, nec præter illum aliud quidquam spectat. Asinus vero non domini, sed præsepis, sed pabuli, sed commodi sui rationem habet. Hinc jam elucebit, quare domo sua prohibeat asinum, quare tecto dignetur bovem Deus. Facit nempe hoc, ut intelligatur, eos solos Domino charos, qui pro more bovis cognoscunt possessorem suum, illumque solum, nec aliud extra, aut præter ipsum spectant, ii scilicet diligunt illum tantum, ut diligant; sed qui asino similes solum sibi quæstum, et emolumentum proprium propositum habent, ut asinus præsepe domini sui, hos non tantopere diligit Deus; nec enim amat amatores ambitiosos utilitatis suæ, nec gratam habet voluntatem, quæ commodis propriis nititur. Ibidem.

Disputat S. Joannes Chrysostomus ibidem, utrius horum sanctorum Patriarcharum major fuerit fides, et amor in Deum. Desinitque ita: Majorem iste (Henoch) fidem, quam Abel ostendit. Quo argumento id, Doctor sancte, evincis? Eo, inquit, quia nihil illi retributum erat. Obsequia Henochi nulla exteriori benevolentia remuneravit Deus, uti

Abelis, qui cum lectiora et præstantiora obtulit, *respexit Dominus ad Abel*, Geneseos quarto, versu quarto, ubi aliorum versio habet : « inflammavit Dominus super Abel, » igne scilicet inde submisso, quo significabat, acceptam sibi esse ejus oblationem, et gratum officium. Numquam tale quidquam cum Henoch egit. Is vero est integerrimus amor, inquit Chrysostomus, ea sincerissima fides hominis, qui Deum amabat, illique credebat et serviebat, quamquam nullo indicio declaratum haberet, talia sua opera illi probari, hinc enim palam erat, quod Deum amabat tantum, ut amaret, eique famulabatur solum, ut famularetur; neque magnum erat, quod Deum Abel diligeret et coleret, privatum enim suum hoc ex illo emolumentum habebat, quod sciret grata esse illi sua obsequia. Minus ergo aliquid hac re faciebat, quam Henoch, ut proinde bene dictum sit a S. Chrysostomo : Majorem fidem habuit Henoch, quam Abel, quia nihil illi retributum erat. Ibidem.

Salus mundi tantis sæculorum omnium suspiriis expetita in lucem mundi prodiit, quod cum Angelus quidam pastoribus nuntiasset, subito facta est cum illo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Lucæ II, 13, 14. S. Cæsarius notavit pacem e cœlis nuntiatam non boni ingenii, felicis memoriæ, multarum divitiarum, sed bonæ voluntatis hominibus. Quare his solum pro bona sua voluntate, non aliis similiter pro opum copia, ingenii præstantia, virium robore, corporis valetudine pax nuntiata fuit? Respondet ille, homil. XIX : Quia potest dicere aliquis, facultatem non habeo. Ut non obsecundes Deo præcipienti eleemosynam, inopia facere potest. Infirmum ægra sua valetudo excusat, ut sit immunis a jejunio. Sic alia sunt non pauca, quæ homo, cum per vires suas moraliter nequeat, non teneatur etiam præstare, quamdiu ista imbecillitas obstat. Verum numquid potest quispiam dicere : Bonam voluntatem habere non possum ? Ergo cæterorum bonorum operum intermissio justam rationem habere potest, sed ut non propendeas voluntate in Deum, ut non ames illum, id citra piaculum fieri nequit. Nunquid enim potes dicere : Bonam voluntatem habere non possum? Non potes sane; propterea etiam bonæ voluntatis hominibus pax promittitur, ut ad omnes pax illa pertinere intelligatur, velut omnes bonæ voluntatis esse possunt. Ibidem, p. 2, fol. 327.

Merito admireris, quod Rex ille, cum ingrederetur nuptiarum locum, ut videret convivas suos, quibus opulentissimum epulum apparaverat, et quantum quisque splendoris suo vestium ornatu, et elegantia ad convivii magnificentiam conferret, unum ex omnibus objurgavit, quod cum sordido habitu ad nuptias tam illustres venisset, dicens: « Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? » Matth. XXII, 12. Notandum, quod hunc hominem increpat, non de auri, argenti, gemmarum, unionum, taliumque rerum inopia, sive neglectu, sed de sola incuratione vestitus, quod indumentum non haberet nuptiale. Quid hoc vestimenti erat, quod apud ignavum et improvidum convivam Rex desiderabat? S. Gregorius, Homil. XXXVIII ait : Quid ergo debemus intelligere per nuptialem vestem, nisi caritatem? Caritas ergo fuit, qua ornatum suum hospitem Rex volebat, de cujus neglectu, cum illum objurgavit, eo nobis paradigmate significare voluit, si forte ad festa Dei conveniamus a jejuniorum, vigiliarum, cæterarumque corporis afflictionum, aut virtutum quarumdam aliarum ornamentis nudi, non propterea pœnas a nobis exacturum Deum, cum viderit nos ea pro tenuitate seu virium, seu facultatum parare non posse. At si absque caritatis trabea nos videat, id gravissime ulciscetur, quod ea parabilissima sit, nec quicquam ardui insit amori Dei, ob quod excusate prætermitti possit, quantumvis sint alia, quorum sæpe vel pars aliqua excusabilis. Ea propter dicebat Regius Propheta : « Non est, qui se abscondat a calore ejus. » Psal. XVIII, 7. In quæ Hugo Cardinalis sic commentatur : Nec est, qui se excusare possit, quin eum diligere possit. Dilectio nimirum actio voluntatis est, et liberi arbitrii opus, idcirco qui non diligit, non habet, quo negligentiam hac in re suam purget, nec est, qui se abscondat. Quicquid obtendas, non effugies pœnam, si negligas præcepti tam justi observantiam. Idem, fol. 223.

Pulchre hanc in rem dictum a Philone Judæo de victimas offerentibus : Quid hic molestum est, aut difficile? Non juberis maria nondum prius tentata trajicere, et tempestate furente in mediis fluctibus susque deque jactari procellis inter se conflictantibus; non itinera ingredi feris infestata et

latronibus, satis est, si annuat animus. Cor, animum, voluntatem promptam appetit Dominus, hæc illi sufficit, eaque satisfacis officio tuo, quam si prætermittas, inexcusabilis est tua ignavia. Ibidem.

Quamquam longum erat septem annorum, et tanti laboris spatium, septennium tamen illud non majus septiduo Jacobo videbatur, breveque tempus, et levem laborem, et facilem pactionem putabat, quoties ea conferebat cum flagranti amore, quo animus illius occupatus formosam Rachelem deperibat : « Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. » Gen. XXIX, 20. Ubi Interpretes, cum in hunc locum incidunt, notant potentiam amoris magnam, et vires, quas pectori infundit, quod invadit ; nec enim est mare, quod non sulcet, nec mons, quem non complanet, nec ignis, quem non oppugnet, nec incommodum, quod non contemnat, vel conterat, nec impossibile, quod non tentet. Ita sentit Abulensis, quando observat, quod Jacobo tam prompte lætanterque suscepit septennis servitutis duros ac diuturnos labores, ut formosam ovium custodem nancisci posset, neque lubens tantum suscepit, verum et exiguos brevesque, ac leves, prout illam deperibat, existimavit. Nullus enim labor magnus videtur amanti, ignes non timet, nives spernit, gladiis se opponit, et omnia pericula sibi grata reputat, inquit ille. Quidquid aliis durum, molestum, operosum, hoc illi voluptas est, et deliciosus paradisus. Idem *in Polit.* par. 2, l. II, c. II.

Dictis vires adjiciet id, quod Diogenes Laertius, qui veterum Philosophorum historias conscripsit, refert, estque fere hujusmodi : Interrogati Athenienses de nomine, quod accomodatissimum amori fore putarent, postquam diu secum altercati varios expendissent titulos, qui in illum quadrare videbantur, sed proprietates ejus non satis exacte exprimebant, demum unum repererunt epithetum, quod significandis illius qualitatibus, et conditionibus aptissimum putarunt. Itaque propositæ quæstioni sic responderunt : Amor pro nomine *Annvens* vocetur. Annuens idem est, quod omnibus assentiens, *der zu allem ja sagt.* Admirabilis revera titulus, et qui aptius in neminem, quam in amantem cadat. Effusissimus, et maxime prodigus homo non concedit semper omnia, quæ rogantur, non occurrit omnibus, quæ petuntur. Valentissimus nonnunquam debilitatur. Ingeniosissimus non semper superat obscuritatem alicujus difficilis quæstionis. Prudentissimus et consultissimus non semper ita comparatus est, ut recte de omni re quovis tempore pronuntiet. Facilis ad risum, hilari et jucundo promptoque ad honestos jocos animo non semper exporrigit frontem, non semper remittit supercillia. At qui vere et integre amat, semper idem est, omni occasione ad omnia promptus, quia est annuens, omnibus assentiens, ut Maria Magdalena gladiis, spiculis, tormentis æneis, machinis fulminaribus intrepidum pectus animose objicere, cuique temporis inclementiæ sese accommodare, nemini quidquam noverat negare, gratificari omnibus, quantum poterat, studebat, idque amore sui Jesu. Ibid. fol. 63.

S. Gregorius, in Psalm. XIV, ait : Machina cordis vis amoris. Bene expressit iis verbis doctus Sanctus magnam violentiam amoris. Quando sive muniendi, sive exornandi ædificii necessitas postulat ut ingens aliquod, vastumque saxum ad locum illius editiorem sublevetur, quod humeris in locum sibi convenientem efferri nequeat, invenit ingeniosa hominum industria instrumentum quoddam, seu machinam volubilem, quam viri pauci dum ineunt, et gyrant, ac velut convolvunt immanes lapides, et gravissima saxa tam leviter attollunt, ac si exiguus lapillus esset. Huc allusisse videtur Sanctus Gregorius, cum ait : Vim amoris esse machinam cordis. Amor enim cor, quocumque libet, transfert et attollit. Nonne hoc experimento quotidiano discimus. Avarus, cujus tam grave semper ac durum cor, manus autem, ac si congelaverint, tam pigræ et torpentes ad dandum, si pectoris sedem amori semel concedat et permittat, quam faciliter a sordida parcitate ad generosam liberalitatem transfertur, aut transit ipse ? Timidus et ignavus quem levissima umbra exterret, nonne est ferox, et Mars quidam bellicosus, simul ac sub Cupidinis vexillis militare incipit ? Quis negare possit ? Qui furiose rixatur, et cæcatur ira, nonne mitescit, ut agnus, tigridisque feritatem facile deponit, cum eam videt, quam deperit ? Per momenta singula experimur. Quis has facit mutationes ? Quis corda ista sic movet ? Quis sublevat illa tam gravia saxa ? Amor, cujus vis est machina sursum attollens quantavis pondera ? Machina cordis vis amoris. Ubi amor regnat, non est periculum, quo exterreat, neque discrimen, quod adferat metum. Ibidem.

Sponsa illa de Canticis, cum de Sponso suo, vitæque ac morum illius conditione dissereret, aiebat, illum malo frondosæ, opacæ, patulæ, prolixæ, ac venustæ similem esse, quæ foliorum copia calorem prohibeat, elegantia oculos pascat, fructibus necessitatem famis levet, inquiens : « Sicut malus inter ligna sylvarum ; sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Cant. XXIII. Acuta est in hunc locum S. Bernardi annotatio, quæ sic habet : Non dixit, sub umbra, quam desideraveram, sed illius, quem desideraveram, ut indicaret, se non umbram ad refrigerium sui quærere, sed arborem spectare, et devenerari ; velut dictum fuisset, illam ad bene agendum non donis sponsi, sed ipsius puro amore motam fuisse ; neque munera illius, sed personam solum respexisse. Illum unice attendebat, is illi actionum omnium scopus et finis erat ; beneficia, quæ ab illo consequi poterat, non cogitabat. Integerrimus nempe amor magis dilectum, quam ejus favorem spectat, ipsiusque amore magis, quam remunerationis expectatione movetur, ut gratificari ei studeat ; maximum enim et largissimum præmium, quodcumque tali ex re evenire potest, illud est, si non ob aliud diligat, quam ut diligat, et solius amoris amore amet.

Sophis, Rex Indorum, teste Curtio l. IX, ut Alexandro Magno quam nobiles ad venandum canes aleret, quam leonibus infestos, quam in defensione, morsuque pertinaces ostenderet, in conspectu leonem eximiæ magnitudinis jussit emitti, et quatuor omnino admoveri canes, qui celeriter occuparunt feram, tum et iis, qui assueverant talibus ministeriis, unius canis, leoni adhærentis, crus avellere, et quia non sequebatur, ferro amputare cœpit ; nec sic quidem pervicacia victa, rursus aliam partem secare instititit, et inde non segnius hærentem ferro subinde cædebat, ille in vulnere feræ dentes moribundos infixerat. Hoc emblemate perfecti amoris constantia repræsentatur, qui ubi semel dilectum apprehendit, ita res omnes humanas despicit, ita infra se positas arbitratur, ut omnes fortunas, vitæque commoda everti, dissiparique facile sinet, dummodo Deo tranquille potiatur. PENEQUIN. par. I, c. XXV.

Tollatur sol, et hortis venustas, nemoribus vigor et viror, campis amœnitas, palatiis splendor, mundo sua forma periit. Auferatur amor, et castitati nitor, fortitudini decus, modestiæ gratia, prudentiæ fulgor, pietati meritum, spei præmium, fidei utilitas occubuit. BARRI affect. 31.

Meditando quandoque cognoscere cœpit S. Gertrudis interiorem deformitatem suam, et in ea tantum, sibimetipsi displicere, quod quasi anxie vacillans, cogitabat quomodo unquam perpenderet, ibi penetrans oculus divinitatis conspiceret infinitas. Super quo tali responso est consolata : Amor facit placentiam. Unde intellexit, quod si in terrenis hominibus amor tantum prævalet, quod quandoque deformes propter dilectionem placent eis, a quibus diliguntur, et etiam interdum tantum placent, quod amatores per vim dilectionis desiderent similari amatis, quomodo tunc diffidendum est in eo, qui Deus caritas est, quod ex vi amoris non possit placitos facere, quos amat ? Lib. III, *Insinuat.* c. XXX, § 21.

Seneca de virtutum moralium consecutione cum amico suo disputans : Quid tibi opus est, ut sis bonus ? inquit ; et uno verbo quæstioni, primo aspectu arduæ et intricatæ, respondet : Velle. Epist. LXXX.

Quod responsum dedit etiam S. Thomas, in rebus pertractandis et illustrandis perspicacissimus, dum sorori, qua breviori via ad perfectionem niteretur, interroganti dixit : Velis. Unde merito, cum S. Augustino. concludere possum : Vides igitur in nostra voluntate esse positum, ut hoc fruamur tanto, et tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntas est ? Neque est, quod hanc difficultatem in Deum aliquis rejiciat, cum ipse hunc amorem super omnia imperet, gratia præveniat, et ejus impetratione delectetur. Ignem veni, inquit, mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur ? Quid si etiam ex parte nostra accedat deprecatio ? Ea vero quid facilius, quid expeditius ? Præsertim si brevis oratio etiam hac in parte non parum momenti et virium ad impetrandum sit habitura. Dixit aliquando Sanctæ Brigittæ Mater Dei amantissima, eum, qui unum duntaxat *Pater*, pro caritate obtinenda, pronuntiaret, effectu fructuque non esse frustrandum.

Sponsa in Canticis, tametsi a custodibus civitatis pessime habita, multisque fuisset verberibus, aliisque injuriis affecta : « Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, percusserunt me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi. » Et tamen

filiabus Jerusalem, quas fortuito obvias habuit, dixit : « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. » Ubi notandum, quod nullam prorsus verberum, vulnerum aliarumque acceptarum injuriarum mentionem fecerit; quia sincere et adenter amans pro deliciis et voluptatibus habet omne illud, quod pro objecto amato sustinet et patitur. Mansi, disc. xviii, n. 11.

Unde Sanctus Gregorius ait : Quid grave non leviter tolerat, qui amat; quidquid enim diligitur, cum magna devotione portatur. Est quædam magna Dei ancilla, valde ab eodem illuminata, quæ dicere solebat, quod, postquam a cœlesti sagittario vulnerata fuit, deinceps quid pati sit, prorsus ignoraverit, quia fortis est ut mors dilectio. Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. S. Greg. l. V, t. I in I *Reg.* xxii.

Aulici nonnulli, prout in Confessionibus S. Augustini legimus, ad mundi contemptum in se excitandum ita inter se loquebantur : Quot et quænam molestiæ subeundæ sunt, ut quis ad Imperatoris amicitiam et benevolentiam pervenire possit! Imo, dicebant, posito etiam, quod quis ad illud felicitatis culmen tandem pertingat, per quot pericula pervenitur ad grandius periculum! At vero, subjungebat inter eosdem alius, amicus Dei si voluero esse, nunc fio. Quænam, obsecro, illa futura esset hominis felicitas, in cujus arbitrio et libera potestate consisteret Monarchæ alicujus potentissimi concilianda gratia, et intima amicitia; seu potius Monarchiæ ejus inseparabilis societas, et tamen longe excellentius quid est, quod aliquis amicus Dei constituatur, et quidem id, si voluero, nunc fio. Ad hoc enim sufficit, si interius sinceri erga Deum amoris actus elicias. S. Aug. l. VIII *Conf.* c. viii.

S. Thomas postquam tributum illud, quod Deus noster a nobis exigit, leve esse hisce verbis dixisset : Advertite et considerate, quam leve tributum Dominus a nobis exigat; pro tantis beneficiis nihil aliud exigit, nisi amorem; mox nisi tributum illud prompte solvamus, nostram nobis ingratitudinem severissime exprobrat, et justa Dei comminatur supplicia, dicens : O quam merito, quam juste damnabitur, qui maluit ardere, quam amare. O peccator, talis tibi visus est Deus, tam onerosus amor Dei tui, ut malis sempiternis incendiis deputari, quam amare? S. Thom. Villan. conc. *de Fœd.*

S. Augustinus illa S. Joannis verba : « Mandata ejus gravia non sunt, » declarans, aliam quamdam rationem assignat, cur jugum hoc facili negotio sustineatur : Quomodo est grave, inquit, cum sit dilectionis mandatum? S. Aug. l. *de Nat. et Grat.*

Idiota, in cap. i libri, quem de amore Dei composuit, ita scribit : Inclinat amor amantem, neque in hoc laborat, amor difficultatem non novit. Amor lascivus, quantumvis duram ei, qui illam sectatur, legem præscribat, hæc tamen ei semper suavis esse videtur, quanto igitur majorem vim in peccatore Christiano obtinebit amor divinus? Chrysologus ait : Fortem faciat vis amoris, quia nihil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum? Quæ vulnera? Quæ pœna? Quæ mortes amorem prævalent superare perfectum?

Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. Verbis hisce cœlestis amator suos erga ardentissime amantem animam exprimit amoris reciproci affectus. S. Gregorius textum hunc aptissima quadam similitudine explicat : Sicut enim, qui sagittam suam in meditullium scopi evibrare nititur, ad hoc, ut non erret, sed sagittæ jactum tanto de metæ assecutione securiorem efficiat, unum oculorum suorum occludere solet; ita quoque sponsa unum oculorum suorum sponso suo clausum exhibet, clausum, inquam, ad cunctas hasce res terrenas, ut alterum affectus sui oculum tanto vehementius in Creatorem suum defigat. Qui ad solam Dei naturam visus acumen dirigit, is in cæteris omnibus cæcus, ad quæ multorum oculi respiciunt, Mansi, disc. xv, num. 13.

Figura prædictæ veritatis maxime expressiva, nisi fallar, fuit illa coram Salomone a duabus matribus habita contentio et controversia. Porro historia notissima est, quodnam scilicet fuerit sapientissimi illius Judicis in hac perplexitate dirimenda judicium. Nimirum ut quænam ex ambabus mulieribus germana mater esset, clarius elucesceret, præcepit : « Afferte mihi gladium ! » Eoque allato, infantem per medium secari, et unam illius partem uni et dimidiam partem alteri dari. Qua sententia, quænam infantis vera et indubitata genitrix esset, detexit. Commotæ sunt quippe viscera ejus super filio suo, unde

et dixit: « Obsecro, Domine, da illi infantem vivum » non vero eadem fuit fictæ et personatæ matris opinio, utpote, quæ ait: « Nec mihi, nec tibi, sed dividatur. » Paulus de Palatio ait: Bona mater integrum non divisum vult filium, licet quæ se matrem fingebat, dividi filium optaret; ita Deus integrum cor, non divisum vult; ita quoque tunc, quænam anima a Deo electa et prædilecta sit, agnoscetur, si diabolo consulenti, ut cor inter Deum et ipsum per affectum dividatur ,nec mihi, nec Deo, sed dividatur, ipsa non consentiendo solida in se, et constans perseveraverit, nec cor per amorem in diversa dispersum dividi permiserit. Hac historia Didacus Stella verba illa: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, » exponens utitur, dum ait: Non vult Deus cor divisum, sed integrum. Salomon veluti prudentissimus infantem integrum et intactum matri tradidit, et noluit ut divideretur. Mundus, inquit, dividatur, Deus vero contrarium. Enim vero si certum, et indubitatum aliquod signum nosse desideremus, e quo an noster erga Deum amor filialis sit, agnoscere possimus, examinandum nobis cor nostrum erit, videndumque, an sit divisum, sive an aliquam illius partem creaturis cesserimus; quia si simul cum Deo voluptates, honores, aut divitias dilexerimus, manifestum id nobis indicium erit, quod Deus a nobis eo modo, quo amari cupit, minime diligatur. Unde S. Augustinus ait: Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei; vas es, sed adhuc plenum es (amore scilicet mundi) funde quod habes, ut accipias quod non habes.

S. Athanasius quoque apte ad intentum interrogat, cur Pater æternus redemptionem nostram a Filio consummari voluerit, non vero ad hunc finem Angeli cujuspiam opera uti voluerit? Respondetque id factum esse, ne ulla nobis daretur occasio amorem Deo debitum transferendi in creaturam; quia si ab Angelo fuissemus redempti, motivum utique efficacissimum habituri fuissemus amoris nostri partem eidem quoque impendendi. Conveniebat redemptionem fieri per eum, qui naturæ Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnosceremus. S. Athanasius, ser. III *in Arian.*

Cui consonat illa Sancti Anselmi meditatio, dicentis: Qui creavit te, ipse redemit te, ne amorem tuum dividas partim Creatori, partim tribuens Redemptori.

Quodnam, obsecro, in eo latet mysterium, quod Salvator noster innocentissimam quidem carnem suam sibi dilacerari et vulnerari permiserit, nec tamen tunicam seu vestem inconsutilem dividi voluerit? Num forte ideo id factum est, quia tunica hæc opus manuum sanctissimæ Matris suæ fuit? Sed et Corpus Christi e virgineo Matris suæ sanguine conditum fuit. Aut vero factum est ideo, quia vestis illa unitatem Ecclesiæ suæ præfigurabat, prout in apparitione S. Petro Alexandrino facta ostendit? Omnia in figura contingebant. Omnia hæc bene quidem dicuntur et aptissime, verumtamen Idiota per vestem hanc caritatem seu amorem divinum intelligit, qui divisionem minime admittit: Designatur, inquit, per tuam tunicam inconsutilem, quæ neque scissa fuit, nec divisa, quia amor neque dividi debet, neque scindi, et qui eum dividunt, vel scindunt, pejores videntur, quam milites te crucifigentes, qui tuam tunicam dividere noluerunt. Idiot. c. XXII.

Deus per os Isaiæ Prophetæ nobis quoque insinuat, angustum esse lectum seu thalamum, in quo cum anima dulciter quiescit, ac proinde eumdem alterius incapacem esse: Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest. Isai. XXVIII, 20.

Porro quid per hunc *lectum angustum* intelligatur, Dionysius Carthusianus optime declarat, dum ait: Hoc stratum est fundus cordis humani, in quo pariter quiescere nequeunt amor mundi, et amor Dei, carnalis affectio, et spiritualis dilectio, sed alter alterum pellit; ac proinde cum cor nostrum adeo sit modicum et angustum, et consequenter ad hoc, ut Deo nostro adeo nos ferventer et tenere amanti, tantoque benefactori nostro digne respondere possit, ignem et amorem sufficientem nequaquam exhibere possimus, minime profecto convenit, ut modicum hunc amorem dæmonio, mundo, sensui, ac inimicis nostris pariter communicemus.

Sponsus cœlestis animæ amanti præcipit dicens: « Pone me ut signaculum super cor tuum. » Etenim quando in littera aliqua sigillum aut figura Principis alicujus conspicitur, magnus illi honor et respectus ab omnibus illam videntibus defertur, nec quisquam est, qui illam contemnere aut aperire audet; atqui Deus noster, utpote valde zelotypus, et amoris animæ nostræ cupidissimus

illius sponsus per hanc similitudinem eamdem monere voluit, futurum esse, ut, si ipsum, velut sigillum quoddam cordi suo imprimeret, nullus alius affectus vel amor ad illam aliquem sit aditum obtenturus ; ex quo enim Creatorem illud occupasse conspiciunt, nulli eo subingredi licebit creaturæ. Unde S. Ambrosins ita meditatur : Dulcissime et amantissime Jesu, infunde, obsecro, multitudinem caritatis tuæ pectori meo, ut te solum in corde habeam, scribe digito tuo in pectore meo dulcem tui memoriam, nulla unquam oblivione delendam. S. Ambrosius *med.* c. xxxiii.

Didacus Stella nobilem quamdam considerationem in medium adducit ; considerat enim, quod amor nobis superabundanter a Deo recompensetur, aut remuneretur, cum tamen nulla sui retributione indigeat. Dicit igitur : Nulla ratio est, ut amor mercede et retributione sit dignus. Verum est, quod operarius, qui mane summo diluculo surgit, et ad vesperam usque laborat, suum mereatur stipendium; at vero qui amet, quid est, quod præmium accipiat? Estne quid jucundius, dulcius, aut suavius, quam semper diligere? Amor certe sui ipsius est merces, nobis vero ratione amoris et dilectionis gloriam retribuere, nihil aliud est, quam mercedem mercedi addere, et præmium præmio, et beneficium beneficio. Pro cujus meliori intelligentia evidentissimam quamdam adducat similitudinem alicujus sitibundi hominis, qui ardentissimam patitur sitim, miraque cum aviditate aquam bibendam tradi sibi postulat ; quod si enim tali homini non solum petita subministraretur aqua, verum etiam eidem pro aqua postulata et exhibita pecunia daretur, ad hoc ut eamdem biberet, numquid largitas et munificentia ista inaudita res esset? Unde mox ita exclamat : O divina caritas, quibus te laudibus commendabo? Nam cum anima hæc nostra (qua nihil a Deo accepimus pretiosius) sine amore non vivere, nec stabilis permanere queat, præcipit ut amemus, et pro amoris mercede, gloriam retribuit. Did. Stella *in cap.* x *Luc.*

B. Ægidius, qui socius fuit S. Francisci, ut sæcularem quemdam ad verum Dei amorem accenderet, die quodam in hunc cum ipso discursum digressus fuit : Erat aliquando nonnemo, qui nec manus, nec pedes, nec oculos habebat, qui, dum ab amico suo interrogaretur, an si aliquis in mundo inveniri posset, qui ei lumen daret ad videndum, ad ambulandum pedes, nec non et manus, quas non habebat, ei donaret, eum etiam amaturus, seque erga hunc benefactorem gratum exhibiturus esset? Miser ille a vestigio respondit : Me ei omnibus diebus vitæ in servitutem etiam durissimam addicerem. Quo responso accepto, Ægidius cœptum discursum resumens, ei dixit : Ecquis autem ille est, qui tibi oculos, aures, linguam, manus, pedes, caput largitus est? Quis nobilissimum hoc corporis et animæ compositum tibi donavit? Non alius utique quam Deus : « Manus tuæ, Dominæ, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, » ac proinde si te in servitutem addiceres hominis illius, qui tibi solum manus, pedes et oculos dedisset, qualis igitur, et quænam est tua erga Deum gratitudo et amor, qui tibi ultra hosce sensus omnia alia donavit, imo et animam ipsam, eamque ad imaginem et similitudinem suam tribus nobilissimis potentiis suis instructam creavit? Mansi, dis. vii, n. 1.

Quando fons aquæ vivæ in paludem se exonerat ibidem stagnaturus, inficit aerem, animalia venenosa producit, prorsusque corrumpitur. Non vero item, quando in meatibus seu canalibus subterraneis constrictus, in deliciosum quemdam amœnumque hortum derivatur, ibi namque per varios sese aquæductus in altum erigens, postea ad terram fecundandam descendit, illamque herbas, flores, fructus, et quidquid tandem in horti areolis pulchrum et utile est, a natura arte cultivata produci potest, progerminare facit. S. Aug. *in Psal.* xxxi.

Hæc utique, quantum ego existimo, allusio pariter et exhortatio S. Augustini fuit, dicentis : Aquam amoris tui fluentem in cloacam, converte ad hortum; etenim amor noster, dum fertur ad creaturas, veluti in paludibus et luto stagnans generat serpentes, bufones, aliaque animalia venenosa, id est multa vitia et peccata; ac proinde divini amoris Secretarius optime nos monet : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » II Joan. ii, 15 et 16.

Non vero id nobis timendum est, quando amorem nostrum ab omnibus hisce rebus creatis subtrahimus, et Deo unimus, tunc

enim vere contempletur, quod Christus Salvator noster ait : « Si quis bibit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Mystica hæc aqua terram animæ nostræ fecundat floribus et fructibus omnium virtutum; ac proinde ait Ambrosius : Caritas omnium virtutum forma est, cum per ipsam omnium virtutum actus in debitum et ultimum finem ordinentur.

MISCELLANEA.

Natura. Quidam amoris genium explicare volens pinxit adolescentem, et juxta illum quatuor mundi globos cum verbis : « His nihil. » Dextera vero manu elevante cor versus cœlum, accensum flammis, inter quas scriptum : « Soli Deo. » Philipp. Kystel. in *Nylo Myst.*

In Æthiopia ignis fuit, qui virginibus nihil nocebat, pollutarum manus urebat; hinc probationis ignis dictus. Talis ignis amor est. Idem.

In Anglia olim nobiles certamen ludicrum instituerunt, in quo quisque in clypeo florem, rosam, lilium depictum habebat; at Dux Britanniæ fasciculum florum, in quo omnes aliorum flores depicti erant cum lemmate : « In me omnia. »

Rosa Hiericuntina, etiam aridissima cum vel minimum aquæ imponitur, mox se explicat, et ramos diffundit; sic amor omnes tribulationes magno affectu accipit. Drex. *Ros.* p. II, c. xv, §. 1.

Christus interrogans ter S. Petrum, an plus, quam alii diligeret, indicare voluit, illum, qui aliis præficitur, diligere Deum debere plus quam sua, plus quam suos, et plus quam se. S. Ber.

S. Augustinus dixit, virtutem nihil aliud esse, quam ordinem amoris. S. Aug. l. XV *de Civ. Dei* c. xii.

Cum Pharao ad filios Israel sacrificare Deo volentes diceret : Sacrificate Domino. Oves tantum vestræ et armenta remaneant. Respondit Moyses : Cuncti greges ibunt nobiscum; non remanebit ex eis ungula, quæ necessaria sunt ad cultum Dei nostri. Sic et caritas nihil relinquere mundo aut carni vult, sed omnes vires et potentias secum ad sacrificium amoris offerendum ducit. Stapleт, *Dom.* 12 *post Pent.* §. 3.

Filii Aaronis quoniam in thuribulum ignem alienum posuerunt, igne sunt combusti. Ignis alienus in thuribulo est amor creaturæ inordinatus in corde. Cave ergo hunc imponere. Ibidem.

Cum quinque viri de tribu Dan Micheæ conflatile idolum abstulissent, et illo cum lacrymis sequente dicerent : Quid tibi vis? Cur clamas? Respondit ille : Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et dicitis : Quid tibi est? Quanto magis clamabit anima, cum verus Deus illi ablatus ex corde fuerit? Idem *Dom.* 18 *post Pent.*

Sponsa, Cant. iii, non dixit in lecto, sed in lectulo quæram, quem diligit anima mea. Super quæ verba Gilbertus ait : Ego plane coarctationem quamdam in hoc verbo intelligo, ut soli secum dilecto sufficiat. Bonum est ergo, non dilatare, sed contrahere cogitationes et cordis lectulum. Did. Nyss. *Sabb. post Cin.* perioch. iii.

Miratur S. Augustinus, in Ps. cxlix, quod David dicat, reges alligandos in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis, idque inter mirabilia novi Testamenti ponat; sed respondet : Si ferrea sunt, quamdiu timent; ament et aurea erunt. Idem ser. vii *post Cin.*

S. Chrysostomus quærens, cur S. Joannes Bapt. baptizaverit et prædicaverit in deserto, respondet his verbis : Sciebat Chri-esse venturum et quærebat in deserto. Separaverat se a multitudine; oculis enim expectantibus Christum, nihil aliud aspicere dignum est, præter Christum. Idem *in Sabb. post Cin.* per. iii.

Innocentius III rationem reddens, cur, Cant. viii, v. 6, dictum est : Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio? respondet : Tantam in pœnis reprobi tolerant angustiam, ut vix aliquid cogitare possint, ubi sentiunt vim doloris. Sic amor amantem alibi versari non sinit; quam apud eum, quem diligit. Innoc. III, l. *de Contemptu mundi*, c. vii.

Heliotropium non tantum sereno, sed etiam nubilo die solem sequitur. Tantus sideris amor est, inquit Plinius, ut etiam nubilo die se circumagat cum illo. Plin. l. XII, c. xxi

Si amanti Terentiano usque adeo insanire licuit, ut Thaidi suæ diceret : Dies noctesque ames me, me desideres, me somnies, me expectes, de me cogites, me speres, me te oblectes, mecum tota sis, meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.

Refert Plutarcus, Reginam Cleopatram tam ardenti M. Antonii amore flagrasse, ut assumpto ancillæ habitu, quo regiam ma-

jestatem dissimularet, in mediis noctis tenebris per plateas civitatis illum quæritaret. Plutarc. in *Vita Antonii.* Sed quid hoc ad amorem Dei, qui regna exuere, et monasteria intrare facit?

Sponsus de sponsa dicit, Cant. vii : Statura tua assimilata est palmæ, quia hæc arbor sola ad radicem est tenuis, supra vero ad cacumen crassa ; sic ergo et sponsæ amor erga creaturas tenuis erat, grandis erga Deum. S. Greg. l. XIX *Mor.* c. xxv.

Qui bene probare vult dispositionem cordis, tangat pulsum in sinistra, ut medici solent ; ita et qui vult probare dispositionem dilectionis, tangat et probet hominem adversitate, quia certior est probatio ; verus enim amor non nisi passionibus probatur. Nyss. *in Dom.* 20, per. iv.

Plato dixit, amorem magnum Deum esse et omnipotentem, quippe cui nec Hercules resistere potuit, et cujus famulum se esse Socrates ex Delphico oraculo sapientissimus publice professus est. Orat. *Ex. temp.* p. II, c. iii.

Lacedæmones prius quam ad bellum exibant, victimas amori immolabant ; cur non et nos ante quodvis opus? Alex. *ab Alex.* l. IV, c. vii.

Plinius ait, reperiri arborem, nomine laryx, quæ igne non comburitur, quin potius si igni admoveatur, ac si lapis esset, resistit, uti Cæsar probavit circa civitatem Gezgobiam turri confectæ ex tali ligno ignem applicans. Ita amor constitutus. Plinius l. XVI *Nat. hist.*

AXIOMATA.

Fortis est ut mors dilectio, et dura sicut infernus æmulatio. *Cant.* viii, 6.

Amor ab operibus magis pendet, quam verbis. S. Ignat. in l. *Exercit.*

Tantum es, quantum diligis.

In amore non vivitur sine dolore.

Vanitas vanitatum et omnia vanitas, præter amare Deum. S. Aug.

Minus Deum diligit, qui aliquid diligit, quod propter ipsum non diligit.

AUCTORES.

Dionysius Carthusianus p. ii Opusc. l. IV toto.

Didacus Stella *de amore Dei* l. toto.

Franciscus Labata v. *Amor Dei.*

Pædagogus Christianus p. II, c. xxiii, § 8.

Vincentii Caraffæ *Seraphin.* Item *itinerarium.*

Petrus Sanchez in *Regno Dei.*

Ludovicus Granatensis in locis communibus f. 306.

Bernardinus Rosignolius *de Disciplina Relig. perfect.* l. III, c. vi, a c. viii usque ad xiv, et xx usque ad finem.

Jacobus Alvarez tom. II, lib. III, p. II, c. v et p. V, lvi, c. ii.

Henricus Engelgrav. *in Lucæ Evang.* p. II, *Dom.* 14 *post Pent.* §, 3.

Matthias Faber, Conc. vi *in Fer.* ii *Pent.* item conc. ii *in Dom.* 12 *post Pent.* et conc. i, ii, iii, iv, *in Dom.* 17.

Thomas Stapletonus text. x *in Dom.* 1 *Quadrag.* Item text. iii *in Domin.* xii *post Pent.* et vi text. *in Dom.* 14, et text. ii et iv *in Dom.* 17 et text. ii *in Dom.* 18 et tex. viii et ix *in Dom.* 19.

Antonius Gaudier, in com. *de Natura perfect.* par. II tota.

Josephus Mansi *Bibl. moralis* tr. iv.

S. Franciscus Salesius *de Amore Dei.*

Vincentius Caraffa in *Schola sancti amoris.*

CASTITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est virtus, qua ab impuris carnis voluptatibus abstinemus. Hinc S. Ambrosius : Quid est castitas, nisi expers contagionis integritas? S. Ambr. l. I *de Virg.* II, II, q. cli, a. 1, ad 1.

Juxta S. Thomam, castitas est virtus, qua homo, secundum judicium rationis et electionem voluntatis, moderate utitur corporis membris. Cui adjuncta est pudicitia, quæ re ipsa eadem est ac castitas, quamvis proprie externas actiones hominis ad honesti normam dirigat. Virginitas vero a S. Augustino describitur : In carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Per meditationem intelligitur propositum, in quo perpetuo virgo perseverat. Hinc adjungitur proxima viduarum continentia.

Divisio. — Dividitur communiter in *conjugalem,* quæ ab omni quidem illicita, sed non perinde licita copula abstinet; et *non*

conjugalem, quæ etiam a licita copula abstinet; atque iterum dividitur in *perpetuam*, quæ voluntaria pollutione per totam vitam abstinet, et *Virginitas* appellatur; et *non perpetuam*, qua quis post voluntariam pollutionem admissam de cætero abstinere statuit. Atque hæc plerumque castitas viduarum vel cœlibum vocatur, de qua tamen recte dixit Cæsarius : Longa castitas post peccatum est imitatrix virginitatis.

Huic cognata virtus pudicitia est, qua aspectum, os, manus continemus, ne in aliquid indecens, minusve honestum tendant, quod munditiæ castitatis officiat. De hac S. Cyprianus sic loquitur : Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo ; hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit, beata ipsa, et beatos efficiens, apud quoscumque habitare dignatur. S. CYPR. *inde bon. dis. et pudic.*

ACTUS ET GRADUS. — Omnem illicitum carnis congressum fugere, licitum admittere.

Ab omni opere carnis etiam licito abstinere.

Desideria carnis insurgentia elidere, minimeque in ea consentire.

In cogitationibus carnis non immorari, sed eos statim deprimere.

Turpes motus carnis valde deprimere, et ad aspectum et tactum eorum, quæ nos possunt ad opus nefarium provocare, fortiter cohibere.

Non moveri etiam subtilissimo voluptatis desiderio, si memoriam harum rerum vel tractatus ratio, vel necessitas lectionis ingesserit, sed velut opus quoddam simplex, ac ministerium humano generi necessario contributum tranquillo ac puro cordis intuitu contemplari, nihilque amplius de ejus recordatione concipere, quam si operationem laterum, vel cujuslibet alterius officinæ mente pertractet.

Ne in sommo quidem illecebrosis phantasmatibus illudi.

Ab illis etiam motibus, qui causas cæteroquin naturales habent, tum in somno, quam vigilia liberum esse, quem gradum a paucissimis obtineri, ait Cassianus, l. XII, c. IV et VII.

Similem fere in modum hos castitatis gradus S. Bonav. assignat, dum ait : Primum gradum esse continentiam ab actu carnali, cum proposito manendi, et omnibus illicitis motibus consensum negandi. Secundum gradum ait esse, cum maceratione carnis, et per alia studia spiritualia, affectus ita mundatur et caro ita spiritui subjugatur, ut rarius tentetur et mitius. Tertium ait esse, ita edomitas habere carnis concupiscentias, quod vix rarissime et tenuissime sentiantur. Et ex affectu talis induitur castitatis amor, ut horreat, et ita detestetur omnes carnales motus, quod quasi nauseam inde patiatur, nec possit audire tractari de operibus carnis, nisi cum horrore cordis, et extorsione. Si vero, pro utilitate aliorum, de Matrimonii casibus aliquid tractandum occurrerit (ut in confessione, scholasticis lectionibus, et studiis rerum talium ad scienda peccata necessariis) ita quietos motus suæ carnis sentiat, ac si de luto vel lapidibus, vel similibus tractetur. Et cum per soporem humoris (id est, seminis) abundantia naturaliter se resolvit, ita quiete et insensibiliter profluat, ut nec turpium phantasiarum imaginationibus illudatur, nec in sensu fœdæ delectationis titilletur. Ita perfectæ castitatis distinctio, prout in hoc peccati corpore potest haberi, a viris perfectissimis obtinetur. Ut autem stabiliter in hoc gradu, et continue perseverent, puto ad hoc requiri privilegium singulare. Quod etiam confirmans Abbas Chæremon, apud Cassianum, hæc ait : Probare, utrum possibilia sint, certo examine definire poterit nemo, nisi per experientiam longam et puritatem cordis, ad confinia carnis ac spiritus, verbo Domini dirigente, pervenerit.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. JOB. XIII, 2.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, et honore. II THESS. IV, 3.

Ne respicias in mulieris speciem, et ne concupiscas mulierem in specie. ECCL. XXIV, 28.

Sunt eunuchi, qui castraverunt seipsos propter Regnum cœlorum. MATTH. XIX, 3.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum, quocumque ierit. APOC. XXXI, 5.

Scivi, quoniam non possem esse conti-

nens, nisi Deus det, et hoc ipsum scire, erat sapientiæ. SAP. VIII, 21.

UTILITAS. — Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris, ideo eris benedicta in æternum. JUDITH. XV, 11.

Quoniam felix et sterilis, et incoinquinata, quæ nescivit thronum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. SAP. III, 13.

Non fornicaberis, et non eris cum viro, et ego expectabo te. OSEA, III, 3.

Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. COR. VII, 8.

Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu. Ibid. 34.

Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Ib. 37.

DIGNITAS. — O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. SAP. IV, 1.

Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. ECCL. XXVI, 20.

ALLEGORICA. — Ponat vir gladium supra femur suum. EXOD. XXXII, 27.

Ecce vir unus vestitus lineis et renes ejus accincti auro obryzo. DAN. X, 5.

Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. NAB. II, 1.

State succincti lumbos vestros in veritate. EPH. 6, 14.

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. LUC. XII, 35.

Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii et perfecti, sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam. I PET. 13.

Vidi præcinctam ad mamillas zona aurea. Ib. XIII, 9.

Exierunt septem Angeli præcincti circa pectora zonis aureis.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

SUBSTANTIA ET QUALITAS — Mulier nupta est Christi ex parte ; at virgo tota Christi fit. Illa non se totam alligat mundo, hæc autem nullo modo se ei accommodat. Quod est pars quædam in nupta, est totum in virgine. Quæ igitur Angelorum vitam elegisti, in eorum choris connumeraris, ita puritatem serva, ut numquam descendas ad vitam carnis. S. GREG. NAZ.

Crebra munuscula, et dulces litteras, et sudariola, et prægustatos cibos sanctus amor non habet ; hæc enim omnia carnem sapiunt, et procul sunt ab amore casto. S. HIER. apud LUDOVIC. DE PONTE. t. XXX.

Felix conscientia, et beata virginitas, in cujus corde nullus alterius amor, quam ipsius Christi, invenitur! Quod si alicujus personæ recordatur, non suspirat propter eam, nec videre desiderat, quem visum non vellet deserere. Ib. *in Ep.*

Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis, nam ibi continua pugna, et rarior victoria. Rara enim concordia formæ, atque pudicitiæ, Rara avis in terris, alboque simillima corvo. S. AUG. in Ser.

Castus ille est, qui amorem amore exclusit, ignemque igne spiritus extinxit. Ibid. *de Sum. bono.*

Puritatis hoc erit evidens indicium, ac plena probatio, si vel nulla imago decipiens quiescentibus nobis, et in soporem laxatis occurrat, vel certe interpellans, nullos concupiscentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minime reputetur, tamen necdum perfectæ mentis indicium est, nec ad purum excocti vitii manifestatio, cum per fallaces imagines hujusmodi operatur illusio. CASS. l. VI *Instit.*

Pudicus est ille, qui in somnis nullum motum, nullamque status sui mutationem sensit, et in somnis perfectam semper insensibilitatem in corporum specie, et varietate possidet. Hæc regula est perfectæ consummatæque castitatis, ut ita animata, sicut inanimata intueamur, atque ita rationalibus, sicut brutis corporibus, afficiamur. Initium quidem castitatis est, cogitationibus sordidis non acquiescere, atque per intervalla temporum obsceno liquore illo simpliciter, et absque ulla imaginationis illusione respergi ; medium vero naturalibus motibus ex repletione ciborum advenientibus absque imaginibus (scilicet phantasmatibus imaginationis) inquietari ; ita tamen ut ad fluxum usque illi non perveniant ; finis mortificare corpus, jam antea mortuis cogitationibus sordidis. Felix revera est, qui ad omnem colorem corporis atque aspectum, perfecte insensibilis effectus est. Magnus ille est qui nulla ex tactu passione movetur. Major

vero, qui nullo aspectu vulneratus est, atque cogitatione supernæ pulchritudinis igneum spectaculum vicit.

Hæc est consummatio castitatis, ut vigilantem monachum oblectatio libidinis nulla pertingat, ut quiescentem somniorum non fallat illusio, sed cum dormienti tantum per sopitæ mentis injuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine ulla titillatione voluptatis excitata est, ita et sine ullo pruritu corporis conquiescat.

Et cum de ipsa continentia mens elatione tangitur, plerumque omnipotens Deus superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Nulla enim est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis S. Greg. *in Mor.*

Quidam in juventute luxuriose viventes, in senectute continentes fieri delectant, et tunc eligunt servire castitati, quando libido eos servos habere contempsit. Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in juventute luxuriose vixerunt; tale non habent præmium, quale non laborrs certamen non habuerunt. Eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt gloriosa certamina. Isid. l. II de *Sum. bono*, c. XXXI.

Bona pudicitia conjugalis, sed melior continentia virginalis vel vidualis. Aug. *de Sanct. vita.*

Pudicitia vi nec in carne, nec in animo violari potest. Idem, *in Epist.*

Pudicitia virtus animæ est, et comitem habet fortitudinem. Idem lib. I, *de Civ. Dei.*

Castitas etiam loci abolet infamiam, non locus infamat castitatem. Amb. I *de Virg.*

Sex sunt, quæ incorruptam conservant castitatem, scilicet: sobrietas, operatio, asperitas cultus, inhibitio sensuum, raritas sermonis cum honestate, evitatio opportunitatis et personæ et loci et temporis.

Utilitas. — Nonne tres pueri virginitatem colentes igne superiores evasere, per virginitatem corporibus ab igne inexpugnabilibus factis? Nonne Danielis corpori virginitate solidato ferarum dentes infigi non potuerunt? Nonne cum videndus esset Deus ab Israelis, castum corpus habere præcepit? Nonne etiam Sacerdotes se ipsos castos servabant, et ita adita intrabant, offerebantque hostias? Nonne lex magnum votum castitatem appellavit? Cit 28. S. Dam. lib. IV *Or. fid.* c. XXV.

Virginitas æquat se Angelis, si vero exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas est voluptatum triumphus. Virginitas filios non habet, sed quod plus est, filiorum contemptum habet; non habet fecunditatem, sed non habet orbitatem. S. Cypr. in lib. *de bono discip. et pudic.*

O virginitas, corona quæ nunquam marcescit, templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti, gemma pretiosissima à paucis inventa, a multis odio habita, à solis dignis optata! O continentia mortem destruens, possidens vero immortalitatem! Tu es gaudium Prophetarum, gloria Apostolorum, vita Angelorum, et corona Sanctorum. Beatus qui te obtinet, et constanter retinet; modicum enim pro te laborabit, et plurimum in te ipse gaudebit. S. Ath. lib. *de Virg.*

Divitiæ tuæ virginitas tua; thesaurus tuus est thesaurus irrecuperabilis, postquam semel amissus est. S. Hier. in ep. *ad Demetr.*

Admonendi sunt peccatum carnis ignorantes, ut incessanter præmia suscipiant, et libenter procul dubio tentationum, quas tolerant, labores calcabunt. Si enim attendatur felicitas, quæ scilicet transitu attingitur lene fit quod transeundo laboratur. S. Greg. post admon. XXIX.

Per continentiam colligimur, ac redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Hoc autem unum, Deus est, summum ac solum bonum, quo amando nos quoque boni, et quo fruendo beati sumus. S. Aug. in l. X *Conf.* c. XIX.

Aptissime etiam Nazianzenus castitatem laudans: Ut aqua, inquit, quæ plumbeis canalibus inclusa defertur, quia multum comprimitur, et conglobate volvitur, in altum erumpit, supra naturæ suæ pondus; sic si anima per continentiam totum suum amorem strinxerit, nec in creaturas diffluere patiatur, sed eum in Deum effundat, sursum tendet, nec unquam humi prolabetur. S. Nazianz. Orat. XXVI.

Dignitas. — Quod futuri sumus, vos jam esse cœpistis; vos resurrectionis gloriam in hoc sæculo jam tenetis, per sæculum sine sæculi cogitatione transitis, cum castæ perseveratis, ac virgines, Angelis Dei estis æquales. S. Cypr. *de Hab. Virg.*

Quis humano eam posset ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod

supra usum naturæ sit? E cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit e cœlo, quæ sponsum sibi invenit in cœlo. Hæc nubes, aera, Angelos, sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, et toto hausit pectore. Nam quis tantum, cum invenerit, relinquat boni? Postremo non meum est illud; quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. S. AMBROS. l. I *de Virg.*

Quodammodo exire de carne est, in carne commorans, et ultra naturam est, fragili carne circumdatus, carnis aculeos, non sentire. Et idcirco impossibile est hominem, suis, ita ut dixerim, pennis ad tam præcelsum, cœlesteque præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere eduxerit castitatis. Nulla etenim virtute tam proprie carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur, quam merito et gratia castitatis; per quam adhuc in terra degentes habent, secundum Apostolum, municipatum in cœlis, quod deposita corruptela carnali habituros Sanctos promittitur in futurum, hic jam in carne fragili possidentes. S. CASSIAN. l. VI, c. VI.

Videtis rei hujus præstantiam atque sublimitatem; propemodum enim talis reperitur, ut concipi, comprehendique prorsus nequeat. An non enim præstantius est, quam pro carnis fragilitate, id, quod ex carne creatum sit, in carnem non gignere? An non plane Angelicum eam, quæ carnis vinculis alligata sit, non secundum carnem vivere, sed natura excelsiorem esse? Caro cum mundo revinxit, sed ratio ad Deum subvexit. Caro depressit, sed ratio extulit, eique velut pennas addidit. Caro vinculis adstrinxit, sed amor solvit. Igitur nisi plane cæci esse volumus, sed potius recto judicio uti, quæ major videri potest dignitas, quam castitatis, quæ non dicam Regibus, ac Dynastis, quod homines tanti æstimant, sed illis supernis Principibus ac potestatibus nos exæquet. S. GREG. NAZ. Ho. *in Matt.*

Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco et tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur, præbens quodammodo in terris cœlestis jam illius conversationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus, in quo et crebro periclitamur, tenet castitas (ut monet Apostolus) in sanctificationem, et instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur. Sensus ipsa et artus continet, et constringit, ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant, quemadmodum legitur, de quibusdam, quia computruerunt, ut jumenta, in stercore suo. S. BERN. ep. XLII.

Qua re differebant ab Angelis Elias, Elisæus, Joannes, veræ amatores integritatis? Nulla, nisi quod mortali natura constabant. Nam de cætero si quis diligenter inquirat, hi nihilo aliter affecti reperirentur, quam beati illi Spiritus, et idipsum quo inferiore videntur esse conditione, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolæ, et ii, qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi et studio pervenire, vide, quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuisse oporteat! S. CHRYS. *de Virg.* c. LXXIX.

Et hi profecto, qui continentiam servant, Angeli sunt, qui viventes in carne corruptibili mortalium vitam illustrando tuentur. Sunt autem Angeli non ex infimo quovis ordine, sed certe illustrissimi ac nobilissimi. Illi enim carneis nexibus liberi integritatem suam in cœlis servant, et loco, et natura inviolabiles, et apud summum regem omnium Deum constituti. At vero illi in terra carnis illecebris et voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetua exercitatione vincentes, incorruptionem angelicæ puritati parem, virtute præcipua ante Creatoris oculos custodierunt. S. BASILIUS, apud PLATUM l. II, c. IV.

Nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quam pietas misericordiæ et puritas castitatis; his, tanquam duabus elevatis alis, de terrenis cœlestes esse meremur. S. LEO ser. IV *de Passione.*

Christi nisi morte commoriar, resurrectione non vivam, ergo illum amemus, quem amare debitum est; illum osculemur, quem osculari castitas est; illi copulemur, cui nupsisse virginitas est; illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est; propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est. S. PAULIN. ep. IV *ad Severum de Fide.*

Differunt quidem inter se homo pudicus et Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed

etsi illius castitas sit felicior, hujus tamen fortior esse concluditur. S. BERN. in ep.

Quis negat hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facile inveniemus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit? S. Ambr. l. I *de Virg.*

JUCUNDITAS. — Amanda est pulchritudo castitatis, cujus degustata delectatio dulcior invenitur, quam carnis; castitas enim fructus suavitatis est, et pulchritudo inviolata Sanctorum. Castitas servitus mentis est, et sanitas corporis. S. ISIDOR. l. II *de Sum. bono* c. XL.

Quid virginitate suavius? quid pulchrius, quid illustrius? etenim ipsis solis radiis fulgores splendidiores emittit, nos vero ab omnibus terrenis rebus avocans sic afficit, ut solem justitiæ puris et intentis oculis intueamur.

Quicumque a mundi vinculis liber esse cupit, conjugium velut compedes quasdam profugere debet, et Deo vitam suam consecrare, et castitatem profiteri. Qui enim hujusmodi est, cum Deum solum sibi amandum proposuerit, ejusque puritatem et tranquillitatem omnis perturbationis expertem, et quæ ex his nascitur, lætitiam et gaudium degustare optet, in eo tantum versatur, ut ab omni materiæ concretione et corporis affectione animum quam maxime abducat et cœlesti lumine insatiabiliter hausto, puris oculis, nullaque caligine præpeditis, divina contempletur. S. BASIL. c. I *Consult. Monast.*

O castitas, quæ cor possidentis te lætificas, et animæ ad cœlestia alas adjungis! O castitas, quæ passiones minuis et animum perturbationibus liberas! O castitas, quæ justos illuminas, et diabolo tenebras offundis! O castitas, currus spiritualis, possessorem suum in sublime evehens! O castitas, quæ, rosæ instar, in medio animæ et corporis flores, universamque domum odoris fragrantia reples! S. EPHR. tom. I, serm. *de Cast.*

NECESSITAS. — Quacumque virtute polleas, quibuscumque opibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahes. S. HIER. in Ep.

IMPEDIMENTA. — Plerasque virgines cognovi velle, et prohiberi a matribus, et quod gravius est, viduis, cum quibus hic mihi sermo est. Nempe si hominem amarent filiæ vestræ, per legem eligere possent, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? S. AMB. l. I *de Virg.*

Bonum est, si virginitatem studia parentum quasi flabra pudoris aspirent; sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis, etiam sine veteribus nutrimentis se rapiat in fomitem castitatis. Dotem negabunt parentes? Sed habes divitem sponsum, cujus contenta thesauro patriæ successionis emolumenta non quæras. Quanto dotalibus præstat compendiis casta paupertas! Vince prius, puella, pietatem, si vincis domum, vincis et sæculum.

At certe ipsis gentilibus inter aras et focos venerabilis solet esse virginitas; et in quibus nulla est meritorum pietas, nulla mentis integritas, in iis tamen carnis virginitas prædicatur. A profanis igitur cæremoniis virgines nemo prohibebit; ab Ecclesia Dei virginitas arcebitur? Illic coguntur, quod non docentur, hic interdicitur, quod non licet non doceri? Illic præmiis revocantur a nuptiis, hic ad nuptias coarctabuntur injuriis? Illic violentia fit, ut capiantur; hic violentia fiet, ne profiteantur? Idem l. III *de Virg.*

EXEMPLA EXTERNA.

VIRORUM. — Josephus Patriarcha maluit in carcerem detrudi, quam lædere castitatem; hinc ejus exaltatio. GEN. XXIX.

S. Thomas Aquinas fortiter impudicam feminam vincendo, castitatis cingulo ab Angelis decorari meruit. *Vita* et *Spec. Ex.* c. VIII et XCIV.

S. Benedictus per speciem mulieris, aliquando a se visæ, graviter tentatus in spinas se abjecit, sicque prurientem libidinem extinxit. SURIUS, 21. *Mart.*

S. Dominicus meretricem, conscio Rege Castellæ, ad tentandam ejus castitatem immissam, in lectum prunis ardentibus plenum, in quo ipse sine vestium aut corporis ambussione jacebat, invitans, egregium suæ castimoniæ testimonium reliquit. THOMAS CANTIP. l. II *Apum*, c. XXX, n. 45.

S. Franciscus Seraphicus ab impudica femina noctu ad scelus invitatus, pavimentum prunis ardentibus ex proximo igne constravit, in eoque decumbens ad idem stratum mulierculam invitavit, quo facto procacem mulierem ad pœnitentiam reduxit. Idipsum in Ægypto fecisse dicitur, dum a Saracena meretrice ad impudicitiam provocatus in ignem proxime ardentem se conjecit, eamque ad stratum illud evocavit, quæ tanto

viso miraculo fidem suscepit. *Chronic. Min.* l. I, c. LXIV et l. II, c. CDLVII. Alias a dæmone per impuras suggestiones agitatus nudum corpus in foveam glacie plenam, alio tempore in nivem projecit, et ex nive septem statuas, ac si uxorem et filii forent, formavit, et nudus amplexus est. *Vita* c. v.

S. Ludovicus, Catalanensium Episcopus, corpore venustus et pudicus, a quadam Galliæ Regina ad scelus invitatus, eam torvo oculo aspiciens rejecit, unde oculus ille post 400 annos incorruptus mansit, et quasi chrystallus lucidissima luxit. THOMAS CANTIPR. l. II *Apum*, c. XXX, § 33.

S. Casimirus, Regis Casimiri filius, ad mortem infirmatus, medicis connubium pro sanitate recuperanda suadentibus, mori maluit, quam virginitatis jacturarum facere. CRONERUS *de Gestis Polon.* l. XXIX.

S. Elzeario, cum ordinem intrare vellet, Christus ipse præcepit, ut Dalphinam uxorem acciperet, cum qua tamen tam virginee vixit, ut Christus ipse visus sit ad caput lectuli stare, et manus super utrumque extendere. Ipse vero Elzearius fateretur suam castitatem nullibi securiorem fuisse, quam cum in eodem cum Dalphina lecto dormiret. Hinc soror hujus Dalphinæ gravi tentatione luxuriæ pulsata, flexis genibus circa lectum ipsius cum reptasset, mox liberata est. SURIUS, tom. V.

Constantinus Magnus summo in pretio habebat virgines, eo quod in earum mentibus Deum habitare crederet, unde eas etiam ex publico ali jussit, tantumque non adoravit.

Cum Godefridus Bullionius in recuperanda Palæstina tanto robore depugnaret, ut equites cataphractos uno ictu medios secaret; interrogatus, unde illi tantæ vires essent? respondit : Numquam hæc dextera molliori aliquo ac turpiori tactu effeminata est. S. ATHAN. in *Apol. ad filium ejus.*

Felix de suo Episcopo narravit, quod cum ad Episcopatum evectus, separasset se ab uxore, hæc suspicata, id ideo fieri, ut alteri pulchriori copulari posset, quondam noctu sub lecto se abscondens vidit supra pectus illius agnum sole lucidiorem jacere. PETRUS SANCH. in *Regno Dei* p. V, c. VIII.

Cassianus refert, quod cum juvenis quidam ad Joannem Abbatem accederet sub exorcismo diaboli, ab eoque in ordinem admitti peteret, mox ad juvenis istius adventum Diabolus, qui nullo alioqui modo pelli poterat, discesserit; quare rogatus quis esset? respondit, se a parentibus ad matrimonium coactum, undecim annis cum sponsa illibatum vixisse; nunc vero, impetrata ab ea facultate, ordinem petere. Quo audito, dixit Abbas : Jam non miror, Diabolum tuam præsentiam ferre non potuisse. Ibidem.

Castitatis merito juvenis (tria rosaria, per annum, quotidie ad instantiam avunculi persolvens) mirabiliter a B. V. convertitur, et ad nuptias cœlestes invitatur. *Ex spec.* d.V, ex. LIX.

S. Edmundus postquam B. Virgini suam virginitatem vovisset, eamque annulo subarrhasset, ex eo tempore (ut ipse in obitu fassus est) quoties B. V. invocavit, sensit in tentatione proventum, in persecutione solatium, in tribulatione remedium, in dolore gaudium etc. Idem ingenioso consilio mulierem procacem virgis cæsam a scelere abduxit. *Vita* et *Spec. Ex.* d.VIII, ex. v.

Pachonis Eremitæ luctam habuit contra gravissimas carnis tentationes etiam in senectute, ita ut duodecim annis post annum quinquagesimum jam transactum, nullo die non tentaretur, vide loc. cit. *Vita PP.* l.VIII, c. XXIX.

Cum viri cujusdam captivi uxor vehementer plorans, causam lacrymarum reddere a divite viro jussa respondisset, inopiæ causa se plorare, ob quam marito succurrere non posset; promisit ille se, si in scelus consentiret, maritum e carcere erepturum, et quantum vellet pecuniæ daturum. Respondit illa, se mariti consensum prius requirere debere, cumque ille diceret, se mori fame malle, quam in talem petitionem consentire, audiens fur captivus, vocavit ad se uxorem, eique significat, se in aliquo loco ollam pecuniis refertam defodisse, iret proin, et per illas pecunias maritum liberaret. Ibid. *et Pratum spirit.* c. CLXXXIX.

Est insigne pudoris exemplum in S. Antonio, qui Lycum flumen vado transmissurus, cum nudandi essent pedes jussit Theodorum viæ comitem, longius a se abesse; sed ne hoc quidem pudori ejus satis fuit, siquidem ipse aliquid sui nudum videre erubescens, veste se exuere non potuit; id quam superis gratum esset, Deus miraculo testatus est, qui famulum suum momento in adversam ripæ partem intacta aqua transvexit. S. ATHAN. in *Vita.*

SS. Julianus et Basilissa, celebratis rite

nuptiis, cum prima nocte utriusque consensus mirabiliter ad illibatum pudicitiæ florem Deo servandum conspirasset, mira quædam toto cubili afflata est odorum suavitas, affulsit amœna lux, et in luce cœlitum chori duo, quorum alteri, qui erat masculorum, Christus, alteri puellarum Virgo Mater præsidebat. Et ille quidem suavissimo concentu ita cœpit applaudere : Vicisti, Juliane, vicisti. Tum alter subdidit : Benedicta Basilissa, quæ sanctis monitis aures præbens et animum, vanas despexit illecebras, et æternæ vitæ cœlestis laurea dignam se reddidit! Sub hæc, viri duo ex cælesti turba, nivea induti veste, prodeuntes, inter utrumque conjugem, novo cœlestis amoris vinculo, stipulata manu, castum innovant conjugium. Interim alio quodam canitie venerabili librum offerente, in quo aureis exarata litteris legebatur : Quicumque obsequii divini causa mundi insanis voluptatibus nuntium remittet, ut fecisti, Juliane, in album eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, refertur. Basilissa vero pro eo, quod illibatam corporis sui innocentiam servare intendit, virginum numero apponetur, cujus principem locum tenet Maria Mater Jesu. RIBAD. 9 *Julii*, *ex Metaph.*

De Pasquale Baylon, Ord. Min. in hæc verba scribit Joannes Rho : Verberare servilem in modum (hostem domesticum) sat habuit Baylon, et in officio continuit; quum enim de adolescente, qui, jam tum inter pastores, a quorum mapalibus ad Francisci castra se transtulit, fama esset pudicitiæ celeberrimus, rogaret perquam familiariter gregalium unus, num hoc bello, ex quo tam pauci abeunt victores, et ipse peteretur? Ille quidem, respondit : Minime quietum esse hostis permittit, ego vero viminibus armatus eum tamdiu verberibus castigo, donec satis habens, quod doleat, otium libertatemque meam perturbare non possit. Vetus illud Ægidianum hic tenuit : Invadentem molossum, morsuque appetentem fuste abigere oportere. JOAN. RHO. l. V, c. II exempl. II.

S. Carolum Borromæum eduxerant importune in suburbanum viri Principes, et, quæ temporum ante Tridentinam Synodum obtinebat licentia, mulierculam in comitatu clam habebant, quæ forma excellenti in Principum dedecus abuteretur; hæc enim ineptis ac profanis hominibus expeditissima ratio visa est, Caroli ab ea tristi, ut ipsi quidem interpretabantur, severitate, quam ab Ignatii commentationibus hausisset, evocandi. Solus, dilapsis de industria comitibus, in cubiculo quum sub noctem relictus esset, adfuit occultis submissa scalis, veluti ex inferni machina, procax mulier, jamque blanditias addebat; sed Carolus, quem improvisa res paululum defixerat, suos illico austeriori voce inclamat, ac pestem illam irarum plenus abigit, abominatusque tectum, quod periculo, ac fraudi senserat opportunum, insterni equos jubet, in urbem reverti se velle. Abiit profunda jam nocte, nullisque precibus de sententia potuit dimoveri; quasi majores nusquam tenebras offensurus, quam ibi reliquisset. Ib. exempl. VI.

Severius sibi agendum censuit Laurentius Fuccinensis, Capuccinus, veterisque moris exempla revocanda, quum Forolivii concionatoris partes ardentissime sustineret, suam ille orationem, quam sequenti die ad populum haberet, multa jam nocte parabat, cum pulcherrima, flagitioque prompta, se in cubiculum femina conjecit, hominemque ad libidinem provocare ausa est. Id quorumdam scelere factum deinde innotuit, qui in libidinum sordes vehementissime declamantis Laurentii auctoritatem ea se machina subvertere posse confidebant. At Laurentius ubi periculum, et flammam circa se animadvertit, libris intentus, immotusque, ac si nihil acturus esset, scorto ne quidem appellato, digitum lucernæ flammæ admovet, constanterque in illa habet, donec caro difflueret, incredibili animi pariter corporisque patientia, satius duxit, totum digitum igne perdere, quam vel levi afflatu castitatem comburi. Ib. exempl. II.

Bonaventura, Regensis Capuccinus, non suo, sed alterius dolore impudicas, quibus illa exarserat, flammas extinguendas sibi duxit, Bernardini Senensis, opinor, exemplum secutus. Seductum in conclave sceleri opportunum de stupro impudica et nobilis matrona procacissime compellabat, quum prompto ferreis ex catenulis flagello impudicæ os, et qua membra ictibus patebant, valide verberans, adductaque fronte, ac truci voce terribilis audaciam ac petulantiam increpitans, egregio adversus libidinis insaniam medicamento, ab ea cogitatione in concepti ac designati flagitii dolorem saluberrimum dedit, sive ipse geles, sive flammas procul submoveas, tantumdem est. Ib. exempl. XII.

Ut nulla tuta sit ætas, maxime tamen peri-

culis obnoxia est adolescentia, cui, quasi vero domestico igne non satis arderet, consceleratis hominibus faces subdere ludus est, ineptique habentur, qui ardere nolunt. Sed horum insana judicia insuper quum haberet Antonius Caraffa adhuc adolescens (is, qui deinde Cardinalis factus, Vaticani Senatus sapientiæ fama diu Princeps fuit) placuit impuris nebulonibus constantiam experiri: Puellam forma egregiam, et sermonis procacem, comptam, ornatamque, quantum impudicæ satis erat, in Antonii cubiculum adhuc in lectulo quiescentis summo mane immittunt, multis oneratam promissis, si pelliceret ad amplexus. Nec leve Antonii periculum fuit; etenim ad primum aspectum exiliens, ad ostium, quum accurrisset, illud suorum fraude occlusum invenit; quum voce contentissima famulos inclamasset, nemo respondit; nec illa interim sibi deerat, sed omnibus agebat blandimentis totaque meretricia arte pugnabat. Quid faceret deprehensus, suoque in cubiculo veluti constrictus, hostique traditus adolescens? Caminum ibi habebat, in eoque priusquam se cubitum reciperet, luculentum ignem excitarat, nam hyeme summa initum certamen est. Ergo ad illum accurrit, batilloque usus, ingenti cineris nube, atque ardentium adhuc prunarum grandine, petulantis ac cœptis instantis mulieris os, crines, sinum implet, ac semiustulatam egregie fugat. Meruit castissimus adolescens, divinorum librorum scientia postea inclarescere; nam castis ea maxime patent adita; profani procul arceantur. Ib. exempl. XIII.

Adolescens quidam Paraquariensis iverat socius seni exploratum, quæ vicinæ genti moribus perditissimæ, ac pro veteri barbarie adhuc in silvis agitanti mens esset, si de pago constituendo, Evangelioque recipiendo sermo inferretur. Verum commercium statim abrumpentes barbari, nudas illico feminas utrique offerunt, et adolescenti præcipue puellam, principis inter suos filiam, formæ, ut id loci, pulcherrimæ, sed libidinis projectissimæ, illasque, negata spe reditus, ducere, ac sibi habere jubent; ni pareant, præsentem utrique mortem, ac lanitatum, in feralium usum epularum, superbissime comminantur. Non semper pro ætate virtus est; senex turpiter succubuit, novusque ex marito (nam uxorem domi habebat) adulter, imperata facturum se, et cum illis se futurum spopondit. Adolescentis animus, neque imminentis necis crudelissimæ terrore, neque blandientis voluptatis, quæ plurima in oculos incurrebat, dulcedine victus, et datam conjugi fidem, et paulo ante susceptam Religionem vitæ præhabuit. Nam et nudam puellam vel respicere non sustinuit, seque apud consceleratos esse posse tanto cum animi discrimine pernegavit. Itaque constans animi, instigante puellæ patre, qui repulsam filiam indignissime ferebat, a barbaris cæditur, ac immanissime devoratur. Quo in facto, et quantum a se ipso per vitia degeneret, quantumque supra se virtute attollatur humanum genus, egregio in utramque partem experimento comprobatum est. Ib. exempl. XIV.

Nomen in Annalibus non legimus hominis in hoc bello nobili victoria longe clarissimi. Pugna hæc fuit. Duodecimo ab urbe Lima lapide Idolum libidinis (nos Venerem diceremus) colebant Peruani, contra tam nefariam pestem eo in pago per quatuor integros dies declamavit ex Prædicatorum Ordine Sacerdos, qui cum tantam injuriam Divinitatis non ferret, multosque a nefario cultu dimovit. Ubi Limam reversus est, eum aggreditur Satanas, objectaque pulcherrimæ puellæ specie noctu ad flagitium omni nequitiarum arte sollicitat, sed ille flagello depugnans domesticum hostem continuit, admonuitque, ne lascivire vellet. Postridie illius noctis ad pagum redeunti nuntiant Indi, ea nocte auditas esse voces Dæmonis, flagellari se queritantis, eaque verbera minaci prece deprecantis. Rem porro indignam videri tantam Deo suo illatam ab eo esse contumeliam. Risit in sinu Sacerdos lætus, quod iis flagellis, quibus se ipse ceciderat, Satanas tam luculenter vapulasset. Id quamquam non semper queritur dæmon, semper tamen dolet. Ib. exempl. XVIII.

S. Vitalis, a S. Ruperto secundus in Salisburgensium numero Episcopus, ea fuit castimonia, ut ex castissimo ejus jam sepulti pectore candidissimum lilium per ipsa se tumuli marmora, et munimenta in lucem penetrarit, Præsulisque integerrimi virgineam mentem, corpusque ab omni labe intactum mundo prodiderit. RADE. in *Bavaria sancta* vol. II, p. 36.

Noe continentiam servavit per quingentes annos, cum autem 500 esse annorum, Deo inspirante, nupsit, et genuit tres filios, Sem, Cham et Japhet. S. CHRYS. in homilia XXIII, *in Gen.*

Joannes Anachoreta in quadam Ægypti prærupta rupis spelunca obstruso aditu degens, cum feminis nunquam est locutus, raro cum viris, ad se tamen intrare neminem permisit. Tribuno roganti ut se conjugi suæ conspiciendum sustineret, non est assensus. MARULL. Lib. IV.

Martino Massici Campaniæ montis solitario decretum ac deliberatum fuit, ne feminam aspiceret; et dum quædam, non sanctum visendi cupiditate, sed magis propositi ejus turbandi causa, captata occasione repente astitisset, primus humi corruit, vultuque inter palmas collecto tamdiu Deum ut se in tali pudicitiæ discrimine tueretur, oravit, donec illa longo oris moræ victa tædio inde discessit: ac ne quis Christo servis negotium facessere leve crimen putet, fama est, mulierem hanc simul atque de monte descendisset, vita decessisse, Deo temeritatem ejus ulciscente. Ibidem.

Mulierum.

Gothorum tempore hujus urbis nobilissima puella Galla Symmacha, Consulis ac Patricii filia, inter adolescentiæ tempora marito tradita, unius anni spatio ejus est morte viduata. Quam dum fervente mundi copia ad iterandum thalamum, et opes, et ætas vocarent, magis elegit spiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus a luctu incipitur, quam carnalibus nuptiis subjici, quæ a lætitia semper incipiunt, et ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cum valde ignea conspersio corporis inesset, cœperunt medici dicere, quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbam esset habitura; quod ita post factum est. Sed sancta mulier nihil exterioris deformitatis timuit, quæ interioris sponsi speciem amavit, nec verita est, si hoc in illa fœdaretur, quod a cœlesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo ut ejus conjux defunctus est, abjecto sæculari habitu ad omnipotentis Dei servitium se se apud Beati Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis, atque orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus perennem jam mercedem reddere ejus laboribus decrevisset, cancri ulcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum illius duo candelabra lucere consueverant, quia videlicet amica lucis non solum spirituales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem jaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum intra utraque candelabra, ante lectum suum extitisse, nec, perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultavit, eique dixit: Qui es, Domine mi? Dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille, benignissimi ut est vultus, inclinato capite annuit, dicens: Dimissa, veni. Sed quia quamdam sanctimonialem feminam in eodem monasterio præ cæteris diligebat, illico Galla subjunxit: Rogo, ut soror Benedicta mecum veniat. Cui ille respondit: Non, sed illa talis tecum veniat. Hæc vero, quam petis, die te erit trigesimo secutura. His ergo expletis Apostoli visio assistentis et colloquentis ablata est. At illa protinus cunctæ congregationis matrem accersivit, eique quid viderit, quidve audierit, indicavit. Tertio autem die cum ea quæ fuerat jussa, soror defuncta est. Illa vero, quam poposcerat, trigesimo die subsecuta est. Quod nunc usque in eodem Monasterio manet memorabile. Sicque hoc a præcedentibus matribus traditum narrare illic subtiliter solent juniores, quæ nunc sunt sanctimoniales Virgines, ac si illo in tempore huic tam grandi miraculo et ipsæ affuissent. S. GREG. lib. IV *Dialog.* c. XIII.

Erat homo (ut frater Ordinis Prædicatorum retulit) faber lignarius, admodum tenuis, uxorem habens pulchram et bonam. In hanc dives quidam pecunia, sed inops corde oculos injecerat impudicos. Missa ergo ab eo vetula nefanda, intrat domum juvenculæ, salutat eam, quasi cognitam, residet ad ignem. Nec mora, circumductis oculis fatigatam se plangit. Quærit hinc juvencula, unde veniat, aut quid quærat? Et vetula: Si ipsa sis nescio talis nominis, talisque matris filia, quam habere me credo in ista vicinia consobrinam. Cui juvencula: Si sum, nescio, tali quidem nomine censeor, et etiam habui talem matrem. Tunc vetula illa dolo et astutiis plena, ruens in oscula juvenculæ: Bene, inquit, assimilaris matri tuæ. Tu autem qualem virum habes? Cui illa: Bonum, inquit, opere fabrum lignarium. Mox vetula altius elato gemitu: Heu! inquit, optimæ matris filia, quomodo ad istam miseriam venisti, ut fabrum habeas virum, quæ tot in parentela tua magnos et divites habuisti? Hæc dicens quasi mœsta nihil amplius locuta recessit.

Inde quarta die reversa, inquit : Vere multum sollicitor, ut post infortunium saltem copiosius rebus valeas abundare. Inveni ergo viam qua hoc fieri poterit, si mihi consentis. Est in civitate ista vir dives et potens valde, qui te (ut heri mihi dixit, cum tuum infortunium deplorarem) super omnia diligens, concupiscit. Cum isto ubertim habebis quidquid corpori placere poterit, et decere. Cui juvencula : Bonum, inquit, virum, et meliorem me habeo. Divitias autem cum peccato augere non cupio. Cui vetula quasi blando vultu congratulans : Et hinc, inquit, magis te diligo, charissima. Hæc dicens abiit. Et post triduum reversa, dixit : Veni mecum, charissima, et Ecclesiam pariter gloriosissimæ Virginis visitemus. Nihil mali suspecta simplex juvencula, paret illi, et cum vetula vadit. At ubi ante portam divitis transeunt, ut præordinaverat vetula, juvencula rapitur, et protrahitur in conclave. Angustiata juvencula, et eminus ad aures vetulæ se inclinans, ait : Mihi hac nocte contigit secundum consuetudinem feminarum. Ad horam nunc liberes me, cognata dulcissima, et fide data spondeo cras redire. Annuit vetula, consensit et dives. Hinc ergo juvencula domum rediens, quid fiat, excogitat. Præparat de vicinia tres fortes et validas feminas, et eas cum scopis clam in thalamo collocavit, et quasi vellet melioribus vestibus indui, venientem vetulam, velut ad suum auxilium, introduxit, firmatoque ostio concurrunt feminæ, et nudatam vestibus, percutiunt scopis miseram usque ad sanguinis effusionem; nec cessant a verberibus, donec eluctuato conamine vetula ostium exilivit, et nuda penitus per plateas aufugit. Mirantibus cunctis, quid factum sit, audiunt, et constantem in castitate juvenculam per totam civitatem extollunt, plusque lucrata est in honore et gloria bonæ famæ, quam fuisset in omnibus copiis et divitiis adeptura. Cantiprat. *Lib.* II, c. xxx, pag. 37.

Cum Otho VI, Imperator, Florentiæ esset, et inter, multas forma atque ætatis flore insignes feminas Gualdratam Bertham ipse plurimum laudaret, puellæ pater, qui aderat, Bellincionus nomine, obtulit facturum se, si ita ejus ferret animus, ut deosculandæ puellæ copiam haberet; quod cum puella audisset, respondissetque : Nullius unquam, nisi ejus, qui vir suus esset, suavium accepturam, adeo modesto Principi ea res placuit, ut indignum duceret, sine præmio puellam dimittere. Itaque eam in matrimonium Guidoni Germano locavit, viro non solum armis atque virtute, verum generis quoque nobilitate insigni, et totam eam vallem, quæ sub Cassentini nomine, in Aretino agro censetur, cum Comitatus honore utrisque dedit. A quibus postea familia manavit, quæ Comitum Guidorum nuncupata est.

Non interfuit narrantium, nomen tradere Hispanæ mulieris, cujus virtutem audire frugiferum erit, opinor. Dum transeuntem cum fortunæ suæ pompa Philippum Regem ejus nominis II, e fenestra, intecta mamma, incautius spectat, visa ab eo est, atque ut erat formæ eximiæ, adamata; nec subditus Regis ardor clam fuit aulico ex illis uno, quibus talia rimari haud dubius fortunæ fundus est. Itaque ad mulierem adit; atque in aulam invitat. Illa, cui castitas cum forma certaret, dicti fœditatem aversata, interrogat tamen, quid ita se unam Rex elegisset, quidve ex sua forma illi carum magis. Ubi nives pectoris, et mammarum ebur audivit arrisisse : Hic ego, inquit, compta mox adero, et hæc ipsa pars mundo, atque arte muliebri crescet ad pulchritudinem, et simul se in cubiculum abdit. Ibi ferventi latice pectus ac mammas perfundens, quidquid regis animum corrupisse indignabatur, generosa corrumpit, ac præclare victrix in aulam progrediens, nudato pectore, cujus jam forma decoxerat, lenonem increpuit : Hæccine tam fœda pectoris species Regis oculos icit? Nec plura opus fuit dicere. Perierant nives, quibus frigidior abiit stupri conciliator, se, artemque suam victam esse confessus. Joan. Rho. l. VII, c. ii, ex. iv.

Gravis profecto est hostis Regum libido, adversus quam castæ matronæ etiam igne pugnandum fuit. Hæc quamquam paulo antiquioris ævi, quia tamen minus Latinis, quod sciam, litteris est cognita, his nostris fuit consignanda; nam plurimis quamvis agamus exemplis, vereor, ut satis munire possimus. Quum igitur sibi a Regis libidine periculum imminere sentiret, quod nullum faceret rogandi finem (et Regum preces imperiis ipsis magis validæ sunt) faciem cujus forma Regem captum esse, non ignorabat, titione non uno in loco adussit, eoque seminigro igne pulchritudinem omnem obliteravit. Sed non ideo regius extinctus furor, veteris formæ quamvis confessa vestigia impotentius adhuc adamabat. Ergo ne post formam pudicitiam perderet, sanctioris, cui se

clanculum addixit, vitæ religionem demum objecit furenti, atque in latebras abdita hiantem delusit; docens, alienam etiam libidinem fuga facilius vinci, quam pugna. Hæc sub Francisco meruit. Ibid. ex. III.

S. Euphrasia Antiochena cum a milite amasio deprehensa, non posset evadere, dixit, se eum docturam artem, quam in bellis lædi non posset, si sibi parceret, utque ejus experimentum sumeret, collum unguento unxit, quod feriens ille uno ictu amputavit. NICEPH. c. X.

Cum S. Victoria multis verbis S. Anatoliæ virgini nuptias persuadere niteretur, ipsa potius ab ea persuasa virginitatem vovit; quo facto mox Angelus illis apparuit, dixitque: Virginitas est aurum, viduarum status argentum, et conjugalis castitas cuprum. PETRUS SANCH. p. V, c. VIII.

Præterea castitatis egregium exemplum præbuere Sara, Judith, Susanna. TOB. III; JUD. VIII; DAN. XIII.

Cum castissimam feminam vetula quædam decipere vellet, illa miro actu se ab insidiis liberavit; vetulam autem a tribus mulieribus, ad hoc constitutis, egregie verberari jussit. *Spec Ex.* v. *Castitas* ex LXXX.

Castarum mentium gloria SS. Juliano et Basilissæ ostenditur. Ib. v. *Virginitas.*

Vidua quædam monialis post mortem sorori virgini apparens floribus ab altera sorore virgine acceptis, rosa circulum in muro cum explicabili odore suavitatis descripsit, simulque excessum laureatæ virginitatis, supra præmium viduarum ostendit. *Ex* CI. Ib. v. *Virginitas* ex. XXIX.

Paulam Romanam ab Hieronymo proditam legimus, post mariti mortem, non solum nubere noluisse, sed etiam tum viris nunquam comedisse, casta mulier vix se viduam esse putavit, si cui non sui sexus hominum vel ipsa tantum convivendi familiaritate jungerentur; sic, itaque viduitatem sancte pureque custodivit, ut in monasterio sacris virginibus præesset, quas enim æquaverat castitate eas cæteris virtutibus superabat. Ibid.

Juvenum.

S. Thomas Aquinatium Comes in ætatis flore, titione propudium abegit. Bernardus incondito clamore scortum repulit. Bernardinus integerrima pudicitia adolescentulus floruit. Edmundus Cantuariensis ad illicita pertrahentem fortissime profligavit. Jacobus, Regis Lusitani nepos, mortem subire, quam castitati contraria patrare elegit. Item Casimirus, Poloni Regis filius mortem oppetere potius, quam legem continentiæ virgineæ violare voluit. Michael Verinus, poeta Hispanus, qui vix octodecim annos natus, pudicitiæ servandæ studio vitam contempsit. Robertus Cardinalis Nobilius, qui carnis integritati jacturam vitæ posthabuit. Ex eadem familia Robertus Cardinalis Bellarminus, qui, quam a matre virginem carnem acceperat, quam a sacro lavacro innocentiam, Deo reddidit. Nicetas, juvenis speciosissimus, vinctus in strato, præcisam morsu linguam cum sanguinis profluvio in provocatricem est jaculatus. Pelagius, puerulus Hispanus, a Rege barbaro de turpitudine, identidem appellatus, cum precibus vinci non posset, et vis adhiberetur, procaci ac libidinoso Principi pugnos in faciem impegit. Ludovicus, Catalauniensium Episcopus, corpore perquam venusto, sed æque pudico, qui a Regina opportuno loco ad flagitium invitatus, ita torvum est intuitus procacem feminam, ut territa se subduxerit; cujus oculus post quadringentos et amplius annos in cadavere lucidissime instar crystalli splenduit. SANDEUS *in Flore Mystico* orat. V, p. 369.

Conjugatorum.

Castitatem etiam in thoro conjugali servarunt Marcianus et Pulcheria; Valerianus cum Cæcilia; Julianus cum Basilissa; Eduardus, Britanniæ Rex, cum Editha; Henricus Imperator, Deiparæ studiosissimus, cum Cunegunde uxore perpetuam virginitatem coluit; Emericus, S. Stephani Hungarorum Regis filius, cum sponsa Regia carnis integritatem perpetuo illibatam custodivit; Pelagius adolescens prima nuptiarum nocte in ipso thalamo nuptiali sponsæ castitatem persuasit; Elzearius Comes et Dalphina pari consensu incorruptum virginitatis florem Deo consecrarunt. Quod etiam fecere Chrysanthus et Daria, in Italia; Ansbertus et Angadrisina in Gallia; Alphonsus II, Castilliæ Rex, vocatus castus, cum Berta in Hispania. Ibidem.

Virginum.

Solebat Abbas Joannes non ad imita-

tionis formulam, sed tantummodo pro admonitione proferre, quia quidam veniens ad prædictum senem habitu sæculari, cum ei quasdam frugum suarum primitias detulisset, ferocissimo quemdam dæmonio arreptum ibidem reperit. Qui cum Abbatis Joannis obtestationes, ac præcepta despiciens, testaretur se nunquam ad illius imperium, de corpore, quod obsederat, migraturum, hujus adventu perterritus, cum reverendissima nominis illius inclamatione discessit; cujus tam evidentem gratiam senex non mediocriter admirans, eoque amplius obstupescens, quod hunc in habitu cerneret sæculari, cœpit ab eo vitæ, ac professionis ejus ordinem diligenter inquirere. Cumque ille sæcularem, atque uxorio vinculo obligatum esse dixisset, Beatus Joannes excellentiam virtutis ejus, et gratiæ, mente pertractans, quænam illi esset conversatio, attentius explorabat. Ille se rusticum, et quotidiano manuum opere victum quærere, nec ullius boni se esse conscium testabatur, nisi quod nunquam ante ad ruris opera mane exercenda procederet, neque vespere domum reverteretur, nisi in Ecclesia pro quotidianæ vitæ commeatu largitori suo Deo gratias retulisset, neque se unquam de fructibus aliquid usurpasse, nisi prius Deo primitias eorum, ac decimas obtulisset, et nunquam se boves suos per alienæ messis traduxisse confinium, nisi pius ora clausisset, ne vel parum damni per injuriam ejus proximus sustineret. Et cum hoc quoque Abbati Joanni necdum ad comparationem tantæ gratiæ, qua eum sibi prælatum esse cernebat, idonea viderentur, atque ab eo, quidnam esset illud, quod tantæ gratiæ meritis conferri possit, sciscitans scrutaretur, ille reverentia tam sollicitæ inquisitionis adstrictus, uxorem, se parentum vi imperioque compulsum, cum profiteri Monachum vellet, ante undecim annos accepisse confessus est, quam nemine etiam tunc conscio, sororis loco a se virginem custodiri testabatur. Quod factum cum audisset senex, tanta est admiratione permotus, ut coram ipso publice proclamaret: Non immerito dæmonem, qui se despexerat, illius non tolerasse præsentiam, cujus ipse virtutem non solum in juventutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere. CASSIANUS coll. IV, p. 7.

Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et Thebaidam Ecclesias sæva tempestas depopulata est. Votum tunc erat Christianis pro nomine Christi gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas jugulare cupiebat, non corpora, et ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non dabatur occidi. Cujus crudelitas sequenti exemplo notior fiet. Decius juvenem quemdam juvenli ætate florentem in amœnissimos hortulos adduci præcipit, ibique inter candentia lilia et rubentes rosas, cum leni juxta murmure serperet rivus, et molli sibilo arborum folia ventus stringeret, super stratum plumis lectulum resupinari jussit; et ne inde se excutere posset, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo, cum recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus, et (quod dictu quoque nefas est,) manibus attrectare virilia. Quid ageret miles Christi, quo se converteret, nesciebat. Et quem tormenta non vicerant, superaret voluptas? Tandem cœlitus inspiratus præcisam mordicus linguam, in osculantis se faciem expuit; sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo superavit. S. HIERON. in *Vita S. Paul. Eremitæ.*

Refert Beatus Gregorius Turonensis, quod quidam nobilissimus juvenis Romæ de nobilioribus Senatorum, cum virgine æque nobili contraxerit, temporibus Arcadii, Honorii et B. Martini, quæ tamen non sponte sua, sed parentum et vi et auctoritate premebatur, ut in matrimonium consentiret; cum itaque solemnes nuptiæ celebrarentur lætantibus cunctis, et cantantibus organis, hæc in corde suo soli Domino decantabat dicens: Fiat cor meum et corpus meum, Domine, immaculatum, ut non confundar! Solemniter itaque cunctis nuptialibus celebratis, cum sero pariter in cubiculum ducerentur, ipsa conversa ad parietem, virginitatis suæ periculum amarissima cœpit lamentatione deflere. Miratur juvenis (utpote propositi virginalis ignarus) atque tanti causam mœroris sollicita cœpit interrogatione perquirere. Tunc illa profundis gemitibus cordis dolores aperiens: Hæc (inquit) est causa tanti mœroris, quoniam thesauro virginitatis pretiosissimo, quem voto fideli soli Deo dedicaveram, nunc in vita privabor. Respondit juvenis: Quod et placeret Deo conjujugium, quippe quod ipse a principio constituisset hominibus observandum, ex quo

proles acquiritur, quæ est parentum gaudium, hæresque bonorum. Instabat illa contrarie asserens, virginalem statum Domino acceptissimum, cujus quidem principium in cœlestibus spiritibus dedicasset, atque post hæc in terras veniens virgo mansurus, de sola virgine nasci voluisset. His itaque et pluribus aliis virgine prosequente fit consensus amborum, ut videlicet castitatem sub solo nomine conjugii ambo servarent. Cum autem jam diu sub solo nomine conjugii sic fideles virgines, atque (ut dixerim) in igne fideles martyres Christi manerent inusti, placuit tandem Domino, ut de fœcibus vitæ præsentis puellam educeret. Postquam autem circa corpus ejus Ecclesiasticum complesset officium, stans juvenis supra uxoris (ut putabatur) sepulchrum, manibus extensis in cœlum : Gratias, inquit, ago tibi Domine Deus, atque hunc thesaurum a te mihi commissum, immaculatum et integrum tibi restituo. Tunc illa de tumulo quasi subridens: Cur (inquit) ante tempus ea loqueris, quæ non interrogaris? Audiebant hæc cuncti, et mirabantur. Non multo vero post tempore etiam juvenis ipse evocatus, migravit ad Dominum. Sepultus est etiam ipse, sed per multum spatium a tumulo uxoris putativæ; cumque non post multum tempus exigentibus causis circa locum fodientes juvenis corpus non invenirent, in sepulchro virginis quæsitum est atque repertum, ut videlicet, quorum conjunctas animas non separat cœlum, etiam sepultorum corpora non separet monumentum. Incolæ autem tantis mirabilibus visis, cum post horum duorum memoria venisset in medium, duos amantes eos putabant. S. GREG. TURON. *de Gloria confess.* c. XXXII.

Refert Vincentius in Speculo morali : Sigismundus, Rex Lotharingiæ Christianissimus, juvenili florens ætate, ne ætas illa ad mala semper proclivior per luxuriæ inquinamenta deflueret, secundum Apostoli consilium nubere magis elegit, quam uri. Audiens ergo de virgine quadam, quam per omnes terras virtutum fama vulgaverat, quod videlicet nobilis esset origine, fama procerior, atque super hæc omnia castitate, atque virtute omni præstantior, accensus est animo, ut hanc habere possit uxorem, et regni sui Reginam efficeret. Mitti solemnes nuntios cum muneribus regiis in Alemania, ubi præfata virgo morabatur, pro parentum et virginis requirendo consensu. Parentes igitur audientes Regis affectum facile consentiunt, utpote, qui omnes suam posteritatem talibus nuptiis nobilitandam ac sublimandam esse sperarent. Cumque regales nuntii de virginis consensu sollicitarentur, promiserunt parentes, quoniam ipsi eam ad nuptiarum consensum inducerent. Timebant enim, quoniam sciebant, filiam virginitatis habere propositum, ut si negaret assensum, tanta gloria de ejus parentela periret. Educiturque itaque virgo de domo, et de patria omnis fraudis ignara, utpote quæ nesciebat, quo duceretur. Sed cum perventum esset ad locum, atque intellexisset, se regali matrimonio copulandam, flere cœpit et gemere, dicens, se virginitatem suam Reginæ et Domino cœli devovisse, atque ideo nunquam mortali homini se nupturam. Quæ enim cum Agno virginum gloria gaudere cupiebat in cœlis, exaltationem etiam regalem cum detrimento castitatis non requirebat in terris. Sed parentes atque cognati omni cavebant solertia, ne hoc ad regis notitiam perveniret. Verum cum virgini omnis evasionis demeretur occasio, tandem die statuto ad Ecclesiam S. Stephani adducitur in sponsalibus ornamentis, ut scilicet ibi solemniter secundum morem Ecclesiasticum Regi regaliter jungeretur. Sed ubi ad Ecclesiam ventum est, videns virgo Christi nimis imminere periculum, atque majori jam libertate potita, infusa lacrymis gemens ad beatæ Virginis altare confugit. Quo per cornu apprehenso eadem gemens repetebat, quæ prius, atque nunquam se fatebatur ab altari avellendam, nisi promitteretur virginitas permansura. Erubescunt parentes, immo, ut vere dicam, insaniunt, se scilicet esse deprehensos. Mirantur assistentes; hi quippe causam virginis nesciebant. Ad Regis aures tandem fama pervenit. Qui ubi sacrum sponsæ propositum intellexit, devotionem castitatis, atque constantiæ propositum miratur, et laudat, promittens eidem, quatenus si ab altari se pateretur abduci, non violator, sed protector et custos ejus castitatis existeret : Omnia tamen, inquit, solemniter præparentur in vestibus, epulis atque cæteris nuptialibus, tanquam mihi desponsanda sit, neque enim dignum est, cum minori solemnitate eam cœlorum Regi desponsari, quam mihi. Fecit itaque jam indui regalibus vestimentis, atque regalem coronam capiti ejus desuper imponi. Lætantibus igitur omnibus, virgine quidem de obtento proposito castitatis, Rege

vero mirante cum cæteris de devotione tanta in ætate tam tenera, convivium celebratum est. Quo expleto, omnibus regalibus redimitam cum ingenti gaudio fecit in Ecclesiam S. Petri monialem collocari. Soli vero parentes ejus cum grandi confusione in sua reversi sunt, dolentes videlicet, quod tam sperato honore defraudati essent. Virgo autem Deo devota vitam superstitem in Domini exegit servitio, atque nuptiis hujus mundi spretis, pervenit ad nuptias æternas. VINCENT. BELVAC. *in Sveculo Morali* l. I, p. III, dist. XCVI.

Nobilis quædam virgo, nomine Euphemia, voverat castitatem in annis puerilibus Domino, et votum suum (ut voverat) strenue adimplebat, se coram Deo et hominibus conservans irreprehensibilem. Pater hujus sæcularis videns eam formosam (licet in vitam et omnibus viribus renitentem) cuidam Comiti desponsavit. At virgo plena Spiritu Sancto capellam intrabat, et projiciens se in terram orabat Reginam misericordiæ, ut eam in voto castitatis conservaret. Et advertens, quod ratione suæ pulchritudinis jacturam castitatis patiebatur, accepto cultello : Amplius (inquit) vana pulchritudo occasio peccati non eris, et hoc dicto nasum sibi præscidit, et labia. Pater tyrannus audiens hæc, vocato quodam crudeli suo rustico, filiam illi tradidit in ancillam, mandans, ut sub obtentu gratiæ suæ illam servitiis rusticanis manciparet. Ac rusticus compati nescius sanguini nobili, ultra modum eam laboribus et plagis affligebat. Et hæc illa omnia libenter devincebat, Deo gratias agens, quod in istum statum deduxit, in quo aliquid pro Deo sustineret. Cum vero in Dei servitio septem annis permansisset, in vigilia Nativitatis Christi, in nocte (ut mos est Christianis comedere) familia ad mensam sedente, ipsa cucurrit in stabulum, ut laudes redderet suo Creatori. Sed rusticus non visa virgine, arrepto baculo eam quæsivit. Et directis oculis in stabulum, fulgor ibidem coruscus apparuit. Et putans ignem, propius accessit, et ecce Virgo Maria cum multitudine Virginum et Angelorum eam confortabat dicens : Constans esto, filia, quia pro hoc servitio dabitur tibi corona Regni cœlestis. Quod rusticus videns, totam familiam clamore convocavit, et viderunt Euphemiam nasum et labia pulcherrima habentem, et facie rutilantem, et omnes, qui eam viderant, de immenso dono pulchritudinis Deum laudabant. Cumque pater ejus hoc audisset, veniam petens in loco stabuli claustrum virginum construxit, in quo Sancta Euphemia Deo serviens, in brevi quievit Domino. *Spec. exempl.* v. *Virgo* ex. XIX.

Refert Jacobus de Vitriaco, sanctimonialem quamdam pulchram fuisse facie, quam Princeps dives et potens (in cujus potestate fundatum erat monasterium) concupivit, et cum nec precibus, nec muneribus sibi eam usurpare posset, mandavit per nuntios Abbatissæ, ut unum ex duobus eligeret, aut scilicet monialem illam sibi corrumpendam transmitteret, aut ipse totum monasterium ignibus conflagraret. Terretur vehementer Abbatissa, utpote quæ sciret, quoniam nisi, quæ desiderabat, obtineret, faceret pejora, quam dixerat. Pavida igitur moniali illi sanctæ Regis edictum crudele denuntiat. Quæ tremens et dolens cœpit inquirere, cur eam præ cæteris monialibus sic amaret? Audivit ex nuntiis : Propter pulchritudinem (inquiunt) oculorum tuorum in te ardenti amore succensus est. Exhilarata illa, atque segregata parum a cæteris, ambos sibi oculos pia crudelitate evulsit, atque componens in disco præsentavit ministris principis dicens : Ite et principi vestro hæc præsentate ex me, ei dicentes : Ecce sagittæ, quæ cor tuum importuno ardore confoderant. Habes quod desiderasti, nunc eis utere pro libito, atque oculos cordis mei intactos, atque illæsos relinque. Ib. *ex* XX.

Legitur in Itinerario Dietmari, quia inter Hierusalem et Bethleem est cœnobium, ubi erant sanctimoniales, quando Terra Sancta perdita fuit, pulchræ valde ; de quarum pulchritudine ut intellexit Soldanus, voluit eis commisceri, et præcipit eis, ut sese pulchris vestibus induerent, et ornarent, nequitiæ incestum passuræ. Abbatissa autem earum, ne sic ludibrio esset carni et diabolo, et ne castitatis suæ lilium mergeret in luxuriæ cloacam, sui laboris annullans meritum, se suasque maluit mutilare, quam corpore integro, facie siderea immundissimum scortum existere. Igitur tamquam divinitus edocta, cum jam præ foribus esset Tyrannus, promissa exhortatione, hac confortatione usa est : Sorores venerabiles, tempus tribulationis ac persecutionis nostræ est. Soldanus nostræ virginitatis et pudoris inimicus in promptu est, manus ejus evadere non potestis, utamini ergo meo consilio, et quod ego fecero, vos quoque faciatis. Quod dum

ratum singulæ concepissent, ipsa Abbatissa primitus se naso mutilavit, et singulæ postmodum voluntate spontanea se mutilaverunt. Quo audito, Soldanus vehementer admirans constantiam illarum et prudentiam obstupuit, et multum hoc factum, et suæ fidei tenacem constantiam approbavit. Ib. *ex*. XXI.

Tres erant moniales in uno claustro sociæ speciales, et ex illis duæ erant virgines. Hæ autem singulæ studebant se devotas Beatæ Virgini exhibere. Mortua vero una virgine, et jam vidua in extremis agente, tertia soror superstes rogabat viduam, ut post mortem rediret, et de præmio sociæ certificaret eamdem. Quod promittens (si tamen foret de beneplacito Dei) expiravit. Die autem trigesima, ista ante altare in orationibus procumbente, apparuit socia vidua inæstimabili splendore fulgens nimis et dicens: Veni, quia ad reditum obligasti me. Et ecce modicam partem præmii mei, sed benedicta dies, in qua nata sum. Illa vero confortata, et resumpto spiritu, quæsivit de statu prioris defunctæ. Cui illa dixit: Si totus mundus esset pergamenum, et mare incaustum, et omnia folia et gramina scriptores cum omnibus hominibus, qui fuerunt, et sunt et erunt futuri, primo omnes deficerent, quam immensitatem præmii cœlestis exprimerent. Sed parumper (ait) ad præsens dicam tibi: Soror nostra in infinitis claritatibus me præcellit, et merito, quia ipsa heri choream cum Agno duxit candidam, cum multitudine candidarum puellarum cantans canticum singulare, solis virginibus appropriatum, et gerens sertum de divinis floribus confectum. Rogavi autem eam, ut saltem ad horam mihi sertum concederet, quæ ait: Non expedit tibi. Tamen de ipsis floribus dedit mihi, quas attuli tibi sociæ meæ charissimæ, ut aliqualiter virtutem eorum, quantum sensus capere poterit, humanius perpendas. Facto ergo ab ea circulari tractu in pavimento cum floribus, tam miri odoris processit fragrantia, quod illa soror præ suavitate, rapta fuit in extasim. Et sic vidua expleto promisso ad cœlum rediit. Omnes qui monasterium intraverunt, per multum tempus senserunt cœlestem odorem. Ib. *ex*. XXIV.

Thecla virgo, Paulo Apostolo Iconii Christum evangelizanti credidit; cumque jam desponsata esset, repudiato conjugio, virginitatem servavit; et ob fidei confessionem in ardentem rogum missa, uri non potuit, subitis imbribus igne extincto; deinde leonibus, ursis, tauris exposita, tot feris belluis repente mansuefactis, evasit inoffensa. Puduit proconsulem ultra in illam sævire velle, cum tam atroces bestiæ pepercerant, et liberam dimisit. Ibid.

Maria decennies puella duodecim annos nata, parentum, non sua voluntate cuidam Joanni nuptui tradita, vitæ destrictione ac sanctitate commovit virum, ut intactam dimitteret. In virginitate ergo perseveravit, multa virtute multisque miraculis celebris evasit. Ibid.

Brigitta virgo, inter Scotiæ puellas pulcherrima, cum a potentibus et quidem Christianis viris in matrimonium peteretur, et illa virginitatem Domino vovisset, eumdem oravit, ut aliquo corporis vitio ipsam devenustaret, quo procorum inquietudo facile sedari posset. Itaque cum oculorum decore maxime placuisset, alterum subito ulcere percussum amisit; cui ergo charior fuit virginitas oculis, nonne tanto pulchrior fuit in conspectu sponsi cœlestis, quanto istis terrenis (qui jam illam, quam paulo ante appetierant, desponderi sibi dedignabantur), visa est deformior. Ibid.

Violatæ castitatis pœnæ.

Abbas Polychronius nobis narravit, inquit Joannes Eviratus, quod in cœnobio Penthucula Frater quidam erat sibi ipsi valde intentus et continens. Cum autem aliquando impugnaretur a spiritu fornicationis, non valens hanc pugnam sustinere, egressus de monasterio, profectus est Hierico, ut concupiscentiæ suæ satisfaceret. Moxque ut meretricis cellam ingressus est, leprosus factus est totus. Videns autem lepram, continuo rediit ad monasterium, Deo gratias referens, et dicens: Idcirco Deus hac me castigatione percussit, ut anima mea salva sit, et magnifice glorificabat Deum. *Pratum florum.*

Narravit nobis, inquit idem Eviratus, Abbas Elias, dicens: Cum aliquando morarer in partibus sancti Jordanis in spelæo juxta eunuchorum monasterium, ideo quod non communicarem Machario, Archiepiscopo Hierosolimitano, die quadam circa horam sextam, æstu vehementissimo coquente desuper (erat enim Augustus mensis) pulsavit quidam ostium speluncæ meæ. Egressus

vero vidi mulierem, et dixi ad illam: Quid tu hic facis? Et respondens dixit mihi: Et ego, mi Pater, ejusdem, quo tu, instituti sum, et quasi uno lapide distat a te spelunca mea. Ostendebat autem et locum, quasi ad Austrum. Et ait: Lustravi hunc eremum, et præ æstu nimio siti fatigata sum, fac ergo charitatem, Pater, et da mihi pusillum aquæ. Itaque protuli urceum, et dedi ei. Quæ cum sumens bibisset, dimisi illam. Cum autem abiisset, cœpit diabolus impugnare me, immitens cogitationes sordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, sumpta virga mea, cellam egressus sum, in fervore æstus, cum lapides ignescerent, profectusque sum ad illam, ut implerem turpem concupiscentiam. Cum vero ferme uno stadio ab ejus adhuc spelæo distarem, urente me graviter æstu libidinis, repente factus in extasi, vidi apertam terram, et me hiatu terræ absorptum. Aspicioque illic cadavera putrida jacentia, et resoluta, et incredibili fœtore plena, quemdamque reverendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri, fruere jam ut vis, et quantumlibet, concupiscentia tua; hujus tamen voluptatis gratia vide, quot labores amittere voluisti. Vide, propter quod peccatum vos ipsos privare vultis Regno cœlorum. Væ humanæ miseriæ; propter unius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini! Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me; et gratias agens Deo reversus sum in locum meum. Id. c. XIX.

Hartfridus, beati Trudonis consanguineus, continentiæ voto, non amore, quem gratia remunerat, sed timore potius, quem justitia punire solet, se se obstrinxerat. Is postea promissionis immemor conjugium postulat, implet, et consummat. Nocte vero sequenti, ecce vir Dei, tota sanctitatis suæ coopertus auctoritate, cum terrore ad eum ingrediens, sic increpat: Cur violata fide, uxorem ducere non timuisti? Quam frustra hoc feceris, vel ex hoc intellige: Quamvis uxoratus sis, semper tamen eris sine sobole. Et virga, quam gerebat, percutiens in femore: Signum, ait, id sit neglectæ promissionis; donec vives, curvo crure, incessu male prono damnaberis. Expergefactus homo, eruditus eo verbere, agnoscit auctoritatem, et culpam fatetur; mutatus in melius, comam deponit, et monasterium ingreditur, ubi vitam castigate satis emendat. DAUROLT. lib. IV, c. VII, *Tit.* LXXI, *Ex.* 3.

Cum sanctimoniales, sub instituto S. Claræ militantes, ab Hæreticis e civitate Gebennensi expulsæ fuissent in quamdam Sabaudiæ civitatem, quam Catholici incolebant, se se transtulerunt. Una tamen earum maluit cum perditissimo quopiam, qui monasticam vitam abjurarat, matrimonium inire, quam sodalium suarum consortio uti, ac patriæ dulcedine, privari. Sed perditionis filia dignam factis mercedem accepit. Sacrilegus enim ejus maritus, votifragus, eam postea vivam excoriavit, justitiæque divinæ executor fuit. DAUROLTIUS ibid. *Ex.* IV.

Bello Pedemontano, nostra pene memoria, cum civitas quædam occuparetur, dux militum, virginem jam marito desponsatam, eximia pulchritudine corporis, majore etiam animæ, quam adamare cœperat, in sua domo valide est aggressus. Illa vero, cum celerrime manus hominis evasisset; ostium, quo effugiendum erat, præter spem occlusum invenit. Itaque cum incerta hæreret, quorsum evaderet, hoc invenit consilium. Fenestra erat patens; in publicum versa, per hanc hanc ita exiliit, ut postem fenestræ medium amplexa penderet. Sic enim futurum cogitabat, ut tum ipsius conspecto periculo, tum concursu hominum in via publica, quos rei novitas contraheret, absterritus, vim adhibere non pergeret. Sed immanis, et huic prædæ inhiantis belluæ libido, ne sic quidem repressa est. Cum ergo ne sic quidem molestus esse desineret, casta Lucretia (hoc ei nomen erat) coacta est, nodum, quem manibus strinxerat, solvere, atque in terram (erat fenestra loco satis edito) deorsum labi, ut corpore confracto, animus integer maneret. Sed hoc corporis damnum, præclarissimis virtutis donis postea pensavit. Cum enim sanctissimam vitam multis deinde annis egisset, mortua est Perusiæ in Alexandrinorum ædibus. GUILIELME BALDESAN. l. II *stimul. virt.* cap. VIII.

Jacobus de Vitriaco, vir doctus S. E. R. olim Cardinalis, refert, sua ætate fuisse virgines complures, quæ Leodiensi urbe ab hostibus occupata, suis habitationibus ejectæ sunt. Ex his aliquas ad templa confugisse, alias, quæ id minus poterant, in flumen se præcipitasse, quod mortem castitatis violationi postponerent; partim in cloacas insiliisse, ut nullam doloris tetritudinem cum

libidinis fœtore comparandam ostenderent. Nec dubia erat mors, nisi admirabili prorsus modo sic a Deo fuissent conservatæ, ut in tanta multitudine nulla prorsus, vel castitatis detrimentum acceperit. Præclarum vero, quod uni ex eo numero contigit. Laborantem illam exceperant cymbula duo milites, exceptamque sollicitabant ad flagitium. At illa, cum mori, quam corrumpi mallet, tanto saltu iterum se in undas dedit, ut eodem impetu scapham everteret, corruptoresque ipsos submergeret. Ipsa vero absque omni aut animi, aut corporis damno, fluvio obsequente, ad littus emersit. DAUROLT. P. IV, cap. XXXVII, *Tit.* XIV, *exempl.* XVI.

Dum Alaricus Romam cepisset, ac diriperet, mulier quædam maximum exhibuit pudicitiæ specimen. Quod namque et ætatis flore, et formæ venustate præstaret, ex Alarici militibus juvenis quidam pulchritudine ejus, quum eam vidisset, captus, ad concubitum eam sollicitavit. Quum autem illa piaculum id adversaretur, miles ense stricto mortem ei minatus, veluti cum amore concertans, per misericordiam summum tantum collum vulneravit. Illa vero cruore diffluens, jugulum ferro subdit, melius sibi esse rata, ut cum pudica mente mortem oppeteret, quam cum viro alio concumberet. Et postquam ferocius barbarus illam aggressus est, plurimumque eam oppugnando nil egit, ad castitatem ejus consternatus, in Apostolicum Divi Petri templum eam duxit, Ecclesiæque custodibus commendavit, sex illis aureis nummis datis, ut puellam viro suo conservarent. Ib. *exem. etiam* XVI.

Refert Pater Jacobus Alvarez de Paz, e Societate Jesu celeberrimus scriptor, quod, cum in America Hispani adversus Gentiles dimicantes in prælio succubuissent, ideoque omnes urbis Osorno incolæ tam indigenæ, quam Hispani advenæ, majoris securitatis causa e civitate ad fortalitium quoddam confugissent, ad idem quoque asylum moniales quædam ex instituto S. Claræ, ut vitæ et pudicitiæ suæ consulerent, confugerint. Quia vero ob diuturnam, quam in illa munitione trahere cogebantur, moram, omnes inibi degentes magna famis cruciabantur inedia, una e monialibus, quæ pro herbis colligendis egressa fuerat, a milite quodam capta, in cujusdam belli Ducis potestatem consignata remansit, quam is tandem in uxorem sibi adsciscere decreverat, quod illa animadvertens, his illum verbis allocuta fuit : Celare te nequeo, quod virgo sim, et quidem Christo Jesu per votum desponsata, ac in monasterio consecrata, prout ex eo, quem defero, habitu monastico videre tibi licet, ac proinde carnalibus voluptatibus operam dare, aut alium mihi sponsum adoptare, mihi non licet, ne Deo, et sponso meo pro obsequio injuriam inferam ; cave igitur sis, ne violentiam mihi inferas, ne iram Dei, atque vindictam protinus incurras, tibique me in uxorem adoptando concilies mortem. Quam virginis in loquendo animositatem barbarus obstupescens, ab omni deinceps violentia abstinuit, eamque more suo vivere permisit. Insuper talem erga illam venerationem concepit, ut illam haud secus ac divinum quoddam numen deinceps veneratus fuerit, omnem illi reliquendo libertatem, qua ad cœlesti sponso suo inserviendum opus habebat, quæ proinde ut Religionis suæ cultum et institutum prosequi posset, Breviarium sibi ab eo dari petiit, et monasticam vestem, quæ utraque inter spolia Christianis erepta, et penes militem quemdam asservata, singulari Dei providentia reperta, eique subministrata fuere; adeo insuper sanctimonialem hanc honorabat, ut quotiescumque eam se cum aliis captivis mulieribus ministerio alicui domestico ingerentem videbat, ab eisdem illam removerit, dicendo, quod minime illam deceret aliis, quam Sponso suo, cui se consecrarat, inservire, rogandoque, ut suam eidem cœlesti Sponso salutem instanter recommendaret. Postquam vero hæc virgo per anni spatium in domo dicti belli Ducis fuisset commorata, tandem in fine anni Deus huic Duci, indignum esse, inspiravit, ut Sponsa Christi ejus ulterius subjiceretur imperio domestico, illam proinde in manus consignaret Christianorum. Quia vero si id patenter exequeretur, pœnis atrocibus se subjiciendum esse formidabat, hunc pro divinæ voluntatis executione modum excogitavit, ad Christianorum nempe vigiles, quantum sibi secure licebat appropinquans, eosdem ut illam excipiendam tantisper egrederentur, instanter rogavit, utpote quam fugam simulando, eo in loco hoc fine relicturus esset. Dictum, factum. Vigiles enim egredientes eam exceperunt cum gaudio; adeoque ipsa de pudicitia conservata triumphans, et victrix ad Catholicos rediit, suoque benefactori ad sanctam fidem nostram amplexandam, ferventibus precibus suis lumen

a Deo impetravit. Unde tandem pius hic barbarus patria sua fugiens, omnibus facultatibus suis pro Christo relictis in Peruanum Regnum concessit, ubi hæc omnia Christianis quibus in fide erudiendus traditus fuerat ex ordine recensuit, quæ demum fideliter exposita fuere auctori qui præsentem historiam conscripsit. P. JACOBUS ALVAREZ Tom. II *de Castit.* l. V, p. 2, ç. XII.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, ex quo die in B. Virginis Patrocinium se dedit, tantam consecutus est castitatem, ut nullam deinceps tyrannidem, quamvis præfervidus natura, senserit. MAFFEUS l. II *Vita* c. VIII.

Sanctitatem animi P. Francisci Xaverii perpetua corporis sanctitas honestavit. Satis constat, ab eo virginalem pudicitiæ florem ad extremum usque spiritum custoditum. Id et Meliaporæ Vicarius, ex sermone cum Francisco ibidem habito, se comperisse liquido confirmavit, et alii ejus confessiones excipere soliti se perspexisse testati. Insignis profecto in illo amor castimoniæ, insigne odium libidinis fuit; adeo ut vel minimas hujus generis labeculas exosus ipsum horreret libidinis nomen. Quod ex eo, quod subjiciam, existimari licebit. Ulyssippone profectionis Indiæ diem opperiens cum Simone Roderico, in eodem diversabatur cubiculo. Ibi intempesta nocte repente excitatur e somno, adeo commotus, ut naribus magnam cruoris vim profunderet. Ejus deinde rei causam Simonem rogitantem obstinato silentio celavit, quamdiu in Lusitania fuit. Ad ultimum ubi solvendi advenit tempus, sub digressum, in navis angulum cum eo seccessit, et sine arbitris : Nunc demum, inquit, tempus est enuntiandi, quod toties ex me, Simon, frustra es sciscitatus; quippe hoc ultimum, ut arbitror, sum te in hac vita visurus. Scito igitur, illa nocte impuram speciem per somnium mihi oblatam, summaque vi repellere conanti, tantam illam sanguinis copiam erupisse. Hisce signis humanisque testimoniis divinum indicium, ac testimonium extincti corporis accessit integritas. Quod eximium Dei beneficium inter alia egregiæ virginali castimoniæ concessum accepimus. Cæterum Franciscus, ut tantum custodiret thesaurum, non castior fuit, quam cautior. Etsi enim vir sanctissimus cælestium rerum contemplationi maxime deditus, excellentisque temperantiæ armis tectus, nullo negotio tela nequissimi ignea extingueret; tamen adeo timidus in hoc genere et cautus erat, ut si maxime obnoxius esset libidini. Numquam cum femina ulla nisi luce palam, et adhibitis arbitris, de rebus utique necessariis collocutus est, ratus, mulieres ferme adiri minore emolumento, quam periculo. Id quod etiam vitæ ejus scriptor hisce verbis confirmat, dicens : S. Franciscus Xaverius adeo castitatis erat amans et studiosus, ut contra impudicam cogitationem, et in somno obvenientem, ad sanguinem usque certaret. DAUROLT. p. IV, c. VII, Tit. XXXIV, Ex. 22.

Parum ab hac quidem laude abfuisse oportuit Angelum Montiolam, hominem Italum, qui cum in terra Peruica Evangelio per barbaras illas provincias disseminando, diu multumque peregrinaretur, ageretque inter gentes nudis perpetuo corporibus, priusquam Evangelii lumen aspicerent, incedentes, non magis ea tanta turpitudine unquam commotus est, quam si statuas inter versaretur, a quibus tamen et periculum timeri debet, quum marmoreorum signorum nuditate irritatam, et quidem non unius fuisse libidinem legamus. Verum sicut mollem argilam, ubi efficax illa marmoribus progignendis vis comprehendit, non amplius licet refringere duratam in rigidum, ac nisi ferro cædas, indocile marmor ; haud aliter ut humanum cor divina penitus pervasit gratia, ita obfirmat, ut signi statuæque instar objectas sensuum illecebras respuat, ac supra lapidum omnium contumaciam, si ferro cædas, alienam nihilominus imaginem refutet. JOAN. RHO. l. VII, c. II. *exempl.* 2 *ex nostris.*

Sed non pluribus ea pace frui datum, plerisque omnibus pugnandum est, quamquam non iisdem semper artibus venerit victoria; quidam enim prompto ingenio expeditoque consilio, quidam acie ac duello vicere. Videamus unum e sociis per lusum e vicina flamma evadentem. Hunc nobilis in Brasilia adolescentula perdite cum amaret, nec virtutis reverentia flammas auderet profiteri, diu animi ægra, corporis ad extremam valetudinem simulans, hominem per speciem arcanæ confessionis excipiendæ, jubet advocari. Ubi, semotis minus caute arbitris, soli fuere, ægritudinem confessa, vulneri per vulnera medicinam male sana facere tentavit, et quia blandiendo nihil proficiebat, imo

gravi contra oratione insuper castigabatur, ut quem simplici voluptate pellicere non poterat, duplici circumventum, capitis ac famæ periculo expugnaret, ardens libidinis per summam audaciam interminata est, ni pareat, sublato clamore, ut violatorem, stupratoremque, validissimis mancipiorum mox se objecturam ad verbera, ad necem. Quid faceret deprehensa virtus, quum ex solitudine impudicæ audacia, casto periculum crearetur? Exuit ictum validissimum levi admodum declinatione. Quominus ei morem gerat, sitim causatur, et illa ut potum inferant, servos advocat, cum quibus blande sermonem sacerdos tantisper ducit, donec intrante adolescentulæ matre, ad eam explicatissima fronte conversus : Bene, inquit, habere nata mihi videtur, et confessioni, ut in hoc tanto æstu laboriosæ, atque levi a valetudine decumbentibus ominosæ supersedendum censeo. His artibus elusa impudentia, dum templum ingreditur, Deo pro depulso periculo gratias acturus, obvium habuit Josephum Anchietam, magnum illud Brasiliæ lumen, qui re divinitus cognita, magna precum contentione apud Deum egerat, ne caderet ; itaque ad eum : Et ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficeret fides tua. Scilicet humanæ opis haud quaquam est, e flammis ne leviter quidem afflatum exire, imo longe facilius ab igne illæsus abeas, quam a procacis feminem petitione pudicus. Ibidem, *exempl.* 2.

Consimilem projectæ libidinis impressionem Claudius Aquaviva, graviore ac validiore consilio repulit, et quamquam in lubrico et ipse positus, ac ruinæ imminens, alte tamen vestigia castitatis reliquit impressa. Quæ enim ejus forma exarserat alia, quam prætendebat, febri laborans, ubi exclusis de more ab illo judicio arbitris, quorum aures omnino quidem, sed oculos nusquam arceri debere, idem Claudius rerum arbiter postea sancivit, ut, inquam, solitudo audaciam fecit, nudato repente corpore (quod flagitii pars non minima esse censetur) ardentibusque verbis Claudium aggressa, preces, blanditias, minas, Satana erudiente, miscet. Validis profecto machinis petebatur, et grandis erat tentatio homini, cui aut libidinis, aut calumniæ flammis esset conflagrandum. Sed utroque ex periculo emersit Claudius consilio, tam in speciem fœdo, quam exitu salutari scaphium conspicatus, invadit, haustisque manu alvi purgamentis (parcite, qui hæc legitis) os inungit, atque attonitæ ad oscula, ad amplexus, si teterrimi odoris gravitas, et sordium inquinamenta arriderent, contemptim increpitans objectavit. Quod de Claudio tradidi, de Oliverio Manereo, viro Societatis primævæ itidem tradunt; nec isti libidinis fœditatem penitus animo informaverant, qui tam sordida persona illi occurrendum censuerunt. Certe nulla tanta est sordium quarumlibet fœdiditas, quæ, si cum venereis componatur, non debeat præoptari. Ib. *ex.* 4.

Domesticum sæpe bellum pro castitate pugnantes, externo longe periculosius experiuntur, lapsu faciliore, ut sine teste. Quare non minor in hoc profligando (nam confici vix unquam potest) virtus laborat; quanta fuit igitur in eo viro, qui quum hostium importunitati solus vix par esset, formicarum legiones immisit! Crescunt in Paraquaria, vicinisque regionibus formicæ forma, atque ingenio nihil nostris dissimiles, sed magnitudine admodum enormi, quas etiam squillarum instar accolæ esse non dubitant; ergo qua rubrum (neque enim nigræ illæ sunt) maxime fervebat agmen, nudum se abjiciens, immotum corpus morsibus earum diu præbuit lancinandum, ut tota cute cruentus, ac tumentibus membris victor abscederet. Quantum hic a Benedicto distat! Equidem vivos morsus, quam mortui aculei crediderim esse molestiores.

Joannes Ribera nondum erat de Societate, quum illius decora auxit. Pulcherrimus adolescens in ipso ætatis flore ab excellentis formæ muliere adamatus, sollicitatusque ad flagitium, nequiter blandientem majori, quam pro ætate constantia repulerat; nec ideo tamen illa irascebatur, sed ipsa repulsa libidinem vehementius irritante, adolescentem solitario in loco deprehensum occupat, amplexumque expedit, ablatura per vim, quod precibus ac blanditiis non impetrarat. Pallio manus injecerat, sed Joannes prævalens viribus, ac reluctans, lacerati frustum exiguum flagitiosi conatus monumentum, illi relinquens, liber evolavit. Feminas vepribus similes non male quis dixerit, in quas cum incideris, aut sanguinem, aut pallium dare sit necesse. Ib. *ex.* VI.

P. Franciscus Adornus (qui S. Caroli Cardinalis Borromæi confessarius, ab eodem in honore et reverentia unice est habitus) procacem feminam, quæ liberali ejus forma pellecta, scelus ab eo blanditiis flagitare aggressa erat, castissimo ingenio elusit; quan-

do turpificata sordibus, seu excrementis e latrina petitis, facie, fœdiores illius amores in horrorem, nauseamque convertit. NADASI, *in anno memor.* 13 *Januarii.*

P. Joannes Hieronymus tolerantia et Ecclesiastico munere præstans inter primos Hispaniæ, cum Granatense collegium regeret, a procacissima femina obscœni flagitii est accusatus. Hispali Provincialis eam rem Patrum cuidam viro prudenti, ac non incurioso vesperi in cubiculo clam ad candelæ lumen exposuit, vehementi dolore plenus! Is vero, qui hæc audiebat, posteaquam nihi. veri mendacio illi tam enormi subesse, constanter dixisset, adjecit : Ego, o Pater, pietatem castitatemque P. Joannis ita perspectam habeo, adeoque eum ab hoc flagitio immunem scio, ut ad innocentiam viri testificandam, atque ab omni suspicione vindicandam, ausim nudam manum ardenti foco inserere. Interque verba manum protinus extendit, et in mediam lychni ardentis flammam ingessit, ac tamdiu immotam sine ullo doloris sensu eam Scævola hic Christianus istic tenuit, donec omnia, quæ dicenda fuere, narrasset, ac Provincialis rei novitate attonitus, non sine admiratione tam præclari experimenti, ab omni disquisitione tunc facienda cessavit etc. Proterva vero accusatrix doloribus correpta, se ipsam percutiebat, cruciatus illos turpis mendacii supplicium esse fassa, et coram Provinciali, testibus ac notario veniam petens calumniæ sceleratæ. Romæ quoque apud Gregorium XIII, innoxius est compertus ab omni suspicione hæresis, quam ei nescio quis, imposuerat. Obiit Hispali, anno 1605. I. Julii, ætatis 60. societatis 43. Ib. I. JUL.

P. Antonius Cordeses multis laudibus excellenter eminuit, et in primis constans virorum gravium sensus fuit, eum primævam baptismi gratiam nullo unquam crimine perdidisse. Totis ille quidem annis sexdecim pravarum cogitationum molestiam, difficultatemque perpessus, sed eo in igne purior ejus spectata semper integritas est, ut procacem etiam aliquando feminam, ad quam fuerat velut ægram obtentu confessionis accitus, egregii facti insolentia, primum ad horrorem, tum vero etiam ad suæ detestationem lasciviæ commoverit. Nimirum ut ab ea sollicitari cœpit ad flagitium, ipse dissimulato consilio, postulatoque levandæ naturæ spatio, illud ubi datum est, vultum egesta proluvie delibatum præstolanti obtulit, eoque spectaculo vehementer absterruit. Ipse vero ab omni ea mentis vexatione liberatus est, piæ feminæ (ut rebatur) oratu, quæ suas illi preces apud Deum moriens, quidquid demum obtinere libuisset, spoponderat, quippe qui secundum ejus obitum perpetuæ deinceps fructum pacis et tranquillitatis expertus sit. Cæterum hoc illi sive ad indulgentiam, sive ad negligentiam nullo unquam loco fuit; tanta, tamque pertinaci sensuum usque custodia, ut muliebrem in formam non auderet obtutum defigere. Cumque ad sextum usque et sexagesimum ætatis annum, modico propter stomachum vino sibi indulsisset, reliquo vitæ frigida semper sitim levavit. P. ALEG. *in Vict. char.* 1601. c. II, p. 144 et 147.

P. Petro Cotono, cum aliquando in somnis contra immissa a dæmone visa impuritati affinia, magno animi corporisque conatu luctaretur, purissimi duo Spiritus, fugatis puritatis hostibus capitalissimis, femora, fune bis circum ea convoluto, tam arcte compressere, ut cicatrix ruptæ in ambitu cutis, ante et post mortem conspicua fuerit.

B. Aloysius tanta a Deo castitate præditus erat, ut nullam obscœnam cogitationem vel motum, neque noctu, neque interdiu unquam experiretur ; adeo vero mulieres fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere diceres; nullam certe, etiam consanguinitate conjunctam, aspicere sustinebat. *Vita.*

P. Laynes Romæ cum concionaretur, a femina ad flagitium allectus erat; sed ipse tamquam sensus expers et tamquam statua aliqua nihil sentiens, gravi oratione eam deterruit. Ipse tamen dein dixit, consultius se facturum fuisse, si confestim aufugisset. *Hist. lib.* s. p. II, n. 110.

P. Petrus Faber in hospitiis, domibusque recentibus, vicinorum omnium Angelos invocabat, contra fallaces spiritus. Cubitum discedens, armabat se perattente S. Crucis signo, pieque ad Deum verba illa fundebat: Hostem repellas longius etc. Et ad B. Virginem: Da mihi virtutem contra hostes tuos. Sentiebat enim princeps tenebrarum in tenebris maxime dominari : Valde autem, aiebat, ad hunc finem conducere, ut in diversoriis statim profiteatur quis pietatem, vel piis sermonibus, vel alio religionis actu ; nihil enim vel nos, vel alios magis in officio continere, quam edita jam virtutis exempla. Denique omnium maxime hac in re ei pro-

derat precationis studium, et pietatis ardor etc. VITA, l. II, c. XXVI.

P. Franciscus Costerus octoginta octo, quibus vixit annis, nunquam ne minima corporis inhonesta commotione, aut cogitatione pulsatus est. In se fuit adeo severus, ut perpetuo cilicio, creberrimisque flagris corpus attereret. *Biblioth. Script. soc.*

P. Balthasar Alvarez, ne in publico Inquisitionis actu mulieres aspicere cogeretur, septem integris horis oculos in B. Virginis imaginem defixos habebat. Semel vero a juvene et eleganti femina ad flagitium allectus, per orationem non modo se a tali periculo liberavit, sed illam mulierem etiam Deo lucratus est. Dicebat insuper, non esse in tanto periculo positum eum, qui ex subtili stamine in aliqua turri penderet, atque ille, qui positus est in occasione puritatem suam amittendi.

P. Gabriel de Loyrono nihil ægrius ferebat, quam si obscenæ rei vel tantilla species animo ejus incidisset, quam, velut ipse reus, acerbis suppliciis vindicabat. Semel cum ei noctu vigilanti simile quid incidisset, nudus prope e lecto prosiliens, ad hydriam aqua plenam accurrit, eaque maxima noctis parte a cervice ad calcem usque se perfudit, ulturus luxuriantem carnem. ANN. MEXIC. *Coll. Mexic.* 1612.

P. Ferdinandus Paterno vocatus ad confessionem ignotæ feminæ, cum domum ingressus multas feminas reperisset, primum blandis verbis, tum aperta vi eum ad peccatum allicientes, invocato Deo, eoque, quo potuit modo eas repellens, concitata demum fuga aufugit. 1604. *Coll. Catinense.*

P. Laurentius Magius Romæ ad feminam ægrotam confiteri cupientem vocatus, cum ab illa ad flagitium sollicitaretur, ille ad summas angustias redactus, spatium paululum secedendi cupit, quasi satisfacturus necessitati. Rediit autem facie tota stercore turpata, quod videns mulier vitam serio emendavit. Simile quid de P. Oviedo narratur. *Ex lib. Ingolst. M. S. de propriis et solidis virtutib.* c. III, § 3.

P. Matthæus Boys, cum adhuc novitius esset, et mendicatum de more missus, mensæque adhibitus, verba aliqua impudica audisset, tanto mox dolore et iracundia exarsit, ut ex oculis lacrymæ, e naribus sanguis copiose proflueret. Causam rogatus : Egone, ait, dolore non afficiar, cum videam supremum Numen ita hac linguæ improbitate violari? AN. RHEN. *Coll. spirens.* 1611.

Joannes Berckmannus dicebat, eum, qui fit impurus, nequiorem fieri omnibus diabolis. Fassus est, se nunquam ulla impura tentatione oppugnatum. Hinc non potuit etiam ob horrorem erga luxuriam Confessiones S. Augustini legere. Qui eum intuebantur, licet aliorum vultus ob periculum intueri non auderent, ipsius tamen aspectu ad castitatis amorem incitabantur. Post mortem etiam multis castitatis donum impetravit. P. II, *vit.* p. 72, p. 83.

Bartholomæus Mariana tantus castitatis amator erat, ut oppositum vitium nunquam suo nomine, sed circuitione verborum appellaret, ne vel solo nomine contaminaret. p. 87, p. 89.

Genensius Martinez, Coadjutor, licet in prædio esset, nunquam tamen cum feminis colloqui sustinuit. Unde aliquando ignem petenti vetulæ, oculis aversis porrexit, cum addito, si quid deinceps opus esset, per aliquem e domesticis peteret : Non enim, inquiebat, qui te his foribus astantem videt, statim Catharinam Secundam, aut me Franciscum alterum cogitabit. *Prov. ven. Coll. Brix.* 1598. *Prov. Arag. Cæsar. aug.* 1612.

SIMILITUDINES.

Sicut ii, qui cœnosam et insalubrem regionem incolunt, ordinarie male valent; ita mirum non est assiduo ægrotare animam, quæ corpus cœnosum et immundum habet. NIERENB. in lib. II, *de Adorat.* c. VIII, n. 2.

Sicut regiam purpuram cœno et luto plenam merito quivis induere recusaret; ita etiam luto et fœtore infectam carnem suam portare, quivis merito horrere deberet. Idem.

Sicut quo major est dominus, tanto ordinarie domus et aula mundior esse debet ; ita cum nulla creatura (excepto Angelo) animam rationalem superet, merito domus ejus (quæ est corpus) purissima et mundissima esse deberet. Idem.

Sicut sponsæ magnorum Principum, si fideles sint, omnia facile a sponsis suis impetrant, ut patet in Esther, quæ liberationem totius populi Judaici ab Assuero obtinuit; ita multo magis sponsa supremi Regis Christi omnia, et maxime aliorum liberationem a peccatis obtinebit. Idem.

Sicut Virgo in Zodiaco regnans, terram

maxime frugiferam facit; ita si castitas in animo hominis regnet, fructus honoris et gratiæ copiosos germinare faciet. *Imago primi Sæculi Soc.* l. II.

Sicut apes, dum vehementior furit ventus, lapillos pedibus apprehendunt, qui illis sint saburræ loco, ne a tempestate huc illucque pellantur; ita ne castitas nostra a tentationum ventis periclitetur, suburrare nos oportet cognitione ejus, quod ex nobis ipsis habemus, et considerare nostram imbecillitatem, arripiendo pedibus nostrorum affectuum lapidem vivum Christum Dominum nostrum, cujus virtute fortitudinem induemus, et constantiam quam ad ejus gloriam intendimus. S. Ambr. l. III *de Virg.*

Sicut optimus corporis habitus, et coloris bonitas pugilem a cæteris distinguit; ita Christianum a cæteris macilentia corporis pallorque deflorescens, qui continentiæ individuus comes est, indicio est, eum in luctu carnis Adversarium suum feliciter, fortiterque prostravisse, atque adeo dicere cum S. Paulo posse: Cum infirmor, tunc potens sum. Dadræus *in loc. Carm. simil. v. Castitas* f. 79.

MOTIVA.

Exemplum Christi, qui castos habere parentes et discipulos voluit; a diabolo circa castitatem tentari noluit, et neque ab hostibus suis unquam vel minimum quid circa castitatem objici voluit.

Dignitas castitatis, utpote quæ juxta SS. Patres hominem Angelis similem, imo ex hac parte aliquo modo nobiliorem facit.

Præmium castorum, quod aliquando P. Ledesmæ Soc. Jesu indicatum est, cui, cum de castitate servanda prope desperaret, B. Virgo cum S. Magdalena, et SS. Catharina M. et Senensi apparuit, promissoque ad castitatem servandam auxilio in abitu hanc stropham per socios cantari curavit: Divina res est castitas, divina sed sunt præmia, quæ continenti dat Deus. Nadasi, 18 Nov.

Utilitas, quæ ex eo colligitur, quod anima casta fiat sponsa Dei. Si ergo Principes hujus mundi sponsis suis tantas delectationes et recreationes, tantas divitias et honores provident, quanto magis Rex cæli et terræ sponsis suis talia præparabit?

Bene ponderare, quam vilis, turpis, brevis noxiaque tum corpori, tum animæ sit voluptas venerea; quamque adeo indignum sit pro tam brevi voluptate pulcherrimum et amabilissimum cæli sponsum repudiare.

Voti obligatio, si enim in sponsis Regum terrestrium fidem datam frangere per adulterium tam turpe censetur, quam turpe erit, si cælesti Sponso non tantum per adulterium cum creaturis (quæ spiritualiter omnes vel fratres vel sorores nostræ sunt) sed etiam per incestum frangatur.

MEDIA.

Timor Dei; hæc enim est herba, qua Araozius etiam in mediis aulæ periculis castitatem illibatam servavit. *Hist. Soc.* p. II, l. V, n. 63.

Amor et cultus B. Virginis; si enim, ut D. Bonaventura apud Canisium testatur, ex venerando vultu et corpore prodibat divinum aliquid, et virgineus frigidusque ros, qui ad impuritatem omnem spectantium arcendam et extinguendam mirifice conferebat, et quasi virgines germinabat, aut ad majorem vitæ honestatem provocabat, quanto magis ab ea nunc gloriosa simile auxilium expectari poterit? Ita sane expertus S. Ignatius et P. Ledesma, ut supra in Ex. domest. n. 1, et § 7, n. 3, dictum est.

Humilitas; hinc apud priscos Patres maximæ instar erat, non posse ad purum quempiam carnalibus vitiis emundari, nisi universum laborem suum atque conatum ad tantæ perfectionis finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei, et adjutorio comprehendi contingat. Et Climacus in *Scala Paradisi* ait, eum, qui sudoribus et laboribus suis adversus hujusmodi adversarium pugnat, similem esse ei, qui inimicum suum papyro ligavit; qui vero continentia ac vigiliis oppugnat, ei similem esse, qui catenis torquibusque hostem devinxit: qui denique altissima humilitate et vacuitate iracundiæ depugnat ei comparari, qui occidit inimicum et in arena occultavit. *Grad.* x.

Fuga occasionem; ita Josephus Patriarcha exemplo suo docuit, relinquens pallium in manibus uxoris Putipharis, contagium quippe judicavit, uti S. Ambrosius ait, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva transirent. Nam, ut bene Tertull. facile est, non appetere, quod nescias; at aversari, quod desideraveras, num-

quam. Accedit consilium Sapientis : Quasi a facie colubri fuge peccata. Nam, ut Baldesanus l. c. ait, ideo fit, ut habitent et depascantur hominum flagitiosorum cadavera serpentes, quod in viventium animis sibi olim struxerint habitationem. Recte ergo sponsa, Cant. ult : Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ, etc. Hinc Daphnis ob fugam libidinis in laurum conversa dicitur, ut significarent hoc figmento Poetæ, victoriam de carne non facilius, quam per fugam, obtineri posse. *Stim. virtut.* l. I, c. VII et seq. l. I, *de Joseph.* c. V, l. ad ux.

Labor et occupatio honesta; hinc S. Hier. ad edomandam carnem, Hebræam linguam addicit, et postea dixit : Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. Ob eamdem causam Pater quidam monasterii, adolescentem quemdam luxuria graviter tentatum, jurgiis et dicteriis onerari præcipit, ut sic ei ad intendendum cogitationibus non vacaret. *Stim. virtut.* l. II, c. XXII et XXIII.

Frequens usus Sacramentorum ; præcipue sacræ Communionis, de hoc enim dicit S. David, Ps. 22 : Parasti mensam adversus eos, qui tribulant me. Hinc pulchre S. Bonav. : Si ergo, o anima, carnem diligis, nullam carnem, nisi Christi carnem ames. *Stim. virtut.* l. II, c. XXVIII.

Præsentia trium sociorum, Dei, B. Virginis, et S. Angeli Custodis; nam si, teste Seneca, magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat; quanto magis si tres isti cogitantur præsentes. Ita sane expertus S. Ephrem, mulierem ad scelus provocantem ad publicum forum invitans. LUDOV. DE PONTE t. III, tr. II, c. X, § 1.

Accurata sensum, præcipue oculorum custodia; quia, ut sapienter S. Basilius advertit, sensualis voluptas est instar alicujus fontis habentis plura epistomia, qui aquam fundit per sensus et potentias carnis, et instar serpentis multorum capitum, quæ omnia inficit veneno. Hinc sponsa *Hortus conclusus et et fons signatus* appellatur. *Stim. virtut.* l. I, c. XI.

Votum, saltem ad tempus editum, et ejus renovatio ; per hoc enim provocatur partim liberalitas Dei ad gratiam offerendam ; partim firmatur voluntas in proposito castitatis servando, si enim ingens est incivilitas, non stare verbis aut promissis, quæ Regibus et Principibus hujus mundi sunt facta, quanto major erit inurbanitas atque irreverentia si promissio Deo facta non impleatur. LUDOV. DE PONT. t. III, art. 4, § 2.

Sic Michael Sanch., e Soc. Jesu Coadjutor Gallus, cum ruri fere solus degeret, œconomiæ administrandæ causa, et a procacibus feminis non semel ad turpia varie urgeretur, sese humi projiciebat in genua, et conceptam votorum religiosorum formulam recitabat ardenter, aiebatque, id sibi semper perfectissimo remedio fuisse ad omnes turpes imagines e mente penitus abstergendas. NADASI, *in anno memor.* 23 *Julii.*

Oratio ; hoc clypeo S. Hieron. usus est, qui de se ipso sic scribit : O quoties ego ipse in eremo constitutus, et in illa vasta solitudine, etc. putabam me Romanis interesse deliciis? Sedebam solus, qui amaritudine plenus eram ; horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, etc. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius, et ferarum; sæpe choris intereram puellarum ; pallebant ora jejuniis, et mens desideriis æstuabat in frigido corpore, etc. Itaque omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, etc. Memini me clamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. S. HIERON. epist. XXII.

Hinc S. Paulus ter Dominum rogavit, ut discederet stimulus carnis ab eo, sciens nimirum cum Sapiente, quoniam non posset esse continens, nisi Deus daret.

Castigatio corporis ; hoc medio usi sunt Paulus castigans corpus suum et in servitutem redigens, quod non fit profecto vulpina cauda. Hieronymus pectus tundens non levi digitorum pulsu, sed gravi lapidis percussu. Franciscus in nive se volvens nudus, et uxorculam ex nive conficiens, cujus frigore flammas extingueret. Benedictus, detracta sibi veste, in spinis se rotans, ut carnis stimulum spinarum aculeis contunderet. Guillelmus Aquitanus ferro thorace pectus, catena renes constringens, ut hac fibula sensualitatis belluam frænaret. Dominicus catena in corpus sæviens, profecto non ut muscas abigat. Damianus scopis se armans, et novus in palæstra Christi virgator, corpus sævissime dilanians. Alphonsus Rodriquez, annis 47, feminam de facie nunquam videns, ideoque crebro a Virgine Virginum visitatus. *Stim. virtut.* l. II, c. XII. SANDŒUS, *in*

Flore mystico, orat. v, *fol.* 362 et 368.

Principiis obstare; de quo in vita B. Ægidii Minoritæ sic legitur : Non ita diu post obitum sancti Francisci, Religiosi aliquot, quorum plerique cum illo vixerant, inter se habuere consilium, in quo quisque proferret, quid de intemperantiæ importunitate vincenda maxime sentiret. Dictæ sunt a variis sententiæ variæ ; fuit qui diceret, se cum impugnaretur, objicere sibi deformitatem hujus vitii, quod non modo abominaretur Deus, sed ne homines quidem perditissimi, nisi occultantes se, lucemque effugitantes, admitterent. Tum alius : Ut primum, inquit, tentationem hanc sentio, provolvor in genua, et cum lacrymis Virginis Matris auxilium imploro; neque ego precandi finem ante facio quam hostis faciat impugnandi. Sequebatur, ut tertius diceret, Juniperus : Ego, inquit, cum procul adventantem hunc inimicum prospicio, portas animi bonis desideriis sanctissimisque cogitationibus occludo ; et interius sublata voce : Procul, procul, exclamo, occupatus est diversorii locus ! Erat tum præsens sanctissimus vir Ægidius, charissimus olim S. Francisco discipulus. Is audito responso Juniperi : Ego, inquit, arma mihi Juniperi assumo. Certe enim, qui potestatem subeundæ domus inimico facit, periclitatur, ne plus damni, quam lucri reportet ; eo quod proditrix nostra caro mox se cum hoste conjungat. Itaque non exspectandum, dum ingressus opprimatur, sed ab ipso etiam prohibendus ingressu. Surius, tom. VII, 23. *Aprilis.*

Fuga mulierum; sic S. Hieronymus suasit dicens : Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire, aut vincere? Quis unquam mortalium juxta viperam securos somnos capit, quæ et si non percutiat, certe sollicitat? Securius est, perire non posse, quam juxta periculum non perisse. S. Hier. ep. xlvii.

Et alibi : Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam, mulierum pedes terant. Puellas et virgines Christi aut ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod mulier Paradisi colonum de possessione sua ejecit. Lib. II, ep. xii.

Memoriam passionis Christi; hanc S. Augustinus expertus est efficacem, dicere solitus : Nullum tam potens est, tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, sicut mors Redemptoris mei. S. Aug. *Manual.* c. xxxii.

Tunc enim occurret illud S. Bernardi : Deus meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam dabo? Et dices cum fideli Uria : « Arca Dei, et Israel, et Judas habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent ; et ego ingrediar domum meam, ut comedam, et bibam, et dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc. » Olim Romanus quidam, quod lugente patria, domi rosis coronatus fuisset, capite est condemnatus, et Christianus Ducis sui ac Dei summo luctu, rosis coronari, voluptatibus indulgere audebit?

Obedientia ; ita S. Bernardus præscripsit : Qui terram illam, quam Dominus dixit a mitibus possidendam, corpus hoc nostrum intelligit, quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est, ut ipsa sit mitis, et superiori suo subjecta. Itaque non dubitat affirmare, cum caro a spiritus imperio rebellat, indicium esse, quod ipsa quoque anima non perinde ac deberet, superioribus potestatibus subjecta sit, et contra, si se subjecerit, ipsam quoque corpus suum obediens et subjectum inventuram. Quod ipsum egregie confirmans S. August. : Expedit, inquit, inferius subjici superiori, ut ille, qui sibi subjici vult, quod inferius est, se subjiciat superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid justius? Quid pulchrius? Tu majori, tibi minor. Servi tu ei, qui te fecit, ut tibi serviat, quod propter te factum est. Si autem tu contemnis servire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro obtemperet. Qui non obtemperas Domino, cruciaris a servo. S. Aug. *in Psalm.* ciii.

Hinc et Thomas Kempensis ait : Qui non libenter et sponte suo superiori se subdit, signum est, quod caro sua necdum perfecte sibi obedit, sed sæpe recalcitrat et remurmurat. Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjugare ; citius namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus. Thom. Kemp. l. III. *de Imit. C.* c. xiii.

ASCETICA.

Ut hanc materiam, quæ ad seipsum, et ad alios dirigendos pernecessaria est, ex fundamento solide intelligat Asceta, noverit: 1. Statum continentiæ perpetuæ duo genera personarum complecti. Primum est eorum, qui nunquam experti sunt ullam voluptatem carnalem, et etiam per reliquam vitam nunquam experiri statuerunt, et hic status proprie Virginitas appellatur. Secundum est eorum, qui post amissam (sive cum, sive sine culpa) virginitatem, statuerunt castitatem deinceps perpetuo servare; et status iste proprie Cælibatus vocatur. Ludov. de Ponte t. III, tr. ii, c. 3.

Bene apprehendat commoda et excellentias, quas status continentiæ præ statu matrimonii habet et offert, quæ quidem ad quatuor fere revocari possunt a S. Apostolo Paulo, I Cor. vii, indicatas, quarum prima est quies et tranquillitas in puro Dei amore, et rebus omnibus, ejus obsequium spectantibus; nam ut Apostolus ait: Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Secunda est quod ad altiores sanctitatis gradus hominem extollat; nam eodem Apostolo teste: Mulier innupta, et virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; ibid. §. 1.

Qui quidem fructus, quanti faciendus sit, pulchre S. Hieron. his verbis indicat: «Non existimes parvam esse virginis amplitudinem et excellentiam, quod dicatur de illa, quod cogitet quæ Dei sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, nam etsi nullam etiam mercedem haberet, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ Domini sunt. Hujus fructus est sanctitas carnis et spiritus. Nam virginitas illa est hostia valde grata Christo; cum neque cogitatio spiritum, neque luxuria carnem inficit, aut maculat.» Lib. I *ad Jovinian.*

Tertia est, quod conferat facultatem sine impedimento Dominum obsecrandi; cum enim elevet animam ad Sponsæ Dei dignitatem, hoc ipso aperit ei portam, quandocumque voluerit cum Sponso suo suavius conversandi, et tanto facilius gratiam impetrandi, quanto magis ea necessaria est ad castitatem promissam servandam. Quarta est quod singularem claritatem et dignitatem afferat animæ, juxta illud Sapientis: «O quam pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.» Sap. iv, 1.

Id quod supra clarius indicavit dicens: «Felix spado, qui non cogitavit adversus Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.» Sap. iii, 14.

Pariter bene apprehendere studeat incommoda, quæ secum videtur status continentiæ afferre, et propter quæ aliqui ipsum tantopere horrent; ea autem sunt tria potissimum. Primum est *Solitudo,* eo quod societate viri aut uxoris careat, qui auxilio, et subsidio sint in adversis. Secundum est *Sterilitas*, seu prolis carentia. Tertium est *Familiæ et nominis*, quod in terra habere poterant *interitus.* Ibid. §. 1.

Contra quæ impedimenta in primis universim objicere posset Christus illud Elcanæ dictum ad Annam uxorem: Anna, cur fles, et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii? Deinde vero in mentem revocanda est illa Dei per Isaiam facta promissio: «Ne dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis qui custodierint Sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.» I Reg. v, 8.

Multo minus vero timendus est ipsius mundi interitus, ob continentiam; nam cum ea sit lilium inter spinas, lilium super capitella columnarum templi, de quibus, III Reg. xxii, dicitur: «Pauci sunt, qui spinas non horrent; aut, qui animum habent ad conscendendum, ut ejus pulchritudine fruantur.»

Ut fusius videre est apud Platum.

Ante omnia diligenter perpendat, quod sicut teste S. Greg., sunt duo genera luxuriæ, altera carnis, quæ castitatem corrumpit; altera cordis, quæ de ipsamet castitate gloriatur; l. III. c. xxvi, ita duplicem quoque suo modo castitatem, carnis scilicet, et cordis, assignari posse et debere. Hinc sapienter advertit S. August. primam pugnam eorum, qui desiderant continentiam, esse debere contra dæmonis suggestiones, instigantis ad multum sibi ipsis tribuendum et fidendum. Unde per medici-

nalem providentiam Dei S. David paululum desertus est a Rectore, ut per exitialem superbiam desereret ipse Rectorem, agnoscens ex lapsu suo, se non posse solum servare sanctitatem, quam habebat. Lib. *de Continentia*, cap. IV.

Ex quo recte infert Cassianus, apertum indicium esse proxime obtinendi donum castitatis, non sperare illud ex sola sua industria; et singularem esse de luxuria victoriam, non fidere propriis viribus ad eam vincendam, sed eam a divina misericordia sperare, et recurrere continuis suis orationibus ad Dominum, qui potest illam dare. Coll. XII, c. XV et XVI.

Et quamvis hæc fides videatur facilis, est tamen, ut bene observat S. Gregorius, satis difficile homini, non credere esse a se, quod videt et experitur in se. Porro consistit hæc humilitas in tribus potissimum capitibus. Primo, ut summo secreto quis sibi soli ita servet castitatem, ut nullo verbo, quod vanitatem aliquam, aut jactantiam sapiat, aut inane desiderium ostendat, quod propterea in honore esse velit, illam prodat. Secundo, ne quis inaniter glorietur de excellentia, et perfectione sui status, aliosque, qui minus perfectum habent statum, contemnat. Tertio, ut semper vivat in timore suæ infirmitatis, memor quod Eva, cum esset virgo, fuerit decepta a serpente.

Bene etiam intelligat, quem fructum afferat votum, si castitati jungatur, quod scilicet castitas voto firmata, sit similis velleri Gedeonis, a carne ovis separato; cum castitas sine voto sit similis velleri, quod adhuc carni inhæret, adeoque rore benedictionis cœlestis non perinde, ut illa, implebitur.

Advertat, etsi, ut ante n. 3. dictum est, magna semper de viribus propriis diffidentia sit concipienda, sedulo tamen cavendum esse, ne per eam fiducia in divinæ gratiæ auxilio minuatur, ideoque insignis illa Dei promissio apud Isaiam facta semper ob oculos habenda erit : Hæc dicit Dominus creans te Jacob, et formans te Israel : Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo (id est specialiter elegi) meus es tu (multis quidem, sed præcipue desponsationis titulo) cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel Salvator tuus. ISAÏAS, c. XLIII, 1.

Bene etiam notandum ex Cassiano, virginitatem duos habere gradus. Primum imperfectum et proprium Tyronum et pugnantium, quem Aristoteles proprie Continentiam vocavit, eo quod hi proprie se contineant, et passionum impetum refrenent, qui gradus adumbratus est in tribus pueris in fornacem Babylonicam conjectis, qui saltem quoad vincula patiebantur effectum combustionis. Secundum perfectum, proprium hominum jam consummatorum, et quasi triumphum agentium, qui pugna absoluta magna pace fruuntur. Coll. XII, c. X et XII. Et hæc Puritas Angelica vocatur quæ figurata est per rubum a Moyse visam, quæ ardebat, nec consumebatur. EXOD. III, 3. Neque propterea, quod difficultate careat, imperfectior est priore, quia ut bene S. Thomas docet, non semper est melius, quod difficilius est, nec semper minus bonum, quod suavius est ac facilius; sed respicienda est origo et causa facilitatis, quæ si sit naturalis, minuit meritum; si autem spiritualis, et laude digna promovet meritum; neque enim par esset, ferventem suo fervore sibi impedimentum perfectioris meriti et præmii causare. II. 2. qu. 155, ar. IV ad 24.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

NATURA ET PRÆSTANTIA CASTITATIS. — Comparari potest speculo, dicendo in exordio, solere virgines pulchritudinis amantes, ante omnia curare, ut pulchrum speculum habeant, in quo examinent, an non macula aliqua, vel aliud quid reperiatur, quod pulchritudinem minuat, vel tollat; idem facere castas mentes, pulchritudinis internæ et puritatis corporeæ, quæ castitas merito censetur, amantes ; ut ergo examinare possint, jam nunc pulcherrimum et nitidissimum speculum oblatum iri. Hoc præmisso exordio, in corpore dicatur, duo ad speculum requiri : 1. Plumbum, per quod intelligitur Humilitas, summe necessaria ad castitatem uti ex §. præced. n. 4. patet, ubi castitas cordis vocatur. 2. Vitrum, per quod intelligitur ipsa castitas corporis, quæ fragilis est, ut vitrum, sed clarissima juxta illud : O quam pulchra est casta generatio cum claritate, etc. SAP. IV, 1.

Et propterea inficitur tribus potissimum

rebus, ut speculum. 1. Vento pulverem inspergente, vel pulvere invisibili, per quem intelliguntur cogitationes impuræ. 2. Anhelitu oris, per quem indicantur verba impudica, etc. 3. Per tactum manuum, per quem significantur opera carnalia. Hæc ergo fusius explicentur, et excitetur auditor, ad speculum hoc frequenter inspiciendum, ut, quid desit pulchritudini suæ, cognoscere et emendare, sicque Deo velut animæ Sponso magis placere, et in æternum thalamum introduci queat.

Dici potest, Reges Galliæ, qui Christianissimi vocantur olim Bufones (*Crotten*) habuisse in Insignibus, quod quia fœdum est animal; ideo substituisse lilium, ad ostendendum candorem, quem Reges in corpore, anima, et morum sinceritate, seu sincera conversatione habere debent. Dicatur proinde, idem tanto magis curandum cuivis Christiano, quanto meliori titulo et auctoritate possidet hoc nomen ; quare te ostensurum, quomodo id fieri debeat.

In prima ergo parte concionis dicatur, vereri quem non immerito posse, ne Bufonem, id est, peccatum in cordis insignibus ferat. Comparetur Bufo cum peccato, primo per fœditatem. Secundo per inhabitationem luti. Tertio per veneni abundantiam; pro quo vide Pædagog. p. I, c. II, et Feria II. Pent. Conc. 6. In secunda parte demonstretur, quomodo lilium substituere debeant, id est, triplici candori, corporis per castitatem, animi per puritatem, morum per sinceritatem studere ; pro quo videri potest Faber in Auctario in Festo S. Cath. them. 1. Claudatur seria adhortatione ad hoc pulcherrimum lilium procurandum, ut vere agnoscantur Christianissimi, et ut tales non terrestre, sed cœleste Regnum possidere mereantur.

Idem scopus probari posset per comparationem animæ castæ cum Esthere Regina, narrando in exordio breviter historiam de Esthere, et dividendo corpus concionis in duas partes, quarum prima ostendat, animam castam Estheri similem esse, primo in nomine, quod exponitur occulta, seu abscondita, per humilitatem, vel solitudinem. Secundo in contemptu omnis vanitatis et ornatus muliebris, juxta illud Estheris, quæ non quæsivit mundum muliebrem. ESTH. c. II, 15.

Tertio in pulchritudine, juxta illud Esthris : Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine, et omnium oculis gratiosa, et amabilis videbatur. ESTHER c. XIV, 18.

Quarto in purissimo amore Dei, juxta illud : Tu scis, quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, in præsentem diem, nisi in te Domine Deus etc. In secunda parte ostendi potest primo, quomodo placuerit oculis Dei, et electa in sponsam et Reginam, juxta illud : Veni de Libano, sponsa mea ; veni, coronaberis. CANT. IV, v. 8.

Secundo, quomodo etiam publicæ et communi utilitati Ecclesiæ, et reipublicæ Christianæ prosit juxta illud Estheris : Si inveni gratiam etc. Dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum, pro quo obsecro. c. VII, 2.

Tertio, quomodo omnia impetrare queat, juxta illud Esth : Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? Quid vis fieri? Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Claudatur ad modum prioris concionis. Vide FABR. in *Festo Nativ.* c. V.

Idem scopus probari posset comparatione facta animæ castæ cum Judith Holofernem superante. Et in prima parte ostendi, quam bene comparetur caro Holoferni. 1. Propter nomen quia idem significat, ac *Fortis dux*. 2. Propter obsessionem Bethuliæ, quæ idem ac *Virgo* significat, 3. Propter modum obsidendi et expugnandi, quia scilicet jubet præcidi aquæ ductum cælestium gratiarum, impediendo ab oratione, usu Sacramentorum, exercitio virtutum, per quæ gratia obtineri, et sitis animæ ad voluptates spirituales expleri solet. In secunda parte ostendi potest, quomodo Judith hunc Holofernem superaverit. 1. Orando, et aliorum pro se preces exposcendo. 2. Habendo super lumbos suos cilicium et jejunando. 3. Assumendo gladium et caput amputando, per quem intelligi potest serium servandæ castitatis, statui suo convenientis propositum, vel votum.

FRUCTUS SEU EFFECTUS. Potest etiam anima casta throno eburneo Salomonis comparari intelligendo : 1. Per ipsum ebur castitatem, et per currum charitatem. 2. Per leunculos duo castitatis officia, abstinere scilicet et sustinere. 3. Per sex gradus sex diversa genera continentium religiosorum, ecclesiasticorum, virginum, viduarum, cælibum volentium perpetuo continere, conjugatorum. 4. Per manus, cooperationem nostram cum divina gratia. 5. Per duos magnos leones magnanimitatem et fiduciam. 6. Per ascensum purpureum, merita

Christi per sanguinem et passionem ejus procurata, nobisque applicata, et etiam per propriam mortificationem; quæ omnia fusius explicata videri possunt apud LUDOV. DE PONTE, tom. III, tr. II, c. I.

Potest primarius fructus familiaritatis cum Deo explicari ex occasione illorum verborum ex Canticis : Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. CANT. XIX, 9.

1. Propter candorem castitatis, et pulchritudinem. 2. Propter sex folia candida, id est, sex diversos gradus continentium, ut supra dictum. 3. Propter sex virgulas aureas intra lilium reperiri solitas, per quas significantur sex actus perfectæ castitatis, nempe in operibus, in verbis proferendis et audiendis, in aspectu et reliquis sensibus, in cogitationibus ac desideriis internis, in evitandis omnibus occasionibus in intentione, qua hæc omnia fiunt, non ex necessitate, sed purissimo amore castitatis et desiderio placendi Deo. 4. Propter durum corticem mortificationis internæ et externæ, cui lilium tanquam sustentaculo innititur. 5. Propter odorem boni exempli, quem de se emittit, juxta illud Ecclesiastici : Florete, flores, quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. In secunda parte ostendatur, quomodo Christus libenter pascatur inter hæc lilia, id est, suas delicias et conversationem habeat, propter similitudinem, amorem, munditiam, et minora impedimenta. Potest claudi, repetendo illud : Florete, flores, etc. vide LUDOV. DE PONTE, tom. III, tract. II, cap. I.

MEDIA. — Potest ex occasione illius dicti Sponsi, Cantic. II. *Sicut lilium inter spinas*, dici, quod dicatur anima casta inter spinas, ob variascausas 1. Quod sicut lilium sua excellentias pinas superat; ita etiam casta anima longissime excedat eas, quæ castitatem non profitentur. 2. Quod sit inter spinas, id est, crescat et nutriatur per spinas variarum mortificationum. 3. Quod sicut lilium non impeditur per spinas a crescendo; ita nec spinæ curarum et sollicitudinum, quæ in hac vita occurrunt, impediant animam castam a sancti amoris exercitiis. 4. Quod anima casta sit circumdata spinis, id est, personis impedientibus a proposito castitatis, quales sunt diabolus, parentes proci aut meretrices, mali socii, nos ipsi. Claudi potest concio adortando, ut pergat esse lilium, pergat crescere, pergat odorem emittere, neque horreat spinas, quia nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

Potest ex occasione illius sententiæ ex Proverbiis : « Omni custodia serva cor tuum. » PROV. V. 23.

Repræsentari imago, cujus oculi velo obducti sint, aures spinis obseptæ, os sera occlusum, nasus digitis compressus, manus funiculo ligatæ ; et inde sumi occasio exexplicandi mortificationem sensuum, quæ est potissimis mediis ad castitatem conservandam ; videri potest Drexelius, in *Niceta* l. II, cap. IX et *Stimulus virtutum*, l. I, c. XI.

Potest ex occasione fabulæ de Daphnide fugiente procum, et in laurum conversa, ostendi. 1. Quod optimum medium sit, fugere ; cujus figura fuit mulier in Apocalypsi, fugiens in solitudinem, ut vitaret Draconem, ibique inveniens sedem paratam a Deo. APOC. XII, 6. Quem in finem servire multum poterit *Stimulus virtutum*, l. I, c. VII, VIII, IX, X.

2. In specie, quænam res fugiendæ sint, nempe otium, societas mala, saturitas ventris, libri inhonesti, saltatio de quibus iterum videri potest *Stimul.* I. c. XIV, XV, XXII.

Potest ex occasione insignis facti S. Bernardi quo clamavit : Latrones, latrones ! etc. ostendi, quam vere S. Bernardus eos latrones vocaverit. 1. Quia ut latrones seducunt cantu. 2. Quia ut latrones spoliant divitiis virtutum et meritorum. 3. Quia omnino denique animam occidunt. 4. Quia inter bestias in silvis obscuris habitare solent. Vide Drexelii *Nicetam*, l. I. c. IX, et *Stimulum virt.* l. I, c. XIV et XV.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Id, quod in virginibus, quam maxime dili gitur, est vultus, morumque pulchritudo, et elegantia, quæ profecto in anima est eximia et singularis. Unde psaltes regius ait : « Concupivit Rex decorem tuum. » Et S. Augustinus inquit : Pulchra est casta juvenum pudicitia, et Deo amabilis, et ad omne bonum diliguntur. Sponsus in sacro sui epithalamio sponsæ pulchritudinem depingere, aut describere volens, inquit : « Venter ejus eburneus, distinctus saphiris. » Pro cujus loci intelligen

tia sciendum, quod ebur ex dentibus elephanti confici soleat, hoc autem animal est castissimum, siquidem generationis causa semel tantum in vita cum sua commiscetur consorte; præterquam quod ebur eximio candore suo hanc repræsentet virtutem. Saphirus autem instar cœli stellati colorem habet cœruleum, auri punctis hinc inde venustissime distinctus; et ideo hæc quoque gemma honestatis et pudicitiæ virgineæ egregium est symbolum. Idem quoque Sponsus, seu Spiritus Sanctus, alia sponsæ virginea membra describens talibus semper utitur symbolis, quæ ad virgineam puritatem exprimendam specialiter diriguntur; unde oculos ejus esse dicit sicut columbæ, caput vero ejus aurum optimum, labia ejus per lilii candorem exprimit, manus denique hyacinthis plenas, capillos vero elatis palmarum ramis similes esse asserit. Verum quidem est, quod ultimus capillos sponsæ inter et palmarum ramos adductus parallelus, prima facie ab omni videatur proportione esse alienus, siquidem capilli subtiles, graciles sunt et debiles, palmarum vero rami grossi et robusti; attamen si quis parallelum hunc intimius consideraverit, inveniet utique, quod debilior sexus femineus, in quo virginitas quam maxime germinat et efflorescit, longe sit victoriosior, pluresque triumphorum erexerit palmas, quam robustus sexus virilis. Ad hæc sicut capilli specialem capiti venustatem adferunt, et ornamentum; ita quoque casti et virgines Christo, qui Ecclesiæ caput est, magnam conciliant speciem et venustatem. Unde S. Cyprianus ait: Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, Dei imago, respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Et ideo Spiritus Sanctus de puræ cujusdam animæ pulchritudine disserens, cum admiratione dicit: « O quam pulchra est casta generatio cum claritate! » Capilli porro ex carne nascuntur, nec tamen ullam cum ea necessariam habent conjunctionem, unde sine dolore aut ullo damno a carne raduntur; pari quoque modo casti in carne præter carnem vivunt, et tametsi hac carne circumcingantur, vivunt tamen, ac si carnis prorsus essent expertes. JOSEPHUS MANSI, tract. XV, disc. I, num. 12.

Indubitatum est, quin inter pretiosiores et venustiosiores gemmas, quæ virgineam symbolice referunt puritatem, Margarita primum omnium locum teneat; hæc autem tametsi suam in aquis marinis originem habeat, quantum tamen ab illis differens est et diversa? Mare enim colorem refert viridem, aut cæruleum, Margarita vero album et candidum; mare salsum est et amarum, Margarita vero colliquefacta dulcescit; mare pavorem et terrorem incutit, juxta illud: « Mare vidit, et fugit, » innata vero Margaritæ proprietas est, quod cor hominis dilatet et lætificet; mare instabile est et procellosum, Margarita vero solida est et firma; Margarita tametsi in medio hujus maritimi elementi nascatur, concha tamen, in qua generatur, rorem cœli, aliosque concipit influxus cælestes; quæ eadem prodigia in anima cernuntur pura et virginea; tametsi enim in hujus nostræ mortalitatis luto nascatur, fragilis quoque et ipsa, lapsibus frequentibus subjecta, a carnis desideriis stimulata, et instigata a spiritu fornicationis, vivit tamen pura et immaculata, haud secus ac si nullum haberet cum terra commercium, et veluti si purus spiritus esset; unde fit quod immortalis animæ Sponsus, qui spirituum ponderator est, tanti talem quamdam animam faciat, ut ad instar prudentis negotiatoris, inventa una pretiosa Margarita abierit et vendiderit omnia, quæ habuit, et emerit eam; ac perinde non est digna ponderatio etc. Ibid. n. 20.

Hugo Cardinalis in hæc thematis verba scribens, dubium quoddam movet, cur scilicet Joannes illos Christum sequi viderit, qui virginitatis laureola insigniti erant? Aut cur non potius sacros Doctores et Martyres in Agni contubernio et comitatu conspexerit? Et respondet: Quia nec martyrium, nec prædicatio signum est generalis innocentiæ generaliter, sed integritas virginitatis signum est generale innocentiæ generalis, quia probabile est, quod, qui se ipsum propter Deum contempserit, contempsit et mundum, et ea, quæ in eo sunt, unde signanter dicitur, quod sequuntur non Christum, sed Agnum, in quo innocentia exprimitur, et signatur. Ibid. disc. II, num. 2.

S. Thomas Aquinas, vel quisquis commentarii illius auctor est, super sæpe dicta Apocalypseos verba, virgines Filium Dei sibi valde familiarem efficere, scribit: Acquirit, inquit, de virtute castitatis divinam familiaritatem in statu viæ; unde B. Joannem familiarius diligebat Jesus, in cujus sinu recubuit. Hinc etiam quisquis sanctarum virginum vitas legerit, frequentissimas illis

Christo ipsarum sponso visiones, revelationes, aliaque familiarissimæ benevolentiæ signa concessa fuisse reperiet; hæ enim præ cunctis aliis sanctis animabus, visitationibus, raptibus, extasibus, et admiranda spiritus suavitate et consolatione a Christo demulceri solent. Virgines Virginem sequuntur, inquit Hugo Cardinalis, magis delectabiles et jucundi Deo, quam cæteri sancti; ac proindè primitiarum nomine a Spiritu Sancto appellantur, eo quod, sicut primitiæ fructuum delectabiliores sunt, et gratantius recipiuntur. B. Albertus Magnus quoque super illa verba : *Empti sunt ex hominibus,* dicit : Id est, quadam prærogativa ab aliis separati sunt; sicut primitiæ eliguntur ex fructibus. Et quidem observandum est, quod dicantur empti, qui baptismalem innocentiam servaverunt; redempti vero, qui a peccatis per pœnitentiam redierunt.

Enim vero nihil est, quod natura nostra vehementius appetat, quam cibum, qui in substantiam nostram convertitur; at vero pari quoque appetitus vehementia virgines a Dei Filio, velut spiritualis quidam ejus cibus, eique gratissimus, desiderantur; siquidem Spiritus veritatis ipsemet, qui virtutis continentiæ auctor et largitor existit, ipsum inter lilia pasci et nutriri testatur : « Qui pascitur inter lilia, » quod idem est, ac si diceret: Qui virgines plus amat et desiderat, quam quoslibet alios sanctos; unde Ecclesia in hymno canit: « Qui pascis inter lilia, septus choreis virginum; » et sacer quidam interpres ait: Sicut diabolus cruenta iracundia, et execrando cœno libidinis saginatur; ita Christus Dei Filius misericordiæ, mansuetudinis, vel castimoniæ liliis pascitur. Ibid. n, 5.

Nobilissimum acceptissimumque Dei consortium, quo Majestas ejus vel maxime honoratur, castæ sunt et puræ animæ. «Virgines sunt, hi sequuntur Agnum quocumque ierit, » quia ab Agni immaculati latere nunquam separantur. Unde S. Mater Ecclesia in earum honorem ita canit: « Septus choreis virginum Sponsus decorus gloria. Quocumque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant. » Porro quotidiana videmus experientia, quod, tametsi Principes omnes benemeritos aulicos suos diligant, inter illos tamen aliqui communiter inveniuntur, qui ipsorum se majori gratia dignos efficientes, iisdem præ cæteris chariores sint, sive id fiat, quia ipsorum se genio aptius componunt, sive ob aliam quamdam prærogativam, et virtutem singularem, per quam se clementiæ domini sui majori insinuarunt; quibus proinde ad penetrandum ad Principis sui secretiora penetralia, nulla opus est janitoris aut ephebi camerarii insinuatione, sed liberum habentes aditum familiarissime cum eo conversantur, et ut plurimum, quocumque se ejusmodi Principes recipiunt, individui eorum socii, et grati comites existunt. Eodem quoque modo, tametsi Salvator noster omnes servos suos honoret, diligat, suamque illis gratiam et paternam benevolentiam exhibeat, in illis tamen quam maxime sibi complacet, qui virginitatis suæ florem illibate custodiunt : « Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. » Ibid. n. 1.

Nullus eis locus, inquit Hieronymus, in illa cælesti aula clauditur, sed cuncta eis divinarum mansionum habitacula reserantur. S. Isidorus, super præcitata Apocalypseos verba, scribens dicit: Tantum autem est in virginibus castitatis donum, ut etiam Joannes tantum eos Agni vestigiis inhærere præscribat, qui contaminati a mulierum coitibus non fuerint; ipsi enim sunt centum quadraginta millia Sanctorum cytharistarum illibatæ virginitatis, inviolatæ castitatis in corde, qui sequuntur Agnum, quocumque ierit, quem nemo sequi vel auditu valet, nisi tantum Virginitas.

Anselmus illa Apostoli ad Corinthios verba : « Præceptum Domini de virginibus non habeo, sed consilium do, » ponderans, rationemque assignare volens, cur virtus isthæc adeo Christo grata sit et accepta, dicit : Quia ubi præceptum, ibi necessitas est servitutis, ubi vero consilium datur, ibi est arbitrium offerentis; ibi aliud facere non licet, hic autem licet, et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum; majoris autem gratiæ est, offerre quod non debes, quam reddere quod exigeris. Unde Albertus Magnus super illa verba : « Hi sequuntur Agnum quocumque ierit » dicit: Sequuntur in quamcumque viam, sive ad viam præceptorum, sive ad viam consiliorum. Enim vero Virginitatis lilium illibatum servare, actus est perfectionis et hæroicæ virtutis, ac proinde S. Joannes ex mero instinctu divino dicit: « Hi empti sunt ex hominibus primitiæ, » non quasi alii homines, Agni in monte Calvario occisi pretioso sanguine empti, aut redempti non

fuerint, sed ut inde discamus, Virgines ab eo primo loco fuisse privilegiatas; et ideo dicit: « Empti sunt ex hominibus primitiæ,» quasi diceret, virgines in præmium sequelæ suæ primæ fuerunt, quæ ex ditissimo et pretioso Agni thesauro participarunt: « Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. » Hujus quoque specialis Christi erga virgines benevolentiæ alia assignari potest ratio, quam S. Antonius de Padua addicit, cum ait: Cum omnes animæ sponsæ sint Christi, specialius tamen Virgines, quia sicut sponsus et sponsa una sunt caro, 1. Cor. 7. ita caro Virginum carni Christi verius se conformat, quam aliorum, quia sicut caro Christi non vidit corruptionem, sic nec caro Virginum. Ibid. n. 7.

S. Augustinus canticum novum, quod in processione Agnum immaculatum turmatim sequentes modulaturæ sunt, considerans, amabilibus hisce verbis eas invitat dicens: Perseverantes, laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius; sperate felicius, cui servitis instantius; amate ardentius, cui placetis attentius; lumbis accinctis et lucernis ardentibus, expectate Dominum, quando veniat a nuptiis. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis cytharis vestris, non utique tale, quale cantat universa terra, cui dicitur: « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra; » sed tale, quale nemo poterit dicere, nisi vos. Ita enim testatur quidam, Agno inter omnes alios quam maxime dilectus, inquit S. Augustinus: « Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. » Quo ire putamus hunc Agnum, quo eum nemo sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos? Quo putamus eum ire? In quos saltus et prata? Gaudia virginum Christi de Christo, in Christum, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamvis Christi; nam sunt aliis alia, sed nullis talia; merito eum sequimini virginitate cordis et carnis, quocumque ierit. Quid est eum sequi, nisi imitari? Porro qua ratione intelligendum sit, quod canticum illud a nullis aliis, quam a virginibus cani possit, Venerabilis Beda declarat dicens: Singulariter canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere, quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant. Laudes, gratiæ, voces, et cantus a virginibus modulati, suaviorem Agno harmoniam efficiunt, quam si omnes alii Sancti ad modulos canere contenderent. Ib. n. 14.

Daniel famosam illam trium puerorum recenset historiam, qualiter scilicet, dum hi in flammarum vehementia, haud secus ac in rorulento quodam, ac spirante aere festivi gestiebant, Rex sacrilegus obstupefactus, propiusque accedens dixerit: « Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes Regi dixerunt: Vere, Rex. Respondit et ait: Ecce ego video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis Filio Dei. » Circa quam historiam merito quærendum venit, cur Filius Dei hisce pueris se jungere, illisque in habitu, vultu, moribus, cunctisque actionibus similis videri voluerit? *Video quatuor viros.* Sed ecce tibi rationem in promptu: Nihil corruptionis in eis erat; hi namque pueri vitam agebant incorruptam, immaculatam, virgineam; et ideo Aponius super illa Canticorum verba: « Qui pascitur inter lilia, » dicit: Tres pueri Hebræi virginitatis dilectione missi sunt inter Babylonicas flammas, in eisque mediis ardente fornace, quasi inter lilia Dominus pascitur, eo quod semper requiescat in cordibus diligentibus virginitatem.

S. Joannes, ut in Apocalypsi legimus, Angelum adorare volens ab Angelo eodem passus est repulsam: « Cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, et dixit mihi: Vide ne feceris.» Ubi merito quærendum venit, quonam motivo hic Angelus voluntarium hoc S. Apostoli obsequium admittere renuerit? «*Conservus enim tuus sum.* » Sed quo pacto Angelus, qui humanam naturam adeo sua natura præcellit, Joannem vere conservum et collegam dicere poterat, quando hic etiamnum in terra constitutus mortali carne præcinctus erat? Respondeo: Verum quidem est Angelum natura sua Joanne præcellentiorem fuisse, verumtamen Virgo erat, et ideo verus Angeli collega erat, nam ut Rupertus, Abbas Tuitiensis, ait: Altioris honoris et gratiæ est sacra Virginitas, quam pia commendat humilitatis venustas. B. Petrus Damianus, serm. I. de hoc S. Apostolo, ait: Noluit adoratorem quem decernebat æqualem, socium judicavit; quamvis enim in omnibus Sanctis semper sit Angelicæ munditiæ contubernalis et cognata virginitas, Beatus tamen Joannes

tanto reliquos virgines superat, quanto virginitati B. Mariæ, per sedulitatis et perpetuæ custodiæ meritum appropinquat. Ib. dis. v. n. 5.

In Actibus Apostolorum, Hebræi pertinaces et increduli, suos in Sanctum Protomartyrem defigentes oculos, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli, cum tamen illum mortali carne cinctum esse cernerent, talemque ex vulneribus per conjectos in illum lapides inflictis, et sanguine manantibus agnoscere possent. Verumtamen mirum non est, quod, his non obstantibus, S. Stephanus illis Angelus quidam esse videretur, siquidem ut S. Augustinus ait : In amico Angelorum similitudo apparuit ; quia igitur purus et immaculatus Virgo erat, vultum præseferebat Angelicum. Ib. num. 7.

S. Bonaventura multas continenter viventium excellentias et prærogativas recenset, ex quibus hæc potissimum præsenti proposito nostro deservit, quod scilicet Angelis amabiles faciat, cujus hanc adducit rationem, quia cum naturaliter omne animal diligat simile sibi, etiam Angeli casti omnes castos familiarius diligunt ; ideo quoque S. Apostolus dicebat : « Nostra conversatio in cœlis est ; » at vero ex quo Sanctus hic Apostolus cum hominibus commorabatur in terra, quomodo se in Paradiso conversari, veraciter dicere poterat ? Sciendum est igitur, Paulum purum et castum Virginem fuisse, virgines autem etiam dum hic in terris nobiscum degunt, consortio gaudent Angelorum. Unde S. Ambrosius ait : Dicit Apostolus, *nostra autem conversatio in cœlis est*, et cælestium conversatio potest esse nobiscum, hoc est, ut qui vita vivimus Angelorum, recte consortium mereamur. Legatis velim S. August. in quodam sermone in Dominicam 25. post Trin. ibi namque hoc de virginibus invenietis testimonium : Qui in castitate vivunt, Angelicam habent in terris conversationem ; castitas homines cælo conjungit, Angelis facit civem.

De matrona quadam Anglicana, Cæcilia nomine, Annales Ecclesiastici referunt, quod post mariti sui mortem coram Archiepiscopo Cantuariensi votum emiserit perpetuæ castitatis ; cum autem in propinquo esset, ut ex hac vita in alteram commigraret, confessarium suum, qui ex ordine S. Dominici Religiosus erat, ad se accersiri fecit, qui in digito ejus annulum conspiciens aureum, ancillis ejus præcepit, ut eum e digito tollerent, ne in eo momento, quo vel maxime humilitas ei profitenda erat, hoc esset ornamento conspicua. Quod illa inaudiens, licet semiviva, resumpto spiritu, sic loqui conata est : Absit, absit hoc, Pater, a me, ut unquam recedat a me viva vel mortua hic annulus, quem ante tribunal Dei sponsi mei proferam in testimonium inviolatæ, quam ei per hunc annulum promisi, continentiæ, ut recipiam, quam pepigimus, retributionem. Scio, cui credidi, quoniam nobilium amplexus pro ipso cum optimis dotibus recusavi. Ecce tibi quanta cum libertate et fiducia æternam sperabam retributionem. Atque hæc dicens expiravit animam in Paradisum, ut pie creditur, transferendam. Ib. *dis.* VII, n. 20.

Præterea homo castus ipsius quoque Dei sibi comparat gratiam et benevolentiam, teste Sapiente, qui in Ecclesiastici libro ait : « Gratia super gratiam mulier sancta, et pudorata. » In pessimo illo sæculo, in quo ipsomet Spiritu Sancto teste. « Omnis caro corruperat viam suam, » nullus in universo genere humano reperiebatur, qui gratiam et amicitiam Dei non amisisset, nisi solus Noe. Unde in universali illo diluvio solus ipse cum sua familia commune evasit naufragium. « Noe vero invenit gratiam coram Domino. » Sed quænam de ipso ad posterorum memoriam in sacra Historia conscribuntur opera aut facta heroica, unde hanc sibi gratiam promeritus fuit ? Num forte, quod exemplo Abrahæ patriam et parentes derelinquit ? Aut vero, quia ad imitationem Isaaci vitam suam propriam Deo in sacrificium obtulit ? Nihil horum in Scriptura de ipso legitur, sed solum hoc de illo dicitur : « Justus atque perfectus fuit, ambulavit cum Deo, » et hoc totum est, quod de ipso quo ad merita hujus sibi comparatæ benevolentiæ in Scriptura sacra legitur. Verumtamen doctissimus Oleaster verba illa Scripturæ : « Noe vero cum quingentorum esset annorum genuit Sem, » mature ponderans ipsissimam attigisse videtur rationem, cur Noe tantam sibi apud Deum compararit gratiam et benevolentiam. Dicit enim : Commendat valde castitatem et continentiam Noe, qui quingentis annis cœlibem vitam duxit, et ideo forte tam gratus Deo esse meruit, ut in toto terrarum orbe solus in oculis Dei justus videretur. De nullo enim alio legimus, tamdiu generationem distulisse. Quod vero postea matrimonio se junxerit, id eum ex speciali divina inspiratione, credi-

bile est, ea præcipue de causa fecisse, quia nimirum Deus ex toto genere humano, parvam quamdam scintillam, ejus videlicet familiam, reservare decreverat, ac proinde volebat, ut ipse, et familia ejus homines essent castissimi, et continentissime viventes, ut hac ratione, sicut reliquos totius generis humani homines propter incontinentiam disperdebat, ita humanæ stirpis jacturas per viri alicujus, castitatis virtuti addictissimi, progeniem restauraret. Ibidem dis. VIII, n. 3.

S. Bonaventura in lilio sex grana, quasi aurea, et sex folia nivis instar candida considerans dicit : Et nota, quod in lilio sex sunt folia nivei coloris, et sex grana aurei coloris; sex folia nivea significant carnis pudicitiam et sex grana aurea significant mentis munditiam. Primo ergo in lilio sunt sex folia, in quibus figurantur sex ad pudicitiam necessaria. Primum folium est cibi et potus sobrietas, juxta illud S. Hieron. in epist. XXII ad virginem Eustochiam ita scribentis : Virgo fugiat vinum, ut venenum; nam vinum et adolescentia est duplex incendium voluptatis. Nam Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis huic flori proprium esse dicit, quod si vino humectetur, candorem suum primo deperdat. Secundum folium, inquit Seraphicus Doctor, est habitus asperitas. Unde dicit Bernardus : Memento, quod asperior carduus pannum facit leniorem, sicut asper habitus carnem facit castiorem. Tertium folium est laboris strenuitas, et per contrarium ignavia et otium sunt summum luxuriæ nutrimentum, juxta illud Ezechielis : « Hæc fuit Sodomæ iniquitas sororis tuæ, superbia, saturitas, abundantia pacis, et otium. » David in domo otians commisit adulterium. Quartum folium est custodia sensuum, et maxime quoad visum et auditum, quia curiositas videndi et audiendi via est ad peccatum, cujus exemplum patet in Dina. Quintum folium est modestia verborum, et maxime immundorum, quia maxime excitatur luxuria per verba dissoluta et inhonesta, nam dicit Apostolus, I, Corinth. XV : « Nolite corrumpi inanibus verbis ; corrumpunt enim bonos mores prava colloquia. » Et ideo S. Hieronymus, epistola prima ad Demetriadem, post. med. Tomi noni, inquit : Sermo virginis prudens sit, et modestus, tardus, vel rarus, nec tam eloquentia pretiosus quam pudore. Sextum folium est fuga occasionum; idque confirmat auctoritate S. Bernardi, homilia tertia super *Missus est*, ita monentis : Virgines quæ veræ virgines sunt, semper debent esse pavidæ, et numquam securæ, ut et non timenda secure etiam perhorrescant. Ibid. dis. XII, n. 27.

Est alia quoque hujus floris proprietas, quam observat S. Bernardus, dum ait : Nec enim vel levissimam spinæ sustinet ullatenus punctionem floris teneritudo, sed mox ut modice premitur, perforatur. Ita pariter candor hujus virtutis, per quamvis puncturam, aut per quodvis verbum minus honestum, per obtutum minus pudicum, vel denique per cogitationem, aut contactum, turpem facile nimis offenditur. Nam ut S. Hieronymus ait : Tenera res in feminis fama pudicitiæ, quasi flos pulcherrimus, cito ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur, maxime ubi ætas consentit ad vitium. Ibid. numer. 19.

S. Bonaventura de consiliis Evangelicis disserens, tres distinguit aureolas ; scilicet Virginum, Martyrum, et Doctorum ; Virginum florea, Martyrum gemmea, Doctorum aurea. At vero quænam est ratio, quod, cum virginitas aliis virtutibus superior existat, non tamen ipsa honoretur, aut remuneretur corona aliqua, sive aureola gemmea, sed ex floribus contexta? Quia in Scriptura castitas flos dicitur, merito castis corona de floribus datur ; et nota, quod castitas instar floris solo tactu marcescit, quia tactus impudicæ delectationis castitatem omnino corrumpit.

Si doctoribus sacris fidem adhibere volumus, virginitati et continentiæ martyrii meritum nequaquam deest. Hoc enim S. Bernardus clare et perspicuis verbis asserit, dum ait : Genus martyrii, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. S. Laurentius Justinianus in sermone quodam de S. Hieronymo, sanctum hunc doctorem ex hoc capite martyrem fuisse probare nititur. Nempe sine sanguinis effusione gloriosi martyrii triumphum obtinuit ; quod enim carnificis mucrone non pertulit, hoc in se ipso castitatis amore complevit. Idem quoque S. Hieronymus in vita S. Paulæ, illos, qui cum sævo hoc carnis tyranno fortiter dimicant, illiusque victores evadunt, inter Martyres quasi numerandos esse dicit. Non enim solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immacu-

lata, quotidianum martyrium est; illa corona de rosis et violis plectitur, hæc de liliis. De S. Thecla D. Chrysostomus ait: Erat igitur in ipsa etiam virginitas, quæ illis, qui rem accurate perpendunt, magnum quoddam martyrium ante martyrium videtur; cujus convincentem hanc assignat rationem: Sunt enim crudeles quidam carnifices corporis, imo carnificibus crudeliores. S. Isidorus Pelusiota, in quadam epistola sua, idem punctum his verbis tangit, dicens: Virginitatis certamen magnum quidem et præclarum et divinum est; nam adversus corporis voluptatem ipsi bellum est, quod in aliis certaminibus labores minuit; voluptates enim et delectationes maxime carnales nimis sunt homini connaturales, et ideo eximia virtute opus est, ut debellentur. Ibid. dis. XVI.

Signum Virginis in cœlesti Zodiaco, ut diximus, in medio Leonis et Libræ consistit, ad denotandum, quod virgo ad instar leonis, qui apertis oculis dormit, vigilare debeat, atque insuper discat quodvis verbum, unumquemque obtutum, omnem motum etc. librandum sibi, et ponderandum esse exacte, omniaque et singula eidem suspecta esse debere. Idem dis. XXV.

Lucas Wadingus in Annalibus Franciscanis refert, quod cum Religiosus quidam P. Ægidium conveniens, coram eo gloriatus de obtenta adversus carnis vitium gloriosa victoria, modum quoque recensuisset, quo carnis præparatos sibi evasisset laqueos, inter cætera, sequentis a tergo feminæ dixerit sibi immissam concupiscentiam, eoque validiorem, quo proprius illa accedebat, stetisse vero parumper, atque prætereuntem serius aspexisse, mox omnem evanuisse tentationem. Quem P. Ægidius mox interrogavit, an mulier illa speciosa, an vero deformis, juvencula aut vetula fuerit; cui cum Religiosus vetulam et turpem fuisse respondisset, mox vir Dei in hæc verba subjunxit: Quid ergo mirum, si præteriit tentatio apposito antidoto? Scias, fili mi, potius succubuisse te, quam vicisse. In eo consistebat victoria, quod prætereuntem non aspiceres, sed demissis vel clausis oculis te tentantem omnino negligeres. Hisque, utilissimum quoddam, nostro proposito admodum opportunum, subjunxit documentum, dicens: Victoria tentationis carnalis, non in congressu, sed in fuga securior et firmior; cave iterum, ne molestas tibi feminas, neque in universum ullas in faciem respexeris; nam pro vetula adolescentula, et pro fœda speciosa se tibi objiciet, quæ tentationem non remittet, sed augebit; non tollet, sed immittet; quo fiet, ut facile pro victoria turpem lapsum, et pro gloria perpetuam reportes infamiam. Idem, dis. XXVIII, n. 4.

MISCELLANEA.

Virgines Vestales Romæ tanto in honore habebantur, ut nec attingi quidem possent, et duobus lictoribus uterentur, ac si casu in aliquem incidissent, qui ad supplicium duceretur, is statim liberaretur. PLATUS l. II *ult.*

Thales Milesius, unus e septem sapientibus, suadenti matrimonium, cum adhuc junior esset, nondum esse tempus dixit; major vero natu cum esset, eodem instante, non amplius esse tempus, respondit. LAERT. l. I.

Myrrhus philosophus rogatus, cur uxorem non duceret? respondit: Si probam duxero, eam cogar relinquere in morte; si improbam, multa ab ipsa patiar; si pauperem, eam alere debebo; si divitem, ejus improperia et jactantiam audire cogar; si turpem, eam odisse debebo; si pulchram, custodire debebo. Et pessimum omnium est, quod ei libertas mea tradenda est, ipsa tamen gratias mihi non agit. FAB. *in fest. S. Cath.*

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Ubi bene notandum, quod Propheta se sponsum et sponsam vocat, ut insinuaret, non tantum hominem castum esse sponsam Dei, sed etiam sponsum castitatis. ISAIAS, LXI, 10.

An non grande miraculum, de quo Moyses dixit, Exod. III, v. 3: Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare rubus non comburatur? Atqui non minus mirabile opus est, hominem carneum carnales affectus in carne positum respuisse. CASS. *Collat.* XII, c. XII.

S. Job dixit: Propter superbiam quasi leænam capies me; alludens ad modum, quo leænæ capiuntur structa fovea, et ove supra appensa, cui, dum insidiatur leæna, in foveam cadit. Sic Deus permittit, ut in occasionem tentationis incidant superbi, et dum

inhiant delectationi illicitæ, cadant in foveam, de qua Salomon in Proverbiis dixit: Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena; cui iratus est Dominus, incidet in illa. LUD. DE PONTE, t. III, tr. II, c. VII, § 1.

Climacus dixit : Incipientes incidere in peccata contra hanc virtutem, ob gulam; proficientes, ob superbiam; perfectos, ob temerarium judicium latum de aliis. CLIMACUS, *gr.* X.

Ægyptii ornabant filias suas etiam pauperes torquibus, et ab aliis pro torquibus filiæ stipem petebant. In his torquibus figuræ erant sex : Prima, turtur cum lemmate : « Sic sola » : Secunda, columba cum lemmate: « Sic casta : » Tertia, aquila cum lemmate : « Sic prompta : » Quarta, ciconia cum lemmate : « Sic pia : » Quinta, noctula cum lemmate : « Sic vigil : » Sexta, alauda cum lemmate : « Sic sancta, aut devota. LUD. DE PONTE, supra citatus.

S. Aug. Deum esse castitatis auctorem sequentibus verbis indicavit : Dominus noster Jesus Christus ideo per Virginis casta membra venit ad terras, ut ostenderet, Deum esse castitatis auctorem. Portemus ergo, et nos, Deum in casto corpore, quem Virginis casta membra portaverunt, Christus enim magister est castitatis, et ideo qui castitatem non habet, Christum portare non potest. Serm. XIII *de Temp.*

Simon de Cassia dignitatem castitatis ex eo colligit, quod Christus duabus virginibus factus est subditus, ut quod illorum Christus complet vota, desideria perficit, qui se puritati et munditiæ tradiderunt. Et hinc spes magna est facta amantibus cælibem vitam, quanta eis in altera vita familiaritate donandus, qui duobus castis in hac vita factus est subditus. L. II. c. XXXIV.

S. Joannes vidit virgines in monte sequentes Agnum, quocumque ierit, quia, ut S. Gregorius loquitur, per meritum incorruptionis quo a terrenis et carnalibus delectationibus se dividunt, in superna Redemptoris gloria sublimantur. S. GREGOR. in l. I, *Reg.* c. XIII.

S. Chrysostomus petenti : Pinge mihi sermonem virginitatis, ait : Eum in cœlo loco patentissimo pictum, dum in Zodiaco signum Virginis inter Libram et Leonem positum est ut indicetur, pro virginitate et castitate servanda semper fortitudinem et temperantiam necessariam esse; nam virgo, eodem teste, a bello nunquam cessare potest. *Hom.* IX, *de pœn. apud Drex.* p. 1, *Ros.* c. X, § 13.

Quidam, e S. Dominici familia, cum pro castitate tuenda multas ei difficiles pugnas sustinuisset, nec tamen succubuisset unquam, ipsi dæmones inviti acclamarunt : Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, et non arsisti. Ibid.

S. August. rogatus, cur cum sorore habitare nollet? respondit : Quia non sunt mihi sorores, quæ cum mea sorore sunt. Huic alteri quoque suasit : Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Ser. CCL *de Temp.*

Hannon, Ægyptius, Abbas, postquam ab initio uxore ducta, ei virginitatis custodiam persuasisset, et octodecim annis, cum ea velut sorore habitasset, sæpius cum ea dicere solebat : Plurima pars hominum nescit, quam suavis sit sopor in vacuo cubili, quod solus quis occupat. Hinc postea Nitriam concessit, et plurium monachorum pater est factus. Ex *Paladio* c. VIII.

S. Hieronymus ait : Gentilem errorem Deas virgines armatas finxisse cum scuto et lancea, ut significarent, sine bello pudicitiam non posse defendi. Ibid.

AXIOMATA.

Castitas in juventute martyrium est sine sanguine.

Voluptatem vicisse, voluptas est maxima.

Nulla major victoria, quam quæ de cupiditatibus carnis refertur.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius, in *Niceta*. Item in Rosis, p. I, c. IX.

Ludovicus de Ponte t. III, tr. II, c. IV et tr. VI, c. IX.

Alphonsus Rodriquez p. III, tr. IX, toto.

Hieronymus Platus l. II, de *Bono statu Relig.* c. IV.

Lucas Pinellus t. III, tr. III, toto.

Bernardinus Rosignolius l. IV, de disc. Christ. c. XXXV.

Stimulus virtutum adolescentiæ lib. I et III toto.

Petrus Sanchez *in Regno Dei* p. V, cap. VIII.

Pædagogus Christianus p. I, cap. XXIV, § 3.

Franciscus Labata v. Castitas.

Ludovicus Granatensis, in locis communibus f. 555.

Franciscus Arias t. III, de *Imitatione Christ.* tr. VI.

Antonius Gaudier, *de Natura et causis perfectionis* p. IV, c. XV.

Jacobus Alvarez t. II, l. V, p. 2, tota.

Joannes Busæus, *in Viridario* v. Castitas.

Jacobus Marchantius, *in Tuba sacerdotali* lect. XII, tr. III.

Matthias Faber, in festo S. Catharinæ conc. I, II et III. Item in Actuario in festo S. Silvestri, them. II, et in festo Sanctæ Catherinæ them. II.

Nicolaus Lancizius, opusc. II, c. VII et opusc. IV, c. IV, n. 116 et seq.

Josephus Mansi, t. I, *Bibl. mor.* tr. XIV.

Vincentius Caraffa, *in Seraphino seu Schol. sancti amoris.*

S. Franciscus Salesius, *de Amore Dei.*

CATECHESIS.

Quam neccessaria non modo, sed utilis etiam sit hujus tituli propositio et tractatio, vel ex ipsa catechesis definitione colligi facile potest; cum enim catechesis nihil aliud sit, quam rudium in materia ad fidem et salutem pertinenti instructio, facile intelligitur, non minus honorificam et meritoriam catechizanti, quam utilem necessariamque catechizato esse hanc catechesim. Quia vero de insigni muneris hujus præstantia de virtutibus catechizantis, et modo, industriaque in ipsa catechizationis praxi observandis egi fusius ego, in fine septimæ meæ instructionis, quæ de munere concionatorum tractat, præterea communes doctrinæ in catechismo explicandæ passim in catechismis ad hunc finem ex instituto compositis et impressis proponuntur, eas solum modo doctrinas in hoc titulo afferam, quæ circa in festa varia Ecclesiæ, et cæremonias in illis observari solitas catechistam scire docere convenit; hæ enim cum non modo rudibus ad plenam catecheticarum doctrinarum notitiam acquirendam, sed etiam ipsis concionatoribus pro formandis in occurrentia talium festorum concionibus non modice servire posse videantur, merito etiam lectori tanto gratiores futuræ sperantur, quanto rarius illæ tali modo et ordine apud Auctores explicatæ reperiuntur.

Quæstiunculæ de Adventu.

Quæritur I. Quare tempus 4. hebdomadarum fest. Nativitatis Christi antecedentium *Adventus* vocatur? Resp. Quia quadruplicem Christi adventum nobis Eccl. hoc tempore in memoriam revocat, scilicet adventum Christi in mundum; adventum illius in judicio cujusque particulari; adventum ipsius in judicio universali, et adventum ejusdem in corda hominum per gratiam sanctificantem.

Q. II. Quare hoc tempus ab Eccl. institutum est? Resp. Ut per dignam pœnitentiam ad festum solemnissimum Nativitatis dignius celebrandum nos preparemus et mundum Christo infanti in cor nostrum venturo habitaculum præparemus. Quapropter Ecclesia illa S. Pauli verba hoc tempore occinit: « Fratres, hora jam est nos de somno surgere: Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. »

Q. III. Quare violaceo colore utitur hoc tempore? Resp. Ad tristitiam et dolorem, quem de peccatis concipere debemus, significandum; hinc et nuptiarum gaudia hoc tempore interdicuntur.

Q. IV. Quomodo hoc tempore ad Nativitatem Christi præparare nos debemus? Resp. 1. Per ardens desiderium, quo Christi adventus desideretur; hinc Ecclesia assiduo clamat hoc tempore: « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » 2. Per seriam peccatorum detestationem et confessionem, uti S. Aug. in Dom. II, Adv. sequentibus verbis monuit: « Sanctam et desiderabilem, gloriosam ac singularem solemnitatem, hoc est, Nativitatem Domini, fratres dilectissimi, devotione fidelissima suscepturi, totis viribus nos debemus cum ipsius adjutorio præparare et omnes latebras animæ nostræ diligenter aspicere, ne forte sit in nobis aliquod peccatum absconditum, quod et conscientiam nostram confundat ac mordeat et oculos divinæ majestatis offendat. Nam licet Christus Dominus noster post Passionem resurrexerit, et in cœlum ascenderit, considerat tamen, ut credimus, et diligenter attendit, qualiter se unusquisque servorum ejus sine avaritia, sine ira, sine superbia, atque luxuria ad

celebrandam ejus Nativitatem studeat præparare, atque componere; et secundum quod unumquemque ornatum bonis moribus viderit, ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit etc.» 3. Per affectuosam beneficii Incarnationis considerationem, perpendendo septem circumstantias illius, quarum prima est: *Quis venerit*? Is enim filius Dei est. Quis hic non obstupescat? Si de aulicis suis Angelum unum aliquem vel infimum misisset ad consolandos et liberandos nos, hostes, inquam, suos, annon sat superque id fuisse? Secunda: *Unde venerit*? E summo cœlo, videlicet Psal. XVIII, de regalibus suis sedibus, Sap. XVIII; de sinu patris, Joan. I; de multorum millium Angelorum frequentia, Hebr. XII. Tertia: *Quo venerit*? In hunc scilicet mundum, in vallem lacrymarum, in carcerem captivorum, in regionem umbræ mortis, in nosocomium, et piscinam probaticam languentibus plenam. Quarta: *Ad quos venerit*? Ad exules, nimirum ejectos e Paradiso, ad hostes et perduelles, ad mancipia dæmonum, ipsis quam simillima. Quinta: *Quomodo venerit*? « Cum enim in Dei forma esset, exinanivit semetipsum, » inquit Apostolus ad Philipp. 2. « formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. » Si Monarcha terrenus ad liberandum mancipium a morte suam majestatem ad statum servilem demitteret, et servus servi causa fieret, quanti æstimaretur hoc beneficium? At incomparabiliter plus est, Deum ad hoc se demittere, cujus demissionem nemo mirari potest. Plurimum fuisset, si vel in forma visibili gloriosa orbem hunc lustrare, et sua præsentia condecorare voluisset. Quid igitur nunc dicemus? Sexta: *Quare venerit*? Venit enim, ut eriperet nos e potestate tenebrarum, ut quæreret ovem perditam, imponeret in humeros suos, et ad aulam gloriæ suæ deferret. Venit, ut doceret nos, tanquam magister; venit, ut exemplo suo nos præiret ad virtutes, et aspera quæque; venit, ut in filios adoptaret et hæredes. Septima: *Quando venerit*? Cum videlicet nox in suo cursu medium iter perageret, Sap. XVIII; id est, cum humanum genus in densissimis ignorantiæ tenebris versaretur, et totus mundus in maligno positus esset.

Quæstiunculæ de Nativitate Christi.

Quæritur I. Cur tempore nati Christi Deus voluit descriptionem orbis universi fieri? Resp. cum S. Ambrosio, in c. II. Luc. id factum, ut intelligeremus, descriptionem hanc universi orbis potius pertinere ad eum, qui tunc nascebatur, verum totius orbis Dominum. Cui consonat, quod refert Orosius, Augustum hoc ipso tempore Domini titulum recusasse, quasi præsagientem, natum jam in terris esse verum cœli terræque Dominum. S. Gregor. hom. VIII in Evangelia, ait, nascente Christo, mundum descriptum, ut aperte demonstretur « quod ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate. » Tributum Christo dandum, fides est.

Q. II. Cur Christus tempore Augusti Cæsaris nasci voluit? Resp. Quia tunc magna toto orbe pax florebat, quoniam (ut Apostolus ait, ad Ephes. II.) « Ipse est pax nostra.» Et ut Isaias, c. IX, ait, « Princeps pacis. » « Aquila aliunde advolante (ait S. Basilius, Isai. II), ac desuper conspecta, futili garrulitati loquacium avium silentium indicitur. » Ita Christo in orbem prodeunte terræ dominis bella cogitantibus silentium impositum.

Q. III. Cur Dominica die natus? Resp. Natum Dominica die, « ut quo die dixit: Fiat lux, et facta est lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde, » inquit Rupertus, l. III, de divin. Officiis, c. XIII.

Q. IV. Cur natus est in hyberno solstitio? Resp. Natum in solstitio hyberno, vel circa id, quo tempore solent dies crescere, et sol ad nos accedere, ut intelligeremus, quia gratiæ lucem Christus sol justitiæ attulit, et auxit, cum ad nos accessit.

Q. V. Cur media hyeme natus est? Resp. Quia elegit tempus frigidissimum, et quod carni molestius esset, ut carnis prudentiam taxaret, secundum Bernardum, serm. III. in *Nativit.*

Q. VI. Cur media nocte nasci voluit? Resp. Ut ex tenebris lux magis splendesceret, sicque impleretur, quod Isaias cap. IX prædixerat dicens: « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione mortis, lux orta est illis; » illa videlicet, de qua ipse Christus dixit: « Ego sum lux mundi. » Et S. Joannes c. I: « Erat

lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. »

Q. VII. Cur in Bethleem nasci voluit? Resp. Ob tres causas. 1. Ut demonstraret, se esse de domo et familia David, Luc. II, 2. Ut per hanc pauperem suam nativitatem mereretur nobis sublimem in cœlo. Congruit huic rei situs civitatis, quia erat via in Jerusalem : Sic per humilitatem ascenditur ad cælestem Jerosolymam, id est, pacis visionem. 3. *Bene in Bethleem nascitur Christus*, inquit S. Gregor. hom. VIII in Evangelia; *ipse est enim, qui ait : Ego sum panis vitæ* etc. (Bethleem enim domum panis significat) Item quia electorum mentes satietate interna refecturus erat, secundum Gregorium. Ibid.

Q. VIII. Cur in præsepio reclinari voluit? Resp. Ob quatuor causas. 1. Ad litteram, quia non erat ei locus in diversorio. Omnia enim diversoria a ditioribus jam occupata erant, itaque secessit Deipara in stabulum vel speluncam; et quia non habebat cunas, reclinavit filium in præsepio, ut vel ibi commodius cubaret. 2. Ut significaret, se esse verum Pastorem, imo etiam cibum pecoribus suis futurum. 3. Ut indicaret, Regnum suum non consistere in fastu, palatiis, opibus et pompa, sed in mundi contemptu, nec ignominiæ Christo fore hanc paupertatem, sed gloriæ; imo hoc esse ejus symbolum. 4. Ut statum, in quem deciderat homo, comparatus jumentis, ostenderet, nec non gentium, quæ, bestiarum instar, degebant conversionem.

Q. IX. Cur præ cæteris pastores ad præsepe vocati sunt? Resp. Pariter ob quatuor causas. 1. Ut pateret, qualis futura esset messis apud Judæos in Evangelio admittendo; cujus primitiæ essent pauperes et simplices. Nam de potentibus dicitur : « Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum? Joan. VII. Ex gentibus contra primo vocantur Reges, quia plurimi potentes ex iis credituri erant. 2. Ut damnaret mundi fastum et superbiam, dum humiles tantum, non superbos Pharisæos ad se vocavit. Nec mirum, quia cum Christi prædicatio sit de contemptu mundi, de mortificatione, cruce etc, pauperes hanc avide aripiunt, ut se in sua paupertate solentur, et animent. Hæc vero fugiunt, et oderunt divites. Unde S. Jacobus c. II. ait : « Nonne elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes Regni? » Item æquum est, ut qui corporalibus bonis destituuntur, spiritualibus donentur, et vice versa. « Difficile, imo impossibile est, ait S. Hieronymus, epist. XXXIV ad Julianum, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis; ut hic ventrem, et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut in cœlo et terra appareat gloriosus. » 3. Quia capaciores erant hujus mysterii; superbi non credidissent, sed de Infante hoc dixissent, quod Achis Rex de Davide : « Vidistis hominem insanum? Quare adduxistis eum ad me? » I. Reg. II. Vel cum Michole : Quam gloriosus est hic Rex? II. Reg. VI. Pastores rem, ut audierunt ab Angelis, ita crediderunt. Pulchre S. August. serm. LIX de verbis Domini, ait : « Veni, tu pauper; nihil habes, nil nosti, sequere me; tam largo fonti vas inane admovendum est. » Accedit, quod divites et delicati vix adigi potuissent, ut venirent. Alii enim suaviter dormientes, surgere renuissent; aliis cœlum nubilum, vel intempesta nox displicuisset; alii longiore apparatu opus habuissent. 4. Quod pastorum simplex relatio majorem audientibus fidem faceret : « Plebem Dominus simplicem requisivit, inquit S. Ambrosius, Luc. II. quæ phalerare audita, et fucare nesciret; simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. » Alexander M. Homerum optabat reviviscere, ut suarum laudum dignum haberet præconem; sed non ita Christus, qui nullius præconis fuco indiget, simplicitate delectatur. Sicut draconites gemma non admittit artem aut polituram; sic et Christi Evangelium.

Q. X. Cur, nato Christo, omnes Sodomitæ extincti sunt, ut S. Hieronymus refert? Resp. Id merito accidisse; cum enim Sodomia naturam humanam depravet, et bestialem reddat, extingui debuit ab eo, qui naturam rationalem sibi copulaturus et reparaturus venerat. Ut enim Deus olim noluit inire fœdus cum hominibus, et spiritum eis suum relinquere, quod naturam libidine vitiassent, nisi tollerentur rei, et purgaretur natura per diluvium, Genesis VI etc. ita nec Christus naturam humanam assumere voluit, nisi deletis iis, qui tam turpiter eam fœdassent. « Hoc quippe vitio violatur ipsa societas, ait S. AUG. lib. III *Confess.* c. VIII, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur. »

Q. XI. Cur eodem Christo nato fons olei in taberna meritoria repente exortus, in Ti-

beris vicinum, fluxit? Resp. Ut significetur, præsentem esse Christum, qui fons est misericordiæ per oleum significatæ. Unde Cantic. I. dicitur: « Oleum effusum nomen tuum. » Oleum quidem Christi nomen est, quia, ut oleum curandis in primis vulneribus salutare; ita Jesus peccatorum salus. Hinc enim est Samaritanus ille, Luc. X. sauciati vulneribus oleum infundens. Hic est, qui adulteram absoluturus de monte Oliveti, id est, misericordiæ descendit in templum. Joann. VIII. Effusum vero, quia largiter, et quasi nullius esset pretii, omnibus communicatur.

Q. XII. Quid significant tres Missæ in festo Nativitatis legi solitæ? Resp. Id fieri tum propter sanctitatem et solemnitatem festi, ob quod die *Weyhnacht* vocatur, id est, nox specialiter Deo consecrata, ideoque speciali quoque cum devotione celebranda; tum ad significandam triplicem Nativitatem Christi, *æternam*, per quam a Patre æterno genitus est; *temporalem*, qua per matrem in terris est genitus; et *spiritualem*, qua in mentibus hominum nascitur. Tum ad indicandam triplicem adorationem et cultum, quo Christus nascens honoratus est, nocte quidem ab Angelis, mane a pastoribus, et paulo post a Magis; unde et convenientia his adorationibus Evangelia leguntur.

Q. XIII. Quare hoc Festum solemnius est celebrandum? Resp. Id egregie a S. Bernardo, sermone tertio in Nativitate Domini, indicari his verbis: « Obsecro vos, dilectissimi, considerate diligentius, quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione et salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus et efficax, sermo fidelis et omni acceptione dignus, sermo non tam oris, quam operis. Putatis, fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum et sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem, inutilem esse doleret homo pusillus, imo et nihil; quam justius indignabitur Dominus Majestatis, si tantam ejus operam nostra aut duritia aut negligentia contingat evacuari? Avertat hoc in servulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam servi, etc.

Quæstiunculæ de Circumsione Christi.

Quæritur I. Cur Circumcisio a Deo in veteri Testamento instituta et præcepta est? Resp. Ob sequentes causas. 1. Ut esset signum memorativum pacti a Deo cum Abraham initi. Genes. XVII; ut videlicet Judæi eo signaculo monerentur, se jam transisse in fœdus illud, quo se Deo obstrinxerant, ut essent ei in peculium seu populus Deo, ejusque cultui dicatus et consecratus. Scimus certe dominos suis mancipiis stigma in fronte imprimere, ut eorum servitio mancipatos se intelligant. Scimus etiam dæmonem, quasi Dei simiam stigma imprimere sagis suis, quo notentur transisse in jus et dominium dæmonis; cui tamen alioquin jure subjectæ non sunt. Multo æquius Deus notare potuit servos suos, quibus jure dominatur, signaculo servitutis. 2. Ut esset signum destructivum et purgativum peccati originalis, quod per generationem transfundebatur in posteros. 3. Ut esset figura Baptismi, per quem similiter ingredimur in Ecclesiam, sicut Hebræi ingressi erant per circumcisionem; profitemur fidem publice, quemadmodum Hebræi suam religionem profitebantur per circumcisionem; quibus in hoc longe feliciores sumus, quod medium multo suavius præscripserit nobis Christus, quam olim Deus Hebræis. Quis enim non malit baptizari, quam circumcidi?

Q. II. Quare circumcidi Christus etiam voluit? Resp. Ob sex causas. 1. Ut ostenderet, se in veritate carnem assumpsisse, propter Manichæum, Valentinum et Apollinarem, qui dixerunt Christum tantum habuisse corpus phantasticum, aut cæleste vel divinum. 2. Ut suo exemplo legem circumcisionis a se olim latam approbaret, et contra obtrectatores Gentiles, qui propterea Hebræos contemptui et ludibrio habebant, Appellas, Verpas, Recutitos appellabant, defenderet. 3. *Ne legem, quam ipse dederat, solvere videretur*, inquit Bernardus, tract. de *Pass. Dom.* c. II. 4. Ut cum suis popularibus, utpote circumcisus cum circumcisis tanto liberius agere, eosque ad se pertrahere posset; ipsique excusationem non haberent, si Christum non susciperent. 5. Ut hoc grave legis jugum in se suscipiendo, eos, qui sub lege erant redimeret. 6. Ut signaculum servitutis, et remedium peccati originalis in se

susciperet, qui venerat a servitute peccati nos liberari, et similitudinem peccatoris accipere.

Q. III. Cur octavo die circumcidi voluit? Resp. Ob tres causas. 1. Ut legi, quæ hoc mandaret, Gen. XVII. (propterea quod infans ante octavum diem nimis tener et debilis est) se accommodaret, adeoque nobis obedientiam erga legem divinam commendaret. 2. Tropologice, ut nobis amorem suum, et desiderium patiendi pro nobis ostenderet, qui octavo statim die sanguinem fundere cœpit. « Vide, inquit S. Bernardus, quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quam paratus et promptus sanguinem effundere, circumcisus pro nobis die Nativitatis suæ octavo. Utinam nos saltem et anno octavo nonnihil pro Domino pateremur! » 3. Anagogice, « ut per circumcisionem octavo die factam, et simul nominis impositionem intimaret iis, qui digni Sanctorum consortio censentur, quod eorum nomina scribentur in cœlis; et æternæ beatitudinis, quæ post vitæ hujus septimanam consequitur, hæredes fient et consortes, quicumque vitæ innocentia et cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent; » inquit S. CYPRIANUS, l. *de Card. Christi oper.*

Q. IV. Cur Jesu nomen in circumcisione accepit Christus? Resp. Quia *salvaturus erat populum suum*, ut dixerat Angelus. *Jesua* enim Hebr. Salvatorem et salutem significat; salutis enim nostræ negotium in tribus omnino consistit, in Redemptione, Justificatione, Glorificatione. Christus nobis hæc omnia præstitit; in 1. figuratus per Jesum summum Pontificem; in 2. per Jesum Doctorem; in 3. per Josuen seu Jesum Ducem. Quam ob rem jure vocatus est Jesus, id est Salvator, quoniam talis erat, et vere ipse solus, si ad sensum non ad sonum vocis attendimus; nemo enim hæc omnia, adeoque veram salutem præter ipsum attulit.

Q. V. Cur nomen hoc post circumcisionem sortitus est? Resp. Quia placuit ei non prius tam glorioso nomine insigniri, quam id promeruisset, sanguinem suum pro nobis fundendo. Quam ob causam merito caput aperimus et genua submittimus, cum nomen hoc audimus; siquidem id nomen, adeoque salus et redemptio nostra, magnum ei stetit. Non facimus hoc Christi audito nomine, quia nomen hoc dignitatis est, Regibus et Sacerdotibus commune.

Q. IV. Cur hoc nomen specialiter invocandum et honorandum est? Resp. Quia, teste Apostolo, *est nomen super omne nomen*, ad Philip. II, adeoque venerabilius ipso nomine tetragrammaton, JEHOVA. Primo, quia est proprium Verbi Incarnati nomen, significans totam Incarnationis et Redemptionis œconomiam, seu Deum, qua Salvator et Redemptor est. (Hoc autem beneficium Redemptionis majus est, quia nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset, ut Ecclesia canit). Nomen autem *Jehova* significat Deum, qua Dominus et Creator est. Ad hæc Redemptionis nomen includit nomen Creatoris, non e contra. Hinc infert Abulensis, in c. XX. Exodi, majus esse peccatum accipere nomen Jesu, in vanum, quam nomen Dei, et confirmat ex usu Ecclesiæ, quæ audito nomine Jesu flectit genua et inclinat caput; non autem audito Dei nomine. Secundo, quia non ab homine vel creatura aliqua, sed a SS. Trinitate Christo est impositum, et ab Archangelo in terras delatum. Tertio, quia est nomen, per quod omnes salvi fieri debemus, siquidem salutem et Salvatorem nobis annuntiat. Quarto, quia est nomen efficacissimum. 1. Ad corporis ægritudines curandas. Actor. III. *In nomine Jesu Christi surge*. 2. Ad pellendos e corporibus dæmones, Marc. ult. *In nomine meo dæmonia ejicient*. Exemplum habetur, Actor. XVI, vers. 18, ita ut etiam perfidi aliqui ad id hoc nomine uterentur, eventu quandoque felici, ut Luc. IX, vers. 49, quandoque infelici, ut Actor. X, vers. 13.— 3. Ad eorumdem dæmonum tentationes et insidias pellendas; quod experti S. Antonius, Hilarion, Edmundus, Abramius, aliique. 4. Denique ad miracula patranda, omniaque sanctificanda. Ac licet effectus prædicti quandoque etiam per alia Dei nomina obtineantur, non tamen toties ac tam certo; licet nec in nominis Jesu invocatione tanta efficaciæ certitudo sit, quanta est sacramentis, quia non extat hujus rei promissio vel sanctio aliqua. Quinto, quia usu receptum fuit apud omnes Christianos, ut hoc nomen summe honorarent, capitis adapertione, poplitum flexione, vel alio honoris indicio, ut cum eleganter pingitur radiis solaribus cinctum; item dum nemo sibi hoc nomen ausus est tribuere.

Quæstiunculæ de Epiphania, seu trium Regum festo.

Quæritur I. Quales fuerunt hi Magi? Resp. Juxta sententiam probabiliorem, non fuisse maleficos, sed viros sapientes Astrologiæ et Philosophiæ vacantes, moreque philosophico viventes. Tales enim fuisse Magos apud Chaldæos et Persas testatur Hieronymus, Dan. II. Accedit, quod non videbatur conveniens, ut malefici et præstigiatores dæmonum mancipia ad præsepe Christi primi adducerentur, sed tales potius, qui juxta naturæ præscripta viverent.

Q. II. An vere Reges fuerint? Resp. Affirmative; ita enim semper Christianus populus eos pinxit, ita etiam communiter Patres. Colligitur ex regiis eorum muneribus, et thesaurorum apertura, quæ non est vulgarium hominum. Item quia in illis regionibus Magi in summo honore erant, et nulli fere Reges nisi Magi erant. Accedit congruentia, ex D. Thom. III p. q. XXXVI, art. 4, quia enim Christus venerat omnes gentes salvas facere, decebat, ut natus non vocaret solum ad se pastores, viles, rudes, Judæos, prope constitutos, sed etiam Magos, qui essent Reges sapientes, longe positi, ut ita appareat neminem a Christo excludi.

Q. III. Cur ab Oriente vocati hi Magi ad Christum? Resp. Quia ibi genus humanum lapsum est, et ejectum e Paradiso. Unde bene jubentur Magi per aliam viam reverti. « Regio quippe nostra, inquit Gregor. hom. X *in Evangel.* Paradisus est, ad quam Jesu cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus; sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. » Sic Gregor. Secundo, quia inde dies nascitur, Christus autem verum attulit mundo diem. Unde Zach. VI, dicitur : « Ecce Oriens nomen ejus. » Et Luc. I. « Visitavit nos Oriens ex alto. »

Q. IV. Quomodo appellati sunt hi Magi? Resp. cum Venerabili Beda in Collectaneis : « Dicitur primus Melchior, senex et canus, barba prolixa et capillis, Aurum obtulit Regi Domino. Secundus nomine Gaspar, juvenis imberbis, rubicundus, Thure quasi Deo oblatione digna Deum honorabat. Tertius fuscus, integre barbatus, Balthasar nomine, per Myrrham Filium hominis moriturum professus est. » Sic ille. Ternarius vero hic tres orbis partes, seu universitatem humani generis, quod per tres filios Noe propagatum est, significat ad Christum adducendam, vel etiam fidem Trinitatis.

Q. V. Cur per stellam indicem sunt vocati? Resp. Quia Astrologi erant, ideo familiari sibi et amabili signo vocati sunt. Cum bovem ad te allicis, fœnum, non carnem e porrigis; cum canem vocas, carnem, non fœnum ostentas. Condescendens, itaque Dominus Magorum saluti, per id vocabat eos, quod maxime delectabat. Secundo pastores Judæi vocati sunt per Angelum, quia Judæi « acceperunt legem in dispositione Angelorum, » Act. VII et ad Gal. X, et habebant legem scriptam ; Gentiles vero habebant tantum naturalem, et per creaturas solum visibiles « invisibilia Dei cognoscere poterant, » ad Rom. I, idcirco vocati sunt per stellam, et cœleste indicium. Cœli autem maxime enarrant gloriam Dei. Illi per creaturam rationalem, velut rationales ; hi per elementum tantum, quod ratione uti nescirent, ut vult S. Greg. hom. X *in Evang.*

Q. VI. Unde agnoverunt, hanc stellam esse indicem Christi nati? Resp. Ex peculiari revelatione et interno lumine. Quomodo enim absque hoc ad iter se accingere, Christum invenire, et pro Deo agnoscere ac venerari potuissent? Imo quomodo ibi Regem alium inquirere, ubi aliquis jam regnaret, ausi fuissent?

Q. VII. Quomodo intra tredecim dies ex Arabia Felici, quæ centum octoginta milliaribus distat a Bethleem, pervenire huc potuerunt? Resp. Quia dromedarios habebant, teste Is. c. LX, qui, ut S. Hieronymus scribit, uno die tantum conficiunt itineris, quantum equi nostri tribus.

Q. VIII. Quare aurum, thus et myrrham ei obtulerunt? Resp. Quia crediderunt esse Deum, et ut tali attulerunt thus, quod Deo solet incendi. Crediderunt esse hominem, et ut tali obtulerunt myrrham, qua corpora mortuorum condiuntur hominum. Totum hoc verbis illis expresserunt : « Ubi est qui natus est Rex? Venimus adorare eum.» Dum dicunt natum, agnoscunt hominem ; dum volunt adorare, agnoscunt Deum. Regem denique expresse vocant. Unde S. Gregor. hom. X, ait : « Eum, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant, auro Regem,

thure Deum, myrrha Mortalem. » Secundo S. Bernardus *in Siloliq.* ait : Forte aurum ob Christi paupertatem ; myrrhæ unguentum, ob infantilis corporis teneritudinem ; thuris odoramentum, ob sordidam stabuli mansionem obtulisse.

Q. IX. Quomodo nos mystice hæc munera offerre possumus? Resp. Deo offerimus aurum, thus et myrrham, quando offerimus ei animam per orationem, corpus per jejunium, seu afflictiones corporales et mortificationem, bona externa per eleemosynam.

Quæstiunculæ pro festo Purificationis.

Quæritur I. Cur Christus in templo præsentari, et B. V. purificari voluit, cum tamen neuter ea lege teneretur? Resp. Ob quatuor causas. 1. Ut docerent suum obedientiæ gradum observare. Nam primus gradus est observantium præcepta, sicut debent. Secundus observantium accuratius et cumulatius, quam debent. Tertius observantium ea quæ omnino non debent. Summam igitur filii obedientiam, et mater imitata est. « Nec mirum, ait D. Ambrosius de Purificatione, si mater observet legem, quam ejus filius non venerat solvere, sed adimplere. » 2. Ut docerent profundissimam humilitatem; sunt enim, qui intellectu sunt humiles, sed non voluntate, fatentur enim se peccatores, defectibus obnoxios, et omni supplicio dignos; sed nolunt tales ab aliis haberi, imo boni potius reputari, bona sua cupiunt prædicari, mala nesciri. Non sic Christus et Maria, qui etiam voluntate humiles fuerunt, quia etiam ab illis vilipendi amaverunt. Etenim Christus in monte Thabor seorsim ostendit gloriam suam coram tribus tantum discipulis; passionis vero ignominiam pertulit in monte Calvariæ coram ingenti multitudine. Idem gloriosam nativitatem suam paucis tantum pastoribus voluit annuntiari, ministerio Angelorum. Hodie vero ut servus voluit in templo publice offerri. Similiter Maria non ore prædicabat similem aliis matribus, sed re ipsa se talem proferebat, ut nemo de ea aliter opinari posset, cum tamen longe diversa mater esset ab illis matribus. Alii jure se humiliant, quia habent in se causam humilitatis, sordes peccatorum, et defectus, vel notam servitutis, alteriusque debiti. Nihil horum in Christo, nihil in Maria. Neque enim servus Christus, neque immunda erat Maria; nihilominus quasi tales in templo se sistunt, cum tamen ille Dominus, hæc Virgo esset. 3. Ut docerent nos gratitudinem erga Deum divinaque beneficia. Altera enim ratio, cur primogenita Deus sibi offerri præciperet, erat, quod Hebræorum primogenita servarit, quando Ægypto Angelus Domini omnia Ægyptiorum primogenita percussit, Exod. XII, quam rationem subdidit Moyses, Exodi III. Ita propter hoc beneficium Judæis olim a Deo impensum, in gratiarum actionem sistit Deipara Filium, nec non et Filius se ipsum coram Deo Patre. Ubi docemur gratias agere Deo etiam pro beneficiis, quæ majoribus nostris impendit, veluti pro conservata majorum nostrorum fide, pro primis sanctis Episcopis patriæ nostræ datis, pro optimis et Catholicis Principibus, pro constantia Martyrum, fundationibus Monasteriorum et Diœcesium, etc. 4. Ut ne scandali occasionem alicui præberent. Cum enim lateret adhuc homines Christi Divinitas, et Deiparæ Virginitas, poterant scandalizari si vidissent, eos præceptum Domini non observare; singularitas enim, et nolle subjici præceptis, valde scandalizat. Unde timendum in populo murmur erat, si Virgo se purificationi, et filium oblationi non præsentasset. Maluit itaque honore sibi debito carere Christus, et Maria, quam offendiculi occasionem præbere.

Q. II. Cur non agnum, sed par turturum, aut duos pullos columbarum obtulit Deipara? Resp. 1. Ex paupertate, quia cum paupere filio pauper vivere voluit, ideo etiam pauperum hostiam dare. 2. Ob mysterium, quia Christus ipsemet erat Agnus verus, quem præfigurabat ille typicus; debet autem umbra cedere veritati. Fuit igitur in hac oblatione Christus Agnus matutinus, futurus postea vespertinus, in cruce scilicet immolandus, ut sic impleret figuram jugis sacrificii, Exod. XXIX, ut docet S. Bern. serm. II et IV *de Purificatione*. 3. « Quia talem hostiam, inquit Eucherius Lugdun. hom. infra octavam Nativitatis, offerre debuit Virgo Maria, per quam castitas et humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres et castior et semper humilior extitit; et bene quidem non singula, sed paria obtulit, quæ non corpore tantum, sed corpore et anima casta et humilis erat. »

Q. III. Cur festum hoc vocatur per *Liechtmestag*? Resp. Quia hoc die cerei multi benedicuntur, et accenduntur in honorem et

memoriam Christi, de quo S. Simeon dicebat: «Nunc dimittis servum tuum, Domine, quia oculi mei viderunt salutare tuum. Lumen ad revelationem gentium.»

Q. IV. Quid ergo significant cerei hoc die benedici soliti? Resp. Ipsum Christum; nam aptissima est Christi cum cereo comparatio. Nam in primis æternam Christi, qua Dei Filius est, generationem modo aliquo repræsentat. Etenim D. Basilius, lib. II *contra Eunomium*, ait: « Oportet divinam de Deo generationem intelligere impassibilem, indivisibilem, sine tempore instar resplendentis a luce radii. » Itaque uti radius a luce, seu lumen a corpore luminoso producitur in aere, seu diaphano, sine omni sive lucis, sive aeris corruptione; ita Filius Dei, qui, ad Hebr. I « splendor gloriæ et figura substantiæ Dei » vocatur, gignitur a Patre absque ulla corruptionis labe. Deinde uti splendor lucis est coævus soli v. gr. et si sol ab æterno fuisset, ab æterno illuminasset; ita etiam Filius Patri coæternus est. Denique uti non minuitur lux, quando producit lumen in medio cum cereus a cereo accenditur, nihil hic deperdit, sed manet tantus, quantus erat prius quam alteri communicaretur; pariter et Filius, qui in Symbolo Nicæno lumen de lumine appellatur, ita suam totam a Patre recipit naturam, ut interim nihil ei demat. Cujus rei alterum simile affert S. Basilius; loco supra citato de artis communicatione. « Nam tota, inquit, ex docentibus in discipulos immissa, cum nihil desit docentibus, profecto adsit iis, qui didicerunt. 2. Cereus temporalem etiam Christi Nativitatem repræsentat; nam uti in cereo tria sunt, quæ candelam unam constituunt, lumen, cera, stupa seu linum; ita et in Christo tres diversæ substantiæ unam constituunt Christi personam, divinitas, caro, anima. Lumen seu ignis divinitatem notat, in Deut. IV. « Deus tuus ignis consumens est. » Quia ut elementum ignis superat omnia elementa claritate, subtilitate, levitate, activitate, situ seu altitudine; sic Deus omnia creata. Cera Christi carnem denotat; ut enim cera ab apibus ex purissimo succo, quem ex odoriferis hausere floribus, sine ulla earum contaminatione aut nota conficitur; ita caro Christi opera Spiritus S. ex purissimo Deiparæ sanguine sine illius labe coagulata est. Linum denique cera tectum animæ Christi typus est. Linum illud cum flammam concipit, ea totum ignitur, non ita cera; sic et anima Christi ex prima sui cum divinitate unione, beata et beatitudinis dotibus ornata fuit, non tamen corpus Christi, nisi post Resurrectionem.

Q. V. Cur cerei in processionibus portantur? Resp. 1. Ad protestandam fidem nostram per quam intellectus noster illuminatur. 2. In gratiarum actionem pro fidei veræ lumine tam gratiose communicato. 3. Ad confusionem Hæreticorum, ut ostendamus, nos non erubescere Christum confiteri coram hominibus, ut ipse quoque nos confiteatur coram Patre, qui in cœlis est. 4. Ut impleamus Christi monitum, Luc. XII, hortantis: « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. »

Q. VI. Cur cerei in Missa accenduntur? Resp. ob tres causas. 1. Ad fidem nostram demonstrandam, quia credimus Missam esse vere sacrificium incruentum, per quod idem Christus, qui nobis crucifixus est, Patri æterno incruento modo offertur. 2. Ad lætitiam nostram et gratitudinem, quam de sacrificio hoc in nostrum commodum instituto concipimus, demonstrandam; ad hunc enim finem ignes publicos accendi, quotidiana experientia testatur. 3. Ad amorem nostrum, quo velut igne hoc holocaustum et sacrificium offerimus, demonstrandum; ad tale enim holocaustum ignis, quo tota hostia consumebatur, necessarius erat.

Q. VII. Cur ad Baptismum cereus adhibetur? Resp. Ad significandum, quod per Baptismum fidei lumen accipiant baptizandi, et jam non filii tenebrarum, sed filii lucis effecti sint.

Q. VIII. Cur agonizantibus cereus in manus datur? Resp. Ut profiteantur, se in Catholica fide vitam finire velle, atque adeo cum prudentibus Virginibus lampadem suam oleo charitatis, et fidei lumine instructam habere, ut ad cœlestes nuptias cum Agno celebrandas intromitti queant.

Q. IX. Cur in mortuorum exequiis tam copiosa lumina adhibentur? Resp. Ut ostendatur, eos vera fide illuminatos mortem oppetiisse, nosque ex animo illis optare, ut quemadmodum Ecclesia canit in Missa pro defunctis, lucis æternæ beatitudine perfrui queant.

Q. X. Cur exortis cœli tempestatibus cereus accenditur? Resp. Ut per preces, quas Ecclesia in benedictione cereorum adhibet, diaboli et asseclarum illius furor, et nocendi cupiditas arceatur, hinc in benedictione ea-

rumdem precatur, ut quibuscumque locis accensæ, sive positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec præsumant illos amplius inquietare, aut molestare servientes Deo omnipotenti.

Quæstiunculæ de Quadragesima.

Quæritur I. Cur cineres in principio Quadragesimæ capitibus inspergantur? Resp. Triplicem ob causam. 1. Ut sicut olim Ninivitæ in cinere pœnitentiam egerunt, ita et nos pœnitentiæ tempus a cineribus inchoemus. Hinc Ecclesia in Missa feriæ Cinerum orat: Omnipotens sempiterne Deus, qui Ninivitis in cinere et cilicio pœnitentibus, indulgentiæ tuæ remedia præstitisti; concede propitius, ut sic eos imitemur habitu, quatenus veniæ prosequamur obtentu. Per Dominum. 2. Ut originis nostræ memores humiliemur, et per hanc humilitatem tum a vitiis abstereamur, tum etiam Deum facilius placemus; hinc Sacerdos capiti cineres imponens dicit: « Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » Et Ecclesia in Missa: Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissime respice; et hos cineres, quos causa proferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ capitibus nostris imponi decernimus, benedicere pro tua pietate dignare, ut qui nos cinerem esse, et ob pravitatis nostræ meritum in pulverem reversuros cognoscimus; peccatorum omnium veniam et præmia pœnitentibus repromissa misericorditer consequi mereamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. 3. Ut per benedictionem cinerum varia beneficia et gratiæ propter Ecclesiæ preces obtineantur, quæ quidem beneficii in genere indicat eadem Ecclesia, quando orat, ut quicumque hos cineres super se asperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant; in specie vero illa enarrat in sequenti oratione: Deus, qui humiliatione flecteris, et satisfactione placaris; aurem tuæ pietatis inclina precibus nostris, et capitibus servorum tuorum, horum cinerum aspersione attactis, effunde propitius gratiam tuæ benedictionis; ut eos et spiritu compunctionis repleas, et quæ juste postulaverint, efficaciter tribuas, et concessa perpetua stabilitate intactos manere decernas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Q. II. A quo institutum est Quadragesimale jejunium? Resp. In primis ab Apostolis, dein a variis Conciliis, et SS. Patribus, et ferventibus christianis, qui hanc institutionem auctoritate, encomiis, et exemplis receperunt et confirmarunt.

Q. III. Ob quas causas institutum est hoc jejunium? Resp. Ob tres præcipue 1. Ad Christi jejunantis aliqualem imitationem. 2. Ad peccatorum veniam facilius a Deo impetrandam, sicut Ninivitæ triduo jejunantes eam obtinuerunt; sed et futura peccata facilius devitanda, uti S. Bernardus, s. XXXVIII, indicavit dicens: « Bonum et salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur peccata, non solum autem ablutio est peccatorum, sed etiam extirpatio vitiorum; non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam; non solum delet peccata præterita, quæ commisimus, sed etiam repellit futura quæ committere poteramus. » Et brevius S. Chrysostomus, h. I *de jejunio*: « Jejuna, quia peccasti; jejuna, ut non pecces. » 3. Ad varias utilitates et gratias, quas jejunium offert, obtinendas; quas quidem in genere indicavit S. Leo, s. II *de jejunio*, dicens: Divinarum reverentia sanctionum inter quælibet spontaneæ observantiæ studia habet semper privilegium suum, ut sacratius sit, quod publica lege celebratur, quam quod privata institutione deperditur; exercitatio enim obedientiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio indicit, ad utilitatem cujusdam pertinet portionis; jejunium vero, quod universa Ecclesia suscipit, neminem a generali purificatione sejungit; et tunc fit potentissimus Dei populus, quando in unitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conveniunt, in castris militiæ Christianæ similis ex omni parte est præparatio, et eadem ubique munitio. In specie vero enumerat breviter Ecclesia, dum in præfatione Fer. IV. Cinerum canit: « Qui Quadragesimali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia. »

Q. IV. Quæ potissimum devotiones exercendæ sunt tempore Quadragesimæ? Resp. Tres præcipuæ, 1. Corporis castigatio; hinc jejunium præcipitur ab Ecclesia, et flagellatio a piis fidelibus peragitur, cruces portantur, aliaque similia opera suscipiuntur. 2. Orationi plus et accuratius vacandum;

hinc longiores preces ab Ecclesia in Breviario præscribuntur, Psalmus quinquagesimus cantatur, aliæque similes devotiones peraguntur. 3. Passio Christi sæpius ruminanda; hinc enim imagines passionem Christi repræsentantes ante altaria, vel in medio templi suspenduntur, et hæc aut similia verba adduntur: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Q. V. Cur Altaria in Quadragesima cortinis teguntur? Resp. Itidem ob tres causas. 1. Ut indiceretur, hoc tempus tristitiæ et condolentiæ ob passionem Christi, tunc pœnitentiæ agendæ esse; hinc etiam nuptiæ publicæ hoc tempore prohibentur. 2. Ut significetur, nos Dei et Sanctorum faciem non visuros, nisi pœnitentiam agamus. 3. Ut, sicut ante dictum, passio Christi, quæ communiter in talibus cortinis depicta est, vehementius cordi et memoriæ imprimatur.

Q. VI. Cur tempore Quadragesimæ Vesperæ ante meridiem canuntur? Resp. Quia olim hoc tempore antiqui christiani post Vesperas primum cœnabant; nunc autem, quia ob fervoris imminutionem dispensatum est, ut cœna illa sub meridiem accipi queat, Vesperæ quoque ante illam canuntur. Et ideo sicut in Dominica die ob memoriam festivæ Resurrectionis jejunium suspenditur, ita Vesperæ quoque a prandio more solito cantantur.

Q. VII. Cur Dominica *Lætare* Rosarum appellatur Dominica? Quia Pontifex præter benedictionem solemnem, qua populo benedicere solet, et quasi gratulari mediam partem Quadragesimæ feliciter transactam, etiam Rosam auream benedicit, eamque Principi cuidam de Ecclesia bene merito transmittit in signum gratitudinis ob beneficia Ecclesiæ præstita.

Q. VIII. Cur in Dominica Palmarum palmæ benedicuntur? Resp. Ob tres causas. 1. Ob memoriam Christi Jerosolymam ingredientis, et cum palmis excepti. 2. Ut fruges, quæ circa hoc tempus progerminare incipiunt, ob sacram benedictionem ipsis ab Ecclesia impertitam abundantius floreant et crescant. 3. Ut indicetur Fidelibus, neminem posse Jerosolymam cœlestem ingredi, nisi qui multiplicem de vitiis et passionibus suis victoriam obtinuerint.

Quæstiunculæ de Passione Christi in genere.

Quæritur I. Cur Christus voluit Jerosolymis pati? Resp. Ob plures causas. Prima est, quia ibi tantum immolabantur hostiæ, quæ erant figuræ passionis Domini. Præsertim agnus paschalis, qui non nisi Jerosolymis immolabatur, et comedebatur. Ibidem etiam Abraham in monte Moria paraverat immolare Filium; in quo Christi immolatio perspicue repræsentatur. Secunda, quia passio Christi in bonum totius mundi decreta erat, ergo decebat, ut in medio orbis perageretur, Jerosolyma autem in medio orbis tunc habitati sita erat, confinis Asiæ, Africæ, Europæ. Ut ergo toti mundo facilius innotesceret præcipuum fidei mysterium, passio, inquam, Christi, congruentissime facta est Jerosolymis, unde primis Asiæ, deinde per mare mediterraneum Africæ, et Europæ cito insinuari poterat. Tertia, quia voluit in passione uti summos dolores, ita summam quoque sustinere ignominiam, quæ sane ex eo mirum in modum aucta est, quod in loco celeberrimo crucifixus est. Transfigurationis suæ elegit Dominus montis recessum, locum nemini conspicuum; crucifixioni vero suæ locum patentissimum. Ita nos præclara nostra tegere, humilia nostra pangere decet.

Q. II. Cur tempore Paschali pati voluit? Resp. Ob duas causas 1. Quia eo tempore Agnus Paschalis immolabatur, qui Christi immolandi typus erat. 2. Quia eo tempore plurimi ex omni Judæorum terra confluebant Jerosolymam. Voluit autem Dominus coram tanta multitudine pati, quia uti communis erat passionis fructus, ita ignominiam suam voluit esse maximam, suamque crucifixionem plurimis conspicuam.

Q. III. Cur pati voluit Christus? Resp. 1. Ad majorem Patris sui æterni gloriam, ad quem finem omnia sua opera dirigebat, ut ipse Joannes insinuavit, dicens: « Ego non quæro gloriam (id est honorem) meam » 2. Ob gloriam propriam, juxta illud Luc. 22. « Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » 3. Ob salutem generis humani, ut indicavit Angelus Josepho, Matth. c. 1. « Et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum. »

Q. IV. Cur campanarum sonitus in Feria quinta usque ad Sabbatum suspenditur?

Resp. Per hoc indicari Apostolorum fugientium silentium, simulque incitantur fideles ad passionem Christi in silentio meditandam; campanarum vero invicem crepitacula ingratum sonum edentia adhibentur, ad tumultum Judæorum Christum capientium et crucifigentium significandum.

Q. V. Cur eadem Feria V. Altaria denudantur? Resp. Significari per eam denudationem, quod Christus sæpius tempore passionis fuerit denudatus, maxime vero in flagellatione, et crucifixione.

Q. VI. Cur Feria VI. tredecim candelæ tempore matutino accenduntur, et omnes successive extinguntur præter unam, quæ sub finem retro altare portatur? Resp. Id ideo fieri, ut significetur, omnes Apostolos Christum tempore passionis dereliquisse, excepta B. V. quæ constans perseveravit.

Quæstiunculæ de Passione Christi, in specie de Agonia et Oratione Christi in horto.

Quæritur I. Cur Christus ante egressum in montem Oliveti hymnum dixit? Resp. Ob tres causas 1. Ut demonstraret alacritatem suam et promptitudinem patiendi, adeoque se gaudere, quod hora passionis advenerit, quam magno desiderio desiderasse se dixerat. Hæc enim hora illa erat, quam ut videret, exultavit Abraham, quam totus mundus expectabat 2. Ut doceret, homini justo potius gaudendum quam lugendum esse, cum morti appropinquat. Quemadmodum enim cygnus morti cum cantu obviare dicitur; sic etiam homo candidus et bonæ conscientiæ facit; uti S. Franciscus, qui, sub illo versu Ps. 141. « Me expectant justi, donec tribuas mihi » obiit. Et Nicolaus, in illis verbis Ps. 30. « In manus tuas commendo spiritum meum. » Et S. Ludovicus, Rex Galliæ, in illis verbis : « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum; » ut in eorum officiis legitur 3. Ut doceret post mensam gratias agere; ne videlicet simus instar porcorum, qui nunquam attollunt oculos ad arborem, unde glandes eis decidunt. Bruta non possunt agere gratias, nec debent, quia non sibi, sed homini nutriuntur; at homo, quia sibi vivit, maxime obligatur.

Q. II. Cur tres discipulos secum assumpsit? Resp. Ut essent testes eorum, quæ acturus et passurus erat. Nihil enim in tenebris, vel sine arbitris facere solebat Dominus; quin potius dicebat : « Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta. 2. » Ut sic etiam discipulos suos in campum educeret, non quidem ad pugnandum cum ipso, sed ad pugnam ejus spectandam, et pugnandi rationem perdiscendam, ipsosque animandos tanquam et ipsos aliquando in arenam descensuros; « sicut aquila nimirum provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans etc. »

Q. III. Cur torrentem Cedron transivit? Resp. 1. Quia via ad montem Oliveti illuc ducebat. 2. Ut exemplo suo nos doceret, prius transeundum esse Cedron crucis et tribulationum, si ad montem Oliveti, id est, ad gloriam pervenire et in die resurrectionis capita nostra exaltare, seu læti et hilares comparere velimus. Ita enim semel statutum est, « quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. » Act. 14. Ad quod animat nos exemplum Christi, sicut exemplum Joannis, ducis Machabæorum, quando ad torrentem transeundum videret trepidare populum, ipse « primus transfretavit. » Animavit enim milites, ut ipsi post eum transirent. 1. Machab 16.

Q. IV. Cur in montem Oliveti ascendit? Resp. Ut ex eo loco inchoans passionem suam, primam et primariam ejus causam nobis demonstraret, Dei scilicet misericordiam, quæ per oleum designatur. Hinc enim est Samaritanus ille, qui misericordia motus super humanum genus gravissime vulneratum, descendit de Majestate sua, et oleum infudit vulneribus suis. 2. Ut sciremus, morti vicinos, etiamsi Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramentis muniti sint, bonamque conscientiam habeant, ita ut hymnum canere queant, nihilominus ascendere debere ad montem Oliveti, hoc est, ad Dei misericordiam potius, quam ad justitiam; tum quia omnia opera nostra valorem ex se non habent, sed ex Dei misericordia et gratia, per Christi passionem nobis impertita, et per Sacramenta applicata; tum quia incerti sumus, an opera nostra usquequaque perfecta sint.

Q. V. Cur in hortum montis Oliveti intravit? Resp. Quia locus ille erat notissimus Judæis, et eo quod Christus frequenter ibi orare consueverit.

Q. VI. Cur in hortum assumpsit tres sibi magis familiares discipulos? Resp. Ob tres causas. 1. Quia cæteris fortiores in fide et

Christi dilectione erant, minusque obnoxii scandalo, utpote qui Christi majestatem et gloriam speculati fuerant in monte Thabor; quasi eis diceret Christus : Vos de mea divinitate et gloria debitare non potestis ; ipsi enim vidistis eam in monte, et audistis vocem Patris mei, non igitur miremini, licet nunc alia forma, mœrore nimirum et afflictione circumdatus vobis appaream. Volo enim ut toti Mundo contestemini, non tantum, quis ego ex me sim, sed qualis etiam propter ipsum factus sim. Itaque magis perfectos ad majus certamen ducit, Jacobus et Joannes jam antea gloriabantur se posse bibere ejus calicem. Petrus vero dicebat : « Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.» 2. Ut essent socii laborum, qui erant, et consolationis. Magnam illis gratiæ prærogativam concesserat, dum his solis gloriam suam ostendit; sed eam hic tribulatione compensavit, dum eosdem mœstitia sua afflixit, et periculo comprehensionis ac mortis objecit. Ita nimirum solet Deus illos, quos majori extulit gratia, vicissim majori cruce onerare ac deprimere. 3. Ut sciremus Dei gratiam et favorem esse, cum ipso tristari et pati, et Deo gratias agere debere, qui ab eo occasionem accepit, strenue laborandi, et pro ipso patiendi. Hæc enim sunt semen gloriæ.

Q. VII. Cur cœpit contristari, et mœstus esse? Resp. 1. Ut se verum ostenderet hominem, passibilem, et eisdem nobiscum affectibus obnoxium; neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo, et dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem. 2. Ut disceremus, noxias saltem delicias nobis interdicere, et præterea quandoque ultroneam assumere tristitiam per novissimorum et sacratissimæ passionis Christi meditationem. « Melius esse venire ad domum luctus, quam ad domum convivii, » ait Ecclesiastes c. 7. 3. Ad consolationem infirmorum membrorum, inquit S. Bernardus, in serm. de passione Dom. « ne forte desperet aliquis, si caro infirma murmuret, ubi ad passionem promptus est spiritus. » Item ne animis concidamus, si non summum, quem deberemus, dolorem eliciamus peccatorum, confisi in dolore Christi, qui nobis per Sacramentum applicatur; quodque in confessione attritus fiat contritus.

Q. VIII. Cur oravit : « Pater mi, seu Abba Pater, si possibile est (omnia autem tibi possibilia sunt) transeat a me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat? » Resp. 1. Ut ostenderet hominibus se verum esse hominem, quasi unum ex nobis, et vere mortem metuere, ac secundum appetitum sensitivum optare, ut eam effugeret; quia tamen in decreto Dei, et cum salute nostra fieri non poterat, petere se absolute et definitive, ut Patris voluntas fiat, etc. atque ut hinc intelligeremus, quanti ipsi steterimus, et quam caro pretio ab ipso redempti simus. 2. Ut moneret, non esse malum sentire, quæ sunt hominis, et affectus humanos pati, tristari, pavere, tædere, etc. modo eos moderemur, et rationi, atque in primis Dei voluntati accommodemus, ipsum etiam rogemus, ut affectus nostros dirigat, etc. Sic enim Christus Dominus suam fregit voluntatem, seu potius velleitatem, et appetitum sensitivum, Patrisque voluntati subdidit, ut velut æger potionem amaram, a qua natura humana abhorrebat, sumeret, quia cœlestis Medicus sic præceperat, et salus corporis ejus, quod est Ecclesia, postulabat. Et hanc ob causam vocat hic passionem suam, *calicem*, quod instar amaræ potionis esset, tametsi valde salutaris. 3. Ut doceret resignationem in divinam voluntatem, cum ait : « Non sicut ego volo, sed sicut tu, » cum enim nesciamus, quid nobis expediat, opus est, ut Deo resignemus nostras necessitates, et dicamus, « Fiat voluntas tua. » Vel cum Davide : « In manibus tuis sortes meæ. »

Q. IX. Quomodo tristari potuit Christus, cum tamen gaudium beatificum possideret, omnem tristitiam excludens? Resp. ex com muni Patrum sententia, gaudium illud ab eo tempore ita suspensum et prohibitum fuisse, ut in superiore tantum animæ parte (qua ad Deum ut finem attendit) operaretur, ad interiorem vero (quæ circa media et temporalia versatur) non fluxisse. Tunc enim velut nubes aliqua obducta erat inter utramque partem, ut neutra alteram impediret, neutra alteri quidquam communicaret. Ad eum fere modum, quo cœlo obducto nubibus, inferius turbo, imber, fulgura, fulmina, tonitrua fiunt maximo nostro terrore; supra nubem vero cœlum serenissimum est, quæ tamen serenitas tunc nihil nobis solatii vel gaudii affert. Unde si quis caput supra nubem illam erigere posset, supra experiretur calorem, infra vero frigus, etc. Alia id ipsum simili-

tudine declaramus; an non aliquando evenit, ut æger quis collo intumescat, ita ut nihil prorsus refectionis ad stomachum deferre possit? Talis igitur cibum cum voluptate in os ingerit, masticat et terit; sed quia deglutire nequit, ob faucium occlusionem, stomachus interim, et reliqua membra vehentissime affliguntur, quia cibum attrahere cupiunt, nec possunt. Interim lingua et palatus gustu afficiuntur; sed quia illum cibum stomacho communicare nequeunt, inde acerbissimus dolor, et mors denique miserrima. Ita res se habuit in Christo. Unde fit, ut gaudium beatitudinis, quod in superiore animæ parte continebatur, dolorem potius et anxietatem Christo in inferiori ejus parte excitarit, quod inferior nihil gaudii e superiori parte reciperet.

Q. X. Quomodo Angelus confortavit eum? Resp. Id contigisse vel consolando eum verbis, aspectu externo, sanguinis abstersione, laudibus etc. vel proponendo illi ingentem fructum, qui ex passione ejus proventurus erat, Dei gloriam, ipsius Christi exaltationem, animarum salutem et gaudium, etc. juxta id Ps. LIX. «Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum;» vel ostendendo Patris voluntatem esse, ut calicem ebiberet, hinc ea intellecta dixit: «Surgite, eamus;» obviam scilicet turbis cum capturis.

Q. XI. Qualis fuit agonia Christi? Resp. 1. Fuisse secundum aliquos duellum quoddam voluntarium ad majorem dolorem assumptum, inter carnem et spiritum, seu appetitum sensitivum et rationem, quasi inter duos milites a Duce permissum. Caro pati refugiebat; spiritus patiendum esse contendebat; et quia uniti erant, et alter alterum in suam trahere partem nitebatur, inde hæc agonia. Velut si duo in eodem carcere, et eadem catena colligati ita colluctentur, ut alter velit fugere, alter vero manere, cum a se mutuo nequeant separari. Fugere conabatur a morte Christi caro naturali inclinatione; sed retinebat eam spiritus, eique prævalebat, et mortem subeundam denique persuasit, tametsi trepidanti et horrenti. 2. Fuisse duellum inter metum mortis et imminentium cruciatuum ex una parte; et zelum gloriæ Dei et salutis hominum, ex altera. 3. Fuisse duellum inter vitam et mortem prout canit Ecclesia: «Mors et vita duello conflixere mirando.» Solet enim in moribundis adverti ejusmodi lucta, cum mors appropinquans abripere nititur hominem e viventium numero. Tunc enim natura horret, resistit, sudat præ angustia quamvis viribus et sensibus jam defecta, et pene exanimis. Christus integris sensibus ac viribus luctatus est cum morte clarissime conspecta.

Q. XII. Quæ causæ fuerunt hujus extraordinarii sudoris, et agoniæ? Resp. Sequentes causas fuisse. 1. Repræsentatio secutorum tormentorum. 2. Apprehensio peccatorum omnium ab hominibus commissorum, et committendorum, quorum enormitatem, multitudinem, damnum ex offensione Divinæ Majestatis ponderebat. 3. Considératio exigui fructus passionis suæ in multis hominibus secuturi. 4. Consideratio dolorum et martyriorum, quos electi passuri erant amore sui, atque adeo et ipse in corde patiebatur.

Quæstiunculæ de Flagellatione Christi.

Quæritur I. Cur Christus in sua flagellatione nudari voluit? Resp. 1. Ut fœdam illam nuditatem, quam humano generi peccatum Adæ adduxit, puniret in seipso. Sic enim per peccatum nudatus est homo Dei gratia, et remansit fœdus atque abominabilis. 2. Ut doceret nos veterem hominem, qualis per peccatum factus est, exuere, et induere novum, qualis in Paradiso ante peccatum fuit. Adam vestitus a Deo fuit in signum admissi peccati, et in symbolum pœnitentiæ. Hinc quadraginta illi milites, ac martyres, apud S. Basilium, a Præfecto nudati, et in gelidum stagnum conjecti, ut ibi frigore necarentur, hac voce se animabant: «Non amictum exuimus, sed hominem veterem, concupiscentiæ deceptione corruptum. Gratias agimus tibi, Domine, quod cum isto amictu simul et peccatum exuere licet, quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum vero exuimus.» Tum singulis singulæ de cœlo alatæ per Angelos sunt coronæ.

Q. II. Cur ad columnam ligari voluit? Resp. 1. Ut absolveremur nos a vinculis peccatorum, quibus ligati eramus, velut victima ad macellum æternæ damnationis. Quemadmodum enim Samson ligari se passus est, et fortia brachia sua in funes ultro inseruit in gratiam populi sui, ut eorum paci et quieti consuleret, et malum, quod impendebat eis a Philisthæis, averteret; ita etiam Christus in gratiam omnium nostrum, ut

averteret a nobis malum illud æternum, vinciri se permisit. 2. Ut nos sibi vicissim alligaret per fidem, amorem, patientiam, obedientiam, de hoc enim prophetavit Jacob, cum Judæ benedicens ait : « Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam ; lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. » Gen. 49. Pullus est populus gentilis ad Ecclesiam opera Apostolorum adductus ; asinus Judaicus alligatus Christo (prædicanti sibi in propria persona); lavit igitur Christus ligatus corpus suum in sanguine, ut nos alligatos sibi ablueret eodem. Quis non libenter alligari velit ad hanc vitem et columnam Christum? Quis ei non obediat? Quis non libenter ferat omnia tormenta ob amorem ejus, qui tanta pro nobis pertulit? Ergo quisquis es, « injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum.» Eccl. VI.

Q. III. Cur flagellari voluit? Resp. 1. Ut nos a peccatis inposterum absterreret. In primis enim si Deus ita sæviit in Filium innocentem, quomodo non sæviet in servum impœnitentem? 2. Ut puniret peccata, quibus adhuc flagellamus eum tota die, quia *nomen meum blasphematur tota die*, inquit. Flagellatur autem blasphemiis, ut ait S. Aug. tr. X. in JOAN. III. ut illarum nobis virtutum, quas difficile addiscimus, vivum aliquod exemplum proponeret in Filio suo. Difficile addiscimus contemptus et confusionem pati. Ecce tibi Dei Filium, nudatum coram scurris et ludibriis expositum, ut scires nullam ignominiam esse ignominiam, sed honorem potius, cum pro Deo accipitur. Difficile addiscimus hominibus obedire, malis præsertim et discolis. Ecce tibi Filium Dei, qui ligari sese et ad verbera aptari passus est, pro libitu, et libidine vilissimorum servorum. Difficile addiscimus patientiam in doloribus, silentium in injuriis. Ecce tibi Magistrum hujus artificis, qui inter immania verbera tam æquo animo stetit, quasi ignoraret, quid circa se ageretur, ut dicitur Psal. XXXIV. *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi.* Nulla ibi vox, nullus gemitus, sed velut ovis coram tondentibus se obmutuit. Imo ausim dicere, hilarem potius et alacrem se ibi exhibuisse Christum. Non enim frustra dicit, Cant. V. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*, loquens de passione sua. Ut enim agricolæ, cum metunt, lætiores esse solent, quam aliis temporibus, licet multo sudore et corporis incurvatione laborent tota die, juxta id Is. IX. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Ita Christus licet ad verbera ad modum incudis incurvatus esset, et sanguinem sudaret, lætus tamen interim fuit, quia metebat tunc aromata suorum electorum.

Quæstiunculæ de Coronatione Christi.

Quæritur 1. Cur Christus coronatus est? Resp. 1. Ipsum occasionem coronationi dedisse, dum dixit, se Regem esse, sed Regnum suum non esse de hoc mundo, hoc enim ludicrum regnum esse existimantes milites, ludicrum quoque regem crearunt. 2. Cum potissima peccata in capite, ubi quinque sensus præcipue resident, committantur, voluisse Christum specialia quoque tormenta in capite sustinere, ad satisfaciendum pro illis.

Q. II. Cur purpurea chlamyde fuit indutus? Resp. 1. Ut magis confirmarent, eum ludicrum esse regem, dum ludicra purpura, quæ alioqui regiæ dignitatis est indicium, eum induerunt. 2. Ut satisfaceret pro peccatis, quæ multipliciter per superbiam vestium committi solent; ut enim tales sibi per vestes superbas auctoritatem et honorem conciliare cupiunt; ita Christus ex opposito per istam vestem irrisionem et contemptum pati voluit, ut contraria contrariis curarentur.

Q. III. Cur sceptrum arundineum ei oblatum est? Resp. 1. Id ad complendam ludicram coronationem factum, tum ut ostenderent, Christum vilissimum hominem esse, qui perinde ut arundo maris, et omnibus bonis destitutus esset. 2. Id ipsum etiam ad peccata, quæ per Reges hujus mundi sceptra male gerentes committuntur, pati voluisse Christum ; cum enim potentes potenter tormenta sint passuri, gravia quoque peccata ab iis commissa fuisse necesse est.

Q. IV. Cur sputis conspui voluit Christus? Resp. 1. Ad summam ignominiam, quæ ei obvenire poterat, tolerandam. Quæ enim major ignominia excogitari poterat, quam quod sit facies, in quam desiderant Angeli prospicere, sputis turpissime dehonestata? 2. Ad satisfaciendum pro peccatis, quæ plurima in faciebus adscititio decore ornandis perpetrantur, uti et pro illis peccatis, quæ turpiloquio et sacrilego ore committi solent, quæ magis Christum dehonestabant, quam

si omnia totius mundi sputa in faciem ejus fuissent conjecta.

Quæstiunculæ de Crucis Bajulatione.

Quæritur I. Cur Christum ante bajulationem crucis iterum propriis vestibus induerunt milites? Resp. 1. Ut magis agnosceretur, in veste propria, quam aliena. Studebant enim famam ejus modis omnibus conspurcare, et nomen exosum reddere. Erat autem facies Domini adeo deformata sputis, alapis, sanguine, ut in aliena veste vix agnosci posset. 2. Ut impleretur id, quod scriptum est de ejus tunica inconsutili: « Super vestem meam miserunt sortem. » Denique ut doceret, unumquemque in suis virtutum vestibus ad mortem esse iturum, non in alienis; tametsi forte in hoc mundi theatro alias gestarit: « Nihil intulimus in mundum, nihil efferemus. » Sola opera vere nostra sunt, et hæc sola nos sequentur.

Q. II. Cur crucem suam portare Christus voluit? Resp. Ob tres causas. 1. Quia lignum crucis adeo probrosum et maledictum erat, ut nemo honestus id vellet tangere, ideo crucifigendis ipsis gestandum erat. 2. Quia bonus Dominus noluit quemquam fatigari aut vexari propter se; juxta id Is. LXIII. « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. » Quod vero postea translata est crux in Simeonem, militum libidine factum est. Christus id non petiit. « Volens crucem sibi ipsi ferebat; neque enim necessitate compulsus accessit ad mortem. Quia decebat, ut ait S. Athanasius, victorem triumphantem de diabolo, non alteri concedere, sed sibi suum trophæum gestare. Vel ut Euthymius: Gerebat crucem tanquam strenuus miles lanceam, qua dejecturus erat adversarium.

Q. III. Cur duo latrones cum Christo educti sunt? Resp. 1. Ut latronum consortio Christus magis infamaretur, quasi socius vel similis eorum; quod recte expressit Lucas, cum eos vocat, alios duos nequam, mentem et intentionem Judæorum exprimens, qui ut Christum nequam facerent, adjunxerunt illi alios duos nequam. Vide hic quam vere scripserit Is. c. LIII: « Et cum iniquis reputatus est 2. Propter mysterium significationis, ait B. Bonaventura, in c. XXIII. Luc. Nam per duos latrones secundum allegoriam intelliguntur duo populi, inter quos, et pro quibus passus est Christus; unus scilicet Judæorum, et alter gentium, qui recte latrones dicuntur, quia utrique Deo per superbiam in Adam voluerunt præripere dignitatem propriam. Sed populus Judaicus tanquam latro sinister adhuc blasphemat; Gentilis autem confitetur et orat. »

Q. IV. Cur Simon Cyrenæus in cruce portanda adjutor Christo datus est? Resp. 1. Quia milites metuebant, ne Christus in via deficeret, utpote fractus viribus, adeoque crucem effugeret; aut si moram traherent, revocaretur forte sententia a Pilato. 2. Ut Dominus indicaret: « Se non suam, sed hominum mortem obire, » ut ait S. Athanas. 3. Ut sciremus, nobis etiam post Christum gestandam esse crucem; nec satis esse, quod Christus pro nobis eam tulerit, sed oportere, ut eamdem cum Simone saltem levemus a terra nonnihil; quo videlicet passionem Domini per opera pœnitentiæ nobis applicemus. Ad hanc gestandam crucem Christus sæpius nos invitavit. Licet autem caro reclamet, ad hoc tamen angarianda et cogenda est.

Q. V. Cur Christus mulieres flere prohibuerit, dicens: « Nolite flere super me? » Resp. 1. Ut eas instrueret, mortem suam non ita esse flendam, sicut mortem hominis vulgaris, qui mortem evitare nequeat; nec sicut extremam calamitatem, qualem Christo inferre Judæi sperabant et studebant. Mors enim Christo erat voluntaria, deinde momentanea seu triduana solum, denique toti humano generi utilissima et Christo ipsi gloriosa. 2. Ut eas a suæ mortis deploratione abducat in deplorationem majoris calamitatis multo magis deplorandæ, quæ Jerosolymitanis immineret in excidio urbis, et omnibus denique reprobis in excidio orbis.

Quæstiunculæ de Crucifixione Christi.

Quæritur I. Cur Christus in monte Calvariæ crucifixus est? Resp. Quia juxta multorum Patrum opinionem Adam primus parens ibi sepultus est; mori ergo ibidem voluit Christus, « ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur; et in illo loco, qui dicitur Calvariæ locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus est et resurrexit; » ait Orig. tr. XXXV in MATTH.

et S. AMBR. in LUC. « Congruebat, inquit, ut ibi vitæ nostræ primordia locarentur, ubi fuerunt mortis exordia. » 2. Mystice et prophetice secundum CYRILL. CATECH. XIII. quod ibi caput totius generis humani Christus erat passurus.

Q. II. Cur vinum myrrhatum, cum gustasset, noluit bibere? Resp. 1. Ne videretur voluisse consopire sensus suos, quo minus acerbitatem sentiret dolorum, pati voluit Christus in illa hora tenebrarum, non relevari. Vinum autem illud, tametsi ex una parte amaritudinem præbebat, propter fel et myrrham, ex alia tamen doloris sensum poterat minuere, si exhaustum fuisset. 3. Ut sitis suæ ardorem in crucem reservaret, ubi omni dolorum genere mederi voluit omnibus nostris vitiorum morbis et sensibus depravatis; visui, cum aspicere voluit afflictam Matrem, et milites ludentes pro veste sua; auditui, cum audire probra, cachinnos, blasphemias; gustui, cum sitire, et potari felle; odoratui, cum fætore loci vexari; tactui, cum affixus cruci pendere. 3. Mystice, secundum Hieronymum, ut significaret, se mortem quidem gustaturum, sed in ea non permansurum. Quod et nobis sua morte eruit, ut mortem tantum gustaremus, id est, temporariam tantum subiremus, non vero ebiberemus, id est, æternam non subiremus, ubi peccatores bibunt fœcem furoris Domini, et fex eorum non exinanitur.

Q. III. Cur Christus in cruce mori debuit? Resp. 1. Ut pœna responderet delicto, medicina morbo. *Ut unde mors oriebatur*, canit Ecclesia, *inde vita resurgeret; et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Primus Adam perdidit nos, cum ad lignum vetitum extendit manum suam. Secundus Adam redemit nos, cum ad lignum execrabile extendit manus suas. Inobedientia in ligno perdidit, obedientia in ligno reparavit nos; et quia homo in ligno obedivit circa rem facilem, ideo nunc in eodem obedire debuit circa rem difficilem. 2. Ut hoc acerbissimo supplicio satisfieret divinæ Justitiæ, et ex hoc appareret ejus rigor, et enormitas peccati. Quia enim peccata hominum commeruerant gehennam, cui nulla æquiparari supplicia possunt, idcirco gravissimum supplicium Christo fuit decretum, quale erat crux, sive ignominiam spectes, sive cruciatum. Ignominiam ejus maximam colligimus ex eo, quod in ea pendens omnium pateret, oculis, essetque omnium probrum, quod integris sensibus continuo sentiebat, quamdiu vivebat. Unde mors turpissima et lignum maledictum vocatur in SS. Litteris, nec aliter habebatur a gentilibus. Cruciatum vero ex manuum et pedum transfixione, quorum nervi continuo distrahebantur a penduli corporis gravitate; deinde quia diuturnus erat, et sæpe in aliquot dies poterat durare. Unde S. AUG. tract. XXXVI in *Joan.* ait: « Elegit extremum et pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem; de morte pessima occidit omnem mortem. » 3. Ut hac ratione mors Christi omnibus innotesceret, veluti certa et indubitata (propter futuram ejus resurrectionem) ac pro salute totius mundi suscepta. Unde LACTANTIUS, l. IV *Instit.* c. XXVI, ait: « Extendit in passione manus suas, orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet ab ortu solis usque ad occasum, populum ex omnibus linguis et tribubus congregatum sub alas esse venturum. » Et S. ATHANAS. l. *de Incar.* « Par, inquit, erat, ut Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque ejus extenderentur, ut hac quidem veterem populum, illac vero Gentiles attraheret et ambos in se conjungeret. Id enim ipse dixit, indicans, qua morte omnes redempturus esset: Cum exaltatus fuero, inquit, omnes ad me traham. » Ad hæc, sicuti crux quatuor habet cornua in quatuor angulos divisa; ita significabat Christum a quatuor mundi partibus tracturum ad se homines per suam passionem. De qua re scripsit HABAC. c. III. dicens: « Splendor ejus, ut lux erit. Cornua in manibus ejus; ibi abscondita est fortitudo ejus. » Cornua crucis intellige cum S. AUG. l. XVIII *de Civit.* c. XXXII, et aliis. 4. Ut perfectum nobis virtutum exemplar exhiberet, earum præsertim a quibus caro et mundus maxime abhorrebant, quales sunt hæ quatuor: Paupertas, Humilitas, Patientia, Obedientia. Etenim noxia cupiditas divitiarum, honorum, voluptatum, dominationis et libertatis, tam altas in animis hominum radices egerat, ut nisi Deus in se ipso hæc omnia, quæ mundus tam avide quærebat, damnaret, impossibile foret extirpare. Quare crucem ascendit Christus, quasi excelsam cathedram, ut in ea nos doceret paupertatem in primis, quia nudus ibi stetit, nec habuit, quod habent volucres et vulpes, ubi reclinaret caput. Secundo humilitatem, quia instar malefactoris in medio latronum, loco supplicii publico et infami, in ligno execrando et maledicto. Tertio pa-

tientiam, quia cum summis doloribus pependit tribus horis, cum maxima patientia et silentio. « Cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, etc. » I. PETR. II. Quarto obedientiam, quia in eo fuit obediens Patri usque ad mortem, licet ei æqualis esset. Nemo ergo inposterum horreat paupertatem, nemo probra et contumelias, nemo mortem, et quodcumque mortis genus, nemo fugiat obedientiam; quia si hæc mala essent, imo si non salutaria et pretiosa essent, Dei Filius non assumpsisset.

Q. IV. Cur feria sexta mori voluit? Resp. 1. Quia illa die, sexta scilicet mundi, creatus fuit homo ; ergo in eadem convenienter recreatus est, quamvis magno discrimine, nam creatus est sine labore, redemptum vero maximo labore. 2. Quia ea die de communi Patrum sententia Adam, et peccavit, et a Paradiso ejectus est; ergo bene eadem die est reparatus, et in Paradisum reductus, quod primo factum in latrone. Merito igitur Christiani hunc diem in honore habent et abstinentia sanctificant, quia in eo creati et recreati, lapsi et reparati, e Paradiso ejecti et in eum reducti sunt; in eo mors inventa et rursum eliminata fuit ; in eo Scripturæ impletæ, Infernus spoliatus, et Paradisus est apertus.

Q. V. Cur in die solemni Paschatis mori voluit? Resp. 1. Quia Christus erat Agnus immolandus pro toto mundo, qui per eum liberandus erat de servitute Pharaonis, id est diaboli, et ab Angelo percutiente. 2. Ut magis innotesceret ejus mors, quia tunc innumerus populus ex omnibus regionibus confluxerat. 3. Quia Christus toti moriens illuxit orbi, ideo conveniebat, ut, luna 14, in semiplenilunio moreretur. 4. In die primo Azymorum mortuus est, ut « jam non epulemur in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis, » ut ait Apostolus, I. CORINTH. V. q. d. quia Pascha nostrum immolatus est Christus.

Q. VI. Cur titulus, Jesus Nazarenus Rex Judæorum, appensus est? Resp. 1. Ex mente Pilati, ut causam mortis explicaret, quæ ferebatur Regni Judaici affectatio. Vel secundum Chrysostomum, ut Christum excusaret, et Judæos accusaret, ac confunderet, ut qui Regem suum crucifixerint; invitus enim Christum condemnavit. Unde admodum probabile est, ad ultionem de Judæis sumendam eum sic scripsisse. 2. Ex mente et dispensatione divina, ut hinc Christi innocentia patefieret : (Nihil enim criminis continet hic titulus) imo ut vera causa mortis Christi indicaretur, quia scilicet erat Jesus, et Salvator mundi, pro aliorum sceleribus satisfacturus ; et quia Nazarenus, id est, flos seu floridus virtutum, quas impuri et fœtidi Judæi ferre et olfacere non poterant, odore fragrantissimus; et quia Rex erat, ad prælium ante nos exiturus, et pro nobis hosti sese objecturus. Itaque docet Christus, id esse et facto præstare, quod præsefert cujusque titulus, quemadmodum et ipse titulum Salvatoris et Regis nequaquam frustra gessit. Plerique ambiunt titulos, et volunt vocari Rabbi, Domini, Gratiosi, Clementissimi, Reverendissimi. etc. Sed tales an sint, non curant. Nos omnes titulum Christianitatis gerimus, et sæpe christiane parum vivimus : « Nomen habes, quod vivas et mortuus es, » scribit Joannes ad Episcopum Sardicensem Apoc. 3. Unde Salvianus, l. IV. *de Provid.* ait : « Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua, » Prov. XI. « Et in nobis itaque Christianum vocabulum quasi aureum decus est, quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur. » Sic ille, et S. Hieronymus ad Paulinum ait : « Esse Christianum grande est, non videri. »

Q. VII. Cur Christus tunicam inconsutilem portavit? Resp. 1. Ob amorem Patris sui cœlestis; significat ergo hæc vestis utramque Christi naturam, divinam et humanam. Divinam, quia ea ab æterno mirabili et inscrutabili opificio communicata et inducta est Filio a Patre ; et quia ea in passione indivisa et illæsa, imo indivisibilis et illædibilis fuit. Humanam, quia etiam mirabili Spiritus Sancti artificio desuper contexta fuit per totum in utero B. Virginis e puris et solis filis purissimi sanguinis virginei, nulla humana adhibita manu, vel sutura alterius adminiculi. Hanc tunicam solus induit Filius, adjuvante tamen se Patre et Spiritu Sancto, et quasi ex utraque parte manicas tenente, ut docet S. Bonaventura in medit. vitæ Christi : Ita ut opus Incarnationis operata sit tota Trinitas, solus tamen Filius incarnatus sit, et tunicam hanc induerit. 2. Ob amorem sanctissimæ Matris suæ. Nam ut scribit Euthymius, in c. VI. MATTH. ex traditione Patrum ea fertur tunica opus fuisse Dei Matris. Adduntque alii, Beatissimam Virginem Christo parvulo existente illam texuisse, et eo crescente tunicam quoque

crevisse. Nec id improbabile videtur; siquidem et vestes Hebræorum peregrinantium in deserto per annos quadraginta non sunt attritæ, imo et videntur cum crescentibus crevisse. Unde enim illis vestes aliæ in deserto? ut notat Cornel. a Lapid. in Deut. VIII. 3. Ob amorem sponsæ suæ Ecclesiæ; nam et hanc, ut diximus, designabat vestis illa, quia uti vestis ornat hominem, ita Ecclesia Christum. Vestis hæc contexta e filis, id est Christianis innumerabilibus per charitatem et fidei unitatem sibi mutuo innexis, ita ut dissolvi, nisi grandi peccato, deleri vero prorsus nequeat. Ac sicut vestis interula, et Christi corpori conjunctissima semper adhæsit; ita, et Ecclesia per amorem semper ei intima fuit. Hæreses (uti Lutherana, et Calviniana in Imperio) assuturæ tantum sunt, quæ ad illam tunicam non pertinent, ideo resecari possunt, ac debent.

Q. VIII. Cur in medio latronum crucifixus est? Resp. 1. Ex mente Judæorum, ut latronum princeps et antesignanus haberetur; hunc locum tribuit mundus suo Benefactori et Patri patriæ. 2. Ex mente Spiritus Sancti, quia crux Christi omnium Martyrum cruces superat, ideo tanquam Reginæ medius ei locus debebatur. « Nam passio Domini æmulos habet, pares non habet, » inquit S. AMBR. in LUC. l. X, c. XXIX. Nemo enim tantæ dignitatis homo, nemo tanto amore et fortitudine, nemo pro tali causa, nemo in tanta innocentia unquam passus est vel patietur. Patiuntur alii pro mundo, ut latro malus; alii pro Deo, ut latro bonus; Christus Deus passus est pro hominibus. 3. Quia ipsi ut mediatori medius locus debebatur; nam ibi proprie est lapis angularis, jungens duos parietes, id est, populum Hebræum et Gentilem, et faciens utraque unum. 4. Quia ibi cernebatur ut Judex, futuri Judicii specimen aliquod exhibens, dum latronem pœnitentem assumit ad Prædisum; alterum vero insultantem, et impœnitentem relinquit; illum habens a dextra, hunc vero a sinistra. Unde Augustinus, tr. *in* XXXI. JOAN. ait: « Ipsa crux tribunal fuit. In medio enim Judice constituto, unus latro, qui credidit, liberatus; alius, qui insultavit, damnatus est. Jam significabat quid facturus est de vivis et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram etc. »

Q. IX. Quomodo cruce derelictus sit Christus a Patre? Resp. Quatenus Pater unionem protectionis sustulit, de qua Christus, Joan. VI, dixerat: « Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum. Et hæc sola ad breve tempus rupta est Christo patiente, dum potestati tortorum et inimicorum relictus est, non tantum a Patre, sed a seipso etiam, et dum ei subtracta est omnis consolatio, quæ alioquin a superiori parte animæ derivabatur in partem inferiorem.

Q. X. Cur eum tali modo dereliquit Pater? Resp. Quia cum necessaria fuerit Christi oblatio, etiam derelictio necessaria fuit. Quare ut pater non audit filium male affectum, quia a chirurgis scinditur et uritur, clamantem et opem ejus invocantem; quia videlicet novit hanc ipsi medelam esse necessariam; sic Deus Pater non audivit Filium, sed dereliquit eum in tormentis, quemadmodum et ipse Christus, ut Deus, seipsum, ut hominem dereliquit, ut sic sanitas toti ejus corpori mystico conferretur. 2. Quia nos dereliqueramus Deum, et ab eo recesseramus velut oves errantes, ideo Deus Pater reliquit Christum in cruce, et quæsivit oves, quæ perierant. Audi Moysen de populo suo loquentem, Deut. 32. « Dereliquit Deum factorem suum, recessit a Deo salutari suo. » Debuit ergo Christus nostram luere rebellionem et fugam, quod libentissime fecit, ut videlicet Deus Pater ipso derelicto in cruce, ad nos accurreret, nosque a gehenna liberaret; sicut cum mater aliqua assidens ægroto filio, et interim audiens duos alios cecidisse in flumen, deserit ægrum et succurit illis, qui in aquis periclitantur; torquebatur in lecto crucis Dominus, sed nos ad infernum abripiebamur; nobis igitur succurit Deus, tanquam gravius periclitantibus, et Filium dereliquit naturalem in cruce patientem.

Q. XI. Quæ fuerit illa sitis, quam Christus in cruce pati se dicebat? Resp. 1. Sitim corporalem significat, quia per tot horas vehementer fatigatus, et sanguine exhaustus revera sitiebat, et vehentissime sitiebat. Solet enim magnam corporis fatigationem, et multam sanguinis effusionem naturaliter sequi sitis, quæ maximum affert tormentum. 2. Significat sitim adimplendi voluntatem Patris, et Scripturam, in qua illa continebatur, adeoque perficiendi opus redemptionis. Hoc indicat Joannes cum ait: « Ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. » Quia enim videbat Christus omnia, quæ passurus erat, ab æterno præordinata et decreta Deo, eaque in Scripturis prædicta; idcirco vehe-

menter æstuabat implere omnia ad unguem, ita ut nec apex præteriretur, aut iota unum. Cum ergo etiam sitim et aceti potionem sibi decretam in Scripturis expressam, solamque sibi superesse exsolvendam sciret, idcirco dixit : *Sitio*, Dei scilicet voluntatem magis quam potum. Sciebat enim Dominus parum sibi profuturum, quem porrecturi erant, potum, nihilque necessarium ; plurimum autem referre ut Scriptura impleatur. 3. Significat sitim plura patiendi, si necesse foret, et ita videretur cœlesti Patri ; cum enim potus homini exhausto prolonget vitam et acetum sistat sanguinem, ut vult Cardin. Baronius; item cum Dominus præcnosset, se hoc verbo non quæsiturum sibi refrigerium, sed novum cruciatum acerbæ potionis, juxta Prophet. Ps. LXVIII. « In siti mea potaverunt me aceto » an non hoc ipso insinuavit, quam libenter plurima pati vellet, qui sciens volens petiit novi doloris materiam? 4. Significat sitim animarum et Gentium conversionem. Cupiebat enim Dominus omnes populos, postquam eos ad sufficientiam jam redemisset, et omnia consummasset, redemptos etiam quoad efficaciam, seu cupiebat eos sibi unire per amorem, quo modo potus unitur corpori et visceribus. In quem sensum dixit Apostolus ad Philipp. I. *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.* Hanc sitim explicavit Samaritanæ, cum petiit ab ea bibere, non sane aquam corporalem, sed ipsius animam.

Q. XII. Quid per verba : « Consummatum est, » voluit Christus significare? Resp. 1. Voluisse significare Patri, consummatum esse opus Redemptionis, quod ipsi commissum est, et a Patre suscepit perficiendum. Hoc enim est, quod anticipando dixit Dominus post ultimam cœnam, mox iturus ad passionem, JOAN. XVII. ad Patrem : « Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. » Atque ita adimplevit voluntatem Patris, et Scripturas, in quibus ea consignata erat, omnes usque ad apicem. 2. Consummatum esse baptisma suum, quo debuit baptizari, de quo prius dixerat : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur? » Græce, *quomodo contineor?* q. d. baptismo sanguinis habeo baptizari, et quomodo desidero, ut perficiatur? Quomodo non propero, et ad mortem meam curro? Spes, quæ differtur, affligit animam. 3. Consummatum esse matrimonium inter se et Ecclesiam, et quasi diceret : Nunc scitote Sponsam meam factam esse Reginam, et uxorem meam. Volo itaque, ut inposterum eam honoretis, ejusque filios veluti fratres, et concives vestros. 4. Consummatum esse testamentum vetus, et adimpletum ; completæ enim sunt umbræ et figuræ, sacrificia, cæremoniæ vestræ legis, nova facta sunt omnia, quia umbris et figuris successit ipsa res. Unde Apostolus, ad Roman. X. dixit, finem legis esse Christum. Nunc innocens Abel a fratre occisus ; nunc Arca Noe contra diluvium fabricata et perfecta ; nunc arcus cœlestis positus est in nubibus in signum fœderis ; nunc Isaac super lignum a Patre immolatus ; nunc Josephus a fratribus venditus, et cum sceleratis reputatus est ; nunc immolatus agnus Paschalis ; nunc serpens æneus exaltatus ; nunc vaca rufa extra civitatem cremata, et immolata ; nunc Samson amplexus crucis columnas, aereas potestates contrivit ; nunc David Goliam prostravit, vulnerum suorum lapidibus, et decollavit gladio crucis. Et reliqua omnia, quæ Christum præfigurabant. 5. Consummatum esse imperium et tyrannidem Luciferi, quam hactenus exercuit in humanum genus. « Numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud, » uti quondam Balthasaris, DAN. V. « Consummatus est miser, » inquit ISAIAS c. XVI. « Defecit, qui conculcabat terram, » sed quo jure? Quia consummatum est et pretium redemptionis, numerata est pecunia, et summa tota impleta ad redimendos a tyrannide dæmonis homines requisita. 6. Consummatum esse ædificium arcæ cœlestis, in quod Patres e limbo, aliique Sancti secuturi suscipiantur. 7. Consummatum esse convivium paratum omnibus intra sinum Ecclesiæ versantibus, id est, omnia necessaria ad salutem præparata, quæ si adhibere nolint, dicetur illis : « Perditio tua ex te, Israel, a me tantummodo auxilium tuum. »

Q. XIII. Cur clamore magno emisit spiritum? Resp. 1. Id factum esse, ut testetur dolorem ex mortis aculeo sibi inflictum, omnium acerbissimum, maxime quia per vim et violentiam inferebatur ei mors. Optimi semper sodales erant anima et corpus Christi, in nulla unquam re dissentientes ; ideo non mirum, si ægre separabantur. 2. Ut testaretur amorem suum, et indefessum laborem usque ad ultimum spiritum quærendi animas nostras, et congregandi sub alas suas, quemadmodum galina rauca voce congre-

gat pullos suos sub alas; vel quemadmodum ovis suo balatu vocat ad se agnum foris exerrantem. Hoc enim clamore testatur, se pro filiis suis mori, monens, uti ne fraudemus eum fructu mortis suæ sperato. 3. Ut ostenderet potentiam suam, qua si vellet uti, etiam morti proximus facile posset mortem effugere, et hostes suos sternere. Ostendit autem potentiam hanc plusquam humanam, primo in eo, quod extremo spiritu tam magnam emisit vocem, siquidem homines morti vicini nequeunt clamare ob virium defectum naturalem. Non potuit deesse Christo etiam hic defectus, quia non repente, sed paulatim enectus, et tarde mori compulsus est; et tamen clamans expirat, ut nemo non adverteret, clamorem hunc miraculo tribuendum, et a Deo ipso profectum esse, qui ab homine non posset.

Q. XIV. Cur capite inclinato emisit spiritum? Resp. 1. « Ut obedientiam præstaret Patri æterno postremam, qui, juxta id (Philipp. II,) factus est obediens ad mortem. » Videtur hoc gestu respondisse, quod aliquando dixerat in spiritu, tacite respondens voluntati Patris, qui eum morti destinarat pro salute nostra : Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te, ut videlicet moriar. Et quod Ps. XXXIX dicitur : « Holocaustum et pro peccato non postulasti, (q. d. noluisti admittere sacrificia veteris testamenti pro expiatione peccatorum) tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui.» 2. Ut ostenderet, se valedicere amicis suis. Valedicere in primis Matri, quæ in utero eum gestarit, uberibus lactarit, sollicite educarit, ardentissime semper amarit, et ad extremum denique halitum fortissime comitata sit. Valedicere discipulis, qui cum prompte secuti, sollicite auscultarint, coram aliis confessi sint, cum eo denique in tribulationibus permanserint. Valedicere novercæ suæ Synagogæ, quæ dederit ei pro pane maledicta, opprobria; pro vino fel et acetum; pro corona spinas; pro sceptro arundinem; pro purpura clamydem coccineam; pro osculo verbera, et alapas; pro lecto denique crucem. Valedicere toti mundo, qui ei in domo sua non concesserit hospitium, qui factorem suum tam misere tractarit, miserius exturbavit. O durum vale! Cœlum luget, petræ disrumpuntur, velum scinditur, monumenta aperiuntur in ultionem ingratorum; solus non promovetur homo! 3. Ut indicaret mortem se lubenti subire animo, adeoque non necessitate, sed voluntati mori. Ita Cyrill., l. XII, c. LXXVI. Chrysost. hom. LXXXIV. Aug. tr. CIX. Theophil. et alii. Qui significant homines cæteros prius mori, postea inclinare caput, quia necessitate moriuntur; Christum prius inclinasse caput, postea mortuum esse, quia voluntate sit mortuus. S. Augustinus, l. c. ait : Christum deposuisse vitam, veluti cum quis deponit vestem, quam suo arbitrio, et deponere potest, et accipere. Sic enim dixit ipsemet Dominus : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. » 4. Ut paupertatem suam extremam nobis recommendaret. Dixerat de se Christus, Luc. IX. «Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.» Cum ingrederetur mundum, foveam non reperit, quia non erat ei locus in diversorio, ideo reclinatus in præsepio, bestiarum hospitio usus est. Cum jam in aere pendulus e mundo vult excedere, jam nec nidum in arbore crucis reperit, ubi requiescere; ideo inclinat caput, et in aere pendulum relinquit! 5. Ut petitionibus nostris annueret; nam, ut advertit Euthymius, in Ps. XVI. inclinatur auris, cum inclinato capite alicui exilis vocis condescendimus; ut solet medicus ægro, procerus humili. Quod igitur antea obtinere a Deo non poterat, hoc a Christo in cruce obtentum est, cum inclinato capite aurem quoque suam petitionibus nostris inclinavit; neque ad id solum, ut audiret, verum etiam, ut in causam nostram propenderet, atque adeo assentiretur nobis; propterea non aures, sed aurem inclinavit, dum ad dextrum latus (ut picturæ crucifixi inuunt; et veresimilius, ait Barradius, ad cap. XIX. Joan.) caput inclinavit.

Q. XV. Cur sol in morte Christi obscuratus est? Resp. 1. Ut ignominiam Christi in cruce denudati sol modo aliquo tegeret, adeoque temperaret. 2. Ut ostenderet occidere tunc verum Solem, qui creavit solem, et lunam, omniaque elementa; obscurari etiam omnes ejus excellentias, gloriam, potentiam, sapientiam, vitam, famam. 3. Ut justa funebria Creatori suo sol persolveret. Ut enim moriente patrefamilias tota domus pullis vestitur, in signum luctus; ita mundus iste tenebris vestitutus est, cum Dominus ejus mortem jam jam oppetiturus erat. Condolent ergo Christo creaturæ irrationales, ut confundant nos, ei si non condoleamus, qui

causam morti ejus dedimus. 4. Ut detestationem sceleris Judæorum indicaret, quasi indigni essent, quos aspicere Sol deberet, et digni, quibus subduceretur verus sol Christus, ejus Evangelii lumen, ut in posterum in tenebris cæcitatis et ignorantiæ permanerent. Dicebant Judæi : « Tolle, tolle hunc ! » quasi dicerent id Sap. II. « Gravis est nobis etiam ad videndum. » Itaque, et sol noluit eos aspicere, et sic quodammodo clamavit : « Tolle, tolle istos, » et disperge in nationes.

Q. XVI. Cur velum templi scissum est? Resp. 1. In detestationem sacrilegii, quod commiserunt in Deum Judæi. Si enim summus Sacerdos Caiphas, cum audivit a Christo ipsum esse Filium Dei, quasi hoc blasphemia esset, scidit vestimenta sua, in signum doloris; decuit, ut Deus etiam hujusmodi signum daret in detestationem sceleris Judæorum. 2. Ad indicandum, reserata nunc esse mysteria veteris legis, nec non Sancta Sanctorum, id est, gloriam cœlestem patere Beatis. Tunc enim SS. Patres cœperunt gloriam Dei cernere; et deinceps omnibus patuit cœli janua. 3. Ut ostenderet scissionem et abolitionem legis Judaicæ, et transmigrationem Dei a Synagoga ad Ecclesiam. Ad idem indicandum scribit S. Ephrem, serm. de passione Domini, tunc temporis columbam e templo evolasse, ut indicaretur migrasse a templo Spiritum Sanctum, ejusque gratiam. « Sicut enim gloria domus est, ait S. Chrysostomus, hom. 2. de cruce et latrone, ubi velum pendet habitante intrinsecus Domino domus; sic ignominia templi est, unde recessit Spiritus Sanctus. » Nimirum tunc impleri cœptum id Domini : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. »

Q. XVII. Cur terra mota est? Resp. 1. In detestationem sceleris Judæorum, quasi terra contra eos rugiens os suum aperire vellet, ad eos devorandos; quod utique contigisset, nisi pro illis in cruce Christus orasset, et terram cohibuisset. Tantum ergo id scelus erat, ut illud sustinere terra non vellet. 2. Ad honorem et majestatem Christi e mundo egredientis, et limbum ingredientis; solent enim cives ad introitum magnorum Principum bombardas explodere. 3. Ut doceret tremere peccatores. Tremit enim terra, quod innocens Christus tam severe plectatur ob peccata aliena. Quomodo non tremat peccator, plectendus ob sua propria? Sane tremor ille Dei iram ingratis imminentem innuit.

Q. XVIII. Cur petræ scissæ sunt? Resp. 1. Arguebant Judæorum corda saxis duriora; siquidem his Creatori suo compatientibus, illi non sunt compassi. Unde exclamat S. Ambrosius, l. XXII. in Luc. « O duriora saxis pectora Judæorum! Finduntur petræ, sed horum corda durantur; horum immobilis duritia manet orbe concusso. » 2. Prænuntiabat findenda per passionem Christi saxea plurimorum pectora, et scindenda per pœnitentiam.

Q. XIX. Cur reseratio sepulchrorum, et resurrectio mortuorum contigit? Resp. Ut indicetur, per mortem Christi spoliandam esse mortem, et vitam nobis immortalem donandam. Quemadmodum Dominus in suscitatione Lazari clamans : Lazare, veni foras! mortuum e sepulchro extraxit; ita in cruce cum clamore emittens spiritum sepulchra aperuit, et mortuos evacuavit.

Q. XX. Cur vulnus lateris suscepit Christus? Resp. 1. Quia cum homines delinquere soleant omnibus suis membris, maxime vero corde, quod est fons peccatorum (de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, ait Dominus, Matth. 15.) voluit etiam Christus pati in omnibus membris, e quibus solum cor supererat, quod proinde lancea transfixum est, uti et ipsum a veneno peccatorum in nobis expurgaretur. 2. Ut hoc vulnere amorem erga nos suum testaretur, tum quia cor, quod jam olim saucium erat amoris vulnere, nunc iterum sauciari voluit lancea, juxta id Cant. 4. « Vulnerasti cor meum, soror mea, vulnerasti cor meum! » (ex secundo hoc vulnere lanceæ primum illud demonstrans amoris. « Quis enim cor suum ferro vulnerari permitteret, nisi prius amoris illius vulnus accepisset? inquit S. Bernardus, serm. 2 de pas.) ubi vides Christum vere pelicano similem factum, quia de pectore suo elicuit sanguinem, ut vivificaret pullos suos, peccati veno enectos; tum quia etiam sanguinem illum, qui adhuc residuus erat in corde, velut in thesauro repositus pro nobis, aperto latere fudit, ut intelligeremus, nihil ei tam charum fuisse, quod non libenter pro nobis expenderet, imo si opus foret, paratum se iterum pati etiam post mortem. 3. Ut asylum vitæ nobis panderet. Unde S. Aug. ser. 120. in Joan. scribit : « Vigilantis verbo Evangelista

usus est, ut non diceret : Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud ; sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. » Hæc Aug. qui ibidem ait : « Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura. » Quoties ergo tentatio exurgit, vel tribulatio nos premit, ad hoc asylum fugiamus, ibique habitemus, donec transeat tempestas. Sic monet Isaias c. II. dicens : « Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini. » Petra quid, nisi Christus ? Fossa humus quid, nisi ejus vulnus est?

Quæstiunculæ de Resurrectione Christi.

Quær. I. Cur Christus a mortuis resurrexit? Resp. Ob tres causas. 1. Ut figuras et prophetias Scripturæ de Jona, Isaia, Samsone impleret. 2. Ut resurrectionem hominum universalem exemplo suo confirmaret. 3. Ut nos ad spiritualem Resurrectionem procurandam incitaret.

Q. II. In quo consistat spiritualis Resurrectio? Resp. In eo, ut anima per unionem charitatis Christo uniatur, et quatuor dotes corporis gloriosi in eadem anima spiritualiter producat, et impassibilis quidem fiat per perfectam in omnibus tribulationibus cum divina voluntate confessionem ; subtilis per obstaculorum a vitæ emendatione impedientium remotionem ; agilis per raram ad omnia Dei et proximi obsequia promptitudinem ; clara denique per vitæ sanctæ et exemplaris accuratum studium.

Q. III. Cur ad Inferos prius descendit ? Resp. 1. Ut devicto Diabolo prædam ei eriperet et spolia, vinctos scilicet Patres, qui in limbo detinebantur. 2. « Ut impleret omnia, » inquit Apostolus, ad Ephesios 4. hoc est, ut sicut potestatem suam ostenderet in terra vivendo et moriendo; sic etiam ostenderet in inferno, illum visitando, illuminando, effringendo. Erat ergo sicut sol quidam totum percurrens orbem, ut omnibus impertiret suum lumen et calorem.

Q. IV. Cur tertia die resurrexit? Resp. 1. Quia ex una parte debuit certo constare mors Christi, ad quod sufficiebat triduum, ex altera non debebat ejus resurrectio diu differri, ne fides credentium corrueret, et ne caro Christi corrumperetur. Recte ergo tertia dies decreta est Resurrectioni. Ita. D. Thomas loc. cit. 2. Quia si tardius surrexisset, non videretur ipse surrexisse, sed quis alius, nec fuisset habitus mortis triumphator. 3. « Quia per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat; nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status Sanctorum; nam primus fuit sub figuris legis; secundus sub veritate fidei; tertius erit in æternitate gloriæ, quem Christus inchoavit resurgendo.

Q. V. Cur cum terræ motu surrexit? Resp. 1. « Propter custodes, ut timore dejecti et terrore Angeli consternati fugerent, et hæc Judæis nuntiarent, ac testes ipsi fierent veritatis; » inquit Euthymius. Prædictum de illis verbis, Nahum 3. « Custodes tui quasi locustæ, quæ considunt in sepibus ; in die frigoris sol ortus est, et avolarunt. » Dies frigoris erat dies sepulturæ Domini ; orto igitur præter spem sole, Christo inquam resurgente, avolarunt præ timore custodes. 2. Ad honorandum Christi resurgentis Majestatem. Solent passim Principes adventantes in civitatem æneorum explosione tormentorum excipi. Idem ergo terra Christo ad se ingredienti et ab Inferis revertenti fecit. 3. Ad indicandam Christi victoriam ab Inferno domito reportatam. Ut enim ventus terræ cavitatibus inclusus, et vi erumpens terram scindit cum fragore ; ita Christus ab Inferis divina vi prodiens, limbum dirupit, et infernum perterrefecit.

Q. VI. Cur secum multorum corpora mortuorum suscitavit? Resp. 1. Ut suam charitatem et liberalitatem ostenderet, qui non poterat se continere, quin bonum Resurrectionis suæ et aliis mox communicaret, ad instar nimirum nobilis aquilæ, quæ prædam suam sola non comedit, sed cum aliis avibus dividit. 2. Ut hi pauci essent testes resurrectionis ejus, et hinc nos quoque spem conciperemus, resurrecturos etiam suo tempore nos, quemadmodum surrexerunt isti. 3. Ut nobis aperiret voluntatem suam, qua desiderat, quantum in ipso est, ut mox omnes resurgamus spiritualiter per novam vitam. Ac sicut ipse feralem exuit amictum, et induit cœlestem ; ita nos exuto veteri homine induamus novum, ac quantum fas est, corpus gloriosum, simulque immortales cum firmitate, ne amplius ad lethalia peccata redea-

mus, sicut Christus semel resurrexit, non amplius moriturus; impassibiles, nullis animi perturbationibus aditum præbentes, quæ morbum aliquem animæ adferant; splendentes lumine internæ cognitionis rerum cœlestium; agiles ad exequendum absque ulla repugnantia quidquid erit voluntatis Dei; subtiles et spirituales, ita omnibus terennis renuntiantes, ut nihil ex eis, nisi quod sit necessarium, accipiamus, ut conversationem nostram habere in cœlis possimus, quamvis corpore versemur in terris.

Q. VII. Cur mulieribus ante viros apparuit? Resp. 1. Quia prima mulier, Eva, mortis internuntia fuit, et prior gustavit pomum mortiferum, voluit Deus, ut jam vitæ nuntiæ essent, et priores participarent gaudium resurrectionis. 2 Quia majore zelo et devotione præditæ erant. Planxerunt enim Dominum exeuntem ad Calvariæ montem, astiterunt etiam crucifixo tametsi a longe, adfuerunt sepulto, primæ ad sepulchrum abierunt, cum Apostoli pœne omnes diffugissent et serius venissent. Jure ergo ante illos gaudio resurrectionis Dominicæ recreatæ sunt. 3. Quia magis erant idoneæ ad resurrectionis promulgationem, velut minus de dolo suspectæ, quam discipuli, minus autem obnoxiæ animadversioni judicum.

Q. VIII. Cur Matri suæ primo apparuit? Resp. 1. Quia hoc Matris dignitas postulabat, et Filii erga eamdem observantia. Samson favum mellis in ore leonis, quem occiderat, repertum parentibus impertivit. Judic. 14. Eccur non et Christus Matri suæ dulcissima resurrectionis suæ gaudia, quæ ex interrupta morte reportavit, primo omnium communicaret? 2. Quia id ipsum Matris merita requirebant. Nemo omnium ita sensit Christi passionem, nemo tot tristitiæ fluctibus obrutus fuit, nemo tam desideranter exspectavit redivivum Christum, atque ipsius Mater; decuit ergo, ut ipsa præ omnibus gaudii resurrectionis ejus particeps fieret. Unde Rupertus, lib. VII, de divin. Offic. cap. XXV, putat Christi resuscitati hanc primam fuisse vocem: *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* Cant. 4. Erat enim illa tunc mons myrrhæ, quia amarissimæ passionis Filii recenti dolore plena. Collis thuris, quia meditationi et desiderio resurrectionis ejus ntenta.

Q. IX. Cur Evangelistæ non meminerunt hujus apparitionis? Resp. Quia eas tantum scripsere, quæ citari poterant in testimonium Resurrectionis Christi; Matris autem testimonium de Filio receptum non fuisset a Judæis.

Q. X. Cur mulieres ad Discipulos missæ sunt nuntiatum Resurrectionem? Resp. 1. Quia Apostolorum erat eamdem toti orbi annuntiare; ergo et præ aliis scire. 2. Quia ipsi præ cæteris ex passione Domini, suaque fuga magis consternati et dejecti, præ cæteris etiam erectione indigebant. 3. Quia conspectu Domini et Magistri magis erant digni, magisque ad credendum dispositi. Judæi velut porci Margaritam hanc pedibus calcassent, ideo eis objecta non fuit. Non capit gaudium Domini, qui putrescit in peccatis suis.

Q. XI. Cur jubentur eam Petro indicare? Resp. 1. Quia erat caput Apostolorum, futurus etiam totius Ecclesiæ Pastor. 2. Quia ipsius testimonium plurimum valebat apud cæteros Apostolos. *Surrexit Dominus vere,* inquiunt, *et apparuit Simoni.* Feminarum testimonii nullam mentionem faciunt. 3. Quia ex sua negatione magis contristatus erat, quam cæteri, unde egebat præsentiori et peculiari Medici opera ad dolorem leniendum. Voluit ergo Dominus cum speciali hoc favore ad fiduciam et priorem amicitiam erigere, quasi non meminisset injuriæ acceptæ, ne concideret animo Discipulus, qui peccarat ex timore. Unde apparet Christi benignitas et clementia, qui tam cito obliviscitur peccata lacrymis punita, et præterea solatur illos, ac speciali favore prosequitur, ut fortius resurgant.

Q. XII. Cur in Galilæam ablegantur Apostoli? Resp. 1. Quia in Galilæa jucundius velut in propria patria, nec non securius cum ipso agere poterant; nam in Judæa metu Judæorum continebantur, præsertim Jerosolymis, ut docet S. Chrysostomus, hom. 90, in Matt. 2. Quia illo destinarat spectatissimam et omnibus discipulis communem apparitionem, factam plus quam quingentis fratribus, quorum multi degebant in Galilæa. 3. Quia in Galilæa frequens prædicarat, imo prædicationem inchoarat, et plurima signa fecerat, debuit igitur ibi suam Resurrectionem speciatim manifestare ad confirmandam doctrinam, et miracula sua, et solidandos in fide eos, quos ibidem ad se traxerat. 4. Ob causam mysticam, ut doceret nobis transmigrandum esse (quod sonat Galilæa) a vitiis ad virtutem, a cupiditatibus præsentis sæculi ad desiderium futuri, si videre ipsum in gloria cœlesti velimus.

Q. XIII. Cur tempore Paschali toties Alleluia repetitur? Resp. Id ideo fieri, ut Ecclesia nos ad Deum propter inexplicabile beneficium Redemptionis assiduo laudandum exhortetur; nam Alleluia, est vox Hebraica, ex *Allelulà,* quod idem significat ac *laudate;* et voce *ia,* quod *Deum* significat, composita. Unde etiam in cœlo aliquoties decantari audita est hæc vox, imo et miraculis approbata, ut Forerus, in vita Christi, et alii testantur.

Q. XIV. Cur vulnera sua etiam post gloriosam Resurrectionem retinuit? Resp. 1. Ut essent perpetui testes suæ erga Deum et homines charitatis. 2. Ut per ea adhuc in cœlis apud Patrem oraret, variaque viventibus et mortuis beneficia impetraret. 3. Ut devotæ animæ in illis velut petris et cavernis maceriæ refugium habeant. 4. Ut in die Judicii reprobis terrori, justis autem solatio foret.

Q. XV. Quid Cereus Paschalis significat? Resp. significat Christum in gloriæ luce resurgentem. Unde quia quinque vulnera retinuit, quinque grana ex thure facta cereo inferuntur. In festo Ascensionis vero cereus iste extinguitur post Evangelium, quia in eo Christus in cœlo ascendisse nuntiatur.

Q. XVI. Cur Vexilla tempore Paschali iterum eriguntur? Resp. 1. Ad significandam victoriam et triumphum Christi, quem de carne, mundo et Diabolo tulit. 2. Ut profiteamur, nos sub Christi vexillo militare, et dicamus cum pio Asceta, lib. III de Imit. Eia, fratres, pergamus simul, Jesus erit nobiscum, propter Jesum suscepimus hanc crucem, propter Jesum perseveremus in cruce. Erit adjutor noster, qui est dux noster, et præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus a cruce! Hinc varii coloris vexilla eriguntur, ut significetur contra varios hostes pugnandum; et Martyrum quidem certamina contra Tyrannos per rubra vexilla; Virginum contra carnem per candida; Confessorum contra mundum per cœrulea; Perfectorum contra Dæmonem per viridia indicantur.

Quæstiunculæ de Ascensione Christi.

Quæritur I. Cur Christus cœlos ascenderit? Resp. 1. Ut debitam a Patre mercedem caperet, et quia humiliaverat semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis, propterea exaltaretur a Deo Patre, et acciperet Nomen super omne nomen, ita ut in Nomine Jesu flecteretur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum. Ut Matri suæ et Apostolis totique Ecclesiæ Spiritum Sanctum mittere posset: nam ipsemet, Joannis XIV, dixerat: « Nisi abiero, Paraclitus non veniet ad vos. » Decuit autem, ut non ante, sed post Ascensionem suam mitteret, ut per eam missionem probaret se, in cœlo regnare. Si enim nihil inde nobis misisset, dubitaremus forte, num in cœlum ascendisset. Jam vero, quia Spiritum suum misit, non est dubitandi locus. 3. Ut Advocatum haberemus apud Deum, ita enim S. Joannes (I. Joan. II) ait: « Sed etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum. » Et Apost. Paul. ad Hebr. IX. » Introivit in ipsum, ut appareat vultui Dei pro nobis. » Quis non vehementer gaudeat, quod apud Patrem Judicem, fratrem habeamus Advocatum? Sed quomodo est Advocatus noster? Resp. dum semper repræsentat Deo Patri vulnera sua pro nobis accepta. Unde, Apoc. V. vidit Joannes Agnum in cœlo stantem, *quasi occisum;* quia nimirum, sicut in cruce obtulit Patri passionem suam, nostrum se Advocatum præbens; ita etiam nunc in cœlo eam Patri repræsentat, quasi adhuc pateretur, atque interpretative orat. Deinde, juxta Patrum sententiam, vere etiam et proprie orat, dum jus meritis suis debitum, et præmium sibi a Patre promissum, gratiam scilicet et gloriam nobis communicandam exigit, qua homo. Quod indicat Apostolus, ad Rom. VIII, cum ait: « Etiam interpellat pro nobis. » Sicut ergo in cruce pro transgressoribus oravit; ita pro illis supplicat etiam in cœlo justitiæ divinæ; sed in cruce et terra per modum servi, cum sollicitudine, pavore, *clamore valido et lacrymis;* in cœlo vero per modum filii, cum libertate, confidentia et hilaritate; stans, non in faciem procidens. 4. Aliam adhuc causam S. Bernardus addit, serm. de Ascens. dicens: Ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleri nequiverunt, quia carni Dominicæ, etsi sanctæ, inhærebant.

Q. II. Cur ex monte Oliveti ascendit ad cœlum? Resp. Ut inde ascenderet ad gloriam, unde descendit ad passionem. Ait enim Apostolus, ad Ephes. IV. *Quid est ascendit, nisi quia descendit?* Ergo quæ via est ad patientiam, eadem est ad gloriam; et qui

vult ascendere, debet prius descendere. Addunt alii, id ideo etiam factum, ut indicaret, se olim ut Judicem iterum venturum, et in vicina Valle Josaphat omnes judicaturum. Hinc Angeli dicebant Apostolis : « Viri Gallilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum ? Hic Jesus, qui a vobis assumptus est, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. »

Q. III. Cur post quadraginta primum dies ascendit ? Resp. Ut præberet *seipsum vivum in multis argumentis*, Act. I. Ut ageret cum Apostolis de Regno Dei, id est de Ecclesia, ejusque institutione, gubernatione, capite, de Sacramentis, de Scripturis etc. Et demum, ut charitatem et humilitatem suam vehementius commendaret, dum etiam in statu gloriæ suæ cum hominibus tam frequenter, et tam familiariter conversari voluit.

Q. IV. Cur feria quinta ascendit ? Resp. Quia illo die prius ad montem Oliveti, sed post passurus iverat, ut ostenderet, eamdem esse viam ad passionem et ad gloriam. Item die, quo Eucharistiam instituerat, forte ut nobis insinuaret, se et a nobis recedere, et nobiscum manere in Eucharistia. Unde mox ascensurus dixit : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. »

Q. V. Cur post meridiem, sumpto prius cum Apostolis prandio, ut Act. c. I, dicitur, ascendit ? Resp. I. Ut, sicut post meridiem ejectus a Paradiso est Adam ; ita secundus Adam eodem tempore intraret. 2. Ut manifestior esset ascensio ejus. 3. Quia etiam in meridie circa horam diei sextam crucifixus fuit ; ut quo tempore se humiliavit ad mortem crucis, eodem exaltaretur ad cœlum.

Q. VI. Cur super omnes cœlos ascendit ? Resp. 1. Ut, sicut in terra omnium infimum et contemptissimum habuit locum, in cruce nimirum inter latrones medium ; ita et exaltatus haberet omnium summum. Notum enim est, tam alte ascendere aquam, quam profunde prius descendit. Dixit aliquando Christus, exaltandum fore eum, qui in mensa novissimum occupat locum, auditurumque : « Amice, ascende superius. » 2. Ut se probaret Dominum esse universorum, ipsumque velut Regem in regia, vel amphiteatro, influere in membra, et contueri omnia. Unde S. Bernardus, serm. II, de Ascens. ait : « Cum se Dominum universorum, quæ sunt in terra et in mari et in inferno, probasset, non restabat, nisi ut æris et cœlorum se esse Dominum argumentis similibus, vel certe a potioribus approbaret. Terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cum clamasset voce magna : Lazare, veni foras ! mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus ejus, ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognovit infernus, cujus ipse portas æreas et vectes ferreos confregit. »

Q. VII. Cur sedere ad dexteram Patris dicitur ? Resp. Ad demonstrandam judiciariam potestatem ; Judicum enim est sedere. Tamquam ad quietem et cessationem a præteritis laboribus. In mundo semper visus est ambulare, nunquam fere sedere, nisi forte ad prædicandum sederet. Nunc tandem post fatigationem venit ad quietem. Nunc tandem post diluvium passionis, mense septimo, arca requievit super montes Armeniæ. Gen. VIII.

Q. VIII. Quomodo Christus cum Apostolis se mansurum dixit ? Resp. Quadruplici modo. 1. *Per realem existentiam in Eucharistia*, ob quam vere potest ad nos illa Levit. c. XXVI, verba pronuntiare : « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima vestra. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. » 2. Per cooperationem in laboribus et operibus nostris; sic enim ipsemet, Joann. XV, indicavit dicens : « Ego sum vitis vera, vos palmites; sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis. » 3. Per protectionem, uti S. Cyprianus testatur dicens : Qui pro nobis semel mortem vicit, semper vincit in nobis. Hinc ipse quoque Joannes, XVI cap. dixit : « In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. » 4. Per patrocinium : Ideo ipsemet Joanes, XVI, hortatus est : Uusque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis. » Et ideo etiam vulnera sua retinuit, ut tanto efficacius pro nobis oraret. Hinc et S. Joannes, I. Ep. c. II, innuit : « Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. »

Q. IX. Quomodo cum Christo spiritualiter ascendere debemus ? Resp. I. Desiderando, sicut Apostoli oculos non averterunt ab ipso, quamdiu videre poterant. Hinc clamandum cum Davide : « Quemadmodum desiderat

cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. » 2. Orando, quia, cum hæc sit locutio cum Christo, eumdem quasi in cœlum sequitur. 3. Amando, anima namque magis est ubi amat, quam ubi animat. 4. Imitando, hinc enim ascensurus in cœlum vestigia duo terris impressit, quæ cuique homini sunt proportionata, ut ostenderet, quemvis in suo statu ipsum sequi, et imitari posse.

Quæstiunculæ de Pentecostes festo, et Spiritus Sancti adventu.

Quæritur I. Cur tertia Persona SS. Trinitatis Spiritus Sanctus et Paraclitus vocatur? Resp. 1. Spiritus appellatur. 1. Quia per modum spirationis, qua homo producit flatum, seu anhelitum, procedit a Patre et Filio. Sicut enim cor per os producit flatum; ita Pater per Filium producit Spiritum Sanctum. Vel potius sicut anima ex intellectione rei amabilis spirat et producit amorem ejusdem; ita Pater per Verbum spiritum Sanctum. 2. Quia similis spiritui nostro, seu animæ. Sicut enim hæc corpus vivificat, eique vires influit, ac vitales actiones gignit; ita Spiritus Sanctus animam gratia vivificat, et potentias ejus ad bene operandum excitat, ac facilitat, omniaque ejus opera meritoria vitæ æternæ facit. 3. Quia spiritui seu vento non absimilis est. Ventus purgat aerem, affert pluvias, incendit ignem, propellit naves, agit molas, refrigerat homines, tibias resonare facit. Spiritus Sanctus purgat animam a peccatis, rigat et impinguat lacrymis compunctionis et devotionis, amorem Dei inflammat, ad cœlum euntes promovet, ad bene operandum incitat, consolatur, ad orandum movet etc. Resp. 2. Sanctus appellatur, quia sanctissimus et purissimus, omnisque sanctitatis fons. Secundo, quia animam sanctificat, et quodammodo encæniat, ut sit templum Deo consecratum. Tertio, ad differentiam spiritus maligni, qui malorum omnium incentor est. Resp. 3. Paraclitum denique significare consolatorem, exhortatorem, advocatum. Est ergo Consolator in adversis et tribulationibus, maxime in peccatis, « Consolator, inquit S. Gregorius, hom. XXX, de hodierno festo, idem Spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem levat. » Exhortator in aggrediendis et perficiendis rebus difficilibus. Advocatus, quia « postulat pro nobis (hoc est, postulare nos facit) gemitibus inenarrabilibus. » Ad Rom. VIII.

Q. II. Cur Spiritus Sanctus in die Pentecostes venit? Resp. 1. Ut significaret, legem veterem hoc die mutatam in novam. Notum enim est, veterem legem Judæis in monte Sinai datam die quinquagesimo post Pascha. Quinquagesimo etiam die data lex gratiæ Christianis in monte Sion (juxta Prophetiam Is. II. « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem) velut finem imponens legi veteri, sicut res ipsa finem imponit umbræ et figuræ, fuit enim promulgatio legis veteris typus legis novæ. Resp. 2. Ut significaret, ex hoc die incipere Jubilæum plenissimum remissionis peccatorum in toto mundo. Etenim numerus quinquagesimus, quem significat vox *Pentecoste*, numerus est Jubilæi, quod erat quovis quinquagesimo anno, in quo poterat quisque redire ad pristinam possessionem suam, alteri venditam, Levit. XXV. Similiter hodierno die, quo remissio peccatorum toti mundo prædicari cœpit, incipiebat Jubilæum Christianorum, quo ad pristinam possessionem, id est, gratiam et gloriam perditam redire quisque poterat. Et hic est annus ille placabilis Domini, quem de tempore gratiæ prædixit Isaias, cap. LXI, et interpretatur ipsemet Christus, Luc. IV, in quo omnia peccatorum debita Spiritus Sancti igne comburi incœperunt.

Q. III. Cur hora tertia venit? Resp. 1. Quia tunc Apostoli, et alii homines erant omnes excitati et vigiles, nec non sobrii adhuc, adeoque magis idonei ad hoc prodigium suscipiendum, et considerandum. 2. Quia illa hora apud Judæos erat orationi destinata, ait Beda. 3. Quia tunc promulgabatur lex tertia. Prima fuit lex naturæ. Secunda Moysis. Tertia lex Christi. 4. Quia Spiritus Sanctus est tertia in Trinitate Persona. Quam ob causam etiam Ecclesia hora precum tertia Spiritum Sanctum invocat : « Nunc, Sancte nobis Spiritus etc. »

Q. IV. Cur venit super sedentes in eadem domo? Resp. 1. Ut indicaret, quod non detur Spiritus Sanctus nisi constitutis in domo Ecclesiæ Christi. Ut enim columba a Noe emissa extra arcam non invenit, ubi requiesceret pes ejus, Gen. VIII; ita nec Spiritus Sanctus extra Ecclesiam. 2. Quod non detur ira et odio æstuantibus, sed unanimiter sedentibus, id est, pacificis et concordibus. Hoc enim est, quod Ps. CXXXII.

dixit David : « Ecce, quam bonum et quam jucundum habitare frares in unum, etc. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion ; quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, etc. » Quo loco Theodoretus per rorem interpretatur Spiritum Sanctum missum in montem Sion. Porro ros non cadit in terram sæviente tempestate, sed tranquilla; sic Spiritus Sanctus non venit super iracundos et odio flagrantes, quietos vult, et pacificos.

Q. V. Cur venit repente? Resp. 1. Ut miraculum hujus missionis manifestum esset. Cum enim naturale tonitru fit, prius advehitur nubes, micant a longe fulgura, et subaudiuntur de procul bombi ; non ita ibi, sed repente factus est de cœlo sonus, « ut subita consternatione, inquit OEcumenius, et magis excitaret, et omnes ad concurrendum impelleret; sensibiliter vero ut miraculum confirmaret, quod omni careat calumnia etc. » Unde subdit postea Lucas : « Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. » Fuit ergo repentinus iste sonitus, quasi sonitus campanæ, quæ instante publica necessitate pulsatur ad convocandum populum ad primam Apostolorum concionem, ut omnes intelligerent, non hominum, sed Dei promulgandum esse verbum. 2. Ut doceret, omni tempore expectandum esse Spiritum Sanctum, et parandos animos ad eum recipiendum, quia repente et improviso venit, quando ipsi placet. « Spiritus ubi vult spirat, ait Dominus, Joan. III, et vocem ejus audis ; sed nescis unde veniat. »

Q. VI. Cur cum impetu? Resp. Ad significandum, quod Spiritus Sanctus credentibus, quos replet, fervorem imprimit, ut omnia celeriter et expedite agant. Unde Ambrosius, super Luc. c. I. ait : « Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. » Sane Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum statim concionari cœperunt ad plebem, et legem Dei promulgare.

Q. VII. Cur cum sonitu venit? Resp. 1. Ad indicandum, quod sonus miraculorum, sanctitatis et prædicationis Apostolorum in omnem terram esset exiturus, juxta id Ps. XVIII. « In omnem terram exivit sonus eorum. » 2. Ad designandum, Evangelium Christi esse cœleste; de cœlo enim factus est sonus. Poterat ex terræ latebris per terræ motum edi sonus ; sed non ita evenit, quia talis sonus designat doctrinam hæreticorum, qui de orco promit sua dogmata.

Q. VIII. Cur cum spiritu vehementi venit? Resp. Ad designandas mirabiles Spiritus S. operationes. Nam primo, uti spiratione et respiratione aeris vita hominis conservatur; ita vita animæ flatu Spiritus S. Secundo, uti ventus aerem purgat; sic Spiritus Sanctus animam purgat a peccatis. Tertio, ut ventus impellit navim; ita Spiritus Sanctus hominum corda ad bona opera, et ad viam cæli. Quarto, uti ventus in fistulis et tubis sonum edit; sic Spiritus Sanctus cor ad docendum et loquendum cœlestia replet. Item ut indicaret, quod Apostoli instar ventorum peragraturi essent orbem, purgaturi mundum, dejecturi idola, refrigeraturi æstuantia peccatorum corda Evangelio, hoc est, bono nuntio, quod possint fieri filii Dei.

Q. IX. Cur in specie linguæ venit? Resp. Quia lingua est instrumentum sermonis et prædicationis ; hic autem Spiritus Sanctus constituit Apostolos Prædicatores Evangelii, contulit eisdem donum linguarum, simulque Ecclesiæ. 2. Quia, ut a verbo mentis procedit vox linguæ; ita Spiritus a Filio. 3. Quia, sicut lingua distinguit sapores; ita Spiritus Sanctus facit hominem discernere res cœlestes a terrenis, veram doctrinam a falsa et hæretica.

Q. X. Cur in lingua ignea venit? Resp. 1. Ad demonstrandam naturam legis gratiæ, quæ est lex charitatis per ignem designatæ, juxta illud Deut. XXXIII. « In dextera ejus ignea lex. » 2. Ad significandum effectum, quem in animis Apostolorum, cæterorumque fidelium operaturus erat Spiritus Sanctus, nimirum quod in eis torporem, timorem, concupiscentias et vitia consumpturus, eosque ferventes, zelosos et quasi igneos redditurus erat. 3. Quod per hunc ignem amoris et consolationis Spiritus Sancti, non torquentem aut comburentem, sed potius refrigerantem et recreantem, superaturi essent ignem tribulationis ac persecutionis urentem ac consumentem. Ita Cyrillus, Cath. XVII.

Q. XI. Cur in dispertitis linguis apparuit? Resp. 1. Ad indicandam duplicem charitatem Dei et proximi, qua Spiritus Sanctus corda fidelium repleverat. 2. Ad significandam duplicem artem recte loquendi, quam docuerat eos Spiritus Sanctus, nempe loquendi cum Deo et proximo.

Q. XII. Quid est donum Spiritus Sancti? Resp. Nihil aliud esse, quam afflatum et im-

pulsum ejus ad patranda rara et heroica maxima virtutum opera; quibus exercendis solæ virtutes etiam infusæ ordinarie non sufficiunt, requiritur præterea specialis motus et excitatio Spiritus Sancti.

Q. XIII. Quot sunt dona Spiritus Sancti. Resp. Septem primaria (ad quæ revocanda sunt cætera) describit Isaias c. XI. collata Christo Domino: « Requiescet super eum Spiritus Domini, inquit, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.

Q. XIV. Quid est donum Sapientiæ? Resp. Est donum, quo causam altissimam, id est Deum rite cognoscimus, et divina secundum veritatem judicamus.

Q. XV. Quid est donum Intellectus? Resp. Est donum supernaturale, quo ea, quæ nobis circa fidem proponuntur, et naturaliter capere non possumus, recte et facile capere valemus.

Q. XVI. Quid est donum Scientiæ? Resp. Est donum, quo certum et verum judicium de veritatibus fidei formamus; nam ad assensum his præstandum duo requiruntur. 1. Ut eas capiat, et hoc præstat intellectus. 2. Ut certum assensum præbeat, et hoc scientiæ donum efficit.

Q. XVII. Quid est donum Consilii? Resp. Est donum, quo homo se et alios dirigere potest cum prudentia, id est, ea media eligere, quæ ad finem sibi et aliis præfixum magis opportuna videntur.

Q. XVIII. Quid est donum Fortitudinis? Resp. Est donum, quo amore Dei omnia adversa fortiter et generose tolerantur et superantur, uti in SS. Martyribus cernere est.

Q. XIX. Quid est donum Pietatis? Resp. Est donum, quo omnia, quæ ad Dei honorem, proximique ac nostram salutem pertinent, impigre exequimur et præstamus.

Q. XX. Quid est donum Timoris? Resp. Est donum, quo offensam Dei, et omnia alia, quæ eidem displicere possunt studiose vitamus.

Quæstiunculæ de festo SS. Trinitatis.

Quæritur. I. Cur hoc Festum in Dominica prima post Pentecosten celebratur? Resp. Quia, cum tribus Personis specialia Festa sint instituta, et ad honorem Patris æterni quidem Festum Nativitatis Christi, cui singularis honor et gaudium erat, talem ipsi Filium genitum fuisse; in honorem Filii vero Festum Resurrectionis, quod propter devictos hostes specialiter ipsi gloriosum fuit; in honorem Sancti Spiritus vero Festum Spiritus Sancti institutum fuerit; conveniens videbatur, ut, ne tres Dii putarentur, unum etiam commune Festum, ob unam et communem naturam institueretur.

Q. II. Cur hoc Festum minori, quam alia Festa prædicta solemnitate celebratur? Resp. Id ideo fieri, ut Ecclesia ipso facto ostendat, se tantopere Festum istud æstimare, ut ea, qua par est, solemnitate celebrare non queat. Mavult ergo per humilitatem profiteri suam impotentiam ad hoc Festum celebrandum, quam debitum ipsi honorem et reverentiam non exhibere.

Q. III. Quare unus tantum Deus est S. Trinitas, cum tamen quælibet trium Personarum verus Deus sit? Resp. Cum omnes tres Personæ unicam tantum naturam habeant, pluralitas autem Deorum, a pluralitate naturarum desumi soleat, merito SS. Trinitatem unum dumtaxat Deum vocari. Hinc S. Athanasius in suo Symbolo dixit: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, et tamen non tres Dii, sed unus est Deus, quia, sicut singillatim unamquamque Personam verum Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur.

Q. IV. An ergo omnes operationes omnibus tribus Personis communes sunt? Resp. Ita quidem de operationibus ad extra productis sentiendum; non tamen de internis processionibus; nam solus Pater generare, solus Filius generari, solus Spiritus S. spirare dicitur.

Q. V. Cur ergo solus Pater Creator, solus Filius Redemptor, solus Spiritus S. Sanctificator dicitur? Resp. Non ideo hoc dici, quasi non etiam Filius et Spiritus S. creassent mundum, sed quod creatio sit primum beneficium mundo collatum, atque adeo per quamdam accommodationem merito primæ Personæ attribui videatur. Quod idem etiam cum proportione de reliquis attributis sentiendum.

Q. VI. Cur SS. Trinitas specialiter colenda sit? Resp. Ob tres causas. 1. Quia ad imaginem illius creati sumus; quid autem magis conveniens, quam ut imago, si ratione

prædita foret, Prototypon præ cæteris amaret? 2. Quia ipsa est mare immensum omnis bonitatis; ex quo omnia nostra bona profluunt, unde par est, ut illi grato animo omnia adscribamus, et sicut flumina ad mare, per debitum honorem gratiarum actionem referamus. 3. Quia SS. Trinitas, cum sit summe potens, sapiens et bona, hæc sola per se maxime potest, scit et vult juvare; creaturæ vero non nisi dependenter ab ea auxiliari possunt.

Q. VII. Qui est optimus modus colendi SS. Trinitatem? Resp. 1. Per exercitium fervens et constans trium virtutum Theologicarum, Fidei, Spei et Charitatis. 2. Per oblationem potentiarum internarum, memoriæ, intellectus et voluntatis ad perpetuum obsequium illius. 3. Per directionem omnium operum, verborum et cogitationum ad majorem gloriam SS. Trinitatis; sic enim perpetuum Gloria Patri, etc. ipsi canitur.

Quæstiunculæ de festo Corporis Christi.

Quæritur I. Quando, et a quo hoc Festum sit institutum? Resp. Ab initio quidem Urbanum IV, interveniente consilio et assensu Dominorum Cardinalium, decrevisse ut Festum Corporis Christi per universam Ecclesiam, semel in anno solemniter feria quinta post Octavam Pentecostes, in toto terrarum orbe celebraretur, et vocato B. Thom. de Aquino, qui tum præsens aderat, præceptum fuit, ut officium de tali Festo secundum usum omnium Ecclesiarum componeret. Thomas autem divinarum armarium Scripturarum, cujus mentem obedientiæ et omnium virtutum decor collustraverat, præceptum hoc libenter, breviter, atque insignissime complevit. Verum quamquam Apostolica mandata omnibus Ecclesiis directa fuissent super celebranda nova de Venerabili Sacramento solemnitate, omnes tamen Ecclesiæ dissimulaverunt obedire, præter Ecclesiam Leodiensem, quæ ubi Apostolicum Nuntium cum bullis decretalibus, officio apportatis, honorifice suscepit, tamquam devota filia mox quam celerrime obedivit, rejecto officio, quod virgo Juliana confici fecerat, utens illo officio, quod Thomas Aquinas confecerat. Itaque ab adventu præfatarum bullarum tota et sola Leodiensis Diœcesis præfatam solemnitatem singulis celebravit annis usque ad tempora Domini Joannis Papæ XXII, qui floruit anno Domini 1315, qui omnes constitutiones Clementis publicavit, et ad universalia studia transmisit. Et ultra illas ordinationes Urbani IV, Clementinis constitutionibus insertas, novas indulgentias concessit, atque Processionem adornavit. Et tunc igitur et deinceps solemnitas hæc per totius orbis Ecclesias devotissime accepta est.

Q. II. Qua occasione hoc Festum institutum est? Resp. Id juxta relationem R. P. Joannis Diestemii Blæti, Prioris S. Jacobi Leodiensis, hac occasione institutum fuisse. Circa annum Domini millesimum ducentesimum trigesimum in Episcopatu Leodiensi, juxta civitatem Leodii in hospitali leprosorum, quod vulgariter usque hodie, locus Cornelii montis dicitur, fuit virgo omnium virtutum flore renitens, nomine Juliana. Hæc a primis infantiæ annis semper sese orationi mancipabat, et crebro vidit, et quasi semper suo aspectui inter orandum ingredi mirabile signum, scilicet lunam, quasi in suo splendore, cum aliquanta tamen sui orbicularis corporis fractione. Et videns mirabatur, et etiam timebat nesciens, quid hoc significaret. Unde nitebatur totis viribus præfatum signum amovere, nec valuit. Tandem cum nulla sua, vel aliorum fidelium precibus amovere posset, cœpit cogitare, ne forte mysterium aliquod in præfato signo lateret. Tum didicit divino responso significari in luna præsentem Ecclesiam, et in ejus fractione defectum unius solemnitatis, quam Deus voluit in Ecclesia celebrari, ad augmentum sacræ fidei. Accepit proinde præceptum cœlitus, ut hanc solemnitatem inchoaret, et celebrandam mundo nuntiaret. Illa vero ad hæc obstupescens, se non posse respondit. Verum quotiescumque orationi vacabat, admonebatur a Domino, ut præceptum injunctum perficeret, quam ad hoc præ mortalibus cunctis Deus præelegisset. Igitur Juliana Christi virgo humilis, a tempore prædictæ visionis, per cursum annorum viginti, precibus et gemitibus inenarrabilibus institit apud Deum, quatenus alteri personæ præfatum negotium cœli Conditor committeret. Verum quantum ipsa plus se tanto negotio indignam asserebat, eo magis humilitatis amator hanc digniorem judicavit. Acquiescens igitur tandem virgo sacra, totum ordinem præfatæ legationis Domino Joanni de Lausenna, Canonico S. Martini

Leodiensis, quem pro suæ sanctitatis excellentia plurimum diligebat, patefecit. Et rogavit, ut de his omnibus sermonem haberet cum his, qui clavem scientiæ in Dei Ecclesia tenerent. Obtemperat ille, et cuncta proponit Domino Jacobo de Trecis, tunc Archidiacono Ecclesiæ Leodiensis, viro fideli et docto, qui pro eruditionis et vitæ præeminentia postmodum supra multa constitui meruit. Siquidem postea factus est Episcopus Verdunensis, dehinc Patriarcha Hierosolymitanus, demum universalis Ecclesiæ Pontifex electus, dictus est Urbanus IV. Proposuit etiam præfatus Joannes duobus magnis luminaribus, quæ tum Leodii vita et scientia præfulgebant mortalibus cunctis, scilicet Domino Hugoni, Provinciali Ordinis Prædicatorum, postea Cardinali, et Domino Guyardo, Cameracensis Præsuli. Proposuit insuper Cancellario Parisiensi, Lectoribus Prædicatorum, et multis aliis personis, scientia et vita clara præfulgidis. Qui omnes auditis, intellectis, et diligenter examinatis præfatis revelationibus, uno spiritu pronuntiarunt, efficacem rationem in lege divina inveniri non posse, quare præfata festivitas fieri non deberet. Insuper et dignissimum fore, et ad Dei honorem cedere, et ad profectum gratiamque electorum asserebant, si memoriam institutionis tanti Sacramenti solemnius ac specialius singulis annis Mater Ecclesia celebraret. Quorum sententiæ concordiam cum Christi virgo cognovisset, gratias egit Deo, quod voluntatis suæ responsum in tantarum personarum ore posuisset. Et si vero ab initio sola Ecclesia Leodiensis hoc Festum celebravit, postea tamen, ut ante vidimus, jussu Urbani IV et Joannis XXII. a tota Ecclesia celebrari cœpit.

Q. III. Quas ob causas hoc Festum institutum est? Resp. Ob tres præcipue. 1. Ut pro tam extraordinario Institutionis Eucharistiæ beneficio speciales et publicæ gratiæ agerentur; hoc enim Christus innuebat, dum instituens hoc Sacramentum, dixit : « Hoc facite in meam commemorationem. » 2. Ut publice profiteremur articulum fidei, quo contra Hæreticos credimus Eucharistiam esse Sacramentum non in usu tantum, sed etiam extra illum, atque adeo asservari, ad ægros portari, in processionibus portari, et adorari posse. 3. Ut negligentias et defectus, quos per annum circa cultum Eucharistiæ commisimus, per publicum hunc et solemnem cultum compensemus; sicque benedictionis, quam nobis et omnibus frugibus nostris petimus, tanto capaciores digrioresque efficiamur.

Q. IV. Quas ob causas ipsa Eucharistia instituta est? Resp. Pariter ob tres. 1. In memoriam amoris sui infiniti, quo Christus non solum pro nobis de cœlo descendere, incarnari, tantaque agere et pati dignatus est, sed etiam ut intime nobis uniri posset, hoc tam admirandum medium invenit. 2. Ut loco multiplicium Sacrificiorum in veteri Testamento offerri solitorum haberemus in Ecclesia perenne Sacrificium, quod et dignitate sua, et utilitate, et offerendi facilitate omnia vetera testamenta longissime superaret. 3. Ut esset nobis in cibum animæ, qui suo modo eamdem pasceret, nutriret, roboraret, crescere faceret, et recrearet, sicut cibus corporalis hæc omnia corpori præstare solet.

Q. V. Cur sub duabus speciebus, panis scilicet et vini instituta est? Resp. 1. Id voluisse Christum, ut nobis indicaret, se perfectum nobis instituisse convivium, non quasi sub utraque specie necessario sumendum sit ab omnibus, sed quod habeat perfectam vim explendi famem et sitim hominum, id est, omne desiderium. Quia enim Eucharistiam nobis reliquit, ut esset nobis pignus gloriæ, et quasi prægustus quidam cœlestis illius mannæ quod omnem omnino satiat appetitum. Idcirco ea perfectam debuit significare refectionem (non minus, quam panes a Christo multiplicati, famem sedare et sitim), quod sufficienter facit in Sacrificio Missæ. 2. Ut significaretur Christi mors, et quidem talis, in qua totus ejus sanguis separatus sit a corpore effusus in pretium redemptionis nostræ. Cum enim necessarium esset relinqui nobis aliquod memoriale passionis et mortis Christi, tanquam unicæ salutis nostræ causæ, convenientissimum hoc fuit, quia per id tam passio, quam mors ipsa repræsentatur, separato enim sanguine a corpore mors subsequitur, nec qualiscumque, sed per vim illata; nec non per modum Sacrificii, cujusmodi erat Christi immolatio ad reconciliandum Deum. In omni autem Sacrificio sanguis separabatur a corpore.

Q. VI. Cur sub speciebus panis et vini potius, quam aliarum rerum, institui voluit? Resp. 1. Ad significandam Eucharistiæ necessitatem id factum esse. Ut enim ad vitæ sustentationem nihil magis necessarium et

homini conveniens, quam panis et vinum; primum etiam viaticum, quod sumit secum viator, panis est et vinum ; ita et Eucharistia ad sustentationem vitæ spiritualis et robur animæ conservandum in hoc laborioso itinere vitæ nostræ destinata, panis et vini specimen habere debuit. Et quemadmodum nihil ita appetit homo, quam cibum et potum, quando esurit ac sitit (quia hæc vitam ejus conservant); ita voluit Christus indicare, sed a nobis maxime super omnia appetendum et desiderandum tanquam unicum et necessarium animæ fomentum. 2. Ut finem hujus institutionis nobis ante oculos poneret, qui est unio et concordia membrorum, id est, Christianorum omnium, inter se, et cum capite Christo. « Ex multis namque granis, inquit S.Augustinus, tract. XXVI *in Joan.*, unus panis efficitur, et ex multis racemis vinum confluit. » Apostolus quoque, I Corinth. X, hoc indicat, cum ait : « Unus panis, unum corpus ex multis sumus, omnes qui de uno pane participamus. » Unde et *Communio* vocatur, et hinc olim Christiani ante communionem osculum pacis sibi mutuo dabant. Hoc denique est, quod Christus oravit, ut nimirum fideles omnes sint unum in charitate, sicut ipse et Pater in essentia unum sunt.

Q. VII. Cur invisibiliter sub speciebus tamen visibilibus poni voluit? Resp. I. Ut sic accedere ad eum, et sumere eum auderemus; alioquin enim quis auderet, si in gloria sua visibilis appareret? Refert Joannes Carthagena, Ord. S.Francisci, l. de Augusto Euchar. Sacr. hom. 9. inventum cujusdam medici Hispani, qui sanari cupiens ægrotum tabe confectum, quoniam ille ab esu testudinum, quarum carnibus erat sanandus, abhorrebat, præcepit pullos, quos ægrotus libenter edebat, testudineis carnibus ali, eique ad vescendum dari, quo artificio illusus ægrotus sanitatem recuperavit. Pari modo, quia Christum Dominum in sua specie visibiliter apparentem sumere non poteramus, idcirco sub specie panis et vini sese occultare voluit, ut non tam ipsum, quem panem et vinum sumi sensus judicarent, adeoque non abhorrerent. 2. Ut meritum fidei haberemus, dum exercemus heroicum actum illius, abnegando sensus nostros, et ratiocinationes, quas intellectus noster inde conficeret, voluit enim Christus in hoc mysterio exercere, et probare fidem nostram. 3. Ut præberet nobis etiamnum speciem humilitatis illius, qua in mundo conversatus, sub aliena sordidaque humanitatis veste delituit. Ut enim ibi gloriam Majestatis suæ vili et abjecto servi habitu ascondit; ita et nunc tegumento panis et vini.

Q. VIII. Cur pridie, quam pateretur, eam instituere voluit? Resp. 1. Ut hoc ejus velut testamentum arctius custodiremus, et recentiorem ac teneriorem ejus memoriam haberemus. Solent enim filii diligenter observare, quæ a morientibus parentibus in mandatis acceperunt; postrema quoque eorum munera diligenter asservare. 2. Ut ostenderet nobis desiderium suum, manendi semper nobiscum, etiam quia homo. Propterea antequam per mortem recederet a discipulis suis, adinvenit et instituit rationem, qua etiam absens cum ipsis maneret. 3. Ut monstraret nobis charitatem suam, qua tantum nobis thesaurum parabat, eoque ipso tempore, quo Judæi ipsi parabant flagella, spinas, crucem, adeoque in id toti incumbebant, ut eum crudelissime interficerent. Aquæ istæ multæ tantorum cruciatuum minime potuerunt extinguere charitatem ejus.

Q. IX. Cur pedum lotionem huic Institutioni præmisit? Resp. Ut doceret nos abluere sordes animi, etiam leviores, antequam accedamus ad S. Communionem purissimi Virginis Filii. Porro nisi a lethalibus saltem peccatis fuerimus abluti, non habebimus partem cum Christo; non percipiemus Sacramenti gratiam et virtutem, sed incurremus Dei indignationem et judicium. Nisi a levioribus etiam simus immunes, minore fructu communicabimus. Ergo non tantum pedes, sed et manus et caput omnesque animæ et corporis vires lavandæ, dicendumque : « Amplius lava me Domine. »

Q. X. Cur nocturno tempore instituit? Resp. 1. Ut ostenderet, magnum esse secretum hujus Sacramenti, magno Dei consilio instituti. Dici autem solet : « De nocte consilium. » 2. Quia mysterium hoc fide magna credendum erat. Fides autem quasi lucerna est in nocte ; ubi ex parte videmus, ex parte adhuc cæcutimus.

Q. XI. Cur in Cœna instituit? Resp. Ut innueret, se hoc Sacramentum instituisse, ut non solum tempore vitæ pro cibo, sed etiam ingruente mortis somno nobis pro singulari robore, et refocillatione serviret.

Quæstiunculæ de Sacrificio Missæ.

Quæritur I. Quid est Missa? Resp. Est verum et incruentum Sacrificium in nova lege ac suprema Cœna, a Christo institutum; et Deo per legitimum Ministrum, cum certis ritibus et cæremoniis, tum ad delenda peccata, tum ad gratias pro beneficiis agendas, tum ad varias obtinendas, tum ad supremum ipsius dominium profitendum, offerri solitum.

Q. II. Unde desumpta hæc vox, *Missa*, fuerit? Resp. Esti Baronius, ad annum trigesimum quartum Christi n. 53, a voce Hebræa *Missa est* spontaneam oblationem significante, et prima vice a Jacobo Apostolo usurpata, dictam putet, rectius tamen Gavantus, Azorius, et alii a vulgo potius introductam, et ab ultimis verbis: *Ite Missa est*, scilicet hostiam vel oblationem nostram ad Deum desumptam esse censent.

Q. III. Quare Missa hæc dicitur Sacrificium? Resp. Id ex definitione Sacrificii proprie dicti in communi colligi, quæ sic formatur ab Azorio: Est actio, per quam res aliqua corporata, sive ad esum, sive ad potum apta primum sacratur certis verbis, et cæremoniis adhibitis, et Deo offertur a legitimo Ministro, ritu debito, in finem congruentem. Quæ omnia, ut patet, vere Missæ conveniunt.

Q. IV. Quotuplex sit hoc Sacrificium? Resp. Realiter quidem unum esse; formaliter tamen et denominative multiplex, est enim *Latreuticum* et Holocaustum, dum totum in honorem Dei offertur. Est *Eucharisticum*, quatenus in memoriam et gratiarum actionem pro passione Christi offertur. *Est propitiatorium*, quatenus Deum nobis et defunctis propitium reddit, ut peccata aut pœnas remittat. Est *pacificum* sed impetratorium, quatenus varias a Deo gratias nobis impetrat.

Q. V. An Sacrificium hoc etiam Sanctis die ipsorum cultui consecrato offeratur? Resp. Negative; sic enim clare indicat Concilium Tridentinum, sess. XXII. cap. III. dicens: « Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui eos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Q. VI. An unum idemque sit Sacrificium, quod quotidie in Missa offertur, atque illud, quod olim est in cruce immolatum? Resp. Ex Concilio Tridentino l. I. « Una eademque est hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui per seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. » Pro quo melius intelligendo, sciendum est, in Missæ Sacrificio et esse hostiam, quæ Deo offertur, et eum, qui offertur, et actionem, qua hostia offertur a Sacerdote. Concilium asserit, hostiam esse eamdem, quia est corpus Domini. Offerentem principalem esse eumdem, eo quod idem Christus, qui tunc in cruce se obtulit nunc quoque quotidie Patri se offert, eo quod ipsius Christi Domini jussu, institutione, auctoritate, et nomine quotidie Sacerdotes offerant. Ipse igitur est principalis Sacerdos, cæteri Sacerdotes veri sunt ipsius ministri ad Sacrificium faciendum, et offerendum, Ecclesiæ auctoritate consecrati, et potestate præditi. Actio vero instrumenti, et administri est eadem, quæ causæ principalis, ac proinde oblatio Sacerdotalis eadem est, quæ Christi, se quotidie incruente per suos Sacerdotes Patri offerentis. Sed non est eadem, quæ fuit facta olim in Cruce, nam oblatio in cruce fuit facta semel, et in hac altera incruenta quotidie replicatur. In cruce Christus seipsum revera obtulit, nunc vero in Missæ Sacrificio non se per ipsum offert, sed per Sacerdotes; quia ipse Sacerdotes instituit Apostolos, et jussit ipsos, et ipsorum successores Sacrificium facere, et offerre.

Q. VII. Cur speciales vestes in Sacrificio Missæ offerendo adhibentur? Resp. Id triplici ex causa fieri. 1. Propter majorem decentiam. 2. Ad majorem æstimationem Sacrificio conciliandam, unde et in veteri lege Deus certas vestes pro Sacerdotibus præscripsit. 3. Ad pietatis et devotionis augmentum per significationem vestium ingerendam.

Q. VIII. Quid ergo significant vestes Sacerdotales. Resp. 1. Per *Amictum* significari velum, quo Judæi faciem Christi tegebant, dum eumdem colaphizantes dixerunt: Prophetiza nobis Christe, quis te percussit? 2. Per *Albam* significari vestem, qua Herodes Christum illudens indui jussit. 3. Per *Cingulum* funes, quibus columnæ pro flagella-

tione alligatus est. 4. Per *Stolam* funes, quibus per collum ligatus ad judices tractus est. 5. Per *Manipulum* funes, quibus manus ejus, cum caperetur, sunt victæ. 6. Per *Casulam* indicari purpuram, qua in coronatione fuit indutus. 7. Per *Biretum* denique coronam spineam, qua caput illius cum illusione est coronatum.

Q. IX. Cur autem varii colores in his vestibus adhibentur? Resp. Ob triplicem finem. 1. Ad diversitatem festorum, v. g. Martyrum, Confessorum etc. indicandam; hinc quia Apostoli et Martyres sanguinem fuderunt, color *ruber* in eorum festis adhibetur; *candidus* vero in festis B. Virginis, Confessorum et Virginum, quia puritatem animi et corporis servare singulariter studuerunt. In Dominicis quibusdam, *viridis* ad significandum, quod in die Resurrectionis, quæ juxta aliquorum opinionem in Dominica die continget, florere iterum quoad corpora incipiemus. Alias *violaceus* ad luctum et pœnitentiam; et *niger* denique ad condolentiam cum mortuis significandam usurpatur.

Q. X. Cur Altaria versus Orientem ædificantur? Resp. Quia Christus ab Oriente venit in mundum, et inde ad cœlos rediit, iterumque ad Judicium redibit; et in passione faciem versus Orientem vertit.

Q. XI. Quid significatur per *Altare*? Resp. Significari tum mensam, in qua Cœnam ultimam sumpsit et S. Eucharistiam instituit, tum ipsam crucem, in qua velut in altari seipsum, ut vivam hostiam obtulit.

Q. XII. Cur Crucifixi imago in altari statuitur? Resp. Ut et Sacerdos, et circumstantes meminerint, memoriam Passionis Christi in Sacrificio præcipue recolendam esse.

Q. XIII. Quid *Calix* et *Patena* significat? Resp. Sepulchrum Christi, et lapidem super impositum.

Q. XIV. Quid *Mappa* et *Corporale* significat? Resp. Corporale sudarium, Mappam linteum, quo corpus ejus involvebatur, indicare.

Q. XV. Cur tot cæremoniæ in Missa adhibentur? Resp. 1. Ad majorem huic Sacrificio reverentiam et æstimationem conciliandam. 2. Ad devotionem populi præsentis excitandam. 3. Ad Christi Passionem clarius repræsentandam; hinc tot cruces, extensiones manuum et brachiorum, percussiones pectoris, oscula altaris adhibentur.

Q. XVI. Cur *Missale* ab uno latere ad aliud transfertur? Resp. 1. Ut Sacerdoti ad preces in *Canone* dicendas commodius serviat. 2. Ut significetur, Evangelii prædicationem a Judæis ad Gentes translatam esse, hinc in fine iterum refertur, ut innuatur, universalem fore in mundi fine prædicationem, ut fiat unum ovile et unus pastor.

Q. XVII. Cur statur ad *Evangelium*? Resp. Id tum ob reverentiam, quam Evangelio debemus, demonstrandam fieri, tum ad promptitudinem indicandam, qua parati sumus ad Evangelium observandum, et omnibus viribus contra hostes defendendum; hinc alicubi ab adstantibus viris gladii nudi in manibus sub lectione Evangelii tenentur.

Q. XVIII. Cur in Missa Defunctorum populus non benedicitur? Resp. Ut indicetur, hanc Missam ad Defunctorum dumtaxat solatium et auxilium ordinari, qui proin magis benedictione, quam Deus ipsis impertitur, quam populus viventium indigent.

Q. XIX. Cur in fine Missæ ordinarie Evangelium S. Joannis legitur? Resp. In memoriam et gratiarum actionem pro beneficio Incarnationis, quæ fuit initium vitæ et passionis Christi, cujus Evangelium hoc est succinctum compendium.

Quæstiunculæ de Beatissima Deipara.

Quæritur I. An SS. Dei Mater sine macula originalis peccati sit concepta? Resp. Affirmative, cum communissima Catholicorum Doctorum sententia, triplici ratione id probantium. 1. Ex variis congruentiis, ex filiatione Christi et maternitate hujus Sanctissimæ Virginis petitis, sed hæ utpote subtiliores Theologis relinquendæ sunt. 2. Probant id ipsum ex variis revelationibus et miraculis, quæ uti magis ad hoc forum pertinent, ita non erit extra rem aliquas narrasse. Et primo quidem, ipsa Sanctissima Virgo Sanctæ Birgittæ dixit, se esse sine macula conceptam, et hoc non definiri a sede Apostolica, ut fideles magis habeant occasionem suum erga ipsam affectum ostendendi, uti Bernardus de Bustis, sect. I. p. 1. refert. Idem etiam alias quodam Canonico revelavit, ut S. Anselmus, lib. 1 mirac. c. VII, scribit. Nam cum Canonicus iste noctu per aquas ex fornicatione rediret, et Matutinum de Beatissima Virgine recitans, a Dæmonibus eversa navicula submersus esset, jamque ab iisdem ad infer-

num raperetur, subito ab hæc Sanctissima Virgine ereptus est, audivitque si gratus esse vellet, operam dare debere, ut a fornicatione deinceps abstineat, et festum Immaculatæ Conceptionis devote celebret. Deinde etiam ipse S. Thomas, cujus auctoritate tamen se maxime tuentur adversarii, Fantino, Episcopo Pataviensi, id revelavit. Cum enim Episcopus hic legeret tertiam partem sancti Thomæ, et miraretur, quod ibi determinasset, quod Beatissima Virgo in originali peccato sit concepta, apparuit ei S. Thomas dicens : Scias, Domine Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad statum, quo Beatissima Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum esset præservata; sed Dei Filius Matrem suam ab omni macula præservavit. Ita Nicolaus de Padua, tum ejus Vicarius et Doctor, asserens se ab hoc Episcopo visionem hanc non sine magna lacrymarum effusione propriis auribus audivisse, teste eodem Bernardo de Bustis, sect. VII. Id ipsum vero aliis adhuc miraculis est confirmatum, inter quæ primum merito locum habere debet, quod Alexandro Alensi, viro doctissimo ex ordine S. Franc. contigisse scribitur. Cum enim hic in festo Conceptionis coram tota Universitate doceret, Beatissimam Virginem esse in macula originali conceptam, repentino ac gravi morbo correptus, eoque singulis annis eodem die redeunte tentatus est, donec votum fecit, se librum de Immaculata Conceptione compositurum, hoc enim voto facto mox sanatus est, et postea in morte sua assidue hæc verba ingeminavit : « Maria, Domina mea, tota pulchra es, et macula originalis nunquam fuit in te! » Nec minus mirabile est, quod idem Bernardus de Bustis in civitate Mantuæ accidisse narrat, quod scilicet, cum Dominicanus quidam in solemnissima disputatione probare vellet, Beatissimam Virginem esse in macula conceptam, omnia verba in ore ejus mutata sint, dixeritque : Propono vobis istam veram conclusionem, quod Beatissima Virgo sit sine macula concepta. Cumque Fratres irascerentur, et ille se emendare vellet, nihil aliud dicere potuerit. 3. Sed quia forte similes revelationes et miracula ab adversariis, ut incerta explodentur; ideo tertium argumentorum genus ex affectu erga Beatissimam Virginem petitum sic formant nostræ sententiæ Auctores : Quidquid probabiliter et sine incommodo Beatissimæ Virgini attribui potest, id merito tribuitur; sed hoc fieri potest in Immaculatæ Conceptionis assertione; ergo merito asseritur. Major est S. Augustini, Bernardi et aliorum, minor autem ex eo probatur, quod major pars Doctorum ita sentiat, neque ullum inconveniens ex tali assertione secuturum appareat, sed potius magni favores et gratiæ ab hac Sanctissima Virgine, quin et ipso Christo, sperari possint. Si tam honorifice de illa sentiamus, et loquamur, quidni ergo id agamus ?

Q. II. Quid nomen Maria significat? Resp. 1. Idem significare ac *Illuminatrix ;* quia ipsa procul omni dubio Apostolos et primos Christianos secum viventes instruxit, et per illos nos quoque. Propterea enim S. Anselmus, l. de excell. Virg. c. VII, existimat, tam diu eam in terris post Christum relictam, ut esset doctrix Apostolorum. Sanctus etiam Ambrosius, lib. de Instit. Virg. c. VII. vult ab ipsa edoctum esse in multis Joannem Evangélistam, qui præ cæteris historiam Christi quasi ad vivum descripsit. « Non miror, inquit, præ cæteris mysteria divina locutum, cui præsto erat aula cœlestium Sacramentorum. » Ac propterea forte dicitur conservasse omnia verba hæc, id est, quæ circa Christum et ab ipso gesta sunt, ut postmodum alios ea doceret. 2. Idem significare ac *Stella maris ;* uti S. Bernardus, hom. 2. de B. Virgine, indicavit dicens : « Nomen Virginis Maria, quod interpretatum, *maris stella* dicitur ipsa est præclara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. » Hinc subjungit : » O quisquis intelligis, te in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris; non vis obrui procellis, respice stellam, voca Mariam. »

Q. III. An congruum fuerit, ut B. Deipara ante, in, et post partum Virgo permaneret? Resp. Affirmative, idque probatur : 1. *Ante partum;* nam sic decebat ex parte Patris, quia non decebat ut Christus, præter Patrem cœlestem, haberet alium terrestrem; ex parte Filii, quia est verbum Patris, verbum enim in corde concipitur, absque ejus omni corruptione; ex parte carnis Christi, quæ necessario contraxisset peccatum originale, si ex concubitu prægnata fuisset, teste S. Aug. l. de Nuptiis et Concupiscentia. 2. *In partu.* Primo enim si verbum non solum in corde absque corruptione concipitur sed etiam ex

corde procedit, decebat, ut verbum Dei etiam nasceretur sine læsione matris. Secundo, quia Christus venerat ut nostram corruptionem tolleret, ergo non decebat, ut aliquid corrumperet, præsertim integritatem matris. Unde S. Aug. in ser. de Nat. Domini, apud D. Th. 3 p. q. 28 art. 2. ait : « Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas,qui venerat sanare corrupta. ». 3. *Post partum.* Nam, 1. id congruebat dignitati et perfectioni Christi, qui sicut unigenitus est Patris, ita decebat, ut esset unigenitus et matris. 2. Uterus Virginis sacrarium fuit Spiritus Sancti. Non decebat igitur, ut ab homine violaretur, 3. Ingratissima fuisset Deipara, si tanto Filio non contenta fuisset, et si virginitatem, tanto miraculo sibi conservatam, sponte perdere voluisset. 4. S. Joseph a temeritatis nota immunis non esset si eam, quam a Spiritu Sancto concepisse intellexerat per Angelum, violare ausus fuisset.

Q. IV. Cur B. Virginis consensus ad Christi incarnationem fuit requisitus? Resp. Ob sequentes causas : 1. Quia hic sponsalia Dei Patris cum B. Virgine, item Filii Dei cum humana natura, denique Christi cum Ecclesia celebranda erant ; decuit ergo, ut consensus utrinque adesset. 2. Qui nos una mulier male consentiendo perdiderat ; decuit, ut altera bene consentiendo nos pristino statui restitueret. 3. Quia sicut absque nostra voluntate nos creaverat Deus, ita et nos recreare statuit, sed cum illa potius. Unde de dormiente quidem Adamo Eva educta est, sed non item caro Christi de dormiente virgine. Qui creavit te sine te, non redimet te sine te. 4. Ut eo consensu Maria virtutes suas depromeret, et pauculis verbis ostenderet, quam merito, ad hanc dignitatem præ omnibus aliis electa fuisset. 5. Denique, ut Deiparæ arctius obstringeremur nos, quorum salus suo modo dependebat etiam a Deipara, quæ in illo consensu personam gessit totius naturæ humanæ, ut asserit S. Th. 3. p. q. 30. art. 1. Quantas igitur ei gratias debemus !

Q. V. An B. Virgo etiam quoad corpus fuit in cœlum assumpta? Resp. ita communiter sentire Doctores, cum Juvenali, Archiepiscopo Jerosolymitano, scribente ad Marcianum Imperatorem, sacrosanctum corpus illius angelica simul et apostolica hymnodia elatum in tumulo quodam in regione Gethsemani repositum esse, et in tertium usque diem eo loco carmina Angelos perpetua in honorem et laudem Dei Genetricis cecinisse, et cum, eodem tertio die, is, qui in obitu Virginis matris choro Apostolorum non adfuerat, advenisset, et sacrum illum cœtum, ut tumulum recluderet, quo et ipse Verbi matri debitum supremumque persolveret honorem precibus summopere sollicitasset, atque sigillo ablato sepulchrum apertum esset, sacrum illius corpus prorsus repertum non esse, sed sepulchrales illius fascias tantum suo loco intactas atque inviolatas perinde, ac si eas corpus paulo ante reliquisset, repertas. Et quidem inenarrabili odoris suavitate redolentes, eaque suavitate illos abunde afflatos, signaculo rursus tumulo imposito, abiisse; atque illud solum pro eo ac decebat animo secum meditatos, Deum corpus Virginis ante communem omnium resurrectionem immortalitate cohonestasse.

Q. VI. Cur B. Virgini singularis hyperduliæ cultus tribuitur? Resp. Ob tres causas. 1. Ob maternitatem illius, nam et in terris constat, matres Regum et Principum non æquali cum aulicis aliis cultu coli. 2. Ob dignitatem illius tanquam Reginæ cœli et Sanctorum omnium, unde pariter decet, speciali et majori eam cultu coli. 3. Ob sanctitatem illius, quia ut Suarez probavit, in primo conceptionis instanti plus gratiæ accepit, quam omnes Angeli et Sancti simul habuerint, aut habituri sint, et hanc gratiam singulis momentis duplicata mensura auxit ; cum ergo honor virtutem et sanctitatem sequatur, merito major ob hanc causam illi cultus debetur.

Q. VII. In quo consistat verus cultus Virginis? Resp. In hoc, ut corde, ore et opere colatur. Et 1. quidem *Corde*, eam digniorem omnibus Sanctis æstimando, juxta illud S. Anselmi, l. de concept. « Nihil tibi, O Domina, æquale est, nihil comparabile. Omne enim quod est, aut supra te, aut infra te est. Quod supra te est, solus Deus est. Quod infra te est omne quod Deus non est. » Quid multis? « Ipsa est, inquit S. Bonav. in Speculo B. V. qua majorem facere mundum potest Deus ; majorem Matrem, quam Matrem Dei facere non potest. » 2. *Ore*, magna fiducia eam per varias preces invocando, juxta monitum S. Bernardi : « In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore. Nam sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi ; captivus redemptio-

nem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, Angelus lætiam, tota Trinitas gloriam, et denique persona Filii Dei carnis substantiam. » 3. *Opere*, imitando virtutes illius, ut iterum S. Bernardus hortatus est dicens : « Ut impetres orationis ejus suffragium non deseras conversationis ejus exemplum. » Et clarius S. Ildephonsus, ser. de Assumpt. dum ait : « Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis, colite, quam amatis, quia tunc vere colitis et amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis. » Nam ut bene S. Ildephonsus, ser. I, de Assumpt. advertit : « Non tam illi prodest nostra laudatio, quam nobis illius imitatio; unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis, imitatio est operis. »

Quæstiunculæ de SS. Angelis.

Quæritur I. An quilibet homo Angelum Custodem habeat ? Resp. Affirmative, ita enim S. David, Ps. 90. indicat dicens : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Et confirmat S. Gregorius Nyss. lib. de vit. Moys. dicens : « Verus sermo ad nos descendit, quo creditur postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino a clementia divina neglectam esse, nec absque patrocinio dimissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique institutum esse. » Hinc S. Cœcilia Valeriano dixit : « Ego Valeriane, in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit; cave ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur. » Unde S. Bernardus, ser. 12 in Ps. 90. admirans exclamat : « Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis ! Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit ? Summa Majestas mandavit et Angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, et vere domesticis Dei mandavit de te. Tu quis es ? Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum, quasi vero non sit homo putredo, et filius vermis ? »

Q. II. Quæ beneficia corporalia conferunt custodes Angeli? Resp. sequentia : 1. In itineribus comitantur, uti expertus Tobias dicens: *Me duxit, et reduxit.* Sic et Angelus Domini præcedebat castra Israel in columna nubis, monstrans iter per desertum. 2. Victum suppeditant, ita Genes, c. XXI. Cum Agar filiolum suum deficiente aqua, jam animam agentem in solitudine, ad radices arboris abjecisset, ne videret eum siti confici ; Angelus apparuit, et ostendit illi puteum aquæ limpidæ, qua moribundum filium reficeret. Ad hæc, Danielem in lacu leonum conclusum, per Habacuc ad eumdem locum mirabiliter delatum, pavit cibis, qui pro messoribus parati erant. Dan. VI. Eliam etiam refocillavit pane subcinericio, et vase aquæ. III Reg. XIX. 3. Hostes compescunt; uti S. Basilius testatur dicens : « Quemadmodum urbium muri in circuitu undequaque hostium insultus arcent ; sic et Angelus a tergo et a fronte custodit, etc. » Et Origenes, hom. VIII, octava, in c. VIII. Josue : « Sancti Angeli, inquit, videntes nos insectationem dæmonum pati, insurgunt adversus eos qui insectant, et omnes eos post terga cadentes interimunt. » Testis Jacob, qui Angelorum præsidio munitus fuit contra Esau fratrem. Gen. XXXII. Testis Judas Machabæus, qui præsidio Angelico suffultus, devicit Lysiæ exercitum. Apparuit enim præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. II Mach. XI. Testis Elisæus, qui circumdatus ab hostibus vidit maximum exercitum Angelorum sibi in auxilium missum. IV Reg. VI. Testis Ezechias Rex, qui centum octoginta quinque millia Assyriorum hostium suorum ab Angelo una nocte trucidata vidit. IV Reg. XVI. Testis Theodosius junior Imperator, quo cum Persis et Saracenis pugnante, circiter centum millia Saracenorum, in fluvium Euphratem Angelus Domini præcipitavit. 4. A periculis servant ; ita Tobiam a pisce servavit Raphael ; Lot eduxerunt et servaverunt ab incendio Sodomæ. Gen. XIX. Tres pueros in fornace ignis, Dan. III, Danielem in lacu leonum, Dan. X, Apostolos de nocte apertis carceris januis eduxerunt, Act. V, et Petrum e carcere Herodis. Act. XII.

Q. III. Quæ beneficia spiritualia conferunt Angeli? Resp. sequentia : I. Offerunt orationes nostras Deo, uti S. Raphael testatus est dicens : « Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium etc. ego obtuli orationem tuam Domino. » Et Apoc. VIII. « Vidit Joannes Angelum stantem ante altare aureum, adolentem incensa multa (quæ sunt orationes Sanctorum) super id, ante thronum Dei. Et ascendit fu-

mus incensorum de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum. » In quem locum S. Bernardus, ser. I, de Angelis, ait : « Angeli nostros sudores, non suos; nostras, nos suas lacrymas offerunt Deo, nobis quoque ejus munera referunt. » Et S. Augustinus, Soliloq. c. VII. « Gemitus nostros atque suspiria referunt ad te, Domine, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem. » 2. Illuminant per inspirationes, librorum spiritualium exhibitionem, vel ad concionem adducendo, vel exempla salutaria proponendo, quæ sit voluntas Dei bona, et bene placens; quid agendum, quid fugiendum sit, ubi venenum et anguis sub herba lateat. Sic Tobiam docuit Raphael rationem fugandi, et eo compescendi dæmonem per cor, fel et jecur piscis; spiritualiter ut postea aperte dixit, per orationem, jejunium et eleemosynam, cum discessurus dixit : Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna. Cor designat orationem, fel jejunium, utpote gustui adversum, jecur seu hepar, quod cæteris membris alimenta et sanguinem subministrat, eleemosynam. 4. Peccandi occasionem amovent, teste Davide Ps. XC. « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis ; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Sic Lot monuit, et ex societate Sodomitarum eduxit, ne cum illis periret. 5. Consolantur; sic locutus ad Zachariam consolatoria verba, Zachariæ I. Sic astitit Tobiæ cæco Raphael : « Gaudium tibi sit, inquit, et forti animo esto, in proximo est, ut a Deo cureris. Tob. V. Sic consolatus est Magdalenam, ante sepulchrum plorantem, cum dixit : « Mulier, quid ploras ? Sic et Hæbræos ab hostibus afflictos, Jud. II. Ita in nova lege sæpe consolati sunt Martyres in carceribus et suppliciis : Sanctum Sebastianum pallio candidissimo induerunt ; Sancto Petro crucifixo cum coronis de floribus rosarum et liliorum astiterunt. 6. Post mortem ad cælos ducunt. Testis est hujus rei Christus ipse, qui Lazarum ab Angelis portatum esse in sinum Abrahæ dixit, Luc. XVI. Testes Sanctorum vitæ, quorum plurimi a Sanctis Angelis suscipi, et ad superos gestari visi sunt. Velut S. Martinus, S. Dominicus, Medicus ille servulus apud S. Gregorium M; animam S. Guillelmi Abbatis vidit per duos Angelos elevari ad cælos Gomundus ejus discipulus; animam S. Pauli Eremitæ S. Antonius; animam S. Germani Episcopi S. Benedictus ; Petrus Exorcista et Marcellinus cum sociis Martyribus a spiculatore visi ab Angelis in cœlum ferri, unde is conversus est.

Q. IV. Pluresne habet quivis homo custodes Angelos ? Resp. Affirmative, si de iis, qui plures simul custodiunt, sit sermo ; nam ut Paulus Barry et plures alii affirmant, quælibet provincia, civitas, parochia, domus etc. peculiarem habet custodem, qui omnes in ea urbe, vel domo morantes defendit. Quemadmodum enim in Republica bene ordinata non solum particulares cujusque loci, vel civitatis officiales sunt, sed etiam alii quidam generales super integras provincias, tractus, præfecturas, ut illi ab his dependeant, et dirigantur ; ita etiam Deus, quoniam interventu Angelorum mundum gubernare constituit, præter custodes unicuique proprios, constituit quoque superiores alios, quibus integræ provinciæ, tractus, præfecturæ, civitates commissæ sunt. Hujusmodi Angelos vidit Jacob. Gen. XXXII. cum dixit : « Castra Dei hæc sunt. » Erant enim duo exercitus, unus Angeli præsidis super Mesopotamiam, alter præsidis super Chananæam constituti cum tutelaribus ejus subordinatis, ut docet ibi Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis.

Q. V. Cur specialiter amandi sunt omnes Angeli ? Resp. 1. Quia natura nobilissimi, et quasi aulici Dei, respectu quorum nos stabularii et mancipia tantum sumus. Jam si servi Assueri flectebant genua Amani, quia primus erat in aula Regis ; quanto magis nos veneramur Angelos, qui sunt aulici Dei, et tantum nos excedunt, ut vel infimus Angelus nobilior sit quam tota humana natura ? 2. Quia Dei legati sunt, ad nos destinati, Dei personam repræsentant. Unde ait Dominus Moysi, Exod. XXIII. de Angelo Ductore exercitus Israelitici : « Nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris, et est Nomen meum in illo, » quasi diceret : Angelus hic personam, auctoritatem et voluntatem meam repræsentat. 3. Quia sunt pædagogi et magistri nostri. Quod si parentibus nostris plurimum debemus, quia dant nobis vivere, plus certe adhuc magistris nostris, quia dant nobis bene vivere. Sic honoravit Josue Angelum, quando ante eum corruens in terram pronus dixit : « Quid Dominus meus loquitur ad servum suum ? » Jos. V. Sic honorabat Raphaelem suum Tobias junior, quando vocavit eum Dominum suum, Tob. VI : « Domine, invadit me. »

Sic Sacerdos ille de Societate Jesu, qui u refertCrombecius, de Studio perfectionis lib. II, c. II. Angelo suo custodi eam reverentiam deferebat, ut quotiescumque portam aliquam ingrederetur, Angelo tutelari primas in ingressu relinqueret. Nec vane, siquidem die quodam, dum singulari studio locum illum eidem cederet, visibilis Angelus transiit, et gratum sibi esse hujusmodi obsequium declaravit.

Q. VI. Quomodo honorandi sunt Angeli? Resp. tribus præcipue officiis. 1. Timendi sunt, juxta monitum D. Bern. dicentis : « Caute ambula, ut scilicet cui adsunt Angeli sicut eis mandatum est in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe ; tu ne audeas illo præsente quod vidente me non auderes. » Sic faciebat Abbas in vitis Patrum, l. VII, c. XLIV, qui rogatus, quænam ejus esset quotidiana exercitatio, respondit: « Ego Angelum meum mihi assistentem juxta me expecto, et custodio memetipsum, quod scriptum est reminiscens : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Timeo ergo eum, ut custodientem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum, et insinuantem actus meos et verba. » 2. Audiendi sunt, juxta Dei præceptum, Exodi XXII. « Observa, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris, et est nomen meum in illo » (Chald. habetur : *in nomine meo est verbum illius*) quasi diceret : quidquid præcipit, meo nomine præcipit. 3. Imitandi sunt, ut S. Bern. ser. I. de S. Michaele monet dicens: «Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus novimus eos oblectari ; sunt enim plura, quæ eis placent, et quæ in nobis invenire delectat, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, et orationes cum lacrymis et cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem et pacem a nobis exigunt Angeli pacis.»

Q. VII. Cur Angeli sub specie humana depinguntur? Resp. Quia sæpius in ea apparuere. S. Th. I. p. q. 51. a. 2. forte ut sic amorem erga nos suum explicarent, et reciprocum a nobis erga se exigerent, similitudo enim amorem causat. Qui alicui Duci pugnanti in subsidium veniunt, ejus librea seu colore armorum amicti veniunt, ut amici agnoscantur. Similiter S. Angeli, quia in subsidium nostrum missi sunt, vestibus se nostris, nostra se a se librea induunt, ut sic intelligamus, eos amicos esse nostros, et in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Q. VIII. Cur in Juvenili forma pinguntur? Resp. Quia, Marc. ult. in tali forma apparuerunt ; dein ob naturæ speciositatem, et fulgorem nunquam senescentem, semper florentem ; et quia Angeli, quæ volunt. immobiliter volunt, nec mutant consilia et proposita, quæ semper et necessario bona sunt, et voluntati divinæ conformia.

Q. IX. Cur alati pinguntur? Resp. Quia sic Isaiæ c. VI. visi sunt ; et præterea propter naturæ subtilitatem, juxta Chrysostomum, in hom. 3. de Incompreh. Dei nat. vel propter velocem in cuncta discursum, juxta Hieron, in c. VI. Isaiæ ; vel quia velocissime Dei mandata exequuntur, juxta Paulinum, Natal. VIII. Dionys. de cœl. Hierarch. c. XV. Pulchre hanc Angelorum promptitudinem describit David, Ps. 103. dicens : «Qui facit Angelos suos Spiritus.» Quæ verba Paraphrastes Chaldaicus sic reddit : Qui facit Angelos suos veloces sicut ventum ; nec male, sic enim et venti pinguntur, tanquam Angeli alati spirantes. Ut enim ventus nil est aliud, quam exhalatio a nube depulsa, regionem aeream et nostram celerrime pervadens ; ita et Angeli a Deo ad nos missi, omnia celerrime pervadunt ac perficiunt, ac si a Dei mandato depulsi essent.

Q. X. Cur discalceati pinguntur? Resp. cum S. Dionysio, c. XV. Hierarch. Quia liberi, absoluti et expediti, atque ab exterioris omnis adjectionis labe sunt puri, et ad divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendunt. Hac de causa jussit Deus, Exod. III. Moysen, cum eum ducem profectionis per desertum in terram sanctam constitueret calceos exuere, quia nimirum decebat peregrinum, et ad terram sanctam tendentem exuere curas et sollicitudines terreas.

Quæstiunculæ de Sanctis.

Q. I. Quæ sunt gaudia præcipua Sanctorum in cœlis? Resp. sequentia. 1. In intellectu, visio Dei a facie ad faciem, et creaturarum perfectissima. 2. In voluntate, amor perfectus, quies animi maxima, justitia perfecta. 3. In memoria, perpetua contemplatio

Dei, recordatio mirabilium Dei, et beneficiorum acceptorum. 4. In sensibus, tam copiosæ voluptates, ut S.David, Ps. xxxv dixerit : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Q. II. Cur sancti specialiter honorandi sunt ? Resp. Quia ipsi Deum summe honorant et amant ; quem honorem nos pluris facere debemus, quam si nobis exhibitus fuisset. 2. Quia ipsi a Deo nimis sunt honorificati, uti David, Ps. LXXII testatur. 3. Quia eorum honor redundat in Deum ; nam honor erga gratos et benignos conservos benevolentiæ erga communem Dominum judicium est, ait S. Damascenus, l. IV Orthod. fid. c. XVI ; cum laudatur pictura, laudatur et ejus auctor, cum laudatur pulchritudo creaturarum, laudatur et Creator. 4. Quia sic omnes Sanctos ut honoratos in operibus nostris spectatores, potentes in periculis defensores, propitios in necessitatibus advocatos habebimus.

Q. III. Quomodo colendi sunt Sancti? Resp. Tribus præcipue officiis. 1. Per magnam de ipsorum gloria æstimationem. 2. Per cordialem fiduciam et invocationem. 3. Per sedulam virtutum ab iis exercitarum imitationem ; nam teste S. Augustino : Tunc libenter pro nobis intercedunt, quando aliquid in nobis de suis virtutibus recognoscunt. Hinc non male cecinit poeta quidam :

Sanctorum est cultus gratissimus optima vita.

Quia cultus hic purissimus, amplissimus (id est, universas vitæ actiones complectens) et perpetuus est, quia diu noctuque durans.

Q. IV. An, et quomodo cognoscunt Sancti preces nostras ? Resp. vel per revelationem Dei, vel in ipsa illius essentia.

De Fidelibus defunctis.

Quæritur I. An pœna, quam animæ purgatorii patiuntur, gravior sit omni pœna hujus mundi ? Resp. Affirmative, S. Thomas dicens : Qualemcumque pœnam sensus Purgatorii quovis tormento præsentis vitæ esse graviorem. Et hæc etiam S. Augustini doctrina est, in Psal. XXXVII, ubi adducens verba illa Apostoli, I ad Corinth. III : « Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, inquit, quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo potest pati in hac vita. »

Q. II. An pœnæ illarum paulatim minuantur ? Resp. Ita quidem aliquos sentire, sed probabilius Suarezium judicare, quod non quoad intensionem, sed durationem dumtaxat minuantur. Quia ejusmodi pœnæ ac dolores finiuntur, sicuti incipiuntur. Jam vero omnes isti dolores simul incipiunt, non autem paulatim augescunt ; ergo etiam ita finiuntur, quod et verisimile est ; animæ enim in principio ad certam pœnam, et certum tempus condemnantur, ergo etiam pœna illa una eademque manebit donec tempus earum adimpletum fuerit.

Q. III. Cum Purgatorii cruciatus adeo acerbi sint, quomodo animæ eos sufferre possunt ? Resp. Animo lubenti ac patienti ; nam etsi pœnæ istæ acerbissimæ sint ; charitas tamen, quæ in ipsis dominatur, efficit, ut in omnibus divinæ voluntati sese perfectissime conforment, unde non libenter solum ac patienter pœnas illas sustinent, sed et easdem amant ac complectuntur, adeo ut, si liberæ dimitterentur, ultro illas etiam susciperent, scientes, juste se ad easdem condemnatas, quibus mediantibus ad fruitionem divinæ Majestatis admittantur, ad quam solam præ reliquis rebus omnibus aspirant. Etsi nihil aliud sit præter solam illam cognitionem, qua norunt Deum velle, ut pœnas illas sustineant, propter hanc solam prompto et parato animo eas tolerabunt, quæ promptitudo ex perfecta illa nascitur subordinatione, quam habent cum voluntate divina, qua fit, ut nihil velint ipsæ, quod non idem velit Deus.

Q. IV. Cur animabus Purgatorii liberaliter subveniendum ? Resp. Ob tres causas. 1. Ob Dei et Sanctorum beneplacitum, qui ardenter desiderant, eas a pœnis suis liberari, et in consortium gloriæ admitti. 2. Ob miserum animarum statum, e quo tamquam commembra et fratres merito a nobis liberari petunt, illud Jobi ingeminantes : « Miseremini mei saltem vos amici mei ! » 3. Ob nostrum commodum et solatium, quia, qua mensura mensi fuerimus, eadem remetietur nobis.

Q. V. Quis sit optimus modus ipsis subveniendi ? Resp. Si detur ipsis misericordiæ mensura *bona* (ordinaria tempora et modum ipsis subveniendi observando) *conferta* (omnem operum suorum fructum satisfactorium

aliis non debitum ipsis transcribendo) *coagitata* (etiam opera post mortem pro se offeranda, ex charitate transcribendo, si Deo id placeat) *superfluens* (alios quoque ad similem misericordiam omni possibili conatu incitando).

Q. VI. An opera pro talibus animabus oblata illis infallibiliter prosint? Resp. quod sic; viventium enim satisfactiones fundatæ sunt in justitia, quippe quæ a Deo ordinatæ sint, qui cum easdem etiam non fore irritas promiserit, sequitur inde, Deum illas infallibiliter acceptare; nisi quandoque ob justas causas aliud ipsi statuendum videatur.

Q. VII. An satisfactiones nostræ tantum prosint defunctis, quantum nobis profuissent? Resp. Quod ita, v. g. si quis opus aliquod satisfactorium perficiat illudque applicet sibi, tollet quatuor gradus pœnæ in Purgatorio persolvendæ; quod si ipsum opus defuncto alicui applicetur, præstabit omnino tantumdem, prorsusque eamdem in aliis virtutem habebit, quam habet in nobis ipsis.

Q. VIII. An, qui juvare animas cupit, in statu gratiæ esse debeat? Resp. cum communi Theologorum cœtu, affirmative, quia opera, quæ quis mortalibus peccatis obnoxius ad delendam pœnam facit, nullius apud Deum valoris sunt et efficaciæ. Atque ideo ne ipsum quidem, qui ea in tali statu operatur, juvare queunt, multo minus aliis prodesse poterunt, juxta illud Apostoli, 1. Cor. XIII. « Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. »

Q. IX. An indulgentiæ animabus applicatæ infallibiliter illis prosint? Resp. Auctores communiter affirmant. Ratio est, quia Christi Sanctorumque merita et satisfactiones dantur in compensationem pœnarum ac tormentorum Purgatorii, quæ valoris et efficaciæ sunt infinitæ; deinde etiam divinam habemus promissionem: « Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis. » Ergo Deus infallibiliter ejusmodi indulgentias gratas habet et acceptas, tam scilicet eas, quæ pro vivis, quam quæ pro defunctis conceduntur. Unde cum hic sit universalis totius Ecclesiæ consensus et sensus, gravissimum committet errorem, quisquis indulgentias animabus in Purgatorio existentibus, per modum suffragii concessas, dixerit esse incertas.

Q. X. An, qui applicat animabus indulgentias, in statu gratiæ esse debeat? Resp. cum Pinello et aliis, non esse necessarium. Ratio est, quia si Pontifex non expresse commendaverit, ut opus illud perficiatur ab aliquo in statu gratiæ constituto, etiam non erit necessarium, sed sufficiet, si illud ipsum opus dumtaxat, in effectum perducatur. Præterea status gratiæ requiritur in illo, qui effectum recipit indulgentiarum, eæ vero sunt animæ in Purgatorio detentæ, quæ (ut supra dictum est) sunt in statu gratiæ. Deinde effectus indulgentiarum non ex merito dependet facientis opera illa, sed ex valore satisfactionum Christi et Sanctorum, atque ideo animæ a Purgatorii pœnis liberari possunt, etiamsi is, qui facit opera illa, sit in peccato, quemadmodum Sacerdos aliquis, etsi peccatis obnoxius sit, nihilominus tamen remissionem obtinere potest peccatorum, non quidem pro se, sed pro aliis, quippe cum iste effectus non a Sacerdote, sed a Sacramento Altaris dependeat. Et hæc doctrina est S. Thomæ, Ricardi, Gabrielis, Cordubensis et aliorum, quos citat Suarez, de Indulgentiis disp. LIII, sect. IV.

Q. XI. An aliqua in Purgatorio solatia habeant animæ? Respondet Faber, conc. IV in die Commem. animarum, affirmative; nam 1. Gratulantur sibi, quod jam sint in statu gratiæ, et merito sane. Quantum enim bonum est cœlestis gloriæ arrham habere! Hunc certe statum David gaudium vocat et lætitiam, Ps. L. « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata. » Gaudium, inquam, veluti testem aliquem et indicem internæ gratiæ. 2. Gratulantur sibi, ac Deo gratias agunt de dono innocentiæ; docet enim S. Thomas, q. VII de Peccato veniali, quod quam primum illud animæ post mortem revelatum fuerit, eam esse in Dei gratia, actum charitatis tam intensum eliciat, qui omnem penitus expellat culpam venialem, idque non per modum meriti, sed per modum incompossibilitatis; quemadmodum is, qui in camera magnum aliquem excitaret ignem, frigus expelleret, licet in hunc finem ignem non accenderit. 3. Gratulantur sibi de certitudine salutis, quæ præcipuum merito pœnarum condimentum esse creditur: *Mavult enim anima,* teste Blosio c. XIII. Monil. *perferre pœnas cum certitudine perveniendi ad Deum, quem adhuc esse in hac vita cum periculo peccandi in Deum.* 4. Gratulantur sibi, et gaudent de mutua cha-

ritate, qua se animæ mutuo in Purgatorio amplectuntur, et de mutua liberatione gaudent. 5. Denique gratulantur et gaudent Angelica visitatione; nam mitigant, teste S. Augustino, suavissimo suo alloquio, aspectuque afflictorum pœnas. Quid enim vel alloquio eorum suavius, vel aspectu jucundius? Nuntiant deinde facta pro eis suffragia. Postremo solantur de brevi liberatione.

CHRISTIANUS.

UOAD ESSENTIAM.

Juxta S. Thomam, est, qui fidem Christi habet, qui spiritu Christi virtuose operatur, et ad imitationem Christi peccatis moritur. S. Thom. 1. II, q. cxxiv, a. 5.

Aut, ut Canisius eum describit, qui Baptismatis Sacramento initiatus, totam Jesu Christi doctrinam salutarem in ejus Ecclesia profitetur. Huc etiam pertinet, quod de S. Pacomio legitur, quod scilicet, cum adhuc Gentilis esset, et multis militibus fame pereuntibus, ad Christianam civitatem venisset, ibique victum magna charitate subministrari advertisset, quæsiverit, quænam hæc gens foret ad bene faciendum tam prona? Cumque intellexisset, Christianos vocari; hoc responso non contentus, iterum quæsierit, quid sit esse Christianum? cui cum iterum responsum esset, esse homines pios, Deum colentes, et credentes in Jesum Filium Dei, et sperantes ab eo mercedem omnibus benefacere, Religionis hujus amore incensus, paululum secessit, et manibus in cœlum levatis, se Christo in perpetuum devovit. Sur. 24. *Maii.*

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.— Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. II *Tim.* ii, 19.

Labora sicut bonus miles Christi, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, vel, ut alii interpretantur, Filium Dei. I *Tim.* vi,12.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in Regnum cœlorum. Matth. vii,21.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Jac. ii,14.

Qui dicit, se in Christo manere, debet, quemadmodum ille ambulavit, et ipse ambulare. I Joan. ii, 6.

Melius erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. II Petr. ii,21.

Quapropter, fratres mei, satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. II Petr. i, 10.

Dignitas.—Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. I Petr. v,9.

Gratias agentes Deo, qui nos fecit dignos in partem sortis Sanctorum in lumine. Coloss. i,12.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Christianismus est imitatio divinæ naturæ. Si igitur Christianus es, Christum Deum imitare; noli vacuum ferre nomen, atque inane, sed plenum; tanti mensuram nominis imple, inquam, operibus nomine dignis. S. Gregor. Nyss. *de Nomine et prof. Christ.*

Nemo Christianus vere dicitur, nisi qui Christo moribus, prout valet, coæquatur. S. Cypr. *de* xii *Abus.*

Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur. Quid enim tibi prodest vocari, quod non es, et nomen usurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, et merito tibi Christiani nomen assume. S. Aug. *de vita Christian.*

Ille vere Christianus est, qui omnibus misericordiam facit; qui nulla movetur injuria; qui alienum dolorem tanquam proprium sentit; cujus mensam nullus pauper ignorat; qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo et Angelis glorietur; qui terrena contemnit, ut possit habere cœlestia; qui opprimi pauperem se præsente non patitur; qui miseris subvenit; qui ad fletum fletibus provocatur alienis, quod bene faciebat Paulus. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Ibidem.

Ipse est Christianus, qui et in domo sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites nos erimus. Idem, *sup. Ps.* xxxii.

Tota vita hominis Christiani, si secundum

Evangelium vivat, crux est atque martyrium. S. MAX. *in serm.*

Christi ille non famulus, et subsannator et irrisor est, qui ejus se servum dicit, cui servire dissimulat. S. AUG. *de vit. Chr.*

Non in hoc nobis nomine tantum, quod Christiani dicimur, non blandiamur; sed propter hoc etiam nos judicandos credamus, si nomen nobis frustra vindicemus alienum. Ibid.

Nos, fratres carissimi, philosophi non verbis, sed factis sumus; nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus; virtutum magis conscientiam, quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed facimus. S. CYPRIANUS.

Quamvis legem sanctissimam habeamus; si tamen ea, quæ barbari, faciamus, barbaris etiam deteriores sumus. Quod enim lex bona sit, nostrum non est, muneris Christi est. Quare nihil in hac vita lex Christi nos adjuvat, quin potius accusat, quod sub lege positi contra legem omnia facimus. S. SALVIANUS. *Gent.*

Christianus est lux, sal, fermentum. CHRYSOST. *super Joan. hom.* LII.

Christiani non pugnando, sed moriendo vincunt. S. AUG. *Ep.* XLII.

Christianus a bono opere cessans vix se excusabit apud Dominum. HIERON. *in Evang. hom.* XVIII.

Christianum non faciunt parietes. S. AUG. lib. VIII, *Conf.* c. I.

Nihil periculosius falsis Christianis. Idem, *super Ps.* LIII.

DIGNITAS.—Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus capitis sis membrum, quodque erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Noli te iterum diaboli subjicere servituti, quia pretium tuum Sanguis Christi est. S. LEO, *s. de Nat. Christi.*

Christianorum dignitas non in terra, sed in cœlo posita est. Idem, lib. *Quæst. ex utroq.*

EXEMPLA.

QUALITAS.—S. Paulus quam bene Christiani nomen impleverit, de seipso testatur dicens: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. II TIM. IV, 7.

S. Sebastianus pectori hanc inscriptionem velut pretiosam gemmam affixit: *Quia Christianus sum*; ut hac ratione suæ vocationis meminisset, et ad quælibet ardua pro Christo patienda animaret. SUR. 20 *Januarii.*

S. Calliopius, cum ad convivium in deorum celebritatem paratum invitaretur, intrepide respondit: Christianus sum, et Christum jejuniis colo, et Idolis immolata non licet in os eorum, qui Christum colunt, ingredi. Cum itaque immaniter cæsus esset, et Præses, nisi resipisceret, in crucem se, ut magistrum, suffixurum minaretur, iterum respondit: Admiror impudentiam tuam, qui cum sæpe ex me audieris, Christianum me esse, et Christianum esse moriturum, et in Christo victurum, tam impudenter pergis veritatem oppugnare. Ob quas voces cum Præses eum in crucem suffigi imperasset, mater id intelligens, ministris quinque nummos dedit, ut eum, sicut S. Petrum, inversa ratione crucifigerent. Quod ubi ipso die Parasceves factum est, vox de cœlo allapsa dixit: Veni, civis Christi, et cohæres SS. Angelorum, SUR. 7 *April.*

Alius quidam a Tyranno interrogatus, quod ipsi nomen esset? respondit: Christianus sum. Qua natus domo? Christianus sum. Sicque ad omnes alias quæstiones respondit, ratus, hoc uno nomine omnes honoris titulos comprehendi. EUSEB. l. IV, *hist. Eccl.* cap. I.

S. Polycarpus Proconsuli rogum minitanti, nisi Christo malediceret, respondit: Octoginta et sex annis servio Christo, et nihil me læsit unquam, quomodo ei maledicam? Idem, c. XV.

Non vidit Oriens et quævis alia plaga Indiæ Orientalis, quam nostri a centum et viginti annis excolendam suscepere Ecclesiam, magis florentem et fructu copiosiorem, neque sanctitatem magis radicatam, populum sanctiorem, labores magis benedictos, quam quos in Regno Tunquinensi exantlavimus. Abundantior est inibi fructus, quam fuit jactura in Japonia. In Japonia quidem, primis quadraginta annis, Patres nostri erant centum et triginta, habebant duos Episcopos, multa Collegia, inter quæ erant, ubi docebantur artes liberales, Seminaria non pauca, ubi educabantur catechistæ; et tanta cultura toto eo tempore facti Christiani ter centies milleni; erecta dein templa ducenta. In Tunquinensi Regno

spatio triginta annorum, sine Collegiis, Seminariis, Episcopis, ad summum denique a decem sociis, sæpe paucioribus linguæ illius gnaris tot ad Christum adducti sunt, ut Japonum numerum superarent. PHILIPP. DE MAR. l. I, *de Mis. Japon.* 1663.

In Gallia ad decem millia Catholicorum contra Hugonotas ivere, qui zelo divino instructi prædia ampla, uxores et liberos reliquerunt; Christoque se devoventes, propriis militiarum stipendiis, solo victu contenti, de reliquo nudi nudum Christum secuti, cum hac inscriptione : Eamus et nos et moriamur cum Christo. *In furore Gallic.*

Brocardus Monachus ait : In terra promissionis homines sunt ex omni natione, quæ sub cœlo est; et vivit quælibet gens juxta ritum suum. Et ut verum loquar, in nostram magnam confusionem, nulli in ea pejores, et in moribus corruptiores inveniuntur, quam Christiani. Ita ille causam ait, se credere, quod Hispani, Galli, Itali, Germani et scelerum et mortis rei, ac scelesti quique huc ad asylum et libertatis portum fugiant, qui locum, non animum mutent. BROCARD. *in Descr. Terræ Sanctæ.*

In nova Francia, cum oppidum aliquod ab hostibus Hiroguensibus, magno rei Christianæ incommodo, disjecto etiam templo S. Ignatii, misere habitum esset, et omnia minarentur extremam ruinam ; Neophytus quidam, viso Patris, qui ejus missionis curam habebat, mœrore, ob res adeo suorum afflictas, eum accedens consolatus est. Inter alia dixit : « Videris mihi verborum illorum oblitus,esse,quæ quotidie nobis pro concione inculcas. Persuadeo mihi, te ideo esse tristem, quod videas tam florentem Ecclesiam dissipari; dejici templum hoc; multos e nostris esse mortuos aut captos, reliquos sparsos hinc inde cum periculo amittendi fidem et salutem. Sed qui sumus nos, ut Dei judicia indagemus? Novit ille, cur hæc faciat. Hi Christiani, qui numquam sunt dispersi, secum fidem et bona exempla ad eos inferrent, a quibus capti sunt. Quidquid agat, ille amat nos,qui hæc permittit, Deus.» Ecce homo barbarus hoc a Deo lumen accepit, ut etiam ipse exilia bonorum putarit fore barbaris Gentilibus utilia, quod Doctores in Judæorum captivitate notarunt. *In Relat nov. Franc.* 1647, c. IX.

Custos carceris in quo detinebantur Paulus et Silas, videns terræmotum fieri, et carcerem aperiri, tremefactus procidit ad pedes eorum dicens : Domini, quid me oportet facere, ut salvus sim ? At illi dixerunt : Crede in Dominum Jesum et salvus eris. ACTOR c. XVI.

UTILITAS. — Blandina virgo, dum clamat in tormentis : Christiana sum ! immanes cruciatus non superavit modo sed et risit, et velut inter epulas exultavit. EUSEB. IV, *Hist. Ecc.* c. I.

Celsus puer, visa corona aurea, quam Angelus supra S. Juliani verticem tenebat, dum flagris cæderetur, abjectis libris Christianum se exclamat, et martyrium subit. SUR. 9 *Martii.*

Cum Marinus, vir militans, civis Hierosolymitanus, honore et divitiis clarus, in persecutione Valeriani apud Cæsarem Palæstinæ inter collegas honorem quemdam obtineret militarem, ut fieri solet, insequentem collegam suum subit invidia, et exclamat,non posse Marinum adipisci superiorem gradum, eo quod esset Christianus. Interrogatur a Judice Marinus, si ita haberet; ille ita esse, et vere esse Christianum clarissima voce testatur. Tres ei deliberandi horæ decernuntur a Judice, ut eligat utrum velit immolari Diis et Imperatori, an Christianus interimi. Cumque a tribunalibus esset egressus, Theotecnus, Episcopus loci, apprehensa manu ejus perducit eum ad Ecclesiam, ibique multis verbis in fide confirmans ad ultimum in interiora perducit Altaris, gladiumque suum, quo præcinctus erat, ostendens ei, et rursum Evangelium offerens, quid e duobus mallet, interrogat; Marinus vero promptissima fide, cum manum ad Evangelium tetendisset : Obtine, inquit Theotecnus, quod elegisti, o fili, et contemnens præsentem vitam, æternam sperato; confidens perge et suscipe coronam, quam tibi Dominus præparavit. Regressus ad tribunal, evocatur per præconem ; aderat enim tempus statutum. Ille vero nec moras patitur, nec expectat interrogantem, sed continuo sibi et deliberatum asserit, et ex paternis legibus confirmatum, quod Deo obtemperare oporteat magis quam hominibus. Quem Judex illico capite puniendum pro tali responsione pronuntiat. EUSEB. *Hist. Eccles.* lib. VII c. XII.

DIGNITAS. — Cum Quintilianus, Siciliæ Prætor, ad S. Agatham diceret : Nonne te pudet nobili genere natam humilem et servilem Christianorum vitam agere? Respondit illa : Multo præstantior est Christiana hu-

militas et servitus, Regum opibus et superbia. Sur. 5 *Feb.*

S. Ludovicus, Rex Galliæ, nullibi libentius, quam Passiaci agebat, eo quod in ea urbe baptizatus Christiani nominis titulum et honorem accepisset, quem ipse omnibus aliis honoribus longissime præferebat. *Pædagog. Christ.* p. I, c. I, § 1, n. 6.

Jugo, Regulus Venedorum, qui ad fontes Tauri et Dravi habitant, Carinthii hodie dicti, multos ex suis satrapis hac ratione fecit Christianos. Anno salutis septingentesimo nonagesimo convivium laute instruxit, et vilem plebeculam simul cum equestris ordinis proceribus invitavit, atque præ foribus nobiles recumbere jussit, pane duntaxat cibario et caruncula rancida pavit, vinumque fictilibus propinavit austerum; sed agricolas suæ mensæ adhibitos cœna lauta pavit, et vinum poculis aureis, argenteis et gemmatis proposuit. Cum nobiles id indigne ferrent, ac in sui contumeliam fieri stomacharentur respondit: Ideo rusticos ad mensam meam adhibui, quia sacro lavacro abluti sunt, vos vero foras reliqui, quod sordibus ethnicis squallentes, hircumque impietatis olentes nauseam mihi facitis. Castigati ea re nobiles brevi tempore, sub Vergilio et Anone, Invaniensibus Episcopis, Christi fidem acceperunt. ÆNEAS SYLV. c. XX. *de Europ. anno* 1790.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ Asceta de hoc nomine specialiter observare debet. Primum est, ut bene cognoscat officium veri Christiani, videlicet ut Christum non ore duntaxat, sed opere etiam, per imitationem vitæ illius profiteatur; atque adeo contra concupiscentiam triplicem, oculorum, carnis et superbiæ, fortiter militet; nam, ut S. Paulus recte dixit: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. GAL. IV, 24.

Hinc aliqui distinctius tria ad Christiani officium requirunt, scilicet charitatem in corde, veritatem in ore, castitatem in corpore. Alioqui enim timere debebit, ne impleatur comminatio S. Augustini dicentis: Detegeris et deprehenderis, o Christiane, quando aliud agis, aliud profiteris; fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, non hominibus, sed Deo et Angelis conscribentibus, tenetur in cœlo chirographum tuum. Renuntiato non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ. S. AUG. *tr. de Symb.*

Alterum est, ut digne æstimet hunc titulum, et frequenter meminerit, se ejus beneficio in medio eorum esse positum, qui sunt gens sancta, populus acquisitionis; habere Deum patrem, Christum salvatorem, Verbum Dei pro alimonia vitæ, Sacramenta pro medicina animæ, gremium Ecclesiæ tanquam sinum matris, quæ ipsum peperit, fovet, lactat ac protegit; atque adeo hac consideratione ad vitam Christiano nomine dignam excitet, semper seipsum illis cujusdam ferventis Religiosi verbis excitans: Ne degeneremus ab excelsis cogitationibus Filiorum Dei.

Tertium est, ut norit, quam turpe sit, vitam tali nomini difformem vivere; id quod præclare olim S. Cyprianus Fortunato ostendit, dum eum sic alloquitur: «Tu tam vili mercedula sollicitatus sponte deficis ad eum, a cujus tyrannide te Christus suo sanguine redemit, cujus jam totus es factus. Hujus militiam professus es ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, hujus Sacramentis initiatus es, accepisti donativum, et pignus Spiritus, ne quid dubitares de promisso stipendio, simulque Diabolo denuntiasti perpetuas inimicitias, renuntiasti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exsufflasti, exsibilasti, jurasti in verba Redemptoris etc.» S. CYPR. *de dupl. Martyrio, ad Fortun.* Idem sapienter Benjamin Diaconus Isdegerdi, Persarum Regi, ostendit, dum eidem ad fidem negandam allicienti dixit: Quo tu, Rex, supplicio dignum arbitrareris eum, qui e castris tuis fugitivus hostibus se tuis jungeret? Cumque Rex, morte crudelissima dignum esse respondisset, subjecit Benjamin: Quam crudeli ergo morte dignus videri debet is, qui Deum suum ac universorum Dominum ausus fuerit negare, tantum ut ne vili creaturæ displiceat? THEODOR. *l.* I, *c.* XVIII.

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator, quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet recep-

tum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum; ita in baptizato benedictio illa (confirmationis) munitio est. S. MELCH. *in ep. ad Hisp. Episc.*

Sicut oleum, quo unctus fuit Aaron, non solum a capite in faciem, sed etiam in oram vestimenti defluebat; ita gratia spiritualis, qua Christus a Patre unctus fuit, etiam ad minimum quemque fidelem defluit, eumque Christianum nominari facit. MARCH. *in Hort. Past. tr.* I, *f.* I.

Sicut procuratores, quibus supellex pretiosa, vel ampla cellaria creduntur, fideles dici nequeunt, si res traditas absumant; sic nec mali Christiani, qui legem ac Prophetas, Apostolicas doctrinas, Sacramenta et similia, per quæ Christiani sumus, violant, hoc nomine digni censendi sunt. SALVIAN. *contra Gent.*

Sicut non meretur dici Franciscanus, aut Benedictinus, qui S. Francisci, aut S. Benedicti Regulam non servat; ita nec Christianus dici meretur, qui Christi legem et exempla non curat. FAB. *con.* V. *in fest. S. Andr.*

Sicut ficus, quæ folia tantum habuit, et non fructus, Domini voce arefacta est; ita indignus Christi gratia et influxu censendus est, qui nomen Christiani, et non opera habet. Idem, *con.* IV *in Dom.* VII. *post Pent.*

Sicut operarii, si per totam hebdomadam sibi, non et conductori laborent, nullam ab eo mercedem sperare possunt; ita Christiani sibi, et non Deo, viventes remunerationem ab hoc nullam impetrabunt. Ibidem, n. 2.

DIGNITAS.—Sicut, si quis Demostheni operam dederit, eum faciet oratorem, si Platoni, philosophum; ita qui paret Domino, efficitur ad Magistri similitudinem Deus, qui in carne versatur. S. CLEM. ALEX. t. VII, *Strom.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Franciscus Borgias, cum audivisset, eum, qui se Borgiam simulasset, triremibus addictum, cum suspirio exclamavit: Si triremibus addicitur, qui meum nomen sibi vindicat; quid de me fieri par est, qui nomen Christi falso mihi assumpsi? *Vita*, l. IV, c. I.

Recte dixit Ecclesiasticus: «Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile invenies;» nam et Christianum, cujus cor et externum opus concordent, non facile est reperire. ECCL. c. XIII, 32.

Mulier illa « fortis et sapiens quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum; » non ergo sufficit externum opus perficere, sed ipsa etiam cordis intentio requiritur ad verum Christianum. PROV XXXI, 13.

Romani Cives et Censores, si viderun quempiam otiosum, interrogabant, qua arte uteretur, manusque, an callosæ forent, considerabant; quas si delicatas et nitidas reperiebant, velut inutilem reipublicæ expulerunt. FAB. *con.* IV. *in Dom.* VII. *post Pent.*

S. Hieronymus, cum plus æquo se lectione Ciceronis et Platonis delectaret, raptus aliquando ad tribunal, et quis esset interrogatus, cumque se Christianum esse dixisset, audivit a Judice: Mentiris, nam Ciceronianus, non Christianus es. S. HIER. *in Regula Monach.* VI, 15.

Alexander militi cuipiam suum nomen sustinenti, et ignavo dixit: Aut nomen hoc depone, aut digna Alexandro gere. Idem Christus Christianis dicit. FAB. *conc.* VII, *in Circumc.*

AUCTORES.

Jacobus Marchantius, in *Horto Past.* tr. I. lect. I.

Philippus D'Outreman, in *Pædag. Christiano* p. 1. c. I. § 1 et 2.

Matthias Faber, conc. V, in festo S. Andreæ; et in Festo. Circumc. conc. VII.

Ludovicus Granatensis, loc. com. fol. 103.

Josephus Langius, *in Polyanth.* V. eodem.

CHRISTUS

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Est homo, ex natura divina et humana, ac Filii divini Personalitate compositus. Ita enim indicare videtur S. Athanasius in symbolo, dum ait: Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.

Proprietates.

Quinque potissimum Christo perfectiones, seu proprietates, propter unionem hyposta-

ticam conveniunt. 1. *Summa Gratia*; de qua S. Joannes testatus est: Et vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, et plenum gratiæ et veritatis. Cap. I, 14.

2. *Summa Sanctitas*; ob quam jure dicere poterat: Quis arguet me de peccato? JOAN. VIII, 46.

3. *Summa Sapientia*; de qua S. Paulus locutus est dicens: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. COL. II, 3.

4. *Summa Dignitas*; de qua idem Apostolus testimonium tulit, dum dixit: Omnia subjecit pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. EPH. I, 22.

5. *Summa Felicitas, seu Beatitudo*; quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis, ut iterum S. Paulus testatur. COLOSS. II, 3.

EX S. SCRIPTURA.

Christi Incarnatio.

Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. ISAIAS. VII, 14.

Creavit Dominus novum hominem super terram; femina circumdabit virum. JER. XXXI, 22.

Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. ISAIAS. IX, 6.

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. JOAN. I, 14.

Christi Nomen.

Et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. MATTH. I, 21.

Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. ACT. IV, 12.

Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. PHILIP. II, 9.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini. PS. CXII, 2

Laudate Dominum, quia bonus Dominus; psallite nomini ejus, quoniam suave est. PS. XCIV, 4.

Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam currit justus, et exaltabitur. PROV. XVIII, V. 10.

Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te. CANT. I, V. 2.

Et erit: omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. JOEL II, 12.

Christi dignitas.

Et ecce vox de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. MATTH. III, 17.

Et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. AGG. II, 8.

Constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula; qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Vide totum caput. HEB. I, 2.

Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei Majestatis, et imago bonitatis illius. SAP. VII, 20.

In illa die erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exultatio his, qui salvati fuerint de Israel. IS. IV, 2.

Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. MATTH. XXVIII, 19.

Sicut malus inter ligna silvarum; ita dilectus meus inter filios. CANT. II, 3.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. ES. II, 6.

Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. PS. XLIV, 3.

Suscitavit illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum et Potestatem et Virtutem, et Dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. EPH. I 20.

Christus Adjutor.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. MATTH. XXVIII, 20.

Eum, qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. II. COR. V, 21.

Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum Minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo. HEB. VIII, 1.

Ut quid enim Christus, dum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori? ROM. V, 6.

Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam; ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. ISAI. XLV, 13.

Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari. HEBR. II, 17.

Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. JOAN. VI, 24.

Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. JOAN. XI, 25.

Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. JOAN. X. I, 27.

Christus Advocatus.

Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. ROM. VIII, 34.

Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi. II JOAN. II, 1.

Unus Deus, et unus mediator Dei hominum Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. I. TIM. II, 5.

Christus amandus.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. I. COR. XVI, 21.

Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. JOAN. XIV, 21.

Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis. JOAN. XVI, 27.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. JOAN. XIV, 23.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione; sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam in odorem suavitatis. EPHES. V, 2.

Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. PHILIPP. XXXVIII, 8.

Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An gladius? Sicut scriptum est: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. ROM. VIII, 37.

Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. JOAN. XIV, 21.

Christus imitandus.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste, ac pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. TIT. II, 2.

Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. JOAN. XIV, 6.

Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte (Calvariæ) monstratum est. EXOD. XXV, 40.

Vestigia ejus secutus est pes meus. Viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. JOB. XXIII, 11.

Trahe me post te; in odorem curremus unguentorum tuorum. CANT. I, 4.

Et ego non sum turbatus te pastorem sequens; et diem hominis non desideravi. JER. XVII, 10.

Ascendit pandens iter ante eos. MICH. II, 13.

Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. MATTH. X, 38.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. MATTH. XVI, 24.

Vos, qui secuti estis me, et reliquistis omnia, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. MATTH. XIX, 8.

Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. JOAN. VIII, 12.

Qui dicit, se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. JOAN. II, 6.

Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. JOAN. XVIII, 26.

EX SS. PATRIBUS.

Christus Incarnatus.

Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis. Natus est nobis, qui sibi erat. Datus est ergo ex divinitate, natus ex Virgine. Natus, qui sentiret occasum; natus qui nesciret exordium. Natus, qui et Matre esset junior; datus, quo nec Pater esset antiquior. Natus, qui moreretur; datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic qui erat, datus est; qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur; sibi regnat, et mihi militat. EUSEB. EMYSS. *hom.* II *de Nat. Dom.*

Quid hic rationem quærimus? Quid intellectum fatigamus humanum? Generationem ejus quis enarrabit? Quid novitatem stupemus, ubi cernimus majestatem? Et mox, substantia operis sola fuit potentia Conditoris. Secundum hanc ergo potentiam credamus Dominum nostrum absque ullo sexus initio ex sola femina virum creasse, quam scimus inter ipsa initia generis humani ex solo viro feminam condidisse. Ibidem.

Redemptor noster Homo nascendo, Vitulus moriendo, Leo resurgendo, et ad cælos ascendendo Aquila factus est. S. GREG. hom. IV, *super Ezech.*

Non jam desperandum est, participatione Verbi posse homines fieri filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus est Filius hominis. S. AUG. *de Grat. novi Testam.*

Illuminamini modo, Fratres, habentes collyrium fidei. Præcessit enim saliva ejus cum terra, unde inungeretur, qui cæcus est natus, et nos de Adam cœci nati sumus, illo illuminante opus habemus. Miscuit salivam cum terra. Verbum enim caro factum est, et habitavit, in nobis. S. AUG. *super* Ps. XXX, *tr.* 24.

Quando audis, Deum ex homine natum esse, et majestatem sub fragilitate latuisse, virginem prole ditatam, nec tamen virginitatem fuisse solutam, non se objiciat sensibus tuis novitas operis, nec dicas: Illud fieri non potest; quia, qui te magna credere jussit omnipotens est. Divinis rebus admiratio adhibenda est, non credulitas deneganda. In omnipotente te credere confirmas; sed si de factis ejus dubitas, imbecillitatem omnipotentis accusas. EUSEB. EMYSS. hom. II, *de Symb.*

Non liberaretur genus humanum, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. Nam et ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet humanum, et maxime hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur qui suscipit hominem in domo sua, quam humanus est, qui suscipit hominem! Si ergo homo non periisset, Filius hominis non venisset. S. AUG. *de Verbis Apost.*

Fratres, generationem ejus quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat, Spiritus subvenit, Virgo credit, Virgo parturit, Virgo permanet. Quis non miretur? Nascitur Verbum infans, et agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo sublimis, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. S. BERN. *sup. Cant.*

Generationem ejus quis enarrabit? Si lingua deficit, fides proficit. Magnus profectus est fidei, cum tantum de Deo suo potest concipere, quantum sermo non potest parturire. S. MAXIMUS *in serm. de Nativ.*

Christi Nomen.

Nomen Jesu lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit et ungit invocatum. Qui ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honestos, castas fovet affectiones. S. BERN. *sup. Cant.*

Nihil ita sicut hoc nomen Jesu, iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, livoris vulnus sanat, luxuriæ fluxum restrin-

git, libidinis flammam extinguit, sitim avaritiæ temperat, ac totius indecoris pruriginem sanat.

Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Jesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? S. Bern. ser. v. *in Cant.*

Aridus est omnis cibus animæ, si non oleo isto infunditur; insipidus, si non hoc sale conditur. Si scribis, non sapit mihi nisi ibi legero *Jesum*; si disputas aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi *Jesus*. Jesus mel in ore, melos in aure, in corde jubilus. Ibidem.

Cum nomino Jesum, hominem mihi pronono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate et sanctitate conspicuum, eumdemque Deum omnipotentem, qui suomet exemplo sanet,et roboret adjutorio. Ibid.

Hoc electuarium tibi habes, o anima mea, in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus. Salutiferum certe, quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper sit tibi in sinu, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur, et actus. Ad hoc enim invitaris ab ipso sponso in Canticis, cum ait: Pone me signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. Ibidem.

Christus Adjutor.

Omnia habemus in Christo, et omnia in nobis Christus. Si a vulnere curari desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si gravaris iniquitate, justitia est. Si indiges auxilio, virtus est. Si mortem times, vita est. Si tenebras fugis, lux est. Si cœlum desideras, via est. Si cibum quæris, alimentum est. S. Ambros. *in quod ser.*

Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi pro his sapientia, Christus. Ne seducaris spiritu mendacii et erroris, lucescat tibi veritas, Christus. Ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei, Christus. S. Bern. *sup. Cant.*

Si in te insurrexerit lupus, petra Christus est; si ad Christum confugies, fugit lupus, nec terrere te poterit. Hanc petram quæsivit Petrus, cum titubaret in fluctibus, et invenit, quod quæsivit, quia dexteram amplexus est Christi. S. Ambr.

Origo omnium fontium et fluminum mare est virtutum et scientiarum Dominus Jesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse Rex gloriæ? Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientia, inde sapientiæ sermo, thesauri siquidem sapientiæ et scientiæ ibi sunt absconditi. S. Bern. ser. xiii, *in Cant.*

Ipse Christus est os nostrum, per quod Patri loquimur; oculus noster, per quem Patrem videmus; dextera nostra, per quam Patri offerimus. S. Ambr. l. *de Isaac.* c. viii.

Quid est Jesus,nisi Salvator? Ergo propter temetipsum esto mihi Jesus. Noli, Domine, noli, sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum, o bone Domine? Si ego commisi, unde me damnare potes, tu non omisisti, unde me salvare soles. S. Aug. *in Medit.*

Numquid Adam plus potuit in malo, quam Christus in bono? Si ex Deo nati, et in Christo electi sumus, quænam justitia est, ut plus noceat humana atque terrena, quam valeat divina atque cœlestis generatio? S. Bern. *de Novo Milit.*

Verbum vitam præbuit, ut Opifex; bene vivere docuit, ut Magister; ut semper vivere suppeditaret, ut Deus. S. Clem. Alex.

Christus amandus.

Scio, Domine mi, quia ex hoc quod me fecisti, debeo tibi meipsum, et quia redemisti, et pro me homo factus es deberem tibi plus quam me, si haberem; quanto tu major es, pro quo dedisti teipsum. S Aug. *in Medit.*

Tu servasti vinum bonum, tamquam si diceret: Meliora sunt Domini gratiæ instituta, quam legis. Lex peccatores, ad tempus utile, hircorum et vitulorum cruore mundavit; tu, Domine, servasti nobis vinum bonum, id est, in extremo sæculo fudisti pro nobis sanguinem tuum. Lex intromisit in terram promissionis, angustis limitibus terminatam; tu, Domine, amplos Paradisi sinus pandis, tu inæstimabile præparas regnum, tu introducis in cœlum. Lex cultores suos per medium maris rubri, natura rerum stupente, perduxit. Videamus, quanto plus est, quod præstat gratia. Qui in Christo

(inquit) sunt, resurgent primi, et tunc simul rapiemur obviam Christo in aera. S. Euseb. Emyss. hom. II, *de Epiph.*

Talis nobis decebat, ut esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, de cujus sanctitatis præstantia Sponsa in Canticis ait : Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Solus enim ille malo comparatur, cujus fructus gratissmus est ; cæteri vero mortales silvarum ligna sunt, quæ aut nullum, aut acerbissimum fructum ferunt, quo non homines, sed porci pascuntur. Quo igitur consilio ab hac injuria vindicabimur ? Nimirum si in illum inseramur. Sic silvestres et steriles arbores in frugiferas commutantur. Decerpamus igitur a Christo Spiritum ejus, et amputatis cupiditatum nostrarum silvestribus ramis, mentibus illum nostris inseramus, et sic fructus, et ubertatis ejus consortes erimus. Hoc autem modo charitas nos unit et inserit Christo, et pinguedinis ejus participes facit. Granat. *in Silva loc. com. V. Christus.*

Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantum eis dulcedinis in carne exhibuit, ut durissimi cordis sit, quisquis eum affectu toto non diligit. S. Bern. *in Serm.*

Quanti te fecit Deus, ex his, quæ pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus in humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humilitate, tanto majorem se exhibuit in charitate, et quanto pro me vilior, tanto mihi carior. Adverte, homo, quia limus es, et non sis superbus ; et quia Deo junctus es, non sis ingratus. Id. *Serm.* XII.

Dignus plane est morte, qui tibi, Christo, recusat vivere, et qui tibi non sapit, desipit : et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter teipsum Deus fecisti omnia, et qui esse vult sibi, et non tibi, nihil esse incipit, inter omnia. S. Bern. *sup. Cant.*

Christus imitandus.

Ego sum via, veritas, vita, tamquam diceret : Qua vis ire ? Ego via. Quo vis ire ? Ego sum veritas. Ubi vis permanere? Ego sum vita. S. Aug. *super Matth.*

Ideo permittitur inimicus juxta viam ponere laqueos, ne securitate exultationis via deseratur, et in insidias incidat. Via Christus humilis ; Christus veritas et vita ; Christus excelsus et Deus. Si ambules in humili, pervenies ad excelsum. Ibidem.

Tota vita Christi in terris per hominem, quem gessit, disciplina morum fuit. Omnia enim bona mundi Christus contempsit, quæ contemnenda docuit ; et omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit; ut nec in istis quæreretur felicitas, nec in istis infelicitas timeretur. S. Aug. *de Vera Relig.*

Induere Christum, est undique in nobis per sanctimoniam et mansuetudinem Christum in nobis conspicuum esse. Homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est ; appareat itaque in nobis Christus. S. Chrys. *super* c. XIII epist. I, *ad Corinth.*

Simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos; efficiamur Dii propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo factus est. S. Greg. Naz. or. XL, *in Pasch.*

Quisque suæ vitæ pictor est, et artifex hujus voluntas, colores autem sunt virtutes, exemplar Christus esse debet. S. Greg. ep. I, *de Perfect. Christ.*

Omnis nostra virtus tam longe abest a vera virtute, quam longe est ab ea forma, quam verbo et exemplo commendavit Christus præsens in carne. S. Bern. s. IV, *de Advent.*

Parum erat Deo, ut Filium suum daret demonstratorem viæ; eum ipsum viam fecit, ut per illum ires, regentem te, ambulantem per se. S. Aug. *in Ps.* CIX.

Altitudinem meam primus Angelus affectavit; scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo ; omnes invident mihi. Ecce venio, et talem me exhibeo, ut, quisquis gestierit imitari, fiat illi æmulatio ista ad bonum. S. Bern. s. I, *de Adv. Domini.*

Hæc sit sapientia et meditatio tua, et studium, semper aliquid de ipso (Christo) cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel ad eum amandum exciteris. Quanto enim se quisque ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tanto ei in prima gloria et claritate appropinquabit, et similior erit. S. Bonav. *in quod ser.*

Summa felicitatis nostræ est divinæ similitudinis participatio, ad quam perveniemus, cum Deum coram intuebimur. Si ergo similis Deo fieri cupis, videndo Deum, sicuti est, da operam, ut ei similis fias, videndo eum, sicut pro te factus est, ac ita per imi-

tationem sacræ humanitatis, ad similitudinem venies summæ divinitatis. S. BERNARD.

Si dixisset tibi Dominus Deus tuus : *Ego sum veritas et vita ;* tu desiderans veritatem et vitam concupiscens, viam, qua ad hæc pervenire posses, profecto quæreres, et diceres tibi : Magna res veritas, magna vita. Si esset, quomodo illuc perveniret anima mea? Quæris qua ? Audi eum dicentem primo : *Ego sum via.* Primo dixit, qua venias; postea quo venias. Ego sum via, *ego sum veritas.* Ipse manens apud Patrem veritas et vita est; induens se carne factus est via. Non tibi dicitur : Labora quærendo viam, ut pervenias ad veritatem et vitam, non, inquam, hoc tibi dicitur. Ergo surge, piger, via ipsa ad te venit, et te de somno dormientem excitavit (si tamen excitavit) surge et ambula ! S. AUG. sup. XXX, tr. XXIV.

Incassum laborat in acquisitione virtutum qui eas alibi, quam in Christo quærit. S. BERN. ser. XXII, *in Cant.*

Christum imitari tutissimum est HIERON. *ad Gelant.*

Christi exemplo adversa sunt patienda. Idem, *ad Eustoch.*

Aut cum Christo aut cum Diabolo nos esse oportet, nec est locus medius. S. AUG. *de Gratia Christi contra Pelag.*

Christi vita tota humilitatem docet. Idem, *supra Ps.* XXXI.

Christum quod non sapit insipidum est. Idem, *super Evang. Joan.*

Instabilis est domus, quæ Christum non habet in fundamento. Tract. IX, Id. l. II, *Mor.*

Christum apprehendere poteris citius sequendo, quam legendo. BERN. *in Epist.*

Habemus in Christo quod amemus, imitemur et admiremur. Idem, *Epiph. Dom.* ser. III.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Doctrina Christi omnes doctrinas Sanctorum antecellit; et qui spiritum Christi haberet, absconditum ibi manna inveniret. Lib. I, c. I.

Da Christo locum, et cæteris omnibus nega introitum. Cum Christum habueris, dives es, et sufficit tibi. Ipse erit provisor tuus et fidelis procurator, ut non sit opus in hominibus sperare. Homines enim cito mutantur et deficiunt velociter ; Christus autem manet in æternum, et astat usque ad finem fortiter. Lib. II, c. I.

Non requiem aliquando habebis, nisi Christo intime fueris unitus. Ibid.

Teneas te apud Jesum, vivens ac moriens, et illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus solus potest te juvare. Lib. II, c. VII.

Plus homo nocet sibi, si Jesum non quærit, quam totus mundus, et omnes sui adversarii. Ibid.

Esse sine Jesu gravis est infernus, et esse cum Jesu dulcis Paradisus. Si fuerit tecum Jesus, nullus poterit nocere inimicus. Lib. II, c. VIII.

Qui invenit Jesum, invenit thesaurum bonum, imo bonum super omne bonum ; et qui perdit Jesum, perdit nimis multum, et plus quam totum mundum. Pauperrimus est, qui vivit sine Jesu, et ditissimus qui bene est cum Jesu. Ibid.

Eligendum est magis, totum mundum habere contrarium, quam Jesum offensum. Ex omnibus ergo caris sit Jesus solus dilectus specialis. Ibid.

Eia, Fratres, pergamus simul ; Jesus erit nobiscum. Propter Jesum suscepimus crucem ; propter Jesum perseveremus in cruce. Erit Adjutor noster, qui est Dux noster et Præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores ; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus a cruce ! Lib. III, c. LVI.

EXEMPLA EXTERNA.

S. Joannes Baptista tanti fecit Christum, ut diceret, se indignum esse, qui corrigiam calceamentorum ejus solveret. JOAN. c. I.

S. Petrus, quantopere amarit Christum, satis testatus est, dum tertia vice dixit : Domine, tu scis, quia amo te. JOAN. c. XXI.

S. Paulus ita Christum imitari studuit, et amavit, ut dicere ausus sit : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. GAL. II. Et : Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum. I COR. II. Et iterum : Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter

quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. PHILIP. III.

S. Maria Magdalena adeo Christum diligebat, ut pedibus ejus semper affixa hæreret, et in mortem usque comitaretur.

S. Thomas Aquinas audiens a Christo: Bene de me scripsisti, Thoma, et quam mercedem petis? respondit: Non aliam, nisi te, Domine. SUR. *in Vita.*

S. Bernardinus opifici chartas lusorias facienti suasit, ut pro iis chartis SS. Jesu nomen faceret; paruit homo, et ditatus est. SUR. *in vit.*

S. Theresia de Jesu voto se astrinxit, quod nolit, quantum in se est, pati, ut a quoquam mortalium in amore isthoc, Sponsique sui expressa similitudine superetur. RIBAD. l. IV, *vit.* c. XX.

F. Narcissus, Dianensis Laicus, erga puerum Jesum amore flagrabat, ut ejus colloquia tantum de eo essent, cujus amore liquefactus etiam exstases patiebatur. Flores colligens iis partem lecti sui aspergebat. Rogatus causam respondit: Hæc non mea, sed pueri Jesu lecti pars est, ideo æquum est, eam floribus exornare. *Annal. Capuc.* 1609.

Cum P. Petrus Faber Madriti cuidam doctrinam salutis petenti suasisset, hæc quatuor puncta sæpius ruminanda: Christus in summa inopia, et ego in opulentia; Christus in fame et siti, et ego in exquisitis epulis; Christus nudus, et ego pretiose vestitus; Christus in doloribus, et ego in deliciis; ille his instructus dum ad epulas invitatus comparuisset, una harum sententiarum occurrens ita eum movit, ut in lacrymas solutus abire debuerit. LYRÆUS, *Apopht.* III. s. 1.

Franciscus a Puero Jesu, Valentiæ in Hispania, mulieri peccatrici dixit: Soror, satis diu servisti vanitati et Satanæ. Tempus est, ut etiam aliquando nato Infantulo servias. Risit illa, sed eadem nocte tot scrupulis et timoribus agitata est, ut summo mane accederet ad confessionem, et facta confessione. Pœnitentiarum ordinem ingrederetur. Dictus est hic Franciscus a Puero Jesu, quia, quidquid ab aliis petebat, amore Parvuli in Bethleem postulabat. KYSSELUS *in Nilo mystic.* t. II, c. 58, n. 14.

Adolescens quidam cum falso a sene accusatus rogasset ut suspenderetur orientem versus, ut Christum intueri posset, mirabiliter a morte liberatus est. *Vita PP.* l. X, cap. LXXII.

Aulicus Œniponti graviter decumbens jam rationes cum sacerdote computarat, cum usu venit, ut siti levandæ frigidam posceret, datur, et cum porrecto poculo, honoris causa, jubetur ei, quem amicissimum haberet, propinare; lectulum forte aulica turba coronabat; tum ille circumferre oculos, et ex adverso Christum patientem contemplatus: Atque Christo, inquit, propino charissimo meo, qui me ab inferis vindicavit. Occursabat, siquidem Christi patientis amor, quem alto pectore dudum foverat. DREXEL. *in Prod.* c. III, § 7.

Religiosus, e S. Dominici familia, coram S. Ægidio, S. Francisci discipulo, dicebat habendam S. Joanni gratiam, quod in principio Evangelii sui, tam alte et magnifice de Deo, Patrisque Verbo locutus fuisset. Opposuit se contra Ægidius, nihil de Deo Joannem elocutum asseverans, mirantibus cæteris, qui adstabant, ait: Si avicula ex ingenti vastoque monte arenæ granum abstulisset, illamne aliquid abstulisse diceretis? Cumque illi respondissent: Si levissima illa arenula cum reliquo monte conferatur, dicendum videri, nihil accepisse. Idem esto, inquit, de illis, quæ de Deo, ejusdemque natura in sacris paginis habemus, judicium; illa enim si cum Dei incomprehensibili perfectione conferantur, longe abesse arbitror ab istius naturæ præstantia, de qua, quidquid a viris sanctissimis atque illuminatissimis scriptum dictumque unquam fuit, millies longius, a justa cum Dei magnitudine comparatione, recedere sentio, quam aviculæ apex, cum cælo terraque collatus, atque compositus. PENNEQ. *in Isag.* p. 1. cap. III, n. 2.

Crudelissime excarnificatus est S. Menas ab Hermogene præfecto, siquidem oculi ei effossi, evulsa lingua, caro misere dilacerata, sed divina non caruit consolatione; apparuit misero Christus atque omnia ipsi membra restituit et sanat, hortatur quoque deinceps ad constantiam, promittitque præsens in adversis omnibus auxilium. METAPH. *in vita ejus, apud Sur. tom.* VI.

Apparuit Christus B. Barbaræ existenti in carcere, et præsentia sua carcerem mirifice illustravit, atque virginem ad constantiam est hortatus. Eodem tempore mox plagæ ejus curatæ sunt magna omnium admiratione. SURIUS, *in vita ejus et Metaphrat.* 4 *Decemb.*

S. Wilhelmus, fortis Christi athleta in vo-

cationis proposito admodum firmus, religionis et instituti sui tam erat æmulator vehemens, ut cum jam superioris, ut vocant, fungeretur officio, nulla sineret sacræ religionis instituta violari. Interea apparuit illi nocte quiescenti Christus Dominus, sub forma speciosissimi adolescentis, vocansque eum proprio nomine : Noveris, inquit, Wilhelme, te ad quamdam insulam mecum profecturum, multasque illic tentationes et molestias perpessurum, sed iis mea ope superatis, ad me venies in cœlestem Paradisum. Quam rem non prius intellexit, quam esset in Daniæ Insulam Zeelandiam, ubi modo quiescit, accitus. Surius, *in vita ejus*. 6 *April.*

Elisabetha, Pannonum Regis filia, dum cœlestia meditaretur, in exstasim abibat, et mente cernebat, quod oculi providere non possunt, quod ne tum quidem, cum ad se rediisset, dissimulare poterat, tanta etiam tacita facies hilaritatem præseferebat. Eadem cum aliquando nimio labore fatigata, lassaque resedisset, oculis in cœlum intentis fronte modo jucunda, modo tristis apparuit. Cujus causam interrogata confessa est se in nubibus vidisse Jesum, qui nunc se ostendens lætam reddebat, nunc tegens mœstam. Denique ipsum hæc sibi dixisse : Bono animo esto, filia, ego tecum sum! et se respondisse : Ita, Domine, tu mecum, atque ego tecum. Eidem post vitam multis annis religiose transactam idem Dominus apparuit, atque dixit : Veni, Sponsa, cœlesti thalamo potire! Marull, l. II, c. iv.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius cum vitam Christi legisset, tanto eum imitandi desiderio exarsit, ut eam, quam novimus et miramur, vivendi rationem susceperit, Societatemque Jesu instituerit. *Vita.*

P. Franciscus Suarez si nodus aliquis intricatior inter studendum occurrebat, semper ad Christum in cruce pendentem confugiebat, eumque familiarissime consulebat. *Vita, præfixata lib. de Ang.*

P. Thomas Sanchez hæc tria semper charissima habebat, atque in iis omnem spem suam ponebat, Christum crucifixum, Eucharistiam, B. Virginem. *Annuar.* 1610.

P. Oviedo vehementer lætatus est, se quinque vulneribus a latronibus affectum, ut hoc modo Christo tanto similior esset. *Hist. Soc.*, p. 1, l. IV, n. 76.

P. Emmanuel Nobrega scribens affectum suum ad gradum in Societate : Velim, dicebat, nescire quidquam velle nisi in Christum, et hunc Crucifixum. Ibid. l. n. 79.

Franciscus, a Villa Regali, Coadjutor, tanto in Christum et ejus nomen amore ferebatur, ut domesticos pariter et externos salutaret his verbis : *Laudetur Dominus noster Jesus Christus!* His verbis contubernii pueros excitans per integrum quadrantem in iis durabat. Hæc eadem inscripsit loco sententiæ schedulis, quas Menstrui loco dividebat externis. Hinc certabat, quis spiritum diutius retinere posset in hoc nomine pronuntiato, et passim laudator Christi vocabatur. *Annuar. Soc.* 1598.

SIMILITUDINES.

Christus Homo Deus.

Sicut ferrum ignitum una res dicitur, licet in eo et ferri, et ignis natura reperiatur; ita et Christus unus dicitur, licet divinam humanamque naturam conjunctam habeat. S. Dam. lib. I *de Orth. Fid.* c. xv.

Sicut ferrum licet nigredinem et frigus contineat, si tamen igni uniatur, totum candens fervensque efficitur; ita et humanitas Christi tota quodammodo divina propter unionem cum Verbo efficitur, nec tamen vicissim Verbo suas infirmitates communicat. S. Basil. *de Nat. Christi.*

Sicut si quis purpuram aut regale diadema in terra jacens contemnat, minime reprehensibilis censetur; secus vero, si illa regio corpori conjuncta contemnere præsumpserit; ita licet nullum sit piaculum, humanitatem seorsim sumptam non adorare, culpa tamen non carebit, qui eamdem divinitati unitam honorare noluerit. S. Augus. lviii *de Ver. Dom.*

Sicut flos campi absque omni semine aut terræ fossione, impinguationeque producitur; ita Christus absque omni virili semine productus, et sine Matris corruptione aut imprægnatione generatus est. S. Bern. s. I, *de Verb. Dom.*

Sicut medici in sævi morbi ulceribus humores colligi sinunt, et deinde remedia apponunt; ita et peccatum oportebat omnes species indicare, donec Christus veniret, et

medicamentum apponeret. THEOPH. *in Luc*, c. XIV.

Sicut sol radios per vitrum immittit in cubiculum, et vitrum non lædit; ita Deus Pater misit Filium suum in uterum Sanctissimæ Virginis, claustro virginali non violato.

Christus amandus.

Sicut si quis insidias, quas subditi Regi struere præsumpsissent, detegeret, merito omni amore et veneratione dignus censeretur; ita cum Christus omnes easque gravissimas mundi, carnis et diaboli insidias detexerit, modumque eas evitandi ostenderit, merito non minori amore ac veneratione prosequendus est, quam olim Assuerus Rex Mardochæum, qui similes insidias detexerat, honoravit. ESTHER. c. V.

Sicut ii, qui salvi esse cupiunt, ante omnia caput suum tuentur et amant, utpote sine quo nec vivere, nec operari se posse sciunt; ita cum Christus sit caput nostrum, et nos velut membra illius mystica sine ejus influxu nihil facere possimus, merito ipsum præ omnibus aliis Sanctis amamus atque honoramus. COL. I, 18.

Sicut, cum vere novo sol ad nos redit, omnia vivere incipiunt, terra parturit, arbores frondibus vestiuntur, et tota terræ facies innovatur ac revirescit, ideoque cum summa exultatione ac gaudio sol rediens excipitur; ita cum adveniente Christo ad vos per Incarnationem, velut sol justitiæ, tota mundi facies spiritualiter innovata sit, surrexerint Virginum chori, Monachorum cœtus, exercitus Martyrum, Confessorum et Pontificum ordo, merito ipse quoque amatur, et cum insigni jubilo gaudioque jam nunc etiam oriens in anima excipitur. GRANAT. *in Sylv. loc. com.* f. 52.

Chritus imitandus.

Sicut si actor aliquis promitteret comœdiam exhibiturum, et expectante semper populo, nunquam inciperet, merito gravissimam populi indignationem in se concitaret; ita non minorem sane apud æternum Patrem et Sanctos indignationem promerebitur, qui postquam promisit, se Christum per veram imitationem exhibiturum, nunquam hanc comœdiam, seu repræsentationem, inchoat.

Sicut ii discipuli, qui serio proficere cupiunt, vel in Philosophia, vel in Theologia, præcipue sui professoris scripta assiduo volvunt, animoque bene imprimere student; ita Christianus in virtutis atque perfectionis Christianæ studio progredi cupiens, non melius id obtinebit, quam si vitam et mores Christi frequenter meditetur, et per studiosam imitationem assequi conetur.

Sicut si superior ad omnes occupationes sit primus, et subditi se recusent. merito is hoc ægre ferre, conquerique censetur; ita non minus queri poterit Christus, si cum ipse ad omnes labores et virtuosas actiones primus extiterit, Christiani eum imitari recusent.

MOTIVA.

Christus amandus.

Quia est Caput nostrum, principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum omnia reconciliare in ipsum. HEBR. II, 2.

Quia non confunditur Fratres nos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum Fratibus meis. Et iterum : Ite, nuntiate Fratribus meis, ut eant in Galilæam. MATTH. XXVIII, 10.

Quia est Sponsus animæ, candidus per vitæ innocentiam et sanctitatem, et rubicundus per passionem, sanguinisque sui pretiosissimi totalem effusionem, ideoque electus ex millibus. CANT. V, 10.

Quia Redemptor noster est; quam causam merito S. Bernardus præcipuam censet, dum ait : Super omnia te mihi amabilem reddit, o bone Jesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat.

Christus imitandus.

Quia ita Pater æternus mandavit dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. MATTH, XVII, 5.

Quia Magister noster est sapientissimus, sanctissimus et mansuetissimus, quæ tres proprietates ad perfectum Magistrum requiruntur. Hinc ipse dixit: Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis. Et exem-

plum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, et vos faciatis. JOAN. XIII, 18.

Quia ipse ad imitationem hanc toties, tantisque promissis invitavit, præcipue dum dixit : Ego sum lux mundi ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. JOAN. VIII, 12. Et iterum : Ego sum via , veritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. JOAN. XIV, 6.

Quia Pastor noster est, et, ut ipsemet dixit : Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis. JOAN. X, 27.

Christus invocandus.

Quia Advocatus noster est, juxta testimonium S. Joannis : Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. I. JOAN. II, 1.

Quia Mediator noster est, teste S. Paulo dicente : Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. I. TIM. II.

Quia Frater noster est. Quidni ergo cum fiducia ad hunc proregem Ægypti cœlestis potiore jure, quam ad Josephum olim fratres, confugiamus, ab eoque frumentum gratiæ divinæ petamus?

Quia Salvator noster est ; atque adeo omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit, teste S. Petro. ACTOR. II, 12.

MEDIA.

Ad Christum imitandum.

Magna æstimatio de Christo tanquam de perfectissimo Magistro ; nam teste S. Ambrosio, primus discendi ardor nobilitas est Magistri. *L. de Virg.*

Frequens meditatio vitæ Christi ; ut enim qui pingendo prototypum perfecte exprimere cupit, oculos ad omnia illius lineamenta assiduo reflectit; ita et qui Christum perfecte imitari desiderat, oculum mentis in vita moribusque illius perpetuo defixum habeat oportet.

Ardens amor erga Christum, quia amor aut reperit similes, aut facit, juxta commune Ethnicorum effatum.

Assiduum exercitium ; ut enim fabricando fabri, ita imitando imitatores Christi efficimur.

Ad Christum amandum.

Seria ponderatio amoris Christi erga nos; cum enim, teste Seneca, efficacissimum amoris philtrum sit amor, quid tantus Christi amor in corde humano non efficiet, si accurate secundum potiores circumstantias consideretur?

Alte menti imprimere, quod prius scriptor pronuntiavit: *Teneas te apud Jesum, vivens et moriens, et illius fidelitati te committe,* qui omnibus deficientibus te solus potest juvare. Dilectio creaturæ fallax et instabilis; dilectio Jesu fidelis et perseverabilis. THOM. KEMP. L. II, c. VII.

Humilitatis et pacis internæ studium, ut idem auctor suasit his verbis : Magna ars est, scire cum Jesu conversari, et scire Jesum tenere, magna prudentia. Esto humilis et pacificus, et erit tecum Jesus. Sis devotus et quietus, et manebit tecum Jesus. L. II, c. VII.

Contemptus generosus externarum et sensibilium consolationum : Poteris enim, inquit idem scriptor, fugare Jesum, si volueris ad exteriora declinare. E contrario vero frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, et familiaritas stupenda nimis. L. II, c. VIII, 9.

ASCETICA.

Tria præcipue circa Christum et bene apprehendere ipse, et alios docere debet Asceta.

Primum est, ut bene apprehendat qualitatem, necessitatem et dignitatem Incarnationis. *Qualitatem* quidem optime ex Symbolo Athanasii intelligere poterit, ubi ea sequentibus verbis explicatur: Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus ; Homo est ex substantia Matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus Homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et Homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus

omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et Homo unus est Christus. *Necessitatem* ex SS. Patrum doctrina cognoscet; nam ut recte S. Augustinus ait: « Si homo non periisset, Filius hominis non veniret. » *De Verb. Apost.* Et nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minime veniret, teste S. Gregorio. l. III, *Moral.*

Hinc et S. Ambrosius: Non prodesset, inquit, nasci, nisi redimi profuisset. S. AMBR. *sup. Luc.*

Clarissime vero S. Augustinus: Mediator, ait, inter Deum et homines, oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis, longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. S. AUG. l. X, *conf.*

Dignitatem denique intelligere poterit ex Granatensis discursu, quem sic format: Dignitas divinæ legis et Dominicæ Incarnationis beneficium colligitur ex illis Moysis verbis: Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die, quo creavit Deus hominem super terram, a summo cœlo usque ad summum ejus; si facta est hujuscemodi res aliquando, aut unquam cognitum est, ut audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti. DEUT. IV, 22. Si ergo magnum fuit, Deum per Angelum loqui de medio ignis, quid erit ipsum Dei Verbum ac verum Deum in assumpto homine toties inter Discipulos consedentem, eosque cœlestibus disciplinis imbuentem cernere? Recte proin S. Bernardus ait: Nemo hominum novit, nec noscere potest ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii, humanæ Redemptionis inscrutabilis altitudo. S. BERN. *in Epist.*

Alterum est, ut bene apprehendat, aliisque inculcet tria officia Christi primaria, nempe Ducis, Magistri et Redemptoris, quæ ipsemet indicavit, dum dixit: Ego sum *via*, (quia duco ad cœlum) *veritas*, (quia doceo homines veritatem) et *vita*, (quia redempturus sum illos). Hinc S Leo: Christus, inquit, est via sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ. S. LEO, ser. IV *de Resurrec.*

Et S. Cyrillus: Christus nobis est via per vitæ actionem, veritas per fidei rectitudinem, vita per sanctificationem.

Tertium est, ut pariter bene apprehendat tria officia, quæ vicissim quivis Christianus erga Christum exercere debet, nempe 1. *Charitatem tenerrimam propter dilectionem*, quod officium pulchre indicavit S. Augustinus, dum dixit: Domine, qui tibi non servit (et te amat) quia creatus est, infernum meruit; sed qui tibi non servit (et te non diligit) quia redemptus est, meretur ut novus pro illo infernus fiat. 2. *Gratitudinem maximam propter redemptionem*; si enim, ut S. Bernardus sapienter advertit, totum me debeo pro me facto, qui addam pro me refecto, et refecto hoc modo? 3. *Imitationem studiosissimam propter perfectionem.* Idem enim Dominus Jesus, ut ait S. Laur. Justin. quod alias docuit verbo, ipse suos primo formavit exemplo. Utrumque nobis, et meritum patientibus et patiendi speculum factus. S. LAUR. JUST. *in Ligno vitæ* c. V.

Et clarius S. Ambrosius: Tempus faciendi, non jubendi, quia non legatus, neque nuntius, sed Dominus ipse salvaturus erat populum suum. Tempus faciendi, Domine, hoc est, ut crucem ascendas, ut mortem subeas; totus in periculum ultimum mundus urgetur; factum tuum subveniat, quoniam nec tua præcepta prodesse poterunt. S. AMBR. ser. XVI *in Ps.* CXVIII.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Christus Incarnatus.

Potest ostendi fructus Incarnationis potissimus, scilicet reconciliatio hominis cum Deo ideoque Christus iridi comparari: 1. *Propter similitudinem finis*, quem Deus indicavit, dum dixit: Erit arcus meus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni, quod factum est inter Deum et inter omnem animam viventem. GEN. IX, 6. 2. *Propter similitudinem essentiæ*; ut enim iris est splendor solis in nube receptus, habetque duo cornua; ita Christus est splendor et figura Patris in carne humana receptus, duasque naturas, divinam scilicet et humanam, habet. 3. *Propter similitudinem colorum*; ut enim iris tres habet colores, viridem, cæruleum, rubeum; ita in Christo triplicis generis mysteria reperiuntur, *gaudiosa* per viridem, *dolorosa* per rubeum,

gloriosa per cæruleum colorem significata. 4. *Propter similitudinem odoris*, quem iris materialiter, Christus spiritualiter per virtutes et miracula reliquit. Excitandi proinde auditores, ut agnoscant, et sequantur consilium Ecclesiastici dicentis : Vide arcum, et benedic eum qui fecit illum ; valde speciosus est in splendore suo. Vide Fabrum, in festo Annunt. c. II, n. 1.

Potest ex occasione sententiæ : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum, » comparari Christus rori. 1. Quia ut ros sub noctem cecidit in terram, id est, uterum virgineum, juxta Salomonis testimonium : Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo a regalibus sedibus venit. 2. Quia ut roris generatio occulta est, et is sine strepitu in terram cadit; ita idem de Christi generatione verius dicitur. 3. Quia sicut ros suavem odorem aspirat viventibus, terræque fecunditatem affert; ita Christus et suavissimum odorem exemplorum reliquit, et tam in utero virgineo, quam hominum pectoribus pretiosissimos pulcherrimarum virtutum fructus producit. 4. Quia sicut olim ex rore Deus Israel manna confecit; ita Deus ex Christo Eucharistiam, quæ omnem saporem suavitatis in se continet. 5. Quia sicut per rorem in vellus Gedeonis delapsum Deus significavit se Israelitas ab inimicis liberaturum; ita per Christum in uterum Virginis delapsum indicavit idem Deus se humanum genus a servitute diaboli liberaturum. Excitandi proinde auditores, ut, quoniam paratus est etiamnum Deus hunc rorem in ipsorum animas demittere, sinum cordis sui aperiant, magnoque desiderio eumdem excipiant, ut suavissimo illius odore liquoreque saluberrimo recreentur et fecundentur. Interea dicant cum Ecclesia : Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum. Te laudamus Deus noster.

Potest ex occasione sententiæ : « Ego sum via, veritas et vita. » JOAN. XIV, 6.

Explicari triplex officium Christi, nempe Ducis, Magistri et Redemptoris. Et 1. quidem ostendi, quod sit Dux peritus viæ, fidelis et jucundus, cujus conversatio non habet amaritudinem. 2. Magister sanctissimus, sapientissimus et mansuetissimus. 3. Redemptor potentissimus, promptissimus Deoque gratissimus. Unde excitandi auditores, ad tria officia Christiani, nempe charitatem, gratitudinem et imitationem exercenda. Vide Fabrum in Festo Nativ. con. V.

Potest ex occasione thematis : « Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. » Christus soli comparari. 1. Quia uti sol in se maximus, et centies sexagies terra major, nobis tamen parvus et metæ sagittariæ similis apparet; ita Christus quidem parvulus apparuit, ut sol, sed in se major erat omnibus creaturis. 2. Quia luce suæ sapientiæ, et calore suæ charitatis totum mundum illustravit, fecundavitque, nocturna vero spectra et tartareos spiritus fugavit. 3. Quia ut sol celerrime mundum prope universum per se et suos Apostolos peragravit. 4. Quia ut sol per duodecim signa Zodiaci occurrit. Et in *Geminis* quidem fuit tempore Incarnationis, quando duas naturas conjunxit. In *Cancro*, quando adhuc in utero matris existens, Bethleemii ab omnibus repulsus, retrocedere in stabulum, ibique nasci coactus est; aut quando ex Dei summa dignitate ad hominis vilissimam conditionem descendit. In *Virgine*, quando recenter natus in gremio Matris recubuit. In *Libra*, quando per privatam vitam actiones suas omnes voluntati justitiæque divinæ conformavit. In *Leone*, quando tempore prædicationis plurimis voce sua salutarem terrorem incussit. In *Arcitenente*, quando per orationem assiduam ardentissimas sagittas desideriorum, piorumque affectuum in cœlum jaculatus est. In *Scorpione*, quando fatalem ictum in morte accepit, et eclypsatus est per interpositionem terræ in sepulchro. In *Capro*, quando in montibus versatus, vel oravit, vel prædicavit, vel transfiguratus est. In *Piscibus*, quando tempore Passionis obmutuit et nec verbo apud Pilatum se defendit. In *Ariete*, quando seipsum Patri in cruce victimam obtulit. In *Tauro*, quando in infernum descendens, ejusdem januas perfregit, et divinitatis humanitatisque suæ potentia dæmones vicit. In *Amphora*, quando Baptismum instituit, et Discipulos suos omnes gentes baptizare jussit. Excitandi proinde auditores, ut studeant esse heliotropia, et ad solem hunc se convertentes, salutares ab eo influxus recipere studeant.

Potest ex occasione thematis : « Et peperit filium suum primogenitum, » LUC. II, 7. ostendi, quomodo Christum natum optime colere et amare possimus, si videlicet officia a Matre sua corporaliter illi exhibita,

spiritualiter nos præstemus. Et 1, quidem eum *concipiamus*, eliciendo propositum emendationis, dicendoque : Ecce ancilla (vel servus) Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. 2. *Generemus*, exequendo propositum, et voluntatem divinam implendo, quam qui facit, vere Mater est Christi, ut ipsemet Christus fassus est. 3. *Pannis mundæ conscientiæ involvamus*; quod fiet, si consuetudines malas studiose devitare studeamus. 4. *Lacte dulcissimo devotionis solidæ pascamus et nutriamus* ; quod præcipue per promptam et accuratam operum ad propriam cujusque vocationem et statum pertinentium executionem præstandum est. 5. *Reclinemus in præsepio*, corde scilicet nostro, eique per veram humilitatem fœnum substernamus, hoc enim ei præsepe gratissimum esse, certum est, utpote quod ipse petierit, dicens : Fili, præbe cor tuum mihi. 6. *Portemus in ulnis* ; non in prosperis magis quam in adversis eidem adhærendo, dicendoque cum S. Paulo : Quis me separabit a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro? 7. *Canticum ei cantemus*, et novum quidem, cum S. David. Quod faciemus, si studuerimus, ut intellectus, voluntas, et omnes aliæ vires nostræ concordent, novamque vitam inchoemus.

Potest ex occasione thematis : « Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Salvator. » Luc. II, 10.

Ostendi, quale gaudium attulerit Nativitas Christi universo mundo. Et 1, quidem *Deo*, per gloriam ipsius summe amplificatam. 2. *Angelis*, ob sedes ipsorum et ruinas restauratas 3. *B. Virgini* et *Josepho*, dum in eorum sinu et ulnis recumbere dignatus est. 4. *Hominibus*, dum ad eos salvandos venit. 5. *Patribus in Limbo*, dum spem liberationis certissimam causavit. Excitentur subinde auditores partim ad spirituale gaudium concipiendum; partim ad Nativ. spiritualem per novum vitæ emendandæ fervorem instituendam, ostendaturque breviter, quantum gaudium et ipsi per hanc Nativ. Deo, B. V. Angelis, Patronis, hominibus, quibuscum agunt, purgantibus animabus creare possint.

Potest ex occasione thematis : « Natus est vobis hodie Salvator. » Luc. II, 15.

Dici, antiquum esse morem, ut natales dies magnorum dominorum magna cum solemnitate celebrentur, variaque dona natalitia offerantur. Excitari proinde possunt auditores, ut et ipsi sequantur hunc morem, et quia dignum tali Domino munus non habent, imitentur Æschinem pauperem studiosum, qui cum Magistro Socrati varii varia dona offerent, ipse quoque accessit, et cum aliud non haberet, seipsum obtulit, audiitque a Socrate : Bono animo esto, o Æschines! vere tu liberalitate tua omnes alios superasti, ac proinde vel ex hoc tempore operam dabo, ut te tibi meliorem quamdam restituam. Poterit ergo concio in duas dividi partes, et in prima quidem probari, quod hoc donum sit Christo gratissimum, quia multum dat, qui nihil sibi retinuit. In secunda autem ostendi posset, quomodo etiam Christus nos nobis sit restituturus meliores in bonis naturæ, in bonis gratiæ et in bonis gloriæ. Vide Thom. Kemp. l. IV, c. VIII, et Fabrum in Festo Purif. conc. II, n. 4.

Christi nomen.

Potest ex occasione thematis : « Oleum effusum nomen tuum. » Cant. I, 2.

Comparari SS. Jesus nomen cum oleo, 1. Quia ut oleum supernatat omnibus liquoribus; ita hoc nomen est nomen super omne nomen, præcipue quoad significatum, quod excedit omne bonum creatum. 2. Quia sicut oleum cibis condiendis adhibetur; ita SS. nomen Jesu omnibus actionibus admiscendum est, præcipue precibus, ad imitationem Ecclesiæ semper claudentis orationes : *Per Dominum nostrum Jesum Christum* ; sic enim implebitur, quod Christus dixit : Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Joan. XIV, 14.

3. Quia sicut oleum ad lucem alendam peraptum est; ita SS. Jesu nomen ad scientias et sapientiam, uti pius scriptor in persona Christi sic loquens fatetur : Ego sum, qui doceo hominem scientiam, et clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quam ab homine possit doceri. *De Imit.* l. III, c. XLIII.

4. Quia sicut oleum roborat certaturos; ito SS. nomen Jesu contra diaboli insidias munit, ejusque vires frangit, uti ex pluribus historiis patet. Quare excitandi erunt auditores, ut vasa electa, idest, corda munda præparent pro hoc oleo, illaque ista copiose adimpleri a Christo petant.

Potest ex occasione thematis : « Vocabis nomen ejus Jesum. » Luc. I, 31.

Hoc SS. nomen, prout depingi solet, pro *strena* offerri. Et prima quidem littera I clericis offerri, tum quia et littera perfectissima et rectissima, utpote significationem totius nominis continens; tum quia significat *Itionem*, atque adeo monet Sacerdotes, ut præeant exemplo, et sint prompti ad omnia officia suæ vocationi convenientia. Secunda littera H conjugatis offerri potest, tum quia significat indissolubilem conjunctionem per mediam lineolam; tum quia per crucem in medio poni solitam indicat tribulationes in matrimonio non defuturas, sed quæ per nomen et auxilium Jesu leniendæ sint Tertia S studiosæ juventuti offerri potest, simulque indicari, quod a Christo discere debeat vitam a pueritia recte instituere, atque adeo proficere in ætate, sapientia, gratia apud Deum et homines. Hortandi proinde auditores, ut boni consulant hanc strenam, atque ex ea solidum fructum referre studeant.

MISCELLANEA.

Mercator ille, qui suadente S. Bernardino nihil aliud, quam S. Jesu nomen effinxit, ditissimus factus est, quis ergo dubitat, ditiorem multo futurum eum, qui nihil aliud quam Christum in operibus suis formare, et repræsentare conabitur. Certe si Christum bene scis (imitari) satis est, si cætera nescis.

Si B.Virgo pictorem, qui ipsius imaginem elegantissime semper efformare studuit, a lapsu in terram præservavit, manu ab imagine porrecta; quanto magis Christus a lapsu in peccatum præservabit eos, qui ipsum in cordibus suis pulcherrime depingere studuerint.

S. Damasceno, cum fortiter imaginum cultum defendisset et restaurasset, ob eamque causam Leo Isauricus manum abscindi jussisset, B. Virgo manum integre restituit; quanto magis Christus contra *Leonem Tartarcum* nos defendet, si imaginem suam, id est, virtutes suas restaurare studebimus?

Quidam Rex confici sibi vestem ex panno jussit, ut mercatores pannum similis materiæ vendere possent. Aurelius Imp. volens reducere studia philosophica, primus scholam ingressus est et omnes post se traxit. Sub Ludodivo II, Rege Franciæ, nemo æstimabat studia, quia is filium studere nolebat propter imbecillitatem. Sub Francisco Primo florebant, quia viros doctos amabat. Idem quia tonderi se jusserat, ut facilius vulnus auris curaretur, effecit ut nemo capillos longos portare vellet. Quia Alexander et Alphonsus Reges collo obtorto incedebant, idem aulici quoque faciebant. Æthiopes ita amabant Reges, ut ad eorum imitationem vivere, vestiri, loqui, incedere, comedere, bibere studerent, imo et oculum eruerent, aut crus debilitarent, si Regem talem haberent. Quanto magis similis amor, et imitationis studium erga Christum exercendum est?

Christus S. Brigittæ dixit: Quid te delectat audire opera mundanorum, et bella Procerum, et cur tali auditu inani occuparis, cum ego sim omnium Dominus, nullaque delectatio sine me in pretio habenda sit? Si cupis audire facta magni Domini, si considerare opera magnalia, debes utique audire et considerare facta mea, quæ intellectui incomprehensibilia sunt, cogitatione stupenda, et auditu admiranda. Lib. VI, *Rev.* c. XXVII.

Inter alia præconia Christus recte flos campi dicitur, partim quia sine personarum acceptione omnibus eum carpere volentibus in commune propositus est; partim quia solo cœlestis spiritus influxu, sine ulla humani cultus opera in castissimis Virginis visceribus, velut in campo quodam satus et conservatus fuit. GRANAT. *in Silva loc. com.*

Christus admirabilis est in Nativitate, consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, pater futuri sæculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine. S. BERN. l. X. *Inter parvos.*

Triplex est Christi Nativitas, naturalis in carne, spiritualis in corde, æterna in cœlo. Prima natus est semel; secunda sæpe; tertia semper. Prima fuit absque patre, secunda absque patre et matre. FABER. *in festo Nat. con.* III.

Pulchram exhortatiunculam ad Christi imitationem et amorem proposuit S. Bernardus in hæc verba: Obsecro vos, dilectissimi, considerate diligentius, quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione et salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus et efficax, sermo fidelis et omni acceptione dignus, sermo non tam oris, quam operis. Putatis, fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum et sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et

quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem, inutilem esse doleret homo pusillus, imo et nihil; quam justius indignabitur Dominus majestatis, si tantam ejus operam nostra aut duritia aut negligentia contingat evacuari? Avertat hoc in servulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam servi! Serm. III, *in Natal. Dom.*

Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus involvitur. Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat; sed divinam impossibile est falli Sapientiam. Et mox: Christus utique, qui non fallitur, elegit quod molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. Et quisquis aliud docet, vel suadet, ab eo tanquam seductore cavendum. S. Bern. ser. III, *in Natal. Dom.*

Quid mirum, si inter prospera fluctuas et adversa, qui necdum statuisti super petram pedes tuos? dicebat S. Bernardus Henrico magistro suo.

S. Franciscus Salesius dicebat: Non maneamus in nobis, sed mente, intentione, ac fiducia domicilium figamus in aperto latere Christi, nam sine illo nihil possumus, et licet possemus, nollemus tamen aliquid sine illo aggredi; totum in illo, totum per illum, totum cum illo, totum propter illum nos habere oportet; totum nostrum ipse est.

Christus S. Brigittæ dixit: Magis paterer cor meum vulnerari et dividi, quam te carerem. Et iterum: Talis mihi etiamnum est voluntas, qualis fuit pendenti in cruce; idem enim modo sum, qui tunc fui, quando latroni misericordiam petenti peccata omnia dimisi et cœli portas aperui.

AUCTORES.

Eusebii Nierenbergii, *Amor erga Jesum.*

Jeremiæ Drexelii, *Christus nascens, moriens, resurgens.*

Gasparis Tausch. *Fontes Salvatoris.*

Francisci Arrias, Tomus de *Imitatione Christi.*

Antonius Gaudier, de *Imitatione Christi.*

Ludulphus Saxiona, de *vita Christi.*

Eusebius Nierembergius, *in Doctrinis Asceticis* lib. III.

COGNITIO SUI.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est scientia, qua homo ad movendum affectum suum, seipsum quoad naturalia et moralia cognoscit, et quid ex se habeat, quid vero ex Deo possideat, attenta mentis consideratione discernit. Jacob Alvar. t. II, l. IV, p. 2, c. I.

Divisio. — Dividi potest in Cognitionem sui quoad *naturalia*, et quoad *moralia*; illa est, qua cognoscuntur ea, quæ a natura quisque habet; hæc est, qua considerantur, quæ libero suo arbitrio quisque operatus est.

Actus. — Tres potissimum possunt assignari. Primus est, quo quis cognoscit, quid fuit, quia sperma fœtidum; quid est, quia vas stercorum; et quid erit, quia esca vermium. S. Bern. *in Form. hum. vit.*

Secundus, quo consideratur, quid quisque potuerit, possit, et poterit, videlicet undequaque *nihil*; nam, ut sapienter S. Augustinus dixit, sicut oculus corporis, licet plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo quibuscumque donis ornatus, nisi æterna luce Justitiæ divinitus adjuvetur, non potest recte vivere. S. Aug. l. *de Nat. et grat.* c. 26.

Tertius est, quo cognoscitur, quid quisque fecerit, faciat, aut facturus sit; id quod graphice S. Bernardus expressit, dum dixit: Quid necesse est singulas ejus, id est, animæ miserias numerare, quam sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis et ignominiæ plena? Mirum, si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes, ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniuntur; injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ, quantæ erunt? S. Bern. s. v. *in Dedic. Eccl.*

EX S. SCRIPTURA.

Vide vias tuas in convalle; scito, quid feceris. JER. II, 23

Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus. THREN. III, 2.

Contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. HABAC. II, 1.

NECESSITAS. — Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum. CANT. I, 7.

UTILITAS. — Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui; CANT. IV, 9, id est, per cognitionem tui, ut Alvarez et alii interpretantur.

Postquam ostendisti mihi (scilicet probrosum et malum statum meum) percussi femur meum. JER. XI, 19.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Revera omnium causarum difficillimum est, seipsum cognoscere; non enim solus oculus ea, quæ extrinsecus habentur, inspiciens, seipsum non valet intueri, sed etiam mens ipsa, satis acute aliena delicta contemplans, tardior est erga suorum cognitionem. S. BASIL. *in Hexm.* l. IX.

Unumquodque coram facie sua ambulabat. Quid est coram facie sua ambulare, nisi seipsa sibi præsentia habere? Sicut ambulare coram facie Dei, est, Deum sibi facere præsentem. S. GREG. tom. IV. *in Ezech.*

Iste in hac vita justorum labor est, ut semetipsos inveniant, et invenientes, flendo et corrigiendo ad meliora perducant. Idem l. X. *Mor.* c. XXII.

Electi intra sinum cordis adversum se, quidquid impugnat, enumerant; ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant; ibi, quidquid per iram districti Judicis discerni possit, intuentur; ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent. Ibidem.

Qui vult intelligere qualis est, tales debet aspicere, qualis non est. *Reg.* XXIV. *Mor.*

Quanto quis minus se videt tanto minus sibi displicet, et quanto majoris gratiæ lumen perceperit, tanto amplius repræhensibilem se esse cognoscit. Ibidem.

Prudentis hominis est nosse mensuram suam.

Frustra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum. Prius enim est ut cognoscas invisibilia spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum invisibilia Dei. Et si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea, quæ sunt supra te. Præcipuum et principale speculum ad videndum Deum, animus rationalis intuens seipsum. HUGO l. III. *de Anima.*

Scio, neminem absque sui cognitione salvari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, et timor Domini, qui et ipse sicut initium sapientiæ, ita et salutis est. S. BERN. s. 37. *sup. Cant.*

Omnis gravis angustia. Si me inspicio, non tolero meipsum. Si non inspicio, nescio meipsum. Si me considero, terret me facies mea. Si non considero, fallit me damnatio mea. Si me video, horror est intolerabilis. Si non video, mors inevitabilis. S. ANSELM. *in suis Medit.*

Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid exstruxeris extra te, erit instar congesti pulveris, ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. Sapiens sibi, sapiens erit, et bibet de fonte putei sui primus ipse. S. BERN. c. III.

Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es; nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. S. AUG. ser. L. *de Verb. Apost.*

UTILITAS. — Primum ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, consideratio purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, mores componit, vitam honestat et ordinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. S. BER. *de Consid.*

Est primum hominis sapientiam affectantis, contemplari, quid ipse sit; quid intra se, quid infra se, quid supra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum, utilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. S. CHRYS. tr. *de Symb.* c. III.

Disce ex tuo spiritu cognoscere, quid debeas de aliis spiritibus æstimare. Hæc porta, hæc schola, hic introitus, iste ascensus; hac intratur ad intima, hac elevatur ad sum-

ma; ex hac siquidem proficisceris ad cognitionem omnium cœlestium, terrestrium, et infernorum. HUGO l. I. *de Anima.*

Magnus accessus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ. Locis corpora continentur, animi autem locus est affectio sua. Magna est utilitas servo Dei, propriam infirmitatem cognoscere, atque in suis viribus aut meritis nullam fiduciam habere. Tunc enim incipit adesse virtus divina, quando deficere incipit præsumptio humana. CASSIOD. super illud *Ps. Miserere mei, quoniam infirmus sum.*

O homo, si te videres, tibi displiceres et mihi placeres; sed quia te non vides, tibi places et mihi displices. Veniet tempus, cum nec mihi, nec tibi placebis; mihi, quia peccasti; tibi, quia ardebis. S. BERN.

Multæ scientiæ hominum; sed nulla melior est illa, qua cognoscit homo seipsum; beatus homo, qui se potest cognoscere. Idem *de Inter. domo* c. XXVIII.

Noveris te, ut Deum timeas; noveris et ipsum, ut æque ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero consummaris; quia initium sapientiæ timor Domini est, et plenitudo legis est charitas. Idem, ser. 37 *in Cant.*

DIGNITAS. — Est omnium disciplinarum pulcherrima ac maxima, seipsum nosse. S. CLEM. Pæd. l. III.

Melior est scientia, si teipsum cognoscas, quam si te neglecto cursum siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cœlestium, terrestriumque omnium cognitionem habeas; multi enim multa sciunt, et seipsos nesciunt, cum tamen summa Philosophia sit sui cognitio. HUGO DE S. VICTORE l. *de Claustro animæ.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Hæc est utilissima et altissima lectio, sui ipsius vera cognitio et despectio. L. I. c. II.

Qui bene seipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis. Ibidem.

Humilis tui cognitio certior via est ad Deum, quam profunda scientiæ inquisitio. L. I, c. IV.

Ad te ipsum oculos reflecte, et aliorum, facta caveas judicare. In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, et leviter peccat; seipsum vero discutiendo et judicando, semper fructuose laborat. L. I, c. IV.

Habe semper oculum super te primum, et admoneas teipsum specialiter præ omnibus tibi dilectis. L. I, c. XXI, § 3.

Nunquam eris devotus et internus, nisi de alienis silueris, et ad teipsum specialiter respexeris. L. II, c. V.

EXEMPLA.

S. Augustinus assiduo precabatur, et dicebat: Deus semper idem, noverim me, noverim te. RODR. p. II, tr. II, c. IX.

S. Franciscus Seraphicus perdius et pernox in hac oratione erat occupatus: Domine, quis sum ego, et quis tu? Ibidem.

B. Margaritæ, sanctimoniali Instituti S. Dominici, cum peteret a Deo gratiam cognoscendi viam, per quam antiqui Patres ad tantam sanctitatem pervenissent, in libro aureis litteris exarata hæc verba ei ostensa sunt: Perfectio antiquorum Patrum isthæc fuit: Deum amare, seipsum nosse et despicere, aliorum vero contemnere neminem, neminem vel in re minima judicare. Ibid.

Willigisus, Coloniensis Archiepiscopus, in veteris suæ fortunæ memoriam, in musæo, et ubique alibi rotam (erat enim patre rhedario natus) cum hac epigraphe depingi curavit: Qui sis, fuerisque memento. ENGELGR. *Dom.* 3. *Adv.* § 4.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius statim a primo conversionis suæ initio, ad intimam sui ipsius notitiam studuit penetrare, iis adhibitis mediis, quæ plurimum istuc facere posse cognoverat, quæque ipse in libello Exercitiorum indicat his verbis: Considerabo meipsum, quisnam aut qualis sim, additis exemplis quæ, me in majorem mei contemptum trahant; ut si mecum reputem, quantulus sim ad hominum omnium cœtum comparatus; quid deinde sit multitudo universa mortalium, si cum Angelis, beatisque hominibus conferatur. Adde, quid rei sit tandem, quidquid est creatum præ ipso Creatore; jam quid homuncio unus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, ac corporis fœditatem, ac me tamquam ulcus sive apostema esse ducam, ex

quo tanta sanies peccatorum tantaque vitiorum lues defluxit. *Exerc.* II, *hebdom.*

S. Franciscus Xaverius dicere solebat, eos, qui in virtutibus sincere proficere cupiunt, in sui cognitione diu multumque versari oportere, fibris cupiditatum evulsis, veræ humilitatis altas radices figere. *Vita* l. IV, c. XXIV.

S. Franciscus Borgia omnia sibi hospitia optime semper præparata esse dicebat, eo quod semper duos nuntios, scilicet cognitionem sui et inferni præmitteret, qui hospitium præpararent. Sed et alias postquam in asceticis se exercere consuevit, duas quotidie horas in meditatione cognitionis sui consumebat, in eoque totus erat, ut quidquid audiret, videret, legeret, in hujus potissimum argumenti usum traheret. *Vita* l. IV.

Franciscus Suarez rogatus a quodam primario Academiæ professore, uter Deo plus deberet, Rex aliquis, cui Deus sceptrum obtulerit, an ipse, cui Deus Theologiæ claves commiserit? demissis oculis, erubescens respondit : Ille plus ei debet, cui humilitatem suique notitiam dedit.

EXEMPLA PROFANA.

Lechas, Rex Poloniæ, ab aratro ad regnum evectus, semper vestes rusticas in palatio suspensas in oculis habebat, ne prior conditio animo excideret. ÆNEAS SILVIUS *de Regno Boh.* Idem.

Primislaus, Rex Poloniæ, ad solium a stiva vocatus, sculponeas ac petones asservari jussit, ne umquam rusticum exueret.

Agathocles, Siciliæ Rex, semper testaceis vasis utebatur, ne se filium figuli oblivisceretur. ENGELGR. *Embl.* IV, § 4, ibid.

Quidam Rex Mogorum Tamerlani nepos, ob heroica facta vilissimos quosque evehere solebat, sed tamen iisdem semper etiam instrumenta artis, ex qua assumpti fuerant, præferri jubebat.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut oculus alia videns, seipsum tamen non cernit; ita etiam mens nostra corrupta, aliena vitia magis spectat quam sua. LANGIUS, in *Polyanth.*

NECESSITAS. — Sicut ille paterfamilias merito reprehendendus esset qui assiduo indagaret quid in alienis ædibus fiat, de sua vero domo nullam notitiam habere studeret, atque adeo penitus eam perire sineret; ita non minori reprehensione dignus coram Deo est ille homo, qui se neglecto, cursum cœli, et alia ad se non pertinentia considerat. Eod. *Anonym.*

UTILITAS. — Sicut Christus, dum cæcum illuminavit, oculos luto prius linivit; sic nos ad cognitionem nostri, et vitiorum ducit. S. BONAV.

MOTIVA.

Quia cognitio sui est via brevissima et certissima perveniendi ad cognitionem Dei; nam, ut S. Bernardus ait, primo omnium oportet animam scire seipsam, quod postulat ordo rationis, quando, quod nos sumus, primum nobis est. S. BERN. *sup. Cant.* hom. 36.

Hinc Cassiodorus ait : Magnus accessus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ.

Quia per cognitionem talem obtinetur vera humilitas, uti S. Bernardus testatur, dum ait : Ergo tenetis memoria, quod teneam assensum vestrum, neminem absque sui cognitione salvari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur. Idem ser. 37 *in Cant.*

Et S. Hieronymus : Drachma (humilitatis) periit, sed in stercore propriæ vilitatis per cognitionem sui invenitur.

Quia, per eamdem cognitionem sui, charitas et beneplacitum Dei non modice promovetur, juxta illud Sancti Bernardi : O homo, si te videres, mihi placeres, et tibi displiceres. *Lib.* II, *c.* V.

Quia etiam fraterna charitas per talem cognitionem egregie promovetur. Qui enim bene et recte sua ponderaret, inquit Thomas de Kempis, non esset, quod de alio graviter judicaret.

Quia hæc cognitio est necessaria ad salutem, juxta S. Bernardi testimonium dicentis : Scio, neminem absque cognitione sui salvari; quia qui hac caret, sequetur concupiscentias inordinatas, implebitque illud Canticorum : Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hædos tuos, id est, inordinatas affectiones tuas. CANT. I, 7.

MEDIA.

Oratio ; nam, teste S. Gregorio, cognoscere se non potest anima, quæ tota apud se non est, nisi etiam Divinæ luci appropinquet. S. Greg. l. xxxi. *Mor.*

Quies et solitudo animi; nam sicut concussa aqua imaginem respicientis non reddit, sed solum cum est quieta; sic anima non deprehendit se, nisi cum est quieta. Idem, l. ii *sup. Ezech.* hom. xxxi.

Accuratum conscientiæ examen; nam hoc est speculum, quod Bias frequenter inspici suadebat, ut unusquisque suas actiones contemplaretur, ut honestas magis ornet, turpes vero emendet.

Humilitas ; nam qui plenissime appetit intelligere qualis est, debet conspicere, qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur ipse, quanto deserto bono deformis est. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris indicare. Lumen intelligentiæ humilitas aperit, Sapientia abscondit. S. Greg. in *Moral.*

Curiositatem in alienis moribus inspiciendis vitare, nam ut Sanctus Prosper ait, tamdiu quis peccata sua, quæ nosse et flere debet, ignorat, quamdiu curiose aliena considerat.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ de sui cognitione bene observare debet Asceta. Primum est, in quo consistat vera sui cognitio. Qua in re facem egregie præfert S. Ambrosius sic discurrens : Quid est se noscere? nisi ut sciat unusquisque hominem ad imaginem et similitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere, tamquam bonus agricola debeat, aratro quodam et falce sapientiæ, ut vel dura scindantur, vel luxuriantia recidantur, qui inferiorem sui portionem animi imperio debeat gubernare? Unde etiam in lege scriptum est : Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende; non utique dicit pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animæ ac menti tuæ; unde omnia consilia, facta, cogitationesque manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem esse te nosti. S. Ambr. S. ii, *in Ps.* cxviii.

Alterum est, ut magnam concipiat æstimationem de hac cognitione, quam quidem haud difficulter concipiet, si meminerit, eamdem merito ab antiquis Patribus pro fundamento totius ædifici spiritualis habitum esse, utpote ex qua vera et genuina humilitas, sine qua nec charitas, nec ulla alia virtus subsidere diu potest. Adde quod, teste Aristotele, difficillimum, atque adeo pulcherrimum quoque sit cognoscere seipsum. Arist. l. ii *Magn. mor.*

Tertium est, ut solidam quoque praxim cognoscat, acquirendi et exercendi hanc sui cognitionem, quam quidem duplici modo consequi potest, nempe vel per comparationem sui cum Deo, aut cum aliis hominibus, maxime justis et perfectis, ut supra, S. Ignatium docuisse diximus; vel per accuratam considerationem propriarum infirmitatum et imperfectionum, ut Innocentius Pontifex docuit sequentibus verbis: O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! Herbas et arbores investiga, illæ de se producunt flores, et frondes, et fructus, et tu de te lendes, lumbricos, et pediculos. Illæ de se effundunt oleum, vinum, et balsamum, et tu de te sputum, et urinam, et stercus. Illæ de se spirant suavitatis odorem, et tu de te reddis abominationem fœtoris. Qualis arbor, talis fructus, non enim potest arbor bona malos fructus facere.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. » Job. xiv.

Possunt miseriæ totius vitæ humanæ explicari. Et 1. quidem ea, quæ cuique ætati propriæ sunt, nempe, respectu *Infantiæ,* impotentia, et rationis carentia ; respectu *Adolescentiæ,* inclinatio seu facilitas ad faciendum malum, et difficultas in faciendo bono; respectu *Juventutis,* periculum bivii in electione status, in quo tam multi aberrarunt, et quotidie aberrant; respectu *Virilis ætatis,* sollicitudo in regenda et alenda familia, statuque suo tuendo; respectu *Senectutis,* languor et rerum omnium fastidium. 2. Demonstrari potest, quæ miseriæ omnibus his ætatibus communes sint, nempe, respectu corporis, necessitas cibi, potus, ac somni (de quibus recte Thomas Kempensis dixit : Vere miseria est, vivere super terram. Quanto

homo voluerit esse spiritualior, tanto præsens vita fit ei amarior; quia sentit melius, et videt clarius humanæ corruptionis defectus. Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quiescere, laborare, et cæteris necessitatibus subjacere, vere magna miseria est, et afflictio homini devoto, qui libenter esset absolutus, et liber ab omni peccato). Lib, I, c. XII, § 2.

Labor, morbi, dolores, mors : respectu *animæ*, perpetua pugna, perpetuum salutis periculum, perpetuus lapsus; ratione quorum omnium merito quivis cum S. Job exclamavit : Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo : noli me condemnare. JOB. X, 1.

Ex occasione thematis : « Tu qui es ? » JOB. I, 20.

Ostendi potest, quomodo quivis ex se utiliter et frequenter quærere debeat, quis sit secundum triplicem statum. 1. Secundum *Naturam* ; ut meminerit, se esse rationalem creaturam, atque adeo vitam rationi conformem ducere debere, ne illam severam S. Chrysostomi increpationem audire cogatur : Hominem te agnoscere nequeo, cum nempe ut asinus recalcitres, lascivias vero ut taurus, tamquam equus post mulieres hinnias, ventri ut ursus indulgeas, ut mulus carnem impingues, et malum memoria teneas ut camelus. Porro rapias quidem ut lupus, ac ut serpens irascaris, ferias ut scorpius, sis subdolus ut vulpes, nequitiæ venenum tamquam aspis et vipera serves, ac sicut malignus Dæmon Fratres impugnes. Quomodo te cum hominibus connumerare valeo, talis in te naturæ signa cum non intuear ? S. CHRYS. s. XXIII *ad. Popul.*

2. Secundum *Religionem* ; ut meminerit, se esse Christianum, et proinde illam Sancti Jacobi sententiam sibi applicet : Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? JAC. II, 14. Nam, ut recte S. Augustinus dixit, *Christiani nominis* non sola dignitas facit Christianum, nihilque prodest, quod aliquis *Christianus* vocetur in nomine, si hoc non ostendit in opere. S. AUG. s. XXVIII, *de* SS.

3. Secundum *Statum* seu *Officium* ; ut meminerit se spectaculum factum esse Deo, Angelis, et hominibus, atque adeo operam det, ut personam suam ad exemplum Christi ita sustineat, ut dici de eo perinde possit : « Bene omnia fecit. »

Ex occasione thematis : « Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. » LUC. II, 53.

Potest dicere concionator, multum sollicitos esse quosdam homines, ut veram sui effigiem quoad corpus obtineant, utilius vero justiusque sollicitos fore de effigie vera animi obtinenda, facem autem se cuique in præsenti concione oblaturum, eamque non aliam esse, quam memorabilem illam pii Ascetæ sententiam. *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.* Lib. I *de Imit. Christi*, c. XXV, § ult.

Ostendat ergo veritatem hujus axiomatis triplici ratione. 1. Auctoritate Scripturæ sacræ mire hanc victoriam sui commendantis, maxime in Apocalypsi, ubi promittit Deus, quod ei, qui vicerit, daturus sit nomen novum, manna absconditum, vestimenta alba, edere de ligno vitæ, non lædi a morte secunda, potestatem super gentes, non deleri nomen ejus de libro vitæ, columnam esse in templo Dei, scribi super eum nomen Dei sui, sedere secum in throno. 2. Auctoritate Virorum sanctorum ex hoc judicio præcipue profectum cujusque metientium; id quod de S. Ignatio maxime refertur, ut qui perpetuo suis occinebat : *Vince te ipsum* ; ita ut S. Franciscus Xaverius idem faciens, cum aliquando causam tam frequenter repetitæ hujus doctrinæ rogaretur, non aliam reddiderit, quam quod hæc doctrina S. Ignatii sit, et si fiat, sufficiat. Potest etiam afferri in confirmationem testimonium Ludovici Blosii dicentis, si duo in campo ambularent, et alter florem a se conspectum decerperet, alter ad vincendum se abstineret a decerptione, hunc tanto intervallo in merito imparem fore, quanto cœlum a terra distat. 3. Ratione quoque id confirmet dicendo, quod cum profectus hominis in charitate Dei consistat, hanc autem nihil magis impediat, quam amor et timor inordinatus rerum sensibilium (quam ob causam veteres Philisophi sapientiam in abstinendo et sustinendo sitam esse putabant) si autem per tui victoriam maxime expugnentur, recte concluditur, tantum quemque proficere, quantum sibi ipsi vim intulerit. Quem in finem practicis exemplis ostendi potest, quomodo sanctissimi quique Viri vim sibi intulerint, et eorum exemplum auditores imitari possint.

MISCELLANEA.

QUALITAS.—Cognitio sui et bonitas Divina sunt quasi scala Jacob, cujus pars una terræ affixa erat (et hæc est sui cognitio) altera cœlum attingebat, scilicet Divinæ misericordiæ thronum, per quam proinde Angelorum more ascendere et descendere debemus, ita ut ad pusillanimitatem ob defectus nostros incitati, ascendamus ad Divinam misericordiam; sublati vero encomiis ad nostri cognitionem descendamus. RODRI. p. II, tr. III, c. VIII.

NECESSITAS. — Interrogatus quidam senex a Fratre, quæ causa esset, cur ita Fratres suos semper judicaret? respondit : Quia necdum teipsum cognovisti; nam qui se ipsum novit, Fratrum vitia non respicit. *Vita PP.* l. X, c. XCIV.

Deprehendas te oportet ante, quam emendes, recte jam olim dixit Seneca. SEN. ep. XXVIII.

Idem alibi clamat: O egregiam artem! scis rotunda metiri, in quadratum redigis, quamcumque formam acceperis; intervalla siderum dicis, nihil est, quod in mensuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum, dic, quam magnus sit, quam pusillus sit. Scis, quæ sit recta linea? Quid tibi prodest, si, quid in vita rectum sit, ignoras? Idem, ep. LXXXVIII.

Et iterum alibi: Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Idem, ep. LXXXIII.

Plato, ignorantiam sui vocabat genus improbitatis universæ; nosse autem seipsum, esse absolute sapere, ab eo omnem vitæ sapientiam, justitiamque pendere nec prudentem, bonum, aut felicem esse posse, qui seipsum non probe norit. PLATO, in *Philæbo et Amatoribus.*

Xenophon dicebat eum, qui seipsum ignorat, neque ad regimen sui, neque ad familiæ et Reipublicæ gubernationem idoneum esse. XENOPH. l. IV.

UTILITAS.— Ad tertium cœlum ascendendum est per primum et secundum. Primum autem cœlum est cognitio sui, secundum cognitio Dei. Hinc S. Bernardus : Gradus, inquit, ad notitiam Dei est cognitio tui, et ex imagine sua, quæ in te renovabitur, ipse videbitur. S. BERN.

Demonax interrogatus, quando philosophari inciperet? Quando meipsum cognosco, respondit. LANGIUS, in *Polyanth.*

Philemon dicere solebat : Homo cum sis, id fac semper intelligas, et semper eris homo. Ibidem.

Breviter et sapienter Juvenalis, cecinit :

E cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν
Figendum, et memori tractandum pectore.
JUVENAL. *Sat.* XI.

JUCUNDITAS. — Christus S. Catharinæ Senensi dixit : Filia, si noveris, quis ego sim, et quæ tu sis, beata eris. Ego sum, qui sum, tu es, quæ non es. Hac cogitatione freta facile conteres omnes laqueos inimici. Et vero quomodo quis persuadeat nihilum aliquid laudis promereri? SURIUS, *Vita.*

Thales dicere solebat, difficile esse, noscere seipsum, sed beatum. Et hanc esse vitam secundum naturam. LANGIUS, in *Polyanth.* v. eodem.

Aristoteles affirmabat, difficillimum esse seipsum cognoscere, sed suavissimum. ARIST. c. II, *Magn. mor.*

AXIOMATA.

Christe, sciant quæcumque alii, mihi sufficit una : Cognitioque tui, cognitioque mei. *Anonym.*

Tecum habita, et noris quam sit tibi curta supellex. PERSIUS l. IV.

Nemo minus notus, quam quisque sibi. S. CHRYS.

Is maxime se novit, qui se nihil putat, quia hoc veritati maxime congruum est.

Ut nemo in sese tentat descendere nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
PERSIUS.

Qui multum foris, raro domi est.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriquez, p. II, tr. III, c. VI, VII, VIII et IX.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. IV, p. II.

Joannes Pelecius, *de offic. Hominis Religiosi,* l. II, c. X.

Joannes Busæus, in *Viridario,* verbo *Cognitio sui.*

Josephus Langius, in *Polyanthæa,* verbo *Cognitio et notitia sui.*

Henricus Engelgrave, *Emblem.* IV, in Dominic. 3 Adventus.

Ludovicus Granatensis, in *Locis communibus,* f. 616.

COMMUNIO.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS.—Beneficentiæ et Communionis nolite oblivisci. HEBR. XIII, 16.

Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ. MATTH. c. XXIV, 27.

Paratum panem de cœlo præstitisti illis. SAP. XVI, 20.

UTILITAS. — Frumento et vino stabilivi eam. GEN. XXVII, 38.

Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum Electorum? ZACH. IX, 17.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. JOAN. I, 29.

Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ps. CXXVII, 3.

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Ps. CXXV.

Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios; cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et lædere. EXOD. XII, 23.

Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium vindemiæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati. ISAI. XXV, 5.

Et cognoverunt eum in fratione panis. LUCÆ, XXIV.

Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. I COR. XI.

Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. JOAN. V.

JUCUNDITAS. — Paratum panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. SAP. XVI, 20.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum. Ps. LXII.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti (id est, in hoc Sacramento abscondite tribuisti, ut S. Bernardus exponit) timentibus te! Ps. XXX.

De petra melle saturavit eos. Ps. LXXX.

Substantia tua dulcedinem tuam, quam in Filios habes, ostendebat; et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. SAP. XVI, 21.

DISPOSITIO. — Mundamini, qui fertis vasa Domini. ISAI. LII.

Super triticum et vinum ruminabunt. OSEÆ, VII.

Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. I COR. XI.

Sic autem illum comedetis: Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus. EXOD. XII.

Accepto corpore Joseph, involvit illud in sindone munda. MATTH. XXII.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Ibidem, VIII.

INDIGNA COMMUNIO. — Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. I COR. I.

Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. Ibidem.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Tunc Rex dixit ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. MATTH. XXII.

Loquere ad Aaron et filios ejus, ut caveant ab his, quæ consecrata sunt Filiorum Israel, et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt; ego Dominus, dic ad eos, et ad posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt Filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. LEV. XXII.

Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. LEV. XXVII, 20.

Post bucellam intravit in eum Satanas. JOAN. XXIII.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

DISPOSITIO. — Rogo, ut audias prudentiam serpentis; serpens enim, cum cœperit ire ad bibendum, antequam veniat ad fontem evomit omne venenum; imitare ergo et tu, charisime, hunc serpentem in hac parte, ut, antequam venias ad fontem, id est, Communionem

Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, evomas omne venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam, voluntatem carnalem, et noxias cogitationes ex corde tuo. S. BERN. ser. XXV, *de Modo bene viv.*

Quomodo tu ad illam mensam, ad præsentiam Christi, ad tactum Dei Filii, intrepidus audes accedere, quem Joannes Baptista tangere contremiscit? Petrus Apostolorum Princeps a se præ formidine repulit, dicens : « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum! » Cogita, quod iste, quem tu sumes, erit Judex tuus. Notandum autem Apostolum, eodem tempore et loco, quando nos ad cœlestem hunc panem verbis illis invitat : « Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, » nos pariter ad rigorosum exstimulare examen, et Christum nobis in hoc Sacramento tamquam Judicem oculis nostris proponere, dum ait : « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. » Voluit namque Apostolus per hanc Judicis mentionem, nobis communicantibus, sanctum quemdam imprimere timorem Judicii particularis animæ nostræ, quasi ita præparati ad mensam hanc accedere deberemus, veluti si Judicem nos judicaturum, et non Salvatorem nos nutriturum, excepturi essemus. Honor Regis, inquit S. Bernardinus, judicium diligit, videlicet in sumptione corporis ejus; discutienda est enim conscientia, quasi homo ex hoc mundo sit transiturus ad Patrem. Profecto si Principem vestrum ad ædes vestras admissuri essetis, summa utique cum sollicitudine procul inde eliminaretis, quidquid et displicere posset, et offendere, maxime si vos puniendi potestate polleret. S. BONAV. *in Fasc.* c. VII.

Quam civilem vivendi methodum considerans S. Bernardinus, se continere nequit, quin exclamet : O si expectares in domo tua cujusdam magni domini temporalis adventum, quanta solertia, quanta munditia, quantaque diligentia disponeres domum tuam! Quanto magis præparandum est conscientiæ hospitium Regi cœlorum et Domino Angelorum? S. BERN. s. LVI, ar. II, c. 1.

Audite, Fratres mei, si Beata Virgo Maria honoratur (ut dignum est) quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo; si B. Joannes Baptista contremuit, et non audebat tangere Domini verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur : quantum debet esse sanctus et dignus, qui non jam moriturum, sed in æternum victurum et glorificaturum, *in quem desiderant Angeli prospicere*, contrectat manibus, corde et ore sumit, et aliis ad sumendum præbet? S. FRANCISCI *Op.* c. I, ep. 12.

UTILITAS. — Non est sanguis Christi deterior Babylonio igne, ille scit sanctorum in camino honorare corpora et Chaldæos comburere; quanto magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos et servare fideles! S. CHRYS. apud MANSI, disc. XII, n. 4.

Terretur adversarius, cum Christiani labia videt Christi cruore rubentia. PETR. DAM. *ad Blanc.* c. III.

Corpus Christi accipere majus et utilius est quam orare. S. HIERON.

Christi corporis et S. sanguinis participatio necessaria et utilis est ad vitam æternam. S. BASIL. *in Summ. mot.*

INDIGNA COMMUNIO.— Porro gravissimum est et horrendum male communicantium delictum; pejus enim est quodammodo, quam Christi corpus cruci suffigere, atque pretiosum ejus sanguinem fundere; propter quod dicit Apostolus : « Reus erit corporis et sanguinis Domini. » Deterius enim peccat vel ipso Juda, qui Filium Dei et pretio vendidit et osculo prodidit; nam hic non solum exterius osculatur, sed intus morsu lethali afficit, ut Propheta dicat, « Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens »; atque, quod ad se attinet, renovat Filii Dei mortem. SALMERON, s. XLI, c. VIII.

Domine Jesu Christe, inquit Petrus Blessensis, Sacramentum corporis et sanguinis tui quasi pignus et obsidem cœlestis gratiæ dimisisti, et in eo constituisti nobis, non mortem, sed vitam, non judicium, sed salutem, quam perditus ergo est, qui redemptionem in perditionem, qui sacrificium in sacrilegium, qui vitam convertit in mortem! PETR. BLESS. op. CXXII.

Audiamus ergo, et per hoc horrescamus, inquit S. Chrysostomus. Carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit, quam igitur satisfactionem offeremus, cum tali pabulo nutrit, taliter peccemus, cum Agnum comedentes in lupos convertimur, cum ovinis carnibus saturati, ut leones rapiamus. S. CHRYS. hom. LI *in Matth.*

Tales socii sunt Judæ proditoris, de quo in Joanne legitur : « Post buccellam introivit in eum Satanas »; nam et ante in eum intravit, sed quia Corpus Domini indigne accepit, magis possedit eum diabolus. DIONYS. s. *de Indign. com.*

Quantum flagitium sit in spurcissimam pectoris tui cloacam sacratum Christi sanguinem fundere, Apostolica illa tuba personuit, dicens : « Quicumque manducaverit panem hunc etc. » reus erit, ac si occidisset, et effudisset, non æqualiter, sed proportionaliter; quascumque enim blasphemias, quascumque irrisiones, quæcumque opprobria impiissimi Judæi in Christum corporaliter exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor; Filium Dei rursum in semetipso crucifigens et ostentui habens. S. THOM. VILL. c. III *de Sacr.*

O ingratitudo omni nequitia plena! Nonne ingratissimus putaretur, qui haberet dominum, a quo cuncta, quæ habet, accepisset bona, et ipsum a morte et a suspendio multis suis laboribus liberasset, et tamen ipsum dominum in immundissimum stabulum inimici sui prodigiose locaret, ut crudeliter necaretur ? Longa majori ingratitudine plenus est, qui in mortali culpa Dominicum sumit Sacramentum. Idem Dominus lamentabiliter ait. « Conculcaverunt me inimici mei tota die. » S. BERN. s. V, ar. I, c. III.

Cave, ne Herodi efficiaris similis, et dicas: « Ut et ego veniens adorem eum », cumque veneris, interimere coneris ; hujus enim similes sunt, qui indigne abutuntur communionis mysterio. S. CHRYS. hom. VII, *in Matth.*

Repositum fuit illud pretiosissimum corpus in sindone munda, et in monumento novo. Iste autem in ore, adhuc potu hesterno fœtente, et in sentina ventris, adhuc ex præcedenti crapula æstuante, demergit eum, quem Angeli prospicere concupiscunt, quem prospiciendo delectationes æternas accipiunt. Nonne potius Antichristianus, quam Christianus judicandus est, qui quantum in se est, Christum jam factum impassibilem, ita tractat indigne, ita probris afficit, ita crudeliter interimit et sepelit inhoneste? PETR. BLESS. *op.* CXXIII.

Quam temerarium, quamque nefarium est, cruentis manibus intemeratæ Virginis tractare filium? Quis auditus hoc sustinet aurium, quis oculus non confunditur ad intuitum, ubi pretium mundi mittitur in sterquilinium? Etenim non minus est detestabile, in os pollutum, quam in lutum mittere Dei Filium. S. BERN. *l. c.*

Corpus Christi aliter piis, aliter impiis sapit. CHRYSOST. *super Ep. ad Cor.*

Sicut corporalis cibus cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, et nullum præstat auxilium; ita et spiritualis cibus si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit non sua natura, sed accipientis vitio. IDEM, *hom.* V, *super Matth.*

Væ tradentibus Christum ad crucifigendum, sed væ cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus illum, etsi non tradant eum Judæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipsum membris inimici ad sumendum. *Registr. sup. Matth. gloss.*

RARA COMMUNIO.—Desidiam vestram perpendite, quippe qui corpus in via toties in die reficiatis, et animam miseram longa peregrinatione laborantem, vel semel in mense reficere negligatis. S. THOM. VILL. *conc.* I *in F. Corp. Christi.*

Si dicas : si gratiam habes cur ad Sacramentum participandum accedis? Respondebo, et pariter objiciam: si vivis, quorsum edis? Inquies : Ne vitam perdam. Eadem ratione et ego subjungam : Pane vitæ pascor, ne gratiam, quæ in me est, amittam; nam ita etiam lucernæ oleum infundis, ne propter olei defectum extinguatur; denique, non tantum, ne gratiæ jacturam faciam, ad hunc cibum accedo, sed ut etiam gratiam corroborare et perficere valeam. SALMERON, tr. XL, c. IX.

FREQUENS COMMUNIO. — Oportet omnem Christianum beatæ Ecclesiæ vacare, et nunquam abesse a SS. Communione, quæ in ea peragitur; propter SS. Angelos, qui in ea permanent, et eos, qui ingrediuntur, semper describunt, et Deo aperiunt, et pro eis orationes faciunt; propter Sancti Spiritus gratiam, quæ invisibiliter quidem semper permanet, maxime autem, et propria ratione, tempore S. Synaxis, et unumquemque eorum, qui inveniuntur, transmutat et transformat. S. DIONYS. *apud Maximum Monach.* l. XXX, *Eccl. Myst.*, c. XXV.

Quotidie communicare, et participem fieri SS. Corporis et Sanguinis Christi bonum est et utile, cum ipse aperte dicat : « Qui manducat carnem, etc. » Joan. 6; nam assi-

due participem fieri, id demum nihil aliud esse, quam frequenter, et multifariam vivere, quis dubitet? S. BASIL. *in ep. ad Patritiam de Communione.*

Sæpæ communica, et quam potes sæpissime, idque suasu et consilio Confessarii tui; et mihi crede, sicuti lepores in montibus nostris hyberno tempore albescunt, quod præter nivem nil videant, aut comedant; ita te pulchritudinem, bonitatem et puritatem ipsam in hoc divino Sacramento sæpius adorando et sumendo totam pulchram, bonam et puram fore. S. FRANCISCUS SALESIUS *in Philothea*, p. II, c. 21.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

CULTUS. — Maria, Maximiliani II conjux, postquam a Germania in Hispanias revertit, incredibili quadam pietate emicuit, dies duos, quoties Mysteriis communicaret (faciebat autem frequentissime) divinæ in illis liberalitati recolendæ adeo ab omnibus curis sepositos habebat, ut nihil rerum humanarum cogitationibus in illos vellet licere. Id, cum alias sæpe, tum eo tempore maxime apparuit, quo Maximilianus filius, qui dissimulata persona sacrum Jacobi tumulum veneraturus in ultimos Gallitiæ fines fuerat peregrinatus, in Germaniam revertens Mantuæ Carpentanorum substitit, seque secreto Cæsaris Legato indicavit. Ille curriculo ad Mariam defert, adesse Maximilianum, ac manum osculari, matremque amplecti percupere. Ad hæc Maria : Ego perendie eum videbo; hodierna enim dies expiandis culpis destita est; na crastina Eucharistiæ sumendæ dicata; qui dies cum Deo solidi debeantur, non est, quod in Maximiliani gratiam eos diminuam. JOAN. RHO. l. II, c. *de Virt.* c. I, n. 5.

Anna ab Almedia, ordinis Minorum, noctem ejus diei, qui sacris epulis festus erat futurus, justo pervigilio ita ducebat insomnem, et ne quid, quamquam longa vigilia edomitum corpusculum, pro innata insolentia in animum auderet, flagello acriter cæsum servitutis admonebat. Ibid. n. 16.

Corruptissima licet apud Moscos Christiana res sit, remanent nihilominus antiquæ dignitatis præclara vestigia, quæ observasse non pœniteat. Quis enim non miretur extremos Europæ homines, et rerum divinarum alta mersos ignoratione, attamen hæc divina Mysteria usque adeo venerari, ut, qua die iisdem participant, quod sæpiuscule faciunt, sicci omnino, nullo cibo potuque eam frangentes, perfrigida illa in regione perseverent? Nescio, quo modo plus illi suis in tenebris, quam plerique apud nos clarissima in luce videant. Ibid. n. 29.

Corpus Christi in Sacramento Altaris devotissime venerabatur S. Margarita, virgo illustrissima, Regis Hungarorum filia, et sub elevatione illius in Missa flebat uberrime, et frequenter ab elevatione usque ad sacram Communionem, sic præ devotione manebat abstracta a corporis sensibus, ut quasi mortua videretur. Quando vero sacram erat communionem perceptura, die præcedenti non sumebat, nisi panem et aquam, et tota nocte in orationibus permanebat. Sumebat autem ipsum Sacramentum cum magna devotione, et multo lacrymarum imbre, atque interdum adeo rapiebatur in spiritu, ut ceu mortua videretur, nec raro visa est inter cœlum et terram, plus quam cubiti altitudine elevata nullis corporis sensibus utens. Post acceptam vero Eucharistiam, tenebat ab una parte mappulam ante facies ad Communionem accedentium, hoc fine, ut videret identidem Corpus Christi, ipsa quoque die, qua communicarat, persistebat continenter in precibus usque ad noctem; et tunc cibo valde modico utebatur DAUROLT. c. V, ser. LXXXIX, ex. 4.

DESIDERIUM. — S. Bernardinus de insigni illo Dei servo Hugone de S. Victore refert, quod cum morti vicinus esset, et sanctissimum Sacramentum avidissime expeteret, circumstantes cum eum cibum retinere non posse viderent, hostiam ei non consecratam obtulere, moxque Dei servus ad eos conversus ait : Misereatur vestri Deus, Fratres, cur me deludere vultis? Iste enim, quem mihi portastis, non est Dominus meus. At illi attoniti, Corpus Domini mox attulerunt, sed ille videns, se non posse illud accipere, elevatis in cœlum manibus, sic oravit : Ascendat filius ad Patrem, et spiritus ad eum, qui fecit illum ! Et inter hæc verba emisit spiritum ; et Corpus Domini inde disparuit.

Bollandus scribit S. Lucianum, presbyterum et martyrem, carceribus inclusum, cum aliud altare illi non suppeteret, in-

cruentum sacrificium super pectus suum, quod loco altaris adhibuit, celebrasse. Salmeron quoque aliud insigne memorat cujusdam Religiosi factum, qui, cum cibum propter languorem, stomachique infirmitatem retinere non posset, et nihilominus Communionis desiderio traheretur, sacerdotem rogavit ut hostiam sacram candido inclusam lino, super pectus ejus collocaret, quod cum fecisset sacerdos, corpus Domini penetravit in cor ejus, et ita compos desiderii sui ex fide magna profecti, non minus, quam Hæmorrhoissa, tangens Domini fimbriam, factus est. BOLLANDUS, 7 *Jan.* c. IV.

Mediolani, dum pestis grassaretur, fuit in publica hospitali domo S. Gregorii homo quidam, qui peste mortuus putabatur; inde igitur ad locum asportatur, unde cæteri mortui ad cœmeterium efferuntur. Eo loci, cum in magno cadaverum acervo tota nocte pene sepultus fuisset, mane dum publicæ curationis sacerdos, qui peste ægrotantibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ferre consueverat, illac transiret, ubi ille cadaveribus plane opertus jacebat, de repente ardenti sumendæ Eucharistiæ desiderio excitatus, se in genua erexit, et hac divina occasione exhilaratus, voce, quam ab illo animam exhalante consolatio vix elicuerat, a sacerdote supplex petiit, sibi quoque dari sanctissimum Viaticum, quod ubi sacerdos libentissime ministravit, et ille religiose, summaque veneratione accepit; eodem loco statim in pestis acerbitate, cum summo percepto sacri Viatici gaudio, ex hac vita migravit. S. CAROL. BOR. conc. V, prov.

B. Franciscus a Puero Jesu prope conficiebatur desiderio, cum dies Communionis aderat; hinc exclamabat sæpe : Io! adhuc tantum septem horæ, adhuc unica ad illam superest; eamus, jam tempus est! BARRUS, p. III, c. II, prax. III.

S. Thomas Villan. sequens narrat factum: Vidi monialem quamdam, quæ Corpus Domini, sicut cervus fontem aquarum desiderabat sitiens, cui, ut videbatur, difficile erat, a Sacramento, vel una sola die abstinere, tanta erat sumendi aviditas, tantus accedendi appetitus. Die Sancto Parasceves, cum Corpus Domini Ecclesiastico more in monumento reponitur, quia oblitus sacerdos formam, quam illi daret, non reservavit, ejulatibus et clamoribus domum replevit, ut Filii unigeniti sepulturam lugere videretur, neque enim ejus desiderio subveniri poterat. Tandem cum in fletibus et lacrymis amarissima tota die persisteret, mirabile dictu, duæ manus visibiliter ei cum Sacramento apparuerunt, ex quibus ipsum accepit, quo accepto omnis illa amaritudo in consolationem uberrimam mutata est. Hæc omnia, inter multas alias revelationes, ab ejus ore ipse audivi, qua mihi non sponte sua, sed obedientia astricta narravit, quia in Ordine nostro mihi subdita erat. S. THOM. VILL. c. II, *in fest. corporis Christi.*

In Ecclesia S. Francisci aliud mirabile perpetuis signatur monumentis. Præparaverant se duo Fratres Laici pro modulo suo ad sacram Communionem cum cæteris Fratribus de religioso more in die Cœnæ Domini faciendam; cumque nihil minus cogitaretur a loci Guardiano (urgebat siquidem necessitas) panem mendicaturi in civitatem mittuntur, qui tandem domum tardius reversi, cum et divinum officium persolutum, et reliquos Fratres mensæ assidentes invenissent, Ecclesiam, ubi Venerabile Christi Salvatoris Corpus de more asservabatur, contempta refectione, petunt, ibique suas vices, quod sacra Communione in tanta solemnitate privarentur, miserrime dolentes, gemitibus ac singultibus anxie vacabant. Dumque nihil minus cogitarent, ex ipsa arcula, qua sacrosancta Eucharistia recondebatur, gratissimus quidam, pulcherrimus, ac compositus juvenis prosiliit, qui asserens se Christum Dominum esse, eorum utrique sacram Communionem porrexit, statimque locum, unde prodierat, repetiit. Exstant adhuc vestigia pedum ipsius pavimento ejus sacelli, in quo hoc contigit, impressa atque ferreis craticulis contecta WADINGUS, an. 1222, n. 9.

UTILITAS.— Ramirus, Rex Hispaniæ, infeliciter cum Saracenis præliatus, in montes se contulit, ad certum quemdam locum totus desolatus, ubi illi per noctem S. apparuit Jacobus Apostolus, suum ei promittens auxilium et infallibilem victoriam; hac tamen conditione, ut postridie milites omnes sacra se armarent Communione; qua corroborati 70 millia Saracenorum occiderunt. Anno 1040, dum Barbari iidem Messanam ministris imperialibus subditam invaderent, hi omnes sacra prius refecti Communione, portas aperientes, tanto cum impetu in canes illos proruperant, ut irreparabilem iis intulerint stragem, cadaveribus planities, valles et flumina implentes; quo ex tempore amplissima Siciliæ insula, tyran-

nico cæteroquin barbarorum jugo pressa, in pace reflorescere cœpit. BARON. ann. 1040, n. 15.

Maria de Escobar licet senio, morbis et minimo cibo deformata esset, quando tamen divinum epulum sumebat, elegans erat, facie plena et rosea instar Angeli, ac vires corporis instaurabantur. *Vita, P.* LUD. DE PONT. l. I, c. VIII, c. III.

Rodericus Ininguez, seu Ignatius, magister Ordinis S. Jacobi, cum Lerenam obsideret, diffidens humanis viribus, suos milites jussit se confessione et SS. Communione munire, ac invocato Dei et B. Virginis auxilio, urbem aggredi. B. Virgo post hæc in somnis sacerdoti ejusdem Ordinis apparens gratias egit, ob administrata militibus Sacramenta; cum sanctorum Angelorum et Virginum comitatu spectabili, ait, hæc plus illis profutura, quam omnia arma; et victoriam pollicetur. Narravit hæc sacerdos omnia militibus, et quod a B. Virgine in signum victoriæ malum granatum accepisset. Unde milites animati urbem invaserunt. Tum in platea quidam sagittarius in Mahometanum urbis gubernatorem sagittam expedit : « en nombre de la Virgen de la Granada, » et cor illius contigit, et victoriam inclamat, et mox se Mauri dederunt. EUSEB. NIERENBERG, in *Troph. Marian.* c. LIII.

S. Mater Theresia auctoritate virorum præstantissimorum nixa quotidie communicabat, idque ratum se habere ostendit Deus, dum alioqui ex stomachi debilitate mane et vesperi vomentem, deinceps, quo hoc Sacramento frui posset, mane ab ea molestia liberavit. Quæ tamen si Confessarius aut Christus Communionem vetabat, statim sine tristitia acquiescebat. *Vit.* l. IV, c. XII.

Cum S. Lutgardi singulis Dominicis communicare solitæ Antistes id prohiberet, hæc statim afflicta morbo, non prius ab eo liberari potuit, quam eamdem iterum permitteret. SUR. l. III, in *Vita.*

Cum sanctimonialis quædam alias a frequenti Communione absterreret, Christus de ea S. Gertrudi pro illa oranti dixit : Non placet, quæ cæteras a sacra corporis mei mensa absterret, cum summæ mihi deliciæ sint esse cum hominibus. BLOSIUS, in *Monili*, c. VI.

S. Bonaventura, cum aliquamdiu ex reverentia SS. Missæ Sacrificio abstineret, alteri cuipiam sacerdoti ad aram facienti assistens sensit unam sacræ hostiæ particulam ab altari in os mirabiliter transferri, ex quo intellexit, gratius esse Deo, si amore ad tremenda illa mysteria accedamus, quam si ex timore quodam et reverentia subterfugiamus. RIBAD. in *Vita*, 19 *Maii.*

S. Petrus Cœlestinus dubitans, num Deo frequens Communio, quam rarior magis placeret, ideoque aliquoties abstinens, et ob id Romam, Pontificis consulendi causa, proficiscens, Abbatem, a quo monachi vestem acceperat, jam vita functum obvium habuit, qui eum ita affatus est : Bene sentis, fili mi, de augusto corporis Christi mysterio, cum nemo, ne Angelus quidem illo satis dignus sit, sed non idcirco illud minus frequenter cum timore et reverentia usurpabis. Quibus dictis nusquam comparuit. RIBAD. in *Vita*, 19 *Maii.*

Cum S. Catharinam Senensem Episcopus quidam ob frequentiam Communionis argueret, et illud S. Augustini objiceret : Quotidie Eucharistiam sumere, nec laudo, nec vitupero, singulis tamen Dominicis diebus communicandum hortor ; illa respondit : Ex quo S. August. me non vituperat, cur tu, Pater reverende, me reprehendis ? Quo dicto Episcopus confusus tacuit. S. ANTON. p. II, tit. XXIII, c. XIV, § 14.

S. Catharina Genuensis, quando ex causa ad divinam mensam accedere non poterat, toto illo die dolore conficiebatur, et sibi ipsi intolerabilis erat, unde qui apud illam morabantur, ei compatientes dicebant, clarum esse, placere Deo, ut quotidie cœleste epulum accipiat. *Vita*, c. III.

Cum mulier quædam incantationibus magorum in equum conversa, et S. macarii, ad quem a marito deducta fuerat, precibus liberata esset ; causam ille hujus permissionis esse dicebat, quod per quinque septimanas a Communione abstinuisset. *Spec. ex* p. II, ex. LXXV.

Cum S. Gertrudis Communionem, quam valde desiderabat, consilio matris spiritualis omisisset, Christus ei dixit : Quia deliberasti me omittere pure propter me, ego in gremio meo confovebo te. BLOSIUS, in *Monil.* c. VI.

Marcus, scriptor apud Ægyptios, ita cognominatus, quoniam curæ illi fuit Anachoretarum Ægypti vitas describere cum, aliquando genibus provolutus Eucharistiam

a sacerdote poposcisset, apparuit manus eam sibi porrigens, nec dubitarit ille accipere quod divinitus offerri credidit ; nec ambigitur quin Angelus fuerit, qui præripere ausus sit officium sacerdotis, majoremque incussit hominibus reverentiam, erga se metum panis ipse Trinitatis, cum tam mirabiliter etiam ab Angelo porrigi visus sit. MARULL. l. IV.

COMMUNIO DIGNA. — In primitiva Ecclesia diaconus populo Communionem præbiturus alta voce clamabat : Sancta sanctis. Si quis non sit sanctus, ad Sacramentum non accedat. *Pædagog. Christ.* c. XVI, § 1.

S Catharina Senensis, velut infans ad materna ubera, ad hoc sacramuntum anhelabat, acquiescebatque. Quoties Sacram Hostiam inter manus sacerdotis aspiciebat, mox impatiens dicebat : O cito, cito illud animæ meæ nutrimentum intima cordis immittere propera ! Et cum sæpe missa durante rapta esset, ipso tamen Communionis tempore ad se reversa dixit ? O mi Domine, mortua licet forem, ad vitam redirem, ut te frui possem! *Vita*, c. IV.

S. Mechtildem Christus sic instruxit : Quando ad S. Eucharistiam accedis, illud tibi veri honoris amorisque opta, quo ulla unquam creatura erga me fuit. Hoc enim amoris votum mihi ex voto tuo gratum acceptumque erit. BLOSIUS in *Monil.* c. VI.

Cum S. Gertrudem ingens cupido communicandi incessisset, et ipsa se ad eam minus dispositam credidisset, tristis ad Dei matrem cœlitesque se convertit, rogavitque ut, quidquid in illis olim gratiæ ad promerendos divinos favores fuerat, totum pro se Deo offerant, quomodo efficit, ut in oculis Dei talis visa fuerit, qualis esse optabat, uti ipse Christus ei revelavit. Ibidem.

Ferdin. II, Imperator, ante Synaxim percipiendam semper severiore abstinentia cœnulam accepit. Ipso vero Eucharistiæ suscipiendæ tempore tantum ardorem et pietatem, tot suspiria et lacrymas præseferebat, ut incensus Dei amore animus, plane e corpore suo servatori obvius ire velle videretur. *Vita*, c. IV.

Inde post acceptum Christi corpus quod superest temporis, ad horam cibi capiendi usque, precibus, gratiisque agendis magna reverentia in templo ponunt. Multi etiam post cibum sumptum in templum redeunt, manentque usque ad vesperam. Dies, qua primo accedunt ad Eucharistiam, est illis festiva lætitia celebris. Hinc mater quædam suæ filiolæ honorandæ causa, primo eam nitidissime ornavit. Deinde, dum ea communicat, interea domum purgavit, junco (præcipuo illis partibus honore) ornavit, cubiculum singulari ornatu instruxit, odoribus replevit, redeuntem amplexibus osculisque excepit, divinam illi felicitatem gratulata est, et in cubiculum deductam luminibus accensis illustre, hortata est, ut gratias agat Deo pro tanto beneficio, ideoque clauso ostio ipsam solam reliquit, arcanis cum Deo colloquiis instituendis. Annua 1686, f. 578.

S. Franciscus flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, et dignissimam charitatem. Sæpe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret dum ad imaculati Agni degustationem suavem quasi spiritu ebrius, in mentis plurimum rapiebatur excessum. S. BONAV. *in Vita*, c. IX.

INDIGNA COMMUNIO. — S. Gertrudis post sumptam Communionem revolvens, quanta diligentia os esset observandum, quod præcipue inter alia membra est receptaculum pretiosorum Christi mysteriorum, hac similitudine edocta est a Domino : Si quis non observans os suum a verbis vanis, falsis, turpibus, detractoriis, et similibus impœnitens ad sanctam accedit Communionem, tali modo suscipit Christum (quantum in se est) sicut qui hospitem in ipso ingressu lapidibus in superliminari congregatis obrueret, vel vecte duro caput ejus obtunderet. *Insin.* l. IV c. XVIII.

Cuidam, qui frequenter Corpus Christi indigne acceperat, morienti dæmon, cum multis hostiis in patena, apparens dixit : Quia frequenter male communicasti, hodie de manu mea Communionem accipies. Infirmo vero renuenti, unam de hostiis illis super manum ejus posuit quæ suo calore manum statim perforavit. BROMIAR. *in Sum. Prædic.* l. VI, c. VI, 35.

Cum quidam luxoriosus sacerdos indigne sæpius celebraret, tam fœdo ulcere percussus est in capite, ut etiam ossa hujus computrescerent, a quo tamen morbo postea li-

beratus est, posteaquam S. acario juramentum fecit, se nunquam amplius in peccato mortali celebraturum. *Spec. Exempl.* II. ex 77.

Alii Eucharistiam in die Paschæ chorizationum vanitatibus dehonestantes, horribili plaga puniti sunt, ut loc. cit. fusius videre est. Ib. *disc.* II. *ex.* 164.

Quidam sacerdos in sumenda Eucharistia magnam difficultatem expertus, vidit Christum manibus pedibusque reluctantem; jussus ergo mores corrigere, vidit sine resistentia ingredientem. Rodriq. p. II, c. ult.

In *Silva historiarum* de quodam mercatore lucris illicitis dedito, divitiasque per fraudes accumulare satagente, scriptum reperio, quod statim post sumptam Communionem Paschalem, pallidum et tetrum vultum præseferens infirmatus, cum a suis ad Sacramenta recipienda exhortatus fuisset, se ea nolle, responderit, utpote a quibus omnino abhorreret, siquidem Hostia, quam in Paschate sumpserat, faucibus ejus etiamnum inhærens, magnum sibi dolorem causaret; cumque ei suaderetur, ut in divinam confideret misericordiam. Frustra id sibi inclamari, dixerit, utpote cui jam damnato locus in inferno demonstratus esset, in quo juxta collegam suum, qui paulo ante vesperi sanus lectum ingressus, noctu a diabolo abreptus fuerat, in æternum torquendus esset. Cumque imago Crucifixi ad eum delata esset, ipseque divinam ejus moneretur invocare clementiam, manibus oculis admotis, eamdem nequaquam respicere valuerit, dicendo, quod non nisi severum in ea Judicem suum videret, utpote diaboli jam manibus traditus. Hisque dictis, confestim expiravit. Mansi, disc. IV, 4.

In revelatione quadam, quæ S. Brigittæ obtigit, cujus titulus est : *Filii querimonia de quadam anima damnanda*, sequentia leguntur : Cum enim dæmon moribundi cujusdam animam suam esse prætenderet, Beatissima Virgo, cui moribundus ille mire devotus fuerat, se apud Filium suum intercessione sua fortiter interposuit. At vero num forte hoc peccatorum refugium et asylum, aliquid pro obtinenda peccatorum miseri hujus venia, a Filio suo impetrasse existimatis ? Minime gentium; quin potius Filius ejus illi respondit : Scis, Mater mea, et vides omnia in me; hæc anima, quamvis te in memoria habuerit, Corpus meum mundissimum non sic tractabat, ut debuit, quamvis me sumpsit continue, non tamen ex hoc meliorabatur, quia non se præparavit, ut debuit. Qui enim colligere vellet hospitem bonum, præparare debet non solum hospitium, sed et omnia utensilia; sic homo iste, quia etsi mundavit domum, non tamen scopavit eam reverenter et diligenter, nec pavimentum stravit virtutum floribus. *Revelat.* VIII, *S. Brig.* l. II, c. II.

Carnalis quidam et lascivus pessimam suam vitam deserere nolens, a suo legitur prohibitus fuisse Parocho, ne ad Communionem accederet; temerarius nihilominus publice accessit cum reliquis, unde sacerdos, qui per solam Confessionis viam, in peccati notitiam devenerat, ei sacram Synaxim præbere coactus fuit, dicens intra se : Deus judicet inter me et te. Ut primum itaque sacram Hostiam receperat impius, medium crepuit guttur, Hostiaque intacta exiliit, infelici illo immundam animam eodem tempore in manibus dæmoniorum expirante. Mansi, disc. XLII, n. XI

Agebatur (inquit Guliel. Abbas, in Vita S. Bernardi) solemnitas quædam præcipua, et Frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri Communione Bernardus suspenderat, notari timens, et ruborem non sustinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum Sanctus, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam, non poterat ad interiora trajicere, et diu multumque conatus, cum nullo modo prævaleret, anxius et tremebundus clausam ore servabat. Expleta denique hora orationis sexta Patrem Sanctum traxit in partem, cujus pedibus advolutus cum multis ei lacrymis, quod patiebatur, aperuit, et aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eam Sanctus, confitentem absolvit, et sine difficultate recepit Dominica Sacramenta. *Vita*, S. Bern. l. I, c. XI.

In valle Lucernensi quidam, cum peccatum, quod conceperat, vomere præ pudore non posset, eo in Confessione præterito, contaminatissimo ore et spiritu, sumere cœlestes dapes non dubitavit, sed dum levissimam Hostiam illapsam in stomachum putat, sensit ponderosam veluti plumbum; per fauces pectusque delapsum, quod intolerabili onere cor opprimens enecabat; quem

dolorem mox etiam ardens febris excepit, et tormenta crescebant in corpore, dum animus resipisceret. Resipuit tandem, et a nostris excitatus ad spem, peccata sua accurata Confessione detexit : quibus animo liberato ponderibus, suo quoque pondere levatum est corpus. *Ex lit. ann.* 1585. *Miss. Lucern.*

Per modum Viatici sumpta. — B. Virgini animam agenti Christus ipse læto vultu corpus suum obtulit dicens : Accipe, chara mater, quod mox complebitur tibi in Regno meo una cum Patre meo. Daurolt. c. v, tit. xiii, ex. 1.

S. Maria Ægyptiaca cum Viaticum illi offerretur, extensis in cœlum manibus dixit : Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Ib. *ex.* 3.

S. Hieronymus Viaticum sumpturus de lectulo humi se posterni, saccoque operiri jussit ; tunc genibus provolutus lacrymas fudit, pectus pugno percussit, et sic sacram oblationem hausit. Ib. ex. 7.

S. Lucianus Martyr, cum aliter ob carcerem et vincula non posset, super pectus suum sacrificans, sibi et aliis Viaticum præbuit. Ib. ex. 9.

S. Nicolaus Tolentinus in ultimo morbo Viaticum sibi ministrare petens, hanc facti sui rationem dedit : Ut tanto Viatico munitus non deficiam in via ad cœlestem patriam profecturus ; et si ob demerita mea improbus Belial hostis meus mihi occurat, possim fidenter dicere : Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. Tum solemni absolutione percepta Viaticum sumens dixit : Benedictus, qui venit in nomine Domini ! Ib. ex. 17.

S. Augustinus moribundus sic Christum pro Viatico oblatum allocutus est : Ave Principium nostræ creationis et reparationis ; ave Sacrificium nostræ reconciliationis ; ave Antidotum nostræ curationis ; ave Viaticum nostræ peregrinationis ; ave Solatium nostri laboris ; ave Refugium nostræ tribulationis ; ave Præmium nostræ expectationis! Nadasi, *in anno Euch.*

S. Ebrulphus audiens unum Fratrem sine viatico obiisse, infremuit spiritu, et orans cum lacrymis interrogavit, utrum vellet Eucharistiam accipere ? Aperuit oculos mortuus, et annuit ; accepit, et expiravit. *Vita,* 29 *Dec.*

S. Chrysostomo migraturo SS. Petrus et Joannes assistentes amice collocuti, contra dæmones victoriam, migrationem ad Deum, lætam æternitatem, læti annuntiarunt, et tum cœlesti epulo paverunt ; ex quo tempore nihil amplius ciborum sumpsit. Joan. Nadus. l. C.

Majoro, Episcopo in Britannia, Paschali die oranti Angelus ter apparuit, terque sacram Communionem porrexit, prædicens quod propediem decessurus esset ; sed qui tali usus est ministro, tantoque donatus Viatico ad finem vitæ gratanter cucurrit, ut vitam, quæ finem non habet, inchoaret. Marull. lib. IV.

Petronilla virgo cupiens jam ad cœleste de terreno transferri habitaculo, ne sine Viatico discederet, a presbytero Nicomede panem Trinitatis accepit. Itaque Sponso æterno copulata cœlum adiit, ne frustra illum procis mortalibus præposuisse videretur, si eidem et in terris posita communicare neglexisset. Ibidem.

Lucia virgo nec inter flammas constricta, nec perfosso a sacrilegis jugulo lethaliter vulnerata mori potuit, donec sacram sibi Communionem a sacerdote oblatam non sumpsisset. Tunc cum martyrii corona cœlum læta petiit, cum eum, pro cujus amore supplicia contempserat, sibi junxit itineris ducem. Ibidem.

Banon, Gandualensis cœnobii clericus, multa licet vitæ sanctitate præditus fuisset, cum ægrotaret, noluit sine tam salutari Viatico decedere, statimque vocari, qui illud sibi afferret, presbyterum jussit. Is vero qui missus fuerat viæ ignarus, ab Angelo ad presbyterum usque perductus est ; ut jam Angelos ei, quam primum suffragari scias, qui Domino communicari expetierit : cui Banon ipse communicatus, nunquam postea ab eo discessit, et nunquam discedet, receptus in Paradisum.

Communio Spiritualis. — Cum quidam conversus monachos communicare vidisset, et sibi hoc minime licere vidisset, stans contra altare communicandi desiderio suspiravit. Et ecce pius Dominus, sine sacerdotis ministerio, de altari per Sacramentum descendere dignatus est in os ejus, qui mox Hostiam aperto ore ostendens, causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos in stuporem convertit. Eamdem enim Hostiam defuisse repererunt in altari. Daurolt. c. iii, tit. xviii ex. 1.

Cum S. Catharina Senensis ob morbum communicare non posset, grandi tamen illius desiderio teneretur, ideoque, Raymundo tunc sacrificante, sacro interesset; subito ille advertit, minimam Hostiæ particulam a se amissam, quam cum diu frustra quæsisset, et ob hanc causam multum tristaretur, illa tandem in colloquio mox secuto fassa est, sibi a Christo oblatam esse. Ib. *ex.* 2.

Bartholomæus, Cajetanus civis, cum ad constructionem Ecclesiæ S. Francisci cooperans, ruente trabe periculum vitæ incurrisset, ideoque Viaticum peteret, sacerdos hoc tam cito afferre non valens, illud S. Augustini interea pro solatio in memoriam revocabat: *Crede, et manducasti.* Sequenti vero nocte S. Franciscus cum undecim Fratribus apparens, et agnellum inter ubera portans eidem dixit: Bartholomæe, noli timere, quia non prævalebit inimicus tuus, qui te a meo servitio voluit impedire. Hic est Agnus, quem tibi dari petebas, quem et propter bonum desiderium suscepisti, cujus etiam virtute sanitatem consequeris. Et sic per vulnera manum ducens, ad opus, quod cœperat, eum redire jussit. Ib. *ex* 3.

B. Joanna de Cruce affirmabat, se in spirituali Communione iisdem gratiis cumulari solitam esse, quibus in reali Communione fruebatur. Et suspirans : O præclaram, aiebat, communicandi methodum, ubi neque confessario, neque superioris facultate, neque ullius alloquio opus est, præterquam tuo, o Deus meus! BARRIUS, *die* 20, *med.* 2, *in solit.*

B. Agatha a Cruce quotidie Communionem spiritualem ducenties iterabat. *Hagiophila intent.* 24.

EXEMPLA DOMESTICA.

B. Aloysius tribus diebus prioribus hebdomadæ gratias agebat pro suscepta Eucharistia; posterioribus petebat gratiam, ut digne susciperet. Pridie die Communionis id unum mysterium in ejus sermonibus versabatur; cum hac cogitatione ibat cubitum, et surgebat. Una dein hora de SS. Eucharistia meditabatur, et totum matutinum tempus in spiritualibus exercitiis insumebat. Antequam ad scholam accederet, et cum reverteretur, semper SS. Eucharistiam visitabat. Optabat in ejus octava mori, idque evenit. *Vita*, l. II. c. II.

B. Stanislaus, in Dilingano itinere, ubertim flebat, se divini hujus epuli cupidum spe dulcissima excidisse, quando catholicum, ut rebatur, templum ingressus hæreticum reperit; at exemit famem Angelus, quando fesso itineris difficultatibus, et præ desiderio lacrymanti Co-Angelo suo panem Angelicum porrexit. Sed et Viennæ cum occasione sumendæ Eucharistiæ destitutus ad S. Barbaram confugeret, illa cum duobus Angelis Eucharistiam ei porrigentibus apparuit. *Vita hist. Soc.* p. III, l. IV, n. 59.

Joannes Berchman in novitiatu quotidie septies SS. Eucharistiam visitabat; dum vero e templo discedebat, BB. Aloysium et Stanislaum vicarios sibi substituebat. Incredibili se diligentia ad S. Communionem præparabat, dicens, se ex illa semper experiri novum quoddam spiritus stabilimentum; cum vero per hebdomadam abstinuisset, affici quadam fame, quam solo hoc epulo expleret. Adorabat S. Eucharistiam abalienato fere a sensibus animo. Quotidie orabat pro impetrando affectu erga Eucharistiam. *Vita*, p. II, pag. 155.

P. Balthasar Alvarez dicere solebat, cur multi recusent accipere arcam vivam novi Testamenti in SS. Sacramento latentem, aut eam recipiunt cum exiguo sensu ac fructu, causam esse, quod velint in altari cordis sui idolum Dagon, id est, creaturam, quam inordinate diligunt, retinere, quæ nisi in terram cadat, et mortificationis gladio ita ejus manus ac caput amputent, ut amplius non audeat cogitare, loqui ac facere, quod solebat; non efficiet in tali corde divina hæc arca stupenda misericordiæ suæ opera, sed justitiæ, puniendo illos magna ariditate, tenebris, cordis duritia, aliisque internis desertionibus, donec vere se emendent, aut indurati arcam a se rejiciant, judicantes esse grave et plane insulsum frequenter communicare. *Vita*, c. VI.

Conimbricæ Fratres nostri tanto ardore, tantaque lacrymarum vi communicare solebant, ut ad id pietatis spectaculum non modico itinere plures Academici concurrerent. *Hist. Soc.* p. I, n. 55.

S. Theresia in quodam templo Societatis nostræ cum videret Fratres nostros communicantes, vidit protensam vestem seu umbellam supra caput illorum. *Gloria S. Ignatii*, c. XVII.

Michael Sartre, coadjutor, aliquot subinde milliaria ad sumendam Eucharistiam conficiebat. Semel in via propter longitudinem deficiens, retro conversus vidit panem candidissimum, quo sumpto se refecit, et perrexit. *Ann.* 1598, *Coll. Aven.*

SIMILITUDINES.

Qualitas.—Sicut si multi varias ad accendendum candelas afferrent, quarum una ponderaret unam unciam, alia duas, alia sex uncias, alia denique unam libram, tam quidem primæ, quam ultimæ ignem conciperent, quo accenderentur, ita tamen, quod candela unius unciæ minus lumen conceptura esset, quam quæ integram libram adæquaret; ita contingit in hoc Venerabili Sacramento iis, qui recipiunt illud, et candelas suas accendunt, videlicet sanctum desiderium, cum quo recipiunt Venerabile Sacramentum; tantum accipitis ex isto lumine, quantum de materia sinceræ dilectionis, et amoris, et igniti desiderii portatis, quamvis totum in veritate recipiatis. *Dial. S. Cathar.* s. II tr. XXIII, c. CX.

Sicut si vivus fons quidam scaturire incipiens, indifferenter omnium necessitatibus pateat, multi quidem ad potandum ex illo concurrent, alii vero haustam inde aquam in domum suam ad potandum deferent, verumtamen ex eo unus plus, alius vero minus inde bibet, juxta sitim, cum qua ad illum properat, vel juxta capacitatem, vel angustiam vasis, quod ad illam hauriendam secum defert. Salvator noster inquit : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat ; » sed quis est fons ille, quæ sunt aquæ, ad quas nos invitat? « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Fons autem ille Eucharistia, ex quo aquæ dimanant cœlestium gratiarum. Dicit autem Cajetanus : Non sufficit venire ad fontem, sed oportet bibere, si levanda est sitis; non sufficit venire ad Jesum fide, sed oportet incorporare sibi Jesum. Quanto enim ardentior sitis nostra fuerit, tanto copiosius ex his aquis bibere poterimus. Mansi, disc. XXV.

Sicut corporalis cibus, cum ventrem invenit adversis humoribus occupatum, amplius lædit; ita et iste spiritualis cibus, si aliquem invenit malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis malitia. S. Bernardinus, tom. II, f. 55, a. 1, c. IX.

Sicut solis lumen sanis oculis delectabile est, ægris vero odiosum; ita Corpus Domini, cum innocentibus salutis medicamentum, scelestis autem animæ mors. S. Laurent. Justin, c. XXIV, *de Casto Connub.*

Sicut gemma virtutem suam effundendo, non minuitur; sic Corpus Christi nos pascendo non minoratur. S. Albertus M. XIII *de Corp. Chr.*

Dispositio.— Sicut ii, qui profundissimas aquas natando trajiciunt, oculos et os obturant, dentes stringunt, respirationem coercent, verumtamen aures semper apertas tenent; ita quoque in hoc mysterio oculi, sapor oris, et naturalis rationis judicium obturari, solæ vero aures apertæ teneri debent. Nam fides ex auditu; auditus autem per verbum Dei, cui semper patula præbenda est auris; cum igitur verbum Dei dicat : *Hoc est Corpus meum*, hic sistendum est, nec quidquam ulterius indagandum. Nam ut V. Thomas a Kempis ait : Si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt, noli disputare cum cogitationibus tuis, crede verbis Dei. Mansi, disc. LI, n. 12.

Sicut farina commixta est ad invicem per aquam et ignem decocta, et in panem solidata; sic peccator, qui dignus erit Corpus Christi sumere, debet se per tria, quæ in his signantur, præparare, scilicet per cordis contritionem, per oris confessionem, et per proximi dilectionem. Farina, quæ per molam teritur, contritionem designat; aqua compunctionem, planctum, lacrymosæ confessionis effectum; ignis dilectionem Dei et proximi. S. Th. opusc. LVIII, c. XV.

Sicut nullus cibus, quantumcumque substantiæ et saporis contineat, nullum in corpore mortuo effectum operatur; ita nec panis ille suos in nobis producit fructus, mortui, id est, in disgratia et inimicitia Dei, fuerimus, siquidem Sacramentum hoc institutum est, ut vitam nutriat spiritualem; nihil autem nutritur, nisi vivum (subjungit dictus auctor) ergo opus est, ut quis spiritualiter vivat, ut cum fructu accedat ad Sacramentum. Salmeron. tom. IX, tr. CCCXCI.

Sicut de fonte terreno non potest aliquid

bibere, si se noluerit inclinare; ita et de vivo fonte Christi, nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit. S. CÆSARIUS. ARELAT. hom. LXXX.

Sicut pluvia si montem nimis erectum invenerit, cito in vallem decurrit; et ideo qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes, quasi valles se faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, et implетur in eis illud, quod scriptum est; *Omnis vallis implebitur*. Idem.

INDIGNA COMMUNIO. — Sicut gemmæ, adamantes et carbunculi sacco rupto impositi, certissimæ exponuntur jacturæ, simile damnum anima incurrit fidelis, quæ post Communionem, ad delicias, mundi vanitates et peccata priora revertitur; talis namque omnes perdit et insolenter projicit thesauros cœli. MANSI, dis. XLVIII, n. 3.

Sicut insignis temeritatis notam latro incurreret, si postquam vasa aurea et argentea clam furto sublata domique reposita habet, judicem ac satellites in domum suam accerseret; non secus ille videtur facere, qui, cum vitiis scateat, graviaque peccata admiserit, audet tamen per participationem Eucharistiæ justum Judicem in domum suam introducere. SALMERON, tom. IX, tr. XLI.

Sicut putridum dolium, optimum vinum in se recipiens, statim amittit, fæcesque solum sibi retinet; pari ratione facere videtur, qui nullo cum fructu communicat, et peccata, quæ male communicando admittit, sibi solum retinet. S. CHRYSOST. s. XXXIV.

USUS. — Sicut balsamum vulneri appositum, et cito ablatum, fructum nullum præstat (opus est enim diu illi inhærere, tenaciter insistere, ut tandem sanitatem restituat, et cicatricem obducat); ita hoc pretiosissimum Corporis Christi balsamum, vulneribus animæ nostræ curandis, non tantum semel in anno, sed frequenter est applicandum, ut fructum desideratum efficiat. SALMERON, apud MANSI, XLV, n. 3.

Sicut Regina Vasthi, eo quod ad convivium Assueri invitata venire renuit, ex consensu regii consilii diademate regio spoliata, atque ex thalamo regio extrusa, ex Regina serva et ancilla facta fuit; ita quoque justo Dei supplicio, animæ, quæ huic accumbere convivio renuunt, reprobantur a Regno cœlorum. Idem.

UTILITAS. — Sicut rami arboris alicujus, quanto sunt onustiores fructibus, tanto vehementiori pondere ad terram inclinant, e contra vero sursum eriguntur, quando fructuum sunt expertes; ita animus Dei donis destitutus, superbit magis, efferturque inaniter; qui vero divinis muneribus repletus est, dejicitur atque demittitur, vel ex eo, quod ante oculos habet a Christo humiliato, et in formam servi exinanito, insigne humilitatis argumentum. IDEM, tom. IX, tr. XL.

Sicut arbor, cui ramus insertus est, suam participat communi atque naturam et proprietatem arbori insertæ; ita eumdem effectum anima digne communicans ex Corpore consequitur Christi, ipso attestante: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. » JOAN. VI.

MOTIVA.

Ad dignam communionem.

« Quia nemo in arcam sordibus plenam velit mittere vestem suam », et si in arcam sordibus plenam vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur! S. AUG. s. CCLII. *de Tem.*

« Quia nemo vestem temere, et inconsiderate immundis manibus contrectaverit, etiamsi sit in solitudine, etiamsi nemo adsit; » atque nihil est aliud vestis, quam stamen vermium. Sin autem tincturam admiraris, ipsa quoque est sanguis piscis morte affecti, sed tamen nemo eam voluerit, aususque fuerit immundis contrectare manibus. Si autem vestem hominis, ne ausus fuerit quisquam solum tangere, quomodo Dei Corpus quod est super omnia, propter quod fractæ sunt portæ inferorum, et aperti fornices cœli, propter quod sumus et vivimus, accipiemus cum probro et contumelia? S. CHRYSOST. hom. XXIV.

« Quia omnia, quæ in ipso (Christo) sunt, corpus, anima et Deitas esse noscuntur. » Corpus ex purissimis est sanguinibus gloriosæ Virginis, qui ex Spiritus Sancti gratia sunt mundati, nunquam ulla originalis vel actualis peccati macula infecti; Anima autem a Deo Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, ad imaginem Dei perfectissime creata de novo; et Deitas æterna, in cujus munditiam nihil unquam immundum potuit incurrere. S. ALBERT. M. *de Euch. dist.* c. IV.

« Quia si vasa aurea, ad hoc Sacramentum recipiendum pertinentia expoliuntur, mundantur, et in veneratione habentur ; » justissimum utique erit, ut pectus et cor nostrum multo magis mundum sit, in eoque aurum amoris Dei et sanctitatis resplendeat ; hoc enim si negligatur, « de corde exeunt cogitationes malæ, furta, et adulteria, etc. »

« Quia si lex homini existenti in necessitate, non permittebat comedere de pane illo Propositionis, qui nullam differentiam ab aliis panibus habebat secundum veritatem, sed solum secundum opinionem ; » quanto sollicitius hoc observandum est in Dominico Corpore, ubi non est panis et vinum, sed vera Christi caro ? Sicut hic specialiter inquisivit Abimelech de immunditia, quæ est a mulieribus, ita et in sumptione Dominici Corporis observandum est ; non enim merentur carnem supercœlestem degustare, qui turpibus carnis illecebris immorantur.

« Quia si Raab salvata est, quia benigne suscepit nuntios Domini, » quanto magis salvabitur, qui digne suscepit ipsum Dominum ?

MEDIA.

Vita honesta et bona ; etsi enim, ut S. Laurent. Just. notat, devotio plurimum congruat huic Sacramento, tamen prius vita commendabilis habenda est, deinde devotio ; nam vita sine devotione multum confert, absque vita devotio nihil. S. LAUR. JUST. *Disc. Monast.* c. IX.

Desiderium ardens ; de quo sic loquitur Mansi : S. Mater Ecclesia ad hoc Sacramentum omnes ut jejuni accedant, statuit, non solum ex motivo reverentiæ, verum etiam, ut ego quidem existimo, ad insinuandam nobis famem spiritualem, quacum ad illud accedendum est nobis, si ineffabiles ejus sapores et suavitates percipere, et fructum ex eo consequi velimus : « Esurientes enim replet bonis. » Hinc Christus (ut idem S. Laurent Just. advertit) : « Desiderio (inquit) desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. » Tradidit ea re nobis doctrinam, quam observare debeamus, quicumque optatum ex tam divino Sacramento fructum referre cupimus. Documentum autum tale est, ut, priusquam Sacramentum ipsum suscipiamus, Communionem Communione antevertamus, Sacramentalem dico spirituali ; ut enim ignis igne inardescit, et ferrum ferro, et adamante adamas acuitur, sic una communio gradus est ad aliam ; priore namque perpolitur, et præparatur anima ad posteriorem. S. LAUR. JUST. *de Agon. Christi* c. II, § 3.

Pura conscientia. Quæ autem sit pura conscientia, inquit S. Bernardinus, quæ requiritur ad hujus Sacramenti susceptionem, declarat Hugo de S. Victore dicens : Pura conscientia est, quæ non habet de præterito justam accusationem, de præsenti injustam voluntatem. In cujus confirmationem, sindonis mundæ et politæ, quam Joseph ab Arimathæa in Corporis Christi obsequium comparavit, ejusdemque novi monumenti in saxo excisi, in quo nullus adhuc sepultus fuerat, mentionem subdit. Auctoritati Glossæ insistens, dicentis : In sindone munda Jesum involvit, qui pura mente eum suscepit. Pergit ulterius dicendo, hinc derivatum fuisse laudabilem illum, Eucharistiam super lino, non vero super serica, aut lana consecrandi usum ; indeque quoad conscientiæ nostræ purificationem, sequentem eruit moralitatem, dicens : In tribus, quæ producunt linteum Corporale candidum, tria intelliguntur, quæ faciunt ad nostram munditiam spiritualem ; primo lavatur, secundo torquetur, tertio desiccatur ; sic qui vult ad Dominum diligenter suscipiendum mundificari, primo, debet per aquam lacrymarum lavari ; secundo, per opera pœnitentiæ debet torqueri ; tertio, qui sumere debet hoc Sacramentum, necesse est ei, per fervorem divini amoris a carnalium desideriorum amore desiccari. S. BERNARDINUS SEN. tom. II, § 57, a. 2, c. II.

Pœnitentia seria ; uti S. Bernardus suasit dicens : Frange te, ut se discat frangere, quia non cognoscetis, nisi in fractione panis. Si vis ipsum cognoscere, sicut se fregit, ita te frange, quia qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Frange te ad laborem obedientiæ, ad humilitatem pœnitentiæ. Hinc Jacob Patriarchis suis sequens edictum proposuit : « Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra. » S. BERN. hom. *in Disc. Emmaus.*

Circa quod præceptum, scire percuperem, cur similem S. Patriarcha legem citius non præscripserit ? Sed facilis ex ipsomet immediate hoc subsequenti contextu eruitur res-

ponsio, cum dicitur : « Surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi Altare Deo.» Igitur ubi Sacramenti hujus remota duntaxat figura contrectanda erat, omnia disperdi abjicique jubentur idola, perfectaque institui lotio, cui proinde subditi obtemperantes, dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, et ille infodit, et sub terram omnia idola abscondit, penitusque abolevit, priusquam ullus eorum monti Bethel pedem inferret, quæ Domus Panis interpretatur. GEN. c. XXV.

Gratutido affectuosa, uti Salmeron monuit dicens : Quiescendum est aliquantulum, et non statim ad labores et negotia sæcularia prodeundum, ut ita gratum reddamus, et jucundum Christo, nobis vero salutare, quo eum excepimus, hospitium. Immo Balthasar Alvarez dicere solebat, extremam esse stultitiam, tam pretiosum negligere tempus, illud scilicet, quo Filium Dei intra nos ipsos possidemus, siquidem tum opportunissima favet commoditas, ut nostræ subsignentur supplicæ, cum gratiæ signaturam in nobis habeamus, ipsaque Eucharistia gratiæ sit instrumentum. SALMERON, tom. IX, tr. XL.

Circa quod accommodam valde similitudinem, eamque nulli non perfacilem in præsenti adducit D. Chrysostomus, dum ita discurrit : Si quis amicorum te cum aliis invitasset, tuque repleto ventre ante omnes surgens, tempore inconvenienti, te e consortio proriperes, an non hæc maxima incivilitas foret? Numquid enim benefactori tuo propter præsentem gratiam, gratias agere oporteret? Quare igitur convivio illi assistens, cui ipsimet invident Angeli, tam subito te subtrahis, et rustice Christum derelinquis, absque eo quod pro tanto tibi collato beneficio gratias agis? Durum, odiosumque videbitur, quod sum dicturus, sed necesse est, ut ob multorum negligentiam dicatur : Quando ultimæ Cœnæ communicavit Judas; reliquis omnibus recumbentibus, ipse se proripiens excessit. Illum imitantur et isti, qui ante ultimam gratiarum actionem discedunt. S. CHRYSOST. *Hom. de Bapt. Chr.*

Humilitas profunda ; ubi exemplo Miphiboseth ob oculos habendum, de quo in Scriptura legitur, quod *corruit in faciem suam, et adoravit*, Davidem scilicet. Sed quandonam hunc obsequii et cultus actum Davidi exhibuit? Tunc videlicet, quando illum sibi dicentem audivit : « Tu comedes panem in mensa semper. » Cui ipse tam protinus respondit : « Quis ego sum servus tuus, quia respexisti super canem mortuum, similem mei ? » Eodem modo, quando verus David hunc panem Eucharisticum nobis manducandum proponit, nosque ad illum adorandum accedimus, dicere merito deberemus : « Vere Panis filiorum, non mittendus canibus. » Vere enim panis ille Angelorum panis est : « Ecce panis Angelorum; » nos autem veluti canes sumus in comparatione ipsorum, ideoque pane hoc indigni sumus : « Quis sum ego etc. » Demum vero ad mensam Eucharisticam accedentes, dicere possumus cum illa muliere Cananæa : « Etiam, Domine, nam et catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. » Unde S. Ambrosius ait. O uberes micæ, quæ repellitis jejunium sempiternum, quæ colligentem pauperem æternis expletis alimentis !

Castitatis studium; deo dictum olim Israelitis : « Renes vestros accingetis. » Ubi Rupertus Abbas per hos renes concupiscentiam intelligit carnalem, Sacramenti hujus virtute reprimendam, ideoque inquit : Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipitur? Qui Pascha comedit, accinctos renes habere debet, ut voluptates edomet, carnis luxuriam restringat. Dionysius Carthusianus superaddit, dicens : Fluxum et desideria turpia restringetis, ut sitis corde et corpore casti. RUPERTUS, l. II, in *Exod.* c. XIII.

Præparatio prævia ; sicut enim Deus insinuavit, dum Israelitis quoad esum Agni Paschalis præcepit dicens : « Nec comedetis ex eo crudum quid.» Quis autem hominum palatum ita vitiatum, stomachumque adeo inhumanum habebit, qui carnes crudas manducare appetat, maxime in ea occasione, in qua ritus adeo sanctus adimplendus est, qualis erat esus Agni, et debita Paschatis celebratio ? Et tamen minime dubitandum est, quin speciale in hoc præcepto lateat mysterium. Deus enim omnia in sapientia fecit. Abulensis dubium hoc solvit dicens : Dicitur, quod non sumatur agnus crudus; crudum enim cibum manducat, qui nullam circa illum dispositionem, aut præparationem præmittit, et sic crudum cibum sumit, qui Corpus Domini ab aliis cibis non discernit, sed sic impurus ad illum cibum accedit, sicut ad communes. Qua autem ratione hic agnus coctus ab aliis manducandus erat? Assus igni; ubi per ignem amor Dei, sive charitas intelligitur, quia juxta mensuram

charitatis, effectus percipitur hujus Sacracramenti, ut ait B. Laur. Just. Et S. Bonaventura ait : Adverte, quod effectus Sacramentorum solet esse secundum dispositionem et præparationem suscipientium. Abulens. q. xviii, in 26 *Matth.*

ASCETICA.

In primis nosse debet, *quod, dum digna communio præcipitur, dignitas hæc duplex sit; una rei*, et hac nemo potest digne suscipere Christum; *alia* est *præparationis*, et hac potest homo digne eum suscipere, si ea faciat, quæ ipsemet fieri, qui suscipi voluit, mandavit; quod si quis ea non exhibet, indigne suscipit. Unde ad spiritualem nostrum profectum duas considerationes instituere possumus; primam videlicet circa humilitatem et submissionem Christo in hoc Sacramento; secundam circa agnitionem nostræ nihilitatis et vilitatis, quam ex nobis ipsis habemus, quæ ad eum in Communione digne recipiendum optima est dispositio. Toletus in *Luc.*

Quod etiam confirmans S. Bonaventura : Cogita, inquit, quod, licet mille millibus annorum te ad hoc Sacramentum per puras orationes sacratissimasque præparationes præparaveris, nihil esset ad condignam susceptionem, et jam si haberes merita omnium sanctorum; ob hoc tamen intermittere non debemus, quin, quantum ad nos spectat, et quantum fragilitas nostra facere prævalet, puritatem Christi imitemur, maxime cum ipse data opera eo fine semetipsum Eucharistia cibaverit, ut ad illam digne sumendam suo nobis exemplo præiverit. S. Bonav. tom. VII in *Fasc.* c. vii.

Nosse debet, *cur Deus olim certum tempus pro esu Agni paschalis determinarit;* de quo Josephus Mansi sic discurrit : Est advertendum, quod priusquam Deus populo Israelitico præceptum suum circa Agnum proponeret, quoad tempus illud sumendi hæc verba præmiserit : « Mensis iste vobis principium mensium, » quasi dicere vellet, tunc illos vitæ initium hujus habituros esse, quando Agnum immaculatum gustaverint. Unde S. Gaudentius ait : Tunc audiunt : Mensis hic vobis initium mensium, adhærentes Agni immaculati vestigiis, veluti si diceret : ab illo momento tempus veræ et beatæ vitæ computare debetis, quando ad mensam Eucharisticam, in qua pignus vitæ æternæ recipitur, acceditis. Cur vero mensem illum, qui Aprili nostro correspondet, elegerit, hujus Rupertus, Abbas Tuitiensis, mysticam hanc assignat rationem, dicens : Mensis Nisan, id est, Aprilis verna temperies, cum tellus reflorescit, totusque per hyemen quasi post senium rursum juvenescit Orbis, nonne hominem docet, quatenus renovatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, et charitate florens, epulis Agni Paschalis intersit spiritualibus? Mansi, disc. xxvii, n. 1.

Nosse debet, *quo modo desiderium ad frequentem Communionem excitandum sit,* nimirum eo, quem Salmeron sequentibus verbis indicavit : Poterit eos imitari, qui, cum appetitione ciborum destituuntur, aut huc illucque deambulant, aut salsamenta cibis adhibent, ut faciunt infirmi, aut cum aliis, qui vehementi cupiditate tenentur, convivantur, ut illorum exemplo ad edendum et ipsi excitentur. Ita nobis faciendum est, aut enim in montes Calvarii, Oliveti, Thabor, et Sion deambulare debemus, ut ex illorum mysteriorum, quæ in illis montibus peracta sunt, contemplatione, fames nobis spiritualis acuatur; aut condimenta orationum adhibenda, quo paulatim devotione incalescat homo, et suavius, quod percipit, degustet. Salmeron, tom. IX, tr. xl.

Nosse debet, *quod, licet Ecclesia annuam tantum Communionem præcipiat, non tamen per hoc frequentiorem Communionem prohibeat,* sed potius vehementer commendet, uti ex Concilio Tridentino patet, sic loquente : Demum paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo, jam tandem aliquando conveniant, et concordent, memoresque tantæ Majestatis et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretio, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria Corporis et Sanguinis ejus, ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant, et venerentur, ut Panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint. Conc. Trid. ses. xiii, c. viii.

Unde Salmeron ait, quod, tametsi in tem-

pore Paschali omnes fideles mensæ Eucharisticæ accumbant, de illis tamen, qui semel in anno tantum ad eamdem accedunt, intelligendum sit, quod in prædicta parabola dicitur: « Transiens ministrabit illis; » tunc enim Salvator cum ipsis est per modum transeuntis, non vero per modum permanentis; non enim in ipsis permanent fructus Communionis, sed ut plurimum ad peccata et ad vitam pristinam dissolutam revertuntur, de quibus proinde verum est, quod, inquit Divus Chrysologus, scilicet: Christus illis de misericordi Patre severissimum transibit in Judicem. Quæ omnia Mansi sequenti discursu confirmat: Vix Moyses temerarios illos, qui Mannæ inappetentiam et fastidium patiebantur, dixisse narrarat: « Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo, » cum protinus subjungit, Dei justitiam digne promerita illis immisisse flagella; subjungit enim: Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes; ubi notanda est dictio illa: Quamobrem, utpote quæ causativa est, et flagella temerariis illis ideo immissa fuisse indicat; quia Manna fastidierunt, nec solum illis serpentes, velut carnifices, immisit, sed serpentes ignitos. Omnia autem hæc in figura contingebant; per hoc namque nos Christiani docemur, quod, si quando Manna Eucharisticum fastidierimus, daturus sit nos Deus serpentibus infernalibus in prædam. Unde opportunum est illud Dionysii Carthusiani, in prædictum Numerorum locum scribentis salutare monitum: Non nobis vertatur, inquit, in nauseam Panis cœlestis refectio spiritualis; alioquin, Deo justissime permittente, invadent, intoxicabunt, occident nos serpentes igniti, passiones mortiferæ, tela nequissimi ignea, et spiritus infernales. Neque id mirum est, cum enim cœlesti hoc præsidio destituti simus, dæmonis insidias evadere non poterimus. Nam, ut S. Gregorius ad Massilienses scribit: Inter cætera arma, quæ contra principem mundi, Deo favente, Ecclesia contulit, potissimum est, ut Corpus Domini frequenter acciperent. Mansi, disc. xliii, n. 4.

Nosse debet *rationem, cur hæc Communio, si non realiter, certe spiritualiter quotidie sit peragenda;* nimirum quia, ut S. Bernardinus dixit, spiritualiter in nobis quotidie aliquid deperditur, ex vi et calore concupiscentiæ naturalis per peccata venialia, quæ diminuunt charitatem, sed per hoc Sacramentum, quod est animæ spirituale nutrimentum, restauratur id, quod perdit anima per veniale peccatum, in hoc, quod per hujusmodi sumptionem peccata venialia dimittuntur, et in suscipiente charitas augetur; citatque auctoritatem S. Ambrosii, dicentis: Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. S. Bern. Sen. t. I, § 54, ar. 1, c. i.

Unde Christus olim S. Gertrudi dixit: Cum deliciæ meæ sint esse cum filiis hominum, et ego hoc Sacramentum ex magno affectu in meam commemorationem retractandum et sedulo suscipiendum reliquerim, insuper per hoc me cum fidelibus remansurum, usque ad consummationem sæculi obligaverim; quicumque aliquem, qui non sit in peccato mortali, verbis vel suasionibus retraxerit, ille quodammodo meas delicias (quas in his habere possem) impedit, vel interrumpit. *Vita S. Gertrud.* lib. III, cap. xxvii.

Nosse debet, *quid circa realem Communionem permittendam sit observandum*, nimirum id, quod D. Chrysostomus monuit, dicens: Non est expectanda solemnitas, ut accedas ad hoc Sacramentum, sed semper est solemnitas, cum adest cordis munditia. S. Chrys. hom. xxviii, *ad* I *Cor.*

Eamdem quoque sententiam alibi in eodem S. Doctore reperio, ubi ait: Qui munda conscientia sunt, et vita irreprehensibili, isti semper accedant ad divina Sacramenta. Idem quoque in alia quadam homilia errorem confutat eorum, qui reverentiam erga hoc Sacramentum in raritate ad hanc mensam accedendi consistere credunt: Hoc nempe est, inquit, quod universa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore, constare meritum putas, summamque arbitraris religionem et reverentiam esse, si non sæpius cœlestem illam adeas mensam. Ignoras, quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit; digne vero etiamsi sæpe accedas, salutem inde conquiris? Non est audacia, sæpius accedere ad Dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiam toto vitæ tempore accedat. Tandem idem S. Doctor propositionem istam concludit, quæ omnem in hac materia difficultatem sopit et dissolvit: Tempestivum accedendi tempus, inquit, munditia conscientiæ faciat. « Quotiescumque enim (inquit) manducabitis Panem hunc,

et Calicem bibetitis, mortem Domini annuntiabitis. » Hom. v *in Epist.* I *ad Timoth.*

Nulla observatione temporis, sacrificium circumscribere voluit, quin potius S. Thom. in quodam articulo, cui titulus est : *Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum accipere?* auctoritati S. Augustini insistens, hancstatuit conclusionem : Iste panis quotidianus est ; accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit. Nihilominus etiam ipsam hanc limitat propositionem dicens : Non expedit quotidie homini ad Sanctum Sacramentum accedere, sed quandocumque ad illud se invenerit præparatum; si quotidie se dispositum repererit, id est, in conscientia pura, poterit absque scrupulo, imo cum merito ad ipsum appropinquare; verumtamen quia nullus in causa propria judex esse debet, dicta executio a Superioris et Patris Spiritualis consilio et arbitrio dependere debet; sique ipse conveniens judicarit, aut jusserit, in virtute talis obedientiæ ad mensam Eucharisticam accedat pœnitens ; *melior est* enim *obedientia quam victima.* S. Thom. p. II, q. LXXX.

Quibus omnibus accedit etiam judicium S. Bonaventuræ dicentis : Varia sunt hominum merita, et diversa operum studia, et differentia desideria, et multiplices S. Spiritus operationes in singulis ; et ideo, sicut cum ægrotantibus non potest una forma servari in dandis medicinis corporis propter diversitatem complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, vel aliarum considerationum ; ita et de medicina spirituali, quæ est Corpus Christi, intelligendum. Mundanis enim curis occupati, rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi, qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti ; et alii magis, et alii minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ et morum, et conscientiæ suæ puritate ; alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem ; alii quodammodo terrentur, cum debent accedere.

Nosse debet *causam, cur hæc frequentior Communio reverentiam Christo debitam non imminuat, nec ut nimia familiaritas contemptum pariat ;* nimirum quia hæc inter homines et Deum est differentia, quod, quanto magis et strictius cum hominibus conversamur, tanto plures eorum cognoscimus et penetramus defectus, eoque minorem de illis existimationem tandem induimus ; quo autem familiarius cum Deo agimus, tanto magis ejus honorem et existimationem in nobis promovet notitia divinorum attributorum ejus. Communio nos artius stringit et familiarius unit cum Deo ; quantoque magis in nobis crescit immensitatis et infinitatis ejus conceptus, tanto majorem de ipso concipimus existimationem et venerationem, tantoque amplius de ejusdem participamus sanctitate ; neque hujusmodi probationi fusius immorandum censeo, siquidem experientia docet, quod quo quis frequentius communicat, tanto majorem concipit Dei timorem, tantoque ardentius ejusdem tutatur honorem. Mansi, disc. XLV, n. 9.

Nosse debet, *cur vitium carnis fructum S. Communionis specialiter impediat;* nimirum ob rationem a B. Algero assignatam, dum dixit : Sciendum, quia Agnum Dei sine macula, qui Virginis est filius, luxuriosi et incestuosi sumunt periculosius, quia cum in Sacramento Christi ei uniri debemus conformitate passionis et munditiæ, nihil sic adversatur Passioni Christi, ut voluptas, nihil sic munditiæ, ac fœditas, nihil sic ejus unitioni, ut fornicariæ societatis unitas. Libido enim appetitu suo allicit et incendit, actu suo fœdat et enervat, usu lubricat et illaqueat, adeo ut placendo displiceat, displicendo placeat, difficilem aut nullam sui pœnitudinem admittat. Quando Salvator noster in sua conceptione carnem nostram assumpsit, opera Spiritus S. qui summa puritas est, in utero Virgineo voluit generari ; similiter, quando idem Corpus sepeliendum erat, monumentum novum adhiberi voluit. B. Algerus, l. I *de Sacr. Alt.* c. ult.

Ubique beato corpori defertur sanctitas, inquit S. Maximus, ubique virginitas ; novus illud venter concipit, novus tumulus includit. B. Petrus Damianus, in epistola quadam ita scribit : Plane sicut concipienti Deificæ Virgini non virile semen influxit, sed virtus Spiritus Sancti obumbravit ; ita nunc in Altari positum Sacramentum eadem Sancti Spiritus virtus est, quæ vivificat, et necesse est ut hoc pudica manus et impolluta contingat.

Nosse debet *multiplicia damna indignæ Communionis,* quæ breviter indicavit S. Bernardinus per verba ex Ps. LXVIII, desumpta : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. » Primo, peccatis illaqueat. Secundo, retributionem gravat. Tertio, proximum scandalizat. Quarto, mentem excæcat. Quinto, mundanis incurvat. Sexto, Dei misericor-

diam irritat. Septimo, Dei justitiam conturbat. Octavo, vitam abbreviat. Nono, gratuitis privat. Decimo, iniquitatem multiplicat. Undecimo, mentem indurat. Duodecimo, damnatum quoque in fine demonstrat. S. BERN. SEN. t. II, f. 55, ar. 1, c. III.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Abituri duo Apostoli, ut cœnaculum præpararent, vas aquæ offensuri erant in via, quemadmodum ipsis cœlestis Magister prophetizaverat, dicens : « Occurret vobis homo, amphoram aquæ portans, sequimini eum. » Cujus successus mysterium his verbis Albertus M. nostro accommodat proposito : Amphora aquæ expiationis est conscientiæ mundatio per lacrymas devotionis et compunctionis, ut expiatus et mundatus accedat, qui accedit ; juxta illum Jeremiæ textum : « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. » Quæ verba idem auctor examini conscientiæ in ordine ad Communionem præmittendo, applicat dicens : Hæc enim est collatio optima conscientiæ, qua omne pretiosum a vili peccati et vanitatis separatur, ut purum et sincerum hoc nutrimentum his membris spiritualibus infundatur. S. ALBERTUS M. *de Euch.* dist. III, tr. II, c. II.

Qui effectum Sacramenti hujus in se experiri desiderat, consilio obtemperet Sapientis, dum ait : « Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo. » PROV. XXIII. Quamnam hanc esse putatis potentis viri mensam ? Hugo Card. hanc astruit esse Eucharistiam. Sed quis demum culter erit nostris infigendus faucibus ? Respondet Hugo Card. : Statue cultrum pœnitudinis, quo juguletur vetus homo in gutture tuo, confitendo peccata.

Dubium nonnulli movent, cur Christus in ultimæ cœnæ convivio, solatii et jubili tempore, traditionem commemorarit in mortem, contra se ab uno Discipulorum consummandam ; quæ ratio suadere poterat, ut mensam illam tanta perfunderet tristitia ? Poterat ad minus manifestare eum, paucis post horis publicandum ; cur itaque omnes potius timidos, suspensosque tenere voluit ? Sanguinem divinum pro triginta denariis vendiderat Pontificibus et Judaismi Magistratibus, scelus jam publicum erat. Resolutionem a D. Chrysostomo excipite verbis sequentibus : Ascendit Christus propriæ Deitatis tribunal, et illud convivium, velut catastam, ante se constituens, conscientiæ tormento confiteri compulit reum ; Christus enim scelus hoc absque ulla ejus, qui illud patraturus erat, specifica nominatione prædicendo, omnibus aliis occasionem præbuit, seriæ et rigorosæ quæstioni et examini suam subjiciendi conscientiam ; dicendique : « numquid ego sum, Domine ? » ut hoc examine prævio ad Eucharistiam recipiendam tanto magis essent dispositi, quia ut Psalmista ait : « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ. » S. CHRYS. *hom.* II *de Pass.*

Deus olim se Ezechieli nubi cuidam involutum ostendit, ad eum fere modum, quo postea hisce nostris temporibus sub accidentium Sacramentalium nube latet ; dicit autem sacer textus de Angelis ibidem : « Et manus hominis sub pennis eorum ; » ubi Theodoretus legit : Manus sub alis erant absconditæ, at vero quodnam in eo reconditum est mysterium, quod Angeli illi manus sub alis occultarint ? Nimirum quia indignos se æstimabant, qui Deum tangerent ; unde fit, quod Seraphini, apud Isaiam, carbonem quemdam ex divino Altari tollere volentes, eumdem non suis manibus immediate attrectarint, sed ad illum tollendum forcipe usi fuerint, non obstante quod Seraphini essent, et mero igne Seraphico conflagrarent, illum tamen ignitum carbonem præ reverentia attingere non præsumpserunt, quia Deus « ignis consumens » est, quem carbo ille significabat. Idem vero ignitus carbo, ex mente Petri Cellensis, Eucharistiæ figura erat ; unde idem venerabilis Pater inquit : Manum subtrahat Seraphim, quia munus hujusmodi manum aliam non admittit, quam solius dexteræ Dei. Sacerdos quidem hunc carbonem tractat, consecrat, et consumit, sed non aliter quam prout Christum repræsentat. MANSI, d. XXXI, n. VII.

S. Thomas Villanovanus sequentem a panibus Propositionis deductam ad propositum nostrum format consequentiam, dum ait : Panes illos sacros, quos propositionis vocabant, teste Nicolao de Lyra, non nisi in auro pinsebant, et in auro coquebant, et in mensa aurea coram Deo Proponebant, quos edere aut contingere nefas erat, nisi ei, qui esset Sacerdos, aut de familia Sacerdotis. Aurum

autem charitatis et amoris divini est symbolum; quod si igitur Deus panibus istis Propositionis, qui remote tantummodo Eucharistiam figurabant, aurum illud adhiberi voluit, quanto magis idipsum in realitate requiretur? Principaliter autem, cum juxta S. Ambrosii doctrinam, animam communicare, nihil sit aliud, quam desponsari Christo, eumque sibi incorporare; cui argumento stabiliendo illum favere autumans Canticorum textum : « Osculetur me osculo oris sui », ita unumquemque alloquitur communicantem : Venisti ad Altare. Vocat te Dominus Jesus, vel animam tuam, et ait : « Osculetur me osculo oris sui; » videt te mundum esse ab omni peccato, ideo te Sacramentis cœlestibus dignum judicat, et ideo invitat ad cœleste convivium. Unde, et Cardinalis Toletus ad illam se reflectens, quam Christus Apostolis suis in ultima cœna adhibuit, lotionem, dicendo : « Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, » hanc inde eruit moralitatem, scilicet : Non ad exemplum humilitatis tantum hæc lotio facta est, sed simul etiam ad significationem et purgationem quamdam, quæ non alio tendebat nisi ut digne convivio futuro Corporis et Sanguinis Christi vescerentur. S. TH. VIL. cap. III, *de Sacr*.

Olim, prius quam Manna descendit, ros quidam stillare consuevit, dicente Scriptura : « Mane quoque ros jacuit, » qui locum, in quem Manna decensurum erat, purificaret. Hoc autem in figura illis contigit, siquidem Manna Eucharistiam designabat, quam cœlestis ros Spiritus S. cui animas cordaque nostra purificare et mundare proprium est, præcedere debet. Unde S. Th. postquam dixisset : Charitas facit Deum esse in homine, et e converso, I, Joan. 4, « qui manet in charitate, in Deo manet,et Deus in eo, » subjungit dicens : Et hoc est, quod facit Spiritus Sanctus. MANSI, d. XXXII, n. 3.

Mirabilem sane cæremoniam nobis liber exhibet Levitici, ubi Deus de sacrificante agens, hoc ei imponit præceptum : « Ponetque manus super caput hostiæ et acceptabilis erit : « Philo tamen Hebræus, in lib. *de Victimis*, facilem, eamque nobis accommodam hujus præcepti moralem his verbis assignat rationem : Quod manus imponantur victimæ, evidens indicium est innocentiæ, exactæque vitæ sine culpa; postulabat enim Deus a sacrificante primum bonam mentem et sanctam. Et nihilominus victimæ illæ, quas offerentes tanta eminere debebant vitæ sanctitate et puritate, arietum erant, taurorum, vitulorum, aliorumque animalium; quanto igitur major oportet ejus sit integritas, cui per Communionem ipsemet incorporandus est incarnatus Deus? Nonne parem olim munditiam a sacrificantibus exegit David, cum diceret : « Afferte Domino, Filii Dei, afferte Domino filios arietum ? » Arietes offerebant illi, et nihilominus in immolantibus eos regius vates divinæ filiationis characterem præfulgere jubens ait. « Afferte Domino, Filii Dei. Ib. n. 4.

S. Hieronymus explicans verba illa de muliere forti dicta : « Panem otiosa non comedit; » sic discurrit : Panem quoque otiosa non comedit, cum sacrificium Dominici Corporis percipiens, studet imitari actu quod in mysterio celebrat, multum sollicita, ne indigne panem Domini comedendo, et calicem bibendo, judicium sibi manducet, et bibat, sed ut patiendo pro Christo et lacrymas fundendo, bonis quoque actibus insistendo, passionum exempla ipsius, quantum valet, sequatur. S. HIERON. in cap. XXXI. *Prov.*

Novam circa dignam Communionem nobis instructionem Salmeron exhibet, ab Hostia desumptam, quæ adoranda proponitur. Dicit enim : Compendiosum communicandi modum ipsa Hostia, quæ adoranda offertur, nobis exhibet. Illa ex frumento conflata est, multis mediantibus granis, absque fermento et igne cocta ; partem exteriorem effigiatam habet, et rotundam. Quibus ex circumstantiis sequens eruit mysterium : Primum itaque frumentum esse oportet, quod omnium granorum est optimum, id est, profiteri nos decet fidem Christianam Catholicam, sine qua homo hujus nequit esse capax Sacramenti, quod est vere Panis filiorum. Frumentum ergo simus necessum est, illius participantes naturam, qui de se protestabatur, dicens : « Nisi granum frumenti cadens etc. » Iterum, sicut Hostia ex pluribus unitis conflatur granis, ita quoque fideles in Ecclesia per sacræ Communionis virtutem uniri oportet. Præterea omni fermento carere debet Hostia, ut per hoc nobis insinuetur, liberos nos esse debere et immunes ab omni malitia, non solum mortali, sed etiam veniali, dummodo ad sacram illam Hostiam sumendam digne velimus accedere. Vetabatur olim Hebræis, ne tempore Paschatis aliquod in domo fermentum reservarent, et si forte illius aliquod in ea residuum esset, ab-

liceretur, per quod docemur, quod non solum abolendum sit in nobis peccatum, verum etiam omne illius eliminandum sit periculum, et occasio proxima. Ad hæc Hostia, ut fiat, igne et aqua opus habet; ut inde discamus, quod ad sacram hanc mensam adducendæ sint lacrymæ compunctionis et devotionis, nec non ignis amoris, quem Filius Dei accensurus, in terram descendit. Denique pars anterior Hostiæ effigiata esse solet, et ut plurimum imaginem Crucis refert, vel Crucifixi; ex alia vero parte nuda et plana esse consuevit; per quod docemur, duas in Christo esse naturas, quarum una, scilicet humana, subjecta est morti, altera vero, nimirum divina, omnino impassibilis existit; utramque enim in hoc Sacramento confiteri et venerari debemus, licet divina incomprehensibilis existat. Tandem Hostia rotundam figuram præsefert, quia Deum nobis repræsentat, qui nec principium habet, nec finem. Ac proinde idem doctissimus auctor discursum suum his verbis concludit : Ille debet esse principium et finis tuæ Communionis, ut ab ipso incipiens in ipsum regrediaris. SALM. t. IX, tr. XL,

Gravem in hac materia difficultatem movet Origenes, in hunc sensum : Abraham quondam tribus Angelis, trium divinarum Personarum figurativis, convivium præparavit in Mambre, quapropter in recompensam Isaaci accepit promissionem, præter benedictiones immensas super ejus progeniem, ex qua Dei Filius incarnandus erat descensurus. Mensa autem illa, ut Damascenus dicere sustinet, mysticam hanc adumbrat. Lot pariter eosdem Angelos hospitio excepisse novimus, et nihilominus tam abundantem hospitii non tulit mercedem, quin potius in incendio illo omnes suas amisit divitias, simul et uxorem, in statuam salis conversam, et tandem cum filiabus ab exterminio ereptus, in barathrum corruit incestuositatis. Quid ad hæc respondebimus? inquit Origenes. Abraham panes ex simila apposuisse describitur; Lot vero, eo quod non habuit similam, ex farina panes hospitibus apposuit. Panis igitur Abrahæ, qui Eucharistiam præfigurabat, ex flore farinæ factus fuit mundissimus; at vero panis Lot ex farina fuit præparatus, in quo ut plurimum aliquid siliquarum intermiscetur; atque ideo si ad hoc Sacramentum cum aliqua culpa gravi accesserimus, quantumvis hæc unica dumtaxat foret, v. g. unicum odii desiderium, unicus lasciviæ, aut avaritiæ actus, vel minima Pentapolis farina sufficit ut Communionem nobis in ruinæ convertat instrumentum. ORIGENES, hom. XIII, *in Levit.*

Unde S. Chrysostomus ait: Sicut magnum Sacramentum est et admirabile, ita si pure accesseris, ad salutem accessisti; sin prava conscientia, ad pœnam et supplicium.

Hunc cibum cœlestem Dominus olim per Oseam nobis promisit, sed phrasim observetis velim, qua hac in sponsione utitur, dum ait : « Et declinavi ad eum, ut vesceretur. » OSEÆ, c. XI. *Declinavi*, singulariter notandum occurrit, idem significans, quod *humiliavi* seu *exinanivi me*. Juxta S. Hieronymi Glossam, ita in Christi persona loquentis : *Declinavi*, deserens Regna cœlorum, ut cum eis vescerer, assumpta forma hominis; sive dedi eis escam Corporis mei, ipse et cibus et conviva; quam veritatem ipsemet Christus stabilivit, dum B. Angelam Fulginensem, Sacramento huic devotissimam, in quadam visione ita fuit allocutus : Vidisti aliquid de potentia mea, modo videas et humilitatem meam. Hanc autem submissionem in sanctissimi Corporis Communione Christus demonstravit, unde ipsa Sancta subjungit : Et videbam tantam profunditatem Dei ad homines, et tantam humilitatem, quod comprehendens anima potentiam inenarrabilem, et videns tam profundam humilitatem, mirabatur, et reputabat se nihil omnino; dumque se sacra mensa indignam reputaret, sibi dici inaudiit : Ego, qui sum dignus, facio te dignam; et tunc remansit in me dulcedo inenarrabilis et lætitia magna, qua non carebam in tota vita mea. BOLLAND. tom. I, *Jan.* c. III, n. 2.

De S. Francisco Seraphico Annales illius Religionis tradunt, quod ardentissimis Sanctissimum hoc Sacramentum prosecutus fuerit affectibus, stupore admirans maximo illam charissimam dignationem, et dignatissimam charitatem; unde ipsemet in quadam epistola sua exclamat, dicens : O superna dignatio! O sublimitas humilis! ut Dominus universitatis, Deus et Dei Filius, sic se humiliet, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat!

Lupus, cum sæva urgetur fame, nec tamen prædam reperit, terram vorat; verum mox iterum hanc evomit, si ovem aut aliam feram devorandam reperiat. Quidni ergo et peccator terram, id est, terrestres et vanas voluptates aut peccata evomat, quando

tam pinguem et pretiosum agnum in Eucharistia reperit? DREX. *in Rosis*, p. II, c. VI.

Apud Longobardos mos erat, ut Regis filius non prius ad paternam mensam admitteretur, quam in bello alteri Regi servisset. Optima nempe dispositio, virtutem suam in militia probasse videbatur; quanto magis erit optima pro hac mensa, de qua Deus Joanni dixit : Vincenti dabo manna absconditum. DREX. *in Rosis*, p. II, c. VII.

Apud Sybaritas mos fuit, ut feminæ integro anno prius quam sacrificandum aut convivandum erat, invitarentur, quo interea se magis ornare possent. Ibid.

Sed, et Reges Persarum nullam admittebant feminam, nisi prius per annum excultam. Quid anima ad convivium Angelicum invitata faciet? ESTH. c. II, 12.

Mulier, quæ tempore famis in Syria grassantis, ex pacto coxerat filium, merito ab altera quoque filium coquendum petebat. IV REG. VI, 25. Quidni, cum Pater æternus dederit nobis Filium suum unigenitum, et nos nostrum, id est, rem illam, quam inordinate diligimus, demus?

Vetustissima olim in januis inscriptio erat : Nihil ingrediatur mali. Quæ, si uspiam certe in homine Christum frequenter suscepturo locum habet. CLEM. ALEX. l. VII, *Strom.*

Epictetus litterarum studioso, moribus improbo, acclamabat : O homo, vide quo mittas doctrinam! Num sit ab omni vas labe purgatum? Quanto magis hoc de Christo dicendum? NADASI, in ann. *Euch. hebd.* II.

Alphonsus Rodriquez, Coadjutor e Soc. Jesu, et janitoris officio fungens quoties campanula signum dabatur, cogitare assueverat, illam a Christo pulsari, ideoque statim dicebat : Vado, Domine. Quæ promptitudo adeo Christo placebat, ut non raro ipsemet aspectabili forma, a sanctissima Matre, aliisque Angelis et Sanctis comitatus, Alphonso fores pandente, Collegium ingredi sit dignatus. Quidni hoc magis communicatus dicat et faciat, Christo fores animæ pulsante, dicente illud Apocal. : Ecce sto ad ostium, et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum? APOCAL. IV, 20.

Tanagæi omnium, quos habent, adolescentum pulcherrimum seligunt, qui festo die agnum humeris circa urbis muros magno populi comitatu circumferat, judicantes, in ea, qua agnus circumfertur, parte muros inexpugnabiles fieri. Quid fiet animæ Christum urbanissima pietate in corpus inducenti? NADASI, *hebd.* XL.

Anno Domini 1611, in insulas S. Michaelis, in viridi promontorio, maxima formicarum vis toti insulæ maxima damna inferebat, et in ipsum etiam tabernaculum SS. Sacramenti irrepserat, sed illæso in patena Sacramento, totum agmen circumcirca exanime jacuit. Quanto magis spirituales formicæ, id est, peccata et passiones inordinatæ concident, si Christum super patena aurea, id est, corde debite disposito jacentem reperiant? *Chronic. illius loci.*

Cum Patriarcha Jacob sacrificium Deo offerre vellet, præcepit universæ domui suæ abjicere deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra, surgite, etc. GEN. XXXI, 2. Quidni magis communicaturus dicat hoc omnibus membris ac potentiis suis?

Betsamitæ olim gravi a Deo percussione fuerant puniti, eo quod arcam Dei vidissent, et propterea quinquaginta millia et septuaginta viri interfecti sunt. I. REG. V, 13. Quanto magis non levem pœnam timebit is, qui arcam novi testamenti indigne sumere præsumpserit.

EFFECTUS. — Widichindus aliquando in die Paschatis, ipso Communionis tempore degens, vidit, quemcumque communicantem a sacerdote pulcherrimum recipere infantulum, qui cum aliquibus ludens, ultro citroque os eorum ingredi properabat, alios vero fugiens, suum avertebat vultum; quia nimirum certissimum est, quod panis hic vitalis, sicut est vita bonis, ita quoque sit mors malis. Quo forte respicere voluit Dominus, in Eucharistici hujus Panis figuris, in panibus, inquam, Propositionis de quibus dicitur : Pones super mensam panes Propositionis; ubi Aquila et Arias legunt : *Panes facierum* Qui loquendi modus extravagans videtur. Numquid enim panes illi plures habebant facies? Quæ est hæc mensa, interrogat Rupertus Abbas, nisi corporis et sanguinis Domini? Quid igitur mirum, si panis hic plures describatur habere facies, si quidem unus et idem mors est malis, vita bonis? Quapropter vide paris sumptionis quam sit dispar exitus! Quam pariter differentiam Regius Psalmista insinuat, dum ait. « Lætificabis eum cum vultu tuo. » Ecce præmium digne

communicantium. «Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. » Ecce vobis indigne communicantium supplicium. BARON. *ad ann.* 735. n. 10.

Oza, qui arcam in humeris suis portare debebat, dum manum suam extendit, ut eamdem bobus, qui illam in plaustro portabant, recalcitrantibus sustineret, et a lapsu præservaret, morte repentina punitus fuit; unde Th. a Villanova ait : Quantus terror in arca lignea! Tantane tibi, Domine, cura de ligno? Non utique, sed propter nos hæc facta sunt; in illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur. Illos exanimas, ut nos erudias, ut in eis discamus, quanti piaculi simul et periculi sit, indigne tractare ac sumere sacrosanctam Christi Carnem in Hostia salutari, cujus typum sic Deus magnificavit, sic sublimavit, sic vindicavit. Si talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate ipsa ? S. TH. VILL. conc. 3. *de Sacr.*

GRATIARUM ACTIO. — Observandum, quod Deus virgam Moysis, quacum tot prodigiosa portenta patravit, in tabernaculo conservare noluerit, neque aquam, quæ de petra scaturierat, neque coturnices, bene tamen in eodem Manna custodiri voluerit, tametsi subjectum sit corruptioni, et ex uno die in alium conservatum vermibus scateat. Scitisne causam, cur id fieri voluerit? Nimirum Manna Eucharistiam præfigurabat atque ideo per hoc nobis significare voluit, quod, tametsi omnium aliorum Divinorum beneficiorum in nobis obliteraretur memoria, hujus tamen beneficii Eucharistici oblivisci nunquam debeamus, sed continua illius et indelebilis haben da sit memoria, nec unquam prætermissa gratitudo. MANSI, d. XLVIII, n. 8.

S. Mater Ecclesia sapienter ordinavit, ut, priusquam deveniretur ad consecrationem hujus Panis, Sacerdos et Populus simul inter se hæc verba recitarent, et primo quidem Sacerdos dicat : « Gratias agamus Domino Deo nostro ! » Cui Minister, nomine omnium respondere debet : « Dignum et justum est ! » Replicatque Sacerdos : « Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper, et ubique gratias agere etc. » Si enim pro ullo divinorum beneficiorum agendæ sunt gratiæ, certe pro hoc divino Sacramento vel maxime agi debent. MANSI, n. 9.

CONCIONATOR.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Concionator est Clericus, qui ex officio et legitime missus Verbum Dei annuntiat; quæ proin annuntiatio *Concio* vocatur, licet interdum per hoc nomen ipse etiam populus ad verbum Dei audiendum congregatus intelligatur. BEIRLINCK. I, v. *eod.*

DIVISIO. — Dividi potest in *verum* et *falsum*. *Verus* est, qui eo solum fine prædicat, ut animas submersas ab abysso infernali eripiat, et in cœlum perducat, unde dicere debet cum Rege Sodomorum : « Da mihi animas, cætera tolle tibi. » GEN. c. XIV, 21.

Falsus est, qui in prædicando *quærit, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* De quibus concionatoribus S. Greg. ait : Prophetæ falsi sua, et non Dei verba loquebantur, de quibus scriptum est : « Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. » Et rursum : «Non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. » Qua ex re colligendum est, quia et quisquis expositor in explanatione sacri eloqui, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua, et non Domini verba loquitur, si tamen loquendi, vel seducendi studio moveatur. S. GREG. in c. X. EZECH. hom. 1.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Erat docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi. MATTH. c. VII, 25.

Quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. ISAIAS. c. XXXVIII.

Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. MATTH. c. X, 20.

Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce constitui te hodie super gentes, et super regna; ut evellas, et destruas, et ædifices, et plantes. JER. c. I, 10.

Et vidi Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum. Apoc c. xiv, 6.

Sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentione spiritus et virtutis. I. Cor. ii, 4.

Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. II. Cor. viii, 17.

Cum venissem ad vos, Fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. I. Cor. viii, 1.

Et ego, Fratres non, potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis. I. Cor. iii, 1 et 2.

Mala aurea in lectis argenteis verbum dictum in tempore suo. Prov. c. xxv, 11.

Et nunc, Fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum ad eloquium vestrum corda vestra erigite. Jud. c. viii, 21.

Speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Ezech. c. iii, 17.

Utilitas. — Multitudo sapientum (*seu Prœdicatorum, ut S. Albertus Magnus exponit*) sanitas orbis terrarum. Sap. c. vi, 2.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo. Isaias. c. l, 4.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Prædicatores nubes sunt, quia tonant minis, coruscant miraculis, pluunt doctrinis. S. Bonav. *in Ps.* xvii.

Prædicator quisque plus actibus, quam vocibus insonet, et bene vivendi vestigia sequacibus imprimat, ut potius agendo, quam loquendo, quo gradiatur, ostendat S. Greg. p. III. Past. c. vi.

Vera prædicatio necessaria est; quia quando vox vitam non remordet, dulcis est symphonia; ne sit *vox Jacob et manus Esau.* S. Bonav. *in Ps.* xlix.

Est Evangelium doctrina, verbique Dei prædicatio, ignis ille semper in Altari exardescens, cui perpetua sollicitudine is ministrare debet ligna, nempe optima, præclaraque vitæ suæ exempla, officia atque opera virtutum, quibus corda fidelium accendat ad sancte agendi studium. Acta Mediol. fol. 478.

Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitentur; lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. S. Hier. *ep.* 2. *ad Nepot.*

Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. S. Bern. s. lix. *in Cant.*

S. Gregorius verba illa : « Parabis, et acetabula, et phialas et thuribula, » in favorem nostrum explicat, dicens : Quid vero per phialas et cyathos, nisi mensura prædicationis accipitur, ut singulis scilicet juxta capacitatem ingenii conferatur ? Debet enim subtiliter, quid docet, prospicere, ne plus studeat, quam ab auditore capitur, prædicare ; debet enim infirmitati audientium se accommodare, ne dum parvis sublimia, et ideo non profutura, loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse. S. Greg. hom. vi.

Populis populariter est loquendum, concio compellenda est sermone communi, omnibus necessaria dicenda sunt more omnium, naturalis lingua chara simplicibus, doctis dulcis, docens loquatur omnibus profutura. Ego loquor hodie imperito, verbo veniam dent periti. S. Chrys. s. xliii.

Quid sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cythara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, ut non sibimet ipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis ædificet ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet. Aliter namque viri, aliter admonendæ sunt feminæ, aliter juvenes, aliter senes, aliter inopes, aliter locupletes, aliter læti, aliter tristes, aliter subditi, aliter Prælati, aliter servi, aliter domini, aliter hujus mundi sapientes, aliter hebetes, aliter impudentes, aliter verecundi, aliter protervi, aliter pusillanimes, aliter impatientes, aliter patientes. S. Greg. l. XX *Mor.* c. iv.

Necesse est, ut semper sermo prædicantis

cum auditorum debeat qualitate formari. Quid mirum, si hoc verbi Dei erogator faciat. cum et agricola, qui semina in terram mittit, prius terræ qualitatem prævidet, quibus seminibus apta videatur, et postquam qualitatem terræ viderit, tunc semina aspergit. Id. l. I, hom. II *in Ezech.*

Sic debet esse sermo Dei fidelibus, tamquam pisci hamus, tunc enim capit, quando capitur, et quia non recipiebatur sermo Dei in corde ipsorum, ideo non capiebat corda eorum. S. BONAV. in *S. Joan.*

Prædicans Jesum debet ejus passiones imitari. GREG. *supra Regist.*

Concionator modum audientis consideret. Id. l. XVII *Moral.*

UTILITAS. — Quid namque cœlorum nomine, nisi cœlestium prædicantium vita designatur, de quibus per Psalmistam dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei, etc. » Ipsi cœli, ipsi sol esse memorantur. S. GREG. l. 9 *Mor.* c. IV.

Panes Propositionis super mensa positi semper, Doctores sunt spirituales, qui in lege Domini die ac nocte meditantes, cunctis Ecclesiam intrantibus refectionem verbi cœlectis offerunt, qui recte Propositionis panes vocantur, quia in propatulo semper esse debet universis fidelibus sermo salutis, nec unquam in Ecclesia deesse oportet piis auditoribus verbum solatii. BEDA, t. IV, lib. *de Tabern.* I, cap. II.

Dum doctrinæ discretio a concionatore caute custoditur, ei divinitus largior copia prædicationis datur. GREG. l. XV *Moral.*

Concionatorum umbra requiem Redemptoris habet. Ibid.

DIGNITAS. — Est magna auctoritas Prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, et contemptu contemnitur, ipsi enim sunt os Domini verba ejus annuntiando, sicut dicitur : « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, » et ideo tanquam os Dei pasci debent, et honorari. S. BONAV. in c. X *Luc.*

Hujus muneris sive materia, sive finis spectetur, tanta utique dignitas ostenditur, ut non facile aliud excogitari, dicive possit, quod illo præstantius sit, aut altius, aut magnificentius. Siquidem omnia Christianæ Religionis mysteria, ac Sacramenta, omnes virtutes, omnia quæ ad ejusdem Religionis fidem, fideique fructus spectant, omnia denique quæ a Deo ad homines proficiscuntur, et ad Deum proficiscentes adjuvant, verbi Divini nomine continentur. ACT. ECCL. MED. fol. 838.

Ignoro, an possit hac gratia interim majorem aliquam Deus homini conferre, quam est, ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur, ut ex filiis diaboli Filii Dei efficiantur, an forte cuiquam magis videbitur esse mortuos suscitare. RICH. DE S. VICT., ap. MANSI. d. XXVIII, n. 5.

QUOMODO AUDIENDUM. — Non magnopere cures, utrum defectibus aliquibus obnoxius sit is, qui loquitur, modo veritatem loquatur. Attendat ipsam veritatem, sicut ex origine sua, fonteque suo, nempe, Deo, promanat, et non curiose discutiat, qualis sit fistula, per quam illa manat. BLOS. *Inst. spir.* c. VIII, n. 4.

Frequenter etiam de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim et vilis terra pretiosum aurum producit. Numquid propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur ? Non, sed sicut aurum eligitur, et terra relinquitur, sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquite. Auctor. *Oper. Imperf.* hom. XLIII.

Eo quod Prædicator Christum repræsentet, debet magna devotione et reverentia audiri, etiamsi vilis et contemptibilis videatur persona. Unde August. ait : Ego (scilicet Prædicator) quid sum, nisi cophinus seminatoris, id est, Christi, ipse dignatus est in me ponere semen, quod spargo vobis; nolite respicere ad vilitatem cophini, sed ad nobilitatem seminatoris. Et Tullius ait : Non te moveat dicentis auctoritas, sed quidquid dicit, attendito. S. ANTON. p. II, tit. IX, cap. III.

DAMNUM MALORUM CONCIONATORUM. — Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita, nam illa etiam tacens prodest; hic autem etiam clamans molestiam affert. S. ISIDOR. PELUS. l. XXVI, ep. CLXXV.

Si negligis implere quod doces, aliis messem seminas et ipse a frumenti participatione jejunas; unde scriptum est : « Cujus messem famelicus comedit. » Messem quippe Doctoris, qui bona loquitur, sed non operatur, famelicus comedit; quia is, qui panem justitiæ esurit, operatur mandata, quæ audit; et ipse fructum non habet, qui seminando laboravit. Hinc Salomon ait : « Abscondit piger manum suam sub axilla, nec ad os suum porriget eam. » Nemo ita piger est, ut nec ad os manum comedendo redu-

cere, laborem putet; sed piger nec ad os manum suam porrigit, qui nec hoc vult operari, quod dicit. Hinc de bene docentibus, et male operantibus dicitur : « Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum, » etc. intendunt arcum atque sagittas mittunt, qui Scripturæ sacræ sententias proponunt, et verbis rectis auditorum vitia feriunt, sed convertuntur in die belli, quia post semetipsos redeunt in tentationem vitiorum, et pectus opponere non volunt, quia in tentationum certamine non resistunt. S. Greg. l. II, hom. II *in Ezech.*

Qui magnis muneribus ditati, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, si districte judicentur, tantis procul dubio rei sunt, quantis prodesse potuerunt.

Concionator malus sanguinis justi reus erit si acuerit. Greg. XXII, *Moral.*

Concionator carnalis est lucerna cæca. Id. *sup.* II *Regist.*

EXEMPLA SACRA.

Qualitas. — De Christo, Victor Antiochenus super illum Sancti Marci textum : « Stupebant super doctrina ejus, » interrogat : Cur stupebant? Quia non respondebat ad gratiam, neque ulli prorsus adulabatur, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo ejus in potestate; hortabatur enim non ad quævis promiscue, sed ad cœlestia et animæ salutaria, perfidisque et obstinatis peccatoribus imperterrite supplicia comminabatur. Victor Antioch. *in cap.* I *Marc.*

In vita S. Francisci Salesii legitur, quod hæretici per varias impias imposturas et technas adeo auditorum S. Francisci numerum diminuerint, ut octo vel novem tantum personæ ejusdem devotioni deditæ, ad verbum illius audiendum residuæ permanserint. Quis autem eloquentiæ et pietatis fons ad talis auditorii sterilitatem non exsiccaretur? Et tamen sanctissimus Dei servus a ministerio suo Apostolico non cessavit, nec ullum ejus obeundi fastidium sensit, imo huic adeo modico auditorum suorum numero quotidiadum verbi Dei panem tanta cum industria, sollicitudine, apparatu, et assiduitate distribuere sategit, ac si numerosissimæ populi affluentiæ prædicare debuisset, idque non solum paucis quibusdam septimanis vel mensibus, sed tribus annis ntegris talibus cum circumstantiis loci, temporis, et modis præstitit, ut quisquis id ipsum in justa considerationis trutina perpendit, huic illud mirabilius fuisse haud immerito videatur, quam ipsamet operis substantia. Siquidem quolibet die, nullum prorsus omittendo, etiam in majoribus hyemis rigoribus, sive in maximis æstatis caloribus, ad quatuor vel quinque milliaria pedes profectus, celebrandi et prædicandi functionem absolvit, tametsi paucos, id est, duos vel tres, sæpe etiam unicam vetulam præsentem invenisset; omnibusque perfectis, non minus quoad spiritum contentus, et hilaris redibat, quam si numerosæ cuidam multuditini prædicasset. Girard. l. I, c. X.

S. Chrysostomus ad suos auditores dixit : Ea de causa quotidie vobis concionamus, ut aliquid sacri faciatis et virtutes vestræ crescant, et nos lætemur, videntes vestrum profectum. Numquid enim temere et in vanum dicere volumus, ut a vobis laudum fructus recipiamus, et ut plaudentes manibus recedatis? Non hoc spectamus; absit! sed vestram salutem. Mea maxima laus est, et summus plausus, si quis a vitiis ad virtutem convertatur. Alias vero dixit : Credite mihi, quando inter dicendum plausum excito, per illud quidem tempus, humanum quiddam mihi accidit, et distrahor, et diffundor. Ubi autem domum redeo, et intelligo plaudentes sine fructu abiisse, doleo, gemo, et lacrymor, et quasi frustra omnia dixerim, sic afficior mihique ipsi dico : Quæ sudorum meorum utilitas, si auditores a verbis meis nullum fructum accipere volunt? Chryst. hom. LIV, in *Gen.*

S. Petrus Damianus de S. Marco in ejus honorem ita scribit : Cui, nimirum Deus omnipotens tanti verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogavit, ut omnes, qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, ac totius sanctæ conversationis instantiam, tanquam ad monasticæ perfectionis fastigium convolarent. Id. hom. XXX *in Act.*

Isidorus Pelusiota quondam cuidam viro facundo quidem et docto, sed improbo, in hæc verba scripsit : Frater quidem tuus ob mores in admiratione est, tu ob sermonem; ille ob omnem integritatem, tu ob linguæ facundiam; ille ob morum moderationem,

tu ob verborum fastum ac tumorem; ille ut fructu scatens, tu ut foliis abundans. Volensque eumdem instruere, modumque edocere, quo eloquens simul et potens quoad linguam fieri posset, subdit: Quam ob rem, si ita est, fratrem tuum imitare, ut utroque nomine laudem et gloriam consequaris, neque enim tam tuis ille, quam tu ipsius dotibus opus habes. S. PETRUS DAM. s. II. *de S. Mar.*

In *Manipulo Exemplorum* de S. Nonno Episcopo sequentia leguntur: Quadam vice sancto viro Nonno Episcopo in Ecclesia prædicante, nihil in eo rhetoricum aut humanæ ventositatis resonabat, sed in Spiritu Sancto corrigebat errantes, futurum judicium commemorans, cujus monitis ita sunt populi corda compuncta, ut pavimentum Ecclesiæ lacrymis inundaret. MANSI, disc. XXXI, n. 8.

S. Franciscus Seraphicus Religiosis suis sensum hujus præcepti, a Verbo incarnato Apostolis suis impositi, scilicet *prædicate Evangelium,* hunc esse declaravit, scilicet: Prædicate virtutes, eradicate vitia, Paradisum et infernum auditoribus vestris annuntiate. MANSI, disc. I, n. 5.

In vita venerabilis Matris Annæ, Carmelitanæ discalceatæ, a P. Bartholomæo, pariter discalceato conscripta legitur, quod, cum hæc ancilla Dei, in octavo circiter vel nono ætatis anno constituta, in villa sua, ubi habitabat, celebrem quemdam auscultasset prædicatorem, omnibus eidem applaudentibus, sola ipsa lacrymata fuerit, atque a sorore sua natu majore de causa fletus interrogata responderit: Quia male prædicavit Pater. Cui illa: Et quid tu scis, an bene vel male prædicaverit? Ipsa vero ex cœlesti utique instinctu mox subjecerat: Quia nihil de Christo Crucifixo, de ejus sequela, et ejus virtutibus. Ib. n. 7.

In Chronicis S. Francisci legitur F. Cherubinum, a Spoleto, in præcipuis totius Christianismi pulpitis magno cum applausu prædicasse, ostendendo doctrinam suam, ingenium, eloquentiam, et stupendum talentum, sed absque ullo auditorum fructu; cumque prædicationem ejus B. Fr. Joannes Bonvisius Lucensis ejusdem Ordinis auscultasset, hic eumdem prædicatorem exhortatus fuit, ut stylum dicendi mutaret, seque totum spirituali vitæ, lucro animarum comparando addiceret, extirpando vitia, virtutesque auditoribus inserendo. Cui cum Cherubinus aurem præbuisset, ejusque consilium fuisset executus, adeo abundantem messem cœlesti horreo intulit, ut in hora mortis suæ visus fuerit Angelorum manibus in cœlos deferri, septuaginta sex millibus animarum, fructuosarum prædicationum suarum subsidio salvatarum, stipatus. *Chron. S. Franc.* p. III, l. VI, c. II.

In *Pratro Florido* sequens legitur historia. In Anglia, celebris quidam Ordinis FF. Minorum prædicator erat, qui præter scientiam talento quodam ornatus erat gratissimæ dictionis, erat enim in sermone suo curiosus, utpote quem ut plurimum ornare solebat subtilissimis Philosophiæ, aliarumque profanarum, novarumque et insolitarum scientiarum conceptibus. Cumque die quadam concionem suam, quam coram populo ipsum audiendi cupidissimo habiturus erat, per conceptus gratissimos præparatam haberet, nocte præcedente ei Christus apparuit, in manu sua librum tenens, in cujus medio characteres impressi erant aurei et elegantissimi, margines autem sordibus mire erant conspurcati, qui simul pessimum exhalabant odorem, eratque liber ille de foris non minus turpis. Cumque prædicator Dominum rogasset, ut visionis illius sibi declarare dignaretur mysterium, ab eodem sibi dici audivit: Litteræ aureæ hujus libri verba sunt sacræ Scripturæ, sacræ Theologiæ, nec non ex doctrinis SS. Patrum decerpta; sordes autem graveolentes, dicta repræsentant et sententias philosophorum, quas tu in impertinentibus, et vanis prædicationibus tuis semper interseris, quæ proinde in conspectu meo pessimum spirant odorem. Deformitas exterior hujus libri apparentem denotat curiositatem, per quam verba mea per vanas et infructuosas garrulitates tuas diversis modis offuscas, atque ab auditoribus calorem spiritualem, quem sacræ doctrinæ meæ in ipsis generare solent, inique aufers. Et vero quidnam ad propositum nostrum Salvatorem dicturum fuisse existimatis, si hic Religiosus narrationes fabulosas, ridiculasque facetias in medium adduxisset? *Prat. Florid.* l. IV, c. L, p. II.

Gottschalcus, Rex Megalopyrgensium et Herulorum, studio Christianæ Religionis sæpe in templis suis subditis concionatus est. Unde et vitam pro Religione fudit, dum contra Wandalos idololatras pugnaret. ENNE. l. IV, c. VIII, n. 14.

Servitium, Trajectensem Episcopum, hac

Spiritus Sancti gratia dotatum fuisse ferunt, ut prædicantem audientes alienigenæ diversæque nationes unaquæque sua lingua locutum putarent; nihil non intelligentes, quod ab illo esset prolatum. Ad hæc tot miraculis claruisse dicitur, ita pure sancteque vixisse, ut prædicatione, virtute, moribus ad perfectionem Apostolorum maxime accessisse videatur. Igitur vitæ sanctimonia præstet, oportet, qui præstare cupit prædicandi doctrina, operationeque signorum.

Cum B. Ægidius, Minorita, D. Francisci socius, aliquando audisset dominum vineæ, quæ propinqua erat habitationi ejus, vinitores suos objurgantem iisque dicentem : « *Fate, fate, e non parlate*; » id est : Operamini, operamini, et verba facessant; cum ingenti fervore e sua cella prorumpens clamavit alta voce : Audite vos, concionatores, quid iste vir dicat. Facessant verba et manus operi admoveantur.

Utilitas.— Mater S. Dominici priusquam eum in lucem ederet, vidit catulum quemdam, facem ardentem in ore suo portantem, qua mundum accendit. Quod fuit ei signum, quod filium haberet, qui lupos, id est, hæreticos impugnaret, gregem servaret, dormientes in vitiis allatraret, et linguam medicinalem haberet, et faciem igniti eloquii portaret, quo mundum illuminaret, et inflammaret. Bellovac. *Spec. Mor.* lib. III, p. s. dist. x.

Legitur, quod prædicante Petro Spiritus S. in auditores divini verbi cecidit, et hoc frequenter accidit in prædicationibus, quod, qui duro corde accedunt, propter verbum prædicationis, ad divinum amorem accenduntur. Sic enim illi ipsi, qui paucis septimanis ante tumultuose vociferati fuerant : « Tolle, tolle, crucifige eum! » ad ignem prædicationis S. Petri adeo incaluerunt, ut una vice tria millia sub vexillum illius, cujus antèa postularant crucifixionem, conscripta fuerint. Unde merito S. Th. de Villanova in hæc verba exclamat : O linguam vere ignitam! Tria millia ad fidem conversa sunt, et compuncto corde animarum suarum remedium postularunt. Alio etiam sermone postridie quinque millia conversa sunt, et ita Ecclesia brevi tempore in grandem fidelium numerum adaucta est. O si nunc unam talem linguam haberet Ecclesia! Heu! frigida lingua ignitum sermonem proferre non valet, et quoniam Spiritu Dei prædicatores non incalescimus, auditorum corda minime inflammamus. S. Thom. op. IV, c. i.

In Annalibus Dominicanis habetur, quod cum olim Bononiæ prædicans Frater Reginaldus, doctrina et sanctitate celeberrimus, admirabiles diversorum operaretur conversiones, primarius quidam doctor, nomine Magister Moneta, sibi proposuerit, quod nullo prorsus modo illum ex umbone dicentem auscultare unquam vellet, ne intra retia ipsius caperetur. Verumtamen scholares ipsius tanta apud ipsum valebant persuadendi gratia, quod illum ad auscultandum vel semel dumtaxat F. Reginaldum concionantem die quodam induxerint (concio autem de S. Stephano habebatur) quia vero magnopere adversabatur ab eo, quod promiserat, hoc usus est subterfugio, nimirum prius auscultare voluit Missam, post quam audivit et secundam; nec hac contentus, auscultavit et tertiam, futurum esse existimans, ut per hanc cunctationem concio elaberetur, vel saltem ad finem illius superveniret; sed spei ipsius non respondit eventus. Perveniens namque ad Ecclesiam, cum illam hominibus refertam videret, adeo ut vix pateret ingressus, in limine portæ substitit, et ad primum verbum, quod audivit, se interius totaliter commoveri sensit, verba autem, quæ audire poterat, hæc erant: « Ecce video cœlos apertos. » In præsenti sunt cæli aperti ad introeundum, quilibet, qui vult, potest intrare januas apertas; videant, et timeant viri negligentes, ne eis, qui claudunt cor suum Deo, et os, et manus, regnum cœlorum claudatur, et introire non possint. Quid ergo tardatis? Ecce aperti sunt cœli. Cumque vix finitus esset sermo, ecce Magister Moneta ad pedes Reginaldi provolutus, habitum religiosum ab eo petiit et recepit, factusque est Religiosius sanctitate et doctrina prorsus insignis, qui multos hæreticos ad fidem orthodoxam convertit, eorumque errores confutavit. *Ann. S. Dom.* p. I, l. I, c. vii.

Cum Alphonsus a Spina, Franciscani Ordinis in Conventu Palentiæ Religiosus, insignis concionator, animarum salutem supra modum sitiret, in id præcipue incumbebat, ut aliquos Christo lucri faceret; cumque ex melancolica imaginatione subtristior quodam die effectus, puteo juxta Minoritici Conventus Vallisonetani sacrarium hæreret, et anxius cogitaret num frequentissimis suis concionibus fructum fecisset, vocem e sublimi delatam, sibi præcipientem ut situlam,

e trochlea pendentem, in puteum demitteret, aquamque hauriret, audivit; cui cum obtemperasset, viginti quatuor subalbos lapillos, Jesu nomine insignitos, juxta 24 conciones, quas paucis ante diebus ad populum Vallisoletanum habuerat, in situlæ fundo invenit. Ex quo demum eventu confirmatus, omnibus nervis prædicationis officio in posterum incubuit. MANSI, d. XXVIII, n. 7.

Dominicanus quidam, post obitum, familiari suo apparuit in splendidissima veste, ornata pretiosissimis lapidibus, et uno quidem reliquis multo præstantiore supra pectus appenso, dixitque hanc se vestem propter animarum zelum consecutum, tot ornatam gemmis, quot peccatores ad Deum convertisset, et nobiliori illa, propter majoris alicujus peccatoris conversionem. Ibid. n. 8.

Alius quidam ejusdem Ordinis ex obedientia Crucem Saracenis annuntians, cum ibidem obiisset, apparuit cuidam ex Fratribus dicti Ordinis, dicens, se quidem in extremis a dæmonibus valde impugnatum, sed Christum Dominum advenientem omnes fugasse, dixisseque : Veni mecum in gloriam meam tu, qui crucem meam populis annuntiasti ; seque hac ratione absque ullis aliis pœnis e terra recte ad cœlos ascendisse. Ibid.

Abbatem Antonium aliquando ad hæreticos convincendos relicta solitudine Alexandriam venisse legimus. Intermisit ergo eremi quietem dum ad bellum egreditur contra illos pugnaturus, a quibus Catholicæ fidei murus quatiebatur. Accesserunt quidam Philosophi quasi rusticano homini, et litteraturæ ignaro illusuri ; verum ubi loquentem audissent, demirati verborum vim sententiarumque gravitatem, veritati ab eo prædicatæ adhæserunt. MARULL. lib III.

Vincentius Monachus tantum prædicatione valuit, ut in Hispania quinque millia Judæorum ad Christum dicatur convertisse ; in Mauritania octo millia Saracenorum ; in urbe quoque Granata docuit infideles, donec a Rege ejectus ad suos rediit invitus. Italiam etiam, et Galliam prædicando peragravit, nec labore victus, nec periculo deterritus, dum ad æternam salutis beatitudinem adipiscendam omnes invitat, illud in psalmo a Propheta promissum implens : Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. IBID.

DAMMUM MALORUM CONCIONATORUM. — Thomas Cantipratanus supplicium quoddam refert cuidam illatum, qui Legato Apostolico, contra Albigenses in Flandria electo, suppetias prædicando ferre obstinate renuit ; cum enim post iteratas preces et præcepta, in repulsa Legato data persisteret, Legatus iram Dei implorans, dixit : Rogo tamen Deum, qui omnium cordium est inspector, quatenus reddat vos non solum ad istud, quod spernitis, sed prorsus ad omne opus inutiles. Mira res ! mox ad hæc verba quartana febris eum cum fluxu ventris invasit, et usque ad finem vitæ suæ per viginti quatuor annos irremediabiliter fatigavit. TH. CANTIP., lib. I. *Ap.* c. XXIV.

Savonæ apud Ligures concionabatur Religiosus, veste tenus, ut eventus docuit. Nomen ordinis consulto primo ; cum parum faventem experiretur auditorem, et vasta templi capacitas, adeo infrequenti concurrentium numero posset vacua videri ; post aliquam, ad mediam usque Quadragesimam, qua incitando, qua urgendo moram, cum nihil proficeret, et ad parietes casso labore diceret, patientiam læsam in furorem vertens, exscendit e suggesto, et in cœnobium regressus omnibus concionum suarum fasciculis in unum cumulum adunatis (et erant mole haud quaquam exigua) ignem injecit, unde luculenta flamma est excitata, cujus fumus viciniam sæcularem incendii late grassaturi periculum veritam permovit ad currendum. Et ecce ferale spectaculum. Nec dum plane consumptas chartas reperiunt et miserum concionatorem in sanguine suo natantem. Adegerat quippe ipse sibi intra illa sicam præ desperatione negati applausus, et tantæ ad conciones solitudinis. Sacerdos, ut nondum mortuum excitaret ad dolorem de tanto scelere, biothanatum, omni conatu laboravit, et morienti absolutionem impendit.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut seminator manu seminat ; ita tu manu, et opere optime prædicabis. D. D. *stella in Luc.*

Sicut apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores herbarum, flores enim illæ colligunt, herbas vero relinquunt ; sic et vos flores doctrinæ colligite, et conversationem

relinquite, ut quasi inutilis herba arescat. AUCT. *Op. Imperf.* hom. XLIII.

Sicut qui epistolam ab amico accipit, non respicit chartam, an bona sit, vel mala, nec characterem attendit, an elegans sit vel deformis, sed me solum, qui illam scribo, considerat. Idem quoque circa verbum Dei facere oportet; non enim respiciendus est, qui illud in medium producit, vel declarat, sed hoc unicum nobis debet sufficere, quod verbum Dei sit; hic enim talem adhibet prædicatorem, qui illud prædicet, aliosque edoceat. MANSI, d. XIX, n. 4.

Sicut in Arca Testamenti duo illi Cherubini ita collocati erant, ut semper mutuo se aspicerent; ita vita concionantis doctrinæ ex altera parte respondere debet, usque adeo ut et vita doctrinam collustret, viresque eidem perpetuo addat. ACTA MEDIOL. f. 475.

Sicut in numismate metallum, et figura, et pondus perquiritur; ita in omni Doctore Ecclesiastico, quem sequatur, quid doceat, quomodo vivat, perquirendum est. S. ISID. l. III, *de Summ. Bono*, c. XXX, sent. 5.

Sicut qui semen in terram jacit, non id facit, ut stramen et paleas tantum demetat, sed copiosam quamdam, et utilem messem prætendit; eodem modo, qui prædicat, ad nihil aliud collimare debet, quam ad animarum utilitatem, earumque conversionem. MANSI, disc. XXXIX.

NECESSITAS. — Sicut terra ex semetipsa non est ferax frumenti, vel cujuscumque alterius utilis segetis, nisi colatur, nisi aratro proscindatur; siquidem inculta terra præter lolia, spinas et tribulos nihil aliud producit; ita humanæ nostræ naturæ ager, præter lolia vitiorum, spinasque inordinatorum appetituum, nihil producit, nisi per aratrum mortificationis, et macerationis carnis nostræ ligone, ad fructuose divini verbi semen recipiendum disponatur. Unde Jansenius ait : Ita cor hominis, nisi semine divino seminatum fuerit, noxia tantum proferet, aut saltem inutilia et sterilia Subdit insuper : Ita et, ut cor hominis intra se recipiat verbum Dei, ac sit omnibus vitiis repurgatum, cultura non parva opus est. JANSEN. cap. LII, *Concord.*

UTILITAS. — Sicut lixivium per humidum cinerem fluens lavat, et non lavatur; ita bona doctrina per malum Doctorem animas credentium lavat a sordibus peccatorum, etsi ista non lavetur. S. BERN. tom. I, ser. *Sexag.* a. 2, c. II.

Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptoris incurrit; ita fidelis justitiæ prædicator, etiamsi ab omnibus respuatur, absit! ut apud Deum officii mercede fraudetur. S. AUG. l. V, *cont. Crescent.* V.

Sicut si vestitus aliquis juxta mensuram proprii corporis scinditur, aptissime eidem accommodatur; ita quoque discursus, qui ex propriis instituitur, magnam penes animum hominis energiam habet. MANSI, disc. XLII, n. 2.

DAMMUM MALORUM CONCIONATORUM. — Sicut, si quis Rex in negotio arduo mitteret litteras procuratori suo, ut sollicite negotiaretur,et ille immemor negotii, laudaret characteres, admiraretur ornatum litterarum, quomodo ei succenseret Rex? sic omnium Dominus dedit nobis Evangelium et sacras litteras ad negotiandum Regnum cœlorum, si tu solus rhetoricam attendis, stultissimus es virorum. S. THOM. VILLAN. *in Sexag.*

Sicut imber iste terrenus, si importune veniat, id est, cum messis colligitur, cum frumenta teruntur in areis, obesse magis, quam prodesse videbitur; ita et ii, quibus pluvia administranda committitur verbi Dei, observare debent hoc, quod dicit Scriptura, ut in tempore præbeant, id est, ne crapulato et ebrio verbum Dei ingerant, ne occupato in aliis animo, cum attentus esse non potest. Prudenter conjiciat, ubi potest vacare mens, ubi sobrius, ubi vigilans, ubi intentus auditor est. ORIGENES, hom. XVI; *in Lev.*

Sicut si leoni ostendis viridem herbam, aut campum bene florentem, non excitas eum in concupiscentiam, quia non habet hoc in natura, ut herbas manducet; sic et homini mundiali, si de bono cœlesti loquaris, non excitatur in concupiscentia boni, sed quemadmodum si pluvia super lapidem cadat, desuper quidem sudat, ab intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum; sic et tali homini, quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures ejus carnales, in cor autem ejus nihil descendit. AUCTOR. *Op. Imper.* hom. XXXI.

Sicut in magno vase acetario, qui modicam guttam mellis immiscet, etiam mel perdit, et acerbitas aceti non mutatur; sic homini in hac malorum multitudine consti-

tuto si collocutus fueris justitiæ verbum, et verbum perdis, et ille non temperatur in concupiscentia mundialium rerum. Ibidem.

Sicut est magnum peccatum, cum indigenti dives non dat eleemosynam; ita majus est peccatum, cum sciens non communicat doctrinam; unde : « Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. » S. BONAV. in cap. IX *Luc.*

MOTIVA.

Ad Concionatoris officium libenter suscipiendum.

Quia officium prædicationis Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maxime si studio fuerit charitatis impensum, ut ad id laboret prædicator, ut magis exemplo quam verbo, magisque lacrymosa prece quam loquaci sermone Doctor sit. S. FRANC. SERAPH. *Opusc. collat.* XVII.

Quia officium prædicationis est præcipuum in Ecclesia Dei. Christus principaliter hoc officium exercuit. Unde S. Augustinus, *de Civitate Dei*, ait : Ut homo confidentius ambularet ad veritatem fidei, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto, non Deo consumpto, veniens fundavit, atque stabilivit fidem, scilicet prædicando. S. AUGUS. p. III, t. XVIII, c. XXX, § 1.

Quia idem officium est summe honorificum; nam ut S. Bonaventura recte pronuntiavit : Est magna auctoritas prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, et contemptu contemnitur; ipsi enim sunt os Domini, verba ejus annuntiando, sicut dicitur : « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, » et ideo tanquam os Dei pasci debent, et honorari. S. BONAV. *apud Mansi*, disc. XVIII, n. 2.

Quia utilissimum quoque est idem officium. Uti S. Laurentius Justinianus indicavit, dicens : Quantam auctoritatem præstet doctrinæ vita laudabilis, et experientia diuturna virtutum, insinuat mundi conversio, et numerositas aggregata fidelium ! Non enim per eloquentiam, profunditatemque humanæ scientiæ, sed per vitutum exempla, contemptum videlicet terrenorum, voluntariam paupertatem, parcitatem victus, vestium nuditatem, tolerantiam tormentorum, et pro salute animarum laborum perpessionem assiduam, Apostoli Domini, eorumque successores fundavere Ecclesiam. S. LAUR. JUST. c. VII, *de Regim. Prælat.*

Quia summe quoque necessarium est idem officium; ubi enim deest doctrina, hortamenta ut plurimum desunt cœlestia, consilia sana, et divinarum monita Scripturarum. Cui consentiens S. Bernardinus ait : Sicut omnes moreremur, si una die sol cessaret facere cursum suum, qui habet splendorem, calorem, vigorem; ita si verbum Dei deficeret, quod est sol animæ, scilicet quod verbum Dei non prædicaretur, et non communicaretur animabus, ut possent illuminari splendore charitatis. Paulo post, hujus spiritualis mortis animarum hac luce destitutarum, rationem assignat, inquiens : Spiritualiter morerentur, quia non cognoscerent Deum, et non cognoscendo non amarent, et non amando non timerent, et non timendo nostra natura fragilis, et declivis ad malum cito moreretur; ideo oportet, quod ipsa vivat de verbo Dei. Et mox subjungit : Ubi non prædicatur et cessat verbum Dei, ibi non est cognitio de Deo; et ubi plus prædicatur verbum Dei, ibi est major cognitio de Deo, et plus timetur et colitur. S. BERN. c. IV, ser. V, *in Domin. Quadr.*

MEDIA.

Ad hoc munus fructuose obeundum.

Invocatio Spiritus Sancti, uti Propheta Regius indicavit, dicens : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis;* id est, ut Hugo Cardinalis exponit, *Spiritus Sancti*, quasi dicat : Quod loquor, a me ipso non loquor, sed a Spiritu. Idque illis Christi verbis confirmat : « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus, etc. » Sicut enim calamus non scribit, quod vult; sic homo non prædicat a se, sed a Spiritu S. dictante, et scribente in corde prædicatoris, et in cordibus audientium. HUG. CARD. *in Ps.* XLIV.

Ante omnes autem S. Augustinus advertit, dicens : Sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est; admonere possumus per strepitum vocis nostræ, sed si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster; « neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. » S. AUG. tom. III, *in Epist. Joan. v. fin.*

Sed et S. Basilius apta similitudine id confirmat, dicens : Da mihi navim vacuam,

gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, et nunquam esse spiritum venti, nonne cessat omnis qualiscumque apparatus, si desit operatio spiritus? Ita licet sit sermonis ampla supellex, mens profunda, et eloquentia, et intelligentia, si non adsit Spiritus S. qui vim suppeditet, otiosa sunt omnia. S. BASIL. hom. *de Spir. S.*

Oratio; quia frustra laborat extra lingua Doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris; et ideo pisces, qui ante sermonem Domini reti Simonis se subduxerant, modo post verbum Domini, quasi undique certatim venientes, reti sese certatim injecerunt. Et hoc notat, cum dicit : « In verbo tuo laxabo rete. » ALBERT. M. *in* c. V *Luc.*

Quod confirmans S. Carolus Borromæus : Cum bene, inquit, appositeque dicere, sit omnium judicio vel maxime difficile, hujus sane rei difficultatem aliquando, ac potius frequenter meditabitur, ut ardentiori studio confugiat ad Deum, qui divini sui Spiritus afflatu, omnia dicendi argumenta subministrare potest. ACTA MEDIOL. f. 436.

Hinc merito S. Chrysostomus dixit : Nil fructus capi ex Homilia potest, nisi oratio adjungatur. Porro sermoni oratio debet anteire. Sic Apostoli dicunt : « Nos in oratione ac sermonis doctrina perseverabimus.» Sic Paulus facit, cum in exordiis suarum epistolarum orat, ut perinde quasi lumen lucernæ lux ipsa orationis regat sermonem, ac dirigat. S. CHRYS. t. I, *de Incompreh. Dei nat.* hom. III.

Ac ideo aliquibus in locis præmittitur salutatio Angelica, ut quemadmodum Angelico nuntio mediante Christus in utero Virginis conceptus est, ita et mediante nuntio concionatoris (qui tunc Angeli officium gerit) Christus generetur in cordibus auditorum, atque Deiparæ intervenientibus precibus, et ipsi auditores concipiant Christum in animo, quem ipsa concepit in utero.

Intentio sincera et legitima, uti S. Gregorius commendavit, dicens : Admoneri debent (concionatores) ut considerent, ne a virtute dicendi, vivendique qualitate discordent, ne loquendo aliud, et ostendendo aliud prædicent. Audiant itaque quod scriptum est: « Sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.» Ex Deo enim coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum, et quia a Deo accepit, intelligit, et placere per illud Deo, non hominibus, quærit; audiant, quod prædicatori per Salomonem dicitur : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta, etc. » Aquam quippe prædicator de cisterna sua bibit, cum ad cor suum rediens, potius audit ipse, quod dicit. Bibit quippe sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Ubi bene subjungitur : « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide. » Rectum quippe est, ut ipse prius bibat, et tunc prædicando aliis influat. Fontes quippe foras derivare est exterius aliis vim prædicationis infundere. In plateis autem aquas dividere, est in magna auditorum amplitudine juxta uniuscujusque qualitatem divina eloquia dispensare. Et quia plerumque inanis gloriæ appetitus subrepit, dum sermo Dei ad multorum notitiam currit, postquam dictum est : « In plateis aquas divide, » recte subjungitur : « Habeto eas solus, ne sint alieni participes tui. » Alienos quippe malignos spiritus vocat, de quibus per Prophetam tentati hominis voce dicitur : « Alieni insurrexerunt in me, et fortes, etc. » Ait ergo : « Aquas in plateis divide, et tamen eas solus habe, » ac si apertius dicat : Si necesse est ut prædicationi exterius servias, quatenus per elationem te immundis spiritibus non conjungas, ne in divini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. Aquas ergo et in plateis dividimus, et tamen soli possidemus, quando et exterius late prædicationem fundimus, et tamen per eam humanas laudes assequi non amabimus. S. GREG. p. III, *Cur. Past. admonit.* XXV.

Ingens fiducia in gratia vocationis; uti Rupertus Abbas suasit, dicens : Cum autem acceditis ad tractandum verbum Dei, tunc nolite præcogitare, qualiter verborum phaleris sanctæ Scripturæ sensum exornetis; dabuntur enim sponte vobis venientia de Spiritu Patris vestri, quæ utique, quanto magis sponte venient, tanto et vobis minus fatigationis, et audientibus sive loquentibus plus afferet delectationis. O quam dulce, quam præclarum est, ea quæ loquimur, aut scribimus, talia esse, ut prudens auditor, sive benevolus lector nequaquam dignetur adscribere nobis, dicatque : « Non enim vos estis, qui loquimini ! » RUPERTUS ABBAS, *in Matth.*

Hinc S. Bernardus recte dixit : Potest prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem charitatis palato cordis infundere. Unde S. Gregorius ait : Nisi sit intus Spiritus, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat. S. BERN. s. LXVI, *in Parvis.*

Vita exemplaris; melius enim docet vita, quam littera; melius bona fama, quam lingua; debilis enim est lingua, quam manus non adjuvat. Prædicator, inquit Abbas Absolon, debet, primo filios parturire in visceribus charitatis, postmodum parere verbo prædicationis; unde Paulus ait : « Filioli, quos iterum parturio. » ABBAS ABSOL. *s.* I, *in Quadr.*

Hinc recte S. Bonaventura : Est funiculus triplex, ait, qui difficile rumpitur ad extrahendas animas de carcere diaboli, et trahendas post te ad cœlestia regna : *Si recte sentias, si digne proloquaris, et si vivendo confirmes.* Nam, teste S. Bernardo : Lingua magniloqua, manus otiosa, et vita tenebrosa, est res monstruosa. S. BERN. *apud Mansi,* XXXIV, n. 8.

Humilitas profunda; de qua sic discurrit S. Antonius de Padua : Vanæ gloriæ inquisitores, et propriæ laudis venatores non attendunt, quid ex hoc accidit Ezechiæ, thesauros suos Babyloniis incaute ostendenti, imo, et ostentanti. Dicebat Joseph, *Gen.* XXXIX. « Adducite fratrem vestrum minimum, ut possim vestros probare sermones, et sciam, quod non sitis exploratores. Per fratrem minimum intelligitur humilitas, sine qua infructuose egreditur prædicator, nec ejus a Deo probantur sermones. Et e contra, qui Benjamin secum habet, multum fructum affert. Unde adducto eo dixit Joseph dispensatori : « Imple saccos eorum frumento, quantum potest capere, et in ore sacci fratris minimi ponatur scyphus argenteus. » Quia quanto quis humilior est, tanto ei Deus gratiam confert ampliorem; « cum simplicibus sermo ejus. » PROV. III. Paulus, qui se « minimum Apostolorum » dixit, fructum retulit cœteris ampliorem, quia ab Jerusalem usque ad Illyricum mare replevit Evangelio Christi. Rom. 15. Bene autem deferentibus reponi jubetur pecunia in saccis, quia scientiam in prædicatione erogatam Dominus magis multiplicat; eadem enim pecunia ad eumdem fructum redditur, quia eum sermonem iterum facere, per quem alius fructus factus est licite permittitur, quod est contra eos, qui ad populum loquentes semper volunt uti novis sermonibus. S. ANTON. PAD., *s.* IV, *de Apost.*

Fuga peccati; nam cum prædicandi munus non humanæ sapientiæ, aut eloquentiæ, sed divinæ virtuti, ac Spiritus S. gratiæ inniti concionator intelligat, diligentissime sibi cavendum existimabit, ne mortali culpa affectus, Spiritum S. contristet, et Apostolicum opus atque adeo Domini nostri Jesu Christi munus attingat etc. Gravissimam illam Prophetæ objurgationem vehementer pertimescendam ducet : Peccatori dixit Deus : « Quare tu enarras etc. » CAR. BOR. *act. Med.* s. CCLXXIX.

Cupiditatis extirpatio; uti S. Bonaventura monuit dicens : Prædicator veritatis, super omnia vitare debet vitium cupiditatis, alioquin non erit prædicator veritatis, sed adulator, propter quod dicit Apostolus, 1. Thess. 2. « Neque aliquando fuimus in sermonem adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ. Deus testis est. » Sciebat enim, quod ex hoc iram Dei provocaret, sicut dicitur Micheæ. 3. « Sacerdotes ejus in mercede etc. Et Prophetæ ejus in pecunia divinabant etc. » Et ob hanc causam subditur : « Sion quasi ager arabitur. » S. BONAV. *in Luc.*

Hinc S. Gregorius Episcopum quemdam (cujus præcipuum munus est, verbum Dei annuntiare) hisce verbis monet : Non plus pecuniæ, quam animabus studeas, illud a latere respiciendum est, ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, quia Redemptor noster a Sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. S. GREG. *ep. ad Mart.*

Apud Isaiam Prophetam vox prædicatoris, tubæ assimilata fuit. « Quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum. » Tuba autem, per quam designatur prædicator (ut Hugo Cardinalis ait) non resonat nisi vacua, et prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum.

Curare, ut magis occupet Concionatorem medulla sensuum, quam spuma verborum; et, ut alius ait, ne puerilium verborum spuma aures conspuat; tales enim aures magis amant, quam pectora. Unde merito monet S. Chrys. Non sectemur lenocinia Rhetorum, sed veritates Piscatorum. Quæ autem damna sequantur ex hac doctrina neglecta, indicavit idem dicens : Hoc subvertit Ecclesias, quod et vos non quæritis sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, et tinnulo strepitu, et verborum compositione, quasi citharædos et cantores audientes, et nos frigide et misere facimus, nostras affectiones sequentes, quas ejicere oportebat. Et idem fit, ac si pater videns puerum, quem supra modum tenere amat, ægrotum illi frigida et quæcumque oblectant, porrigat; quæ autem utilia, minime curet; deinde quando objurgatur a

medico, rationem reddat dicens : Quid faciam? videns flentem puerum ferre nequeo. Miser, et ærumnose, ac proditor! neque enim talem patrem dixerim. Et quanto satius fuerit, parvo tempore tristitia affectum, perfectæ sanitati restitui, quam temporariam illam gratiam perpetuæ tristitiæ causam fieri? Hoc etiam nobis accidit. Flosculos verborum, et compositionem, et harmoniam curiosius sectamur, ut canamus, non ut prosimus; ut simus in admiratione, non ut doceamus; ut oblectemus, non ut compungamus; et plausu, et laudibus obtentis abeamus, non ut mores componamus. S. Chrys. hom. xxx, *in Acta.*

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta *quæ sint signa legitimæ vocationis ad officium Concionatoris.* Ea breviter indicavit Sanctus Bonaventura his verbis : Tria sunt signa evidentia, quibus probatur, utrum prædicator a Domino sit missus ad prædicandum Evangelium. Primum est, « auctoritas mittentis. » Secundum, « animarum zelus in persona, » quæ mittitur, quando scilicet principaliter quærit Dei honorem, et animarum salutem. Tertium est « fructificatio et conversio auditorum. » S. Bonav. *in cap.* vi. *Luc.*

Nosse debet, *quis sit finis Concionatoris*; eum recte sanctus Franciscus Salesius expressit, dicens : Finis et intentio ejus debet esse, ut scilicet id faciat ob id, propter quod Christus in mundum hunc venit. Quis nam vero Christi in mundum venientis finis fuerit, ipsemet claris hisce verbis edicit : « Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. » Finis itaque Prædicatoris hic esse debet, ut scilicet peccatores, per iniquitates suas mortuos, vivificet ad justitiam; et ut justi, qui vita spirituali gaudent, illam abundantius possideant, magisque perficiantur. Et ideo Jeremiæ dictum fuit : « Ut evellas, et destruas, » vitia scilicet et peccata; « et ædifices et plantes, » virtutes nimirum et perfectiones. S. Franc. Sales., *p.* I, *l.* I, *Epist.*

Hugo Cardinalis explicans illa verba S. Pauli : « Volo quinque verba sensu meo loqui; » clarius hunc finem indicat, dum ait : *Quinque verba,* secundum F. Jordanem Magistrum Ordinis, sunt : *Quid credentum,* scilicet duodecim articuli. *Quid faciendum*, scilicet præcepta Decalogi. *Quid fugiendum,* scilicet peccata mortalia. *Quid appetendum,* scilicet gaudia paradisi. *Quid timendum*, scilicet supplicia inferni. Unde versus quidam sic habet :

« Quid credam, faciam, fugiam, sperabo, timebo?

Doctor Angelicus quinque hæc verba simili fere modo exponit, dum ea quinque sequentia esse dicit : « Agenda, timenda, vitanda, speranda, credenda. » Hugo Card. *apud Mansi*, disc. xxxviii, n. 1.

Nosse debet, *quod sit officium Concionatoris,* nempe illud ipsum, quod idem Cardinalis per exemplum canis explicat dum ait : Habet canis in ore latratum, in dentibus morsum, in lingua medicamentum, sic bonus Prædicator, et bonus Confessor, et quilibet bonorum spiritualium administrator, debet habere hæc tria : *Latratus*, est verbum exhortationis ; *morsus* , verbum objurgationis; *linguæ medicamentum* , verbum consolationis. Idem, *apud eumdem,* dis. ix, n. 5.

Nosse debet, *quem modum observare debeat in prædicando.* Eum videlicet, quem S. Antonius indicavit, dicens : Prædicator, quia ex sua prædicatione debet quærere homines inducere ad faciendum, quod prædicat; ideo, ut efficaciter prædicet , debet, *clare loqui*, ut instruat intellectum auditoris et doceat. Secundo, sic debet loqui, *ut delectet auditorem.* Sed quo fine delectatio illa curanda est? Ut sic moveat affectum, ut libenter audiat verbum. Tertio, debet sic loqui, *ut flectat*, scilicet curando, ut quæ dicta sunt, velit ea implere. S. Antoninus, p. III, tit. XVIII, c. iii, § 2.

Et clarius S. Gregorius : Pro qualitate audientium formari debet sermo Doctorum, ut et sua singulis congruant, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedant. S. Greg. p. III, *Past. in proleg.*

Nosse debet, *quomodo optatum fructum concionis obtinere possit*; scilicet si opera verbis conjungat; uti S. Gregorius illa S. Pauli verba : « Præcipe hæc, et doce cum omni imperio, » explicans, insinuavit his verbis : Non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ; cum imperio quippe docetur, quod prius agitur quam dicatur, nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis. Moxque sub-

dit : Unde etiam de Domino scriptum est ; Erat enim docens, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi; singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. S. GREG., l. XXIII, *Mor.* c. VII.

Quod etiam confirmans S. Bonaventura : Eum, inquit, elige Doctorem, quem magis admireris cum videris, quam cum audieris. Id quod etiam Seneca agnovit, dicens : Hæc sit propositi nostri summa, quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus ; concordet sermo cum vita ; ille promissum suum implevit, qui et cum videas illum, et cum audias, idem est. Videbimus qualis sit, quantus unus sit. SENECA, *epist.* VII.

Nosse debet, *quid agere debeat, si fructus optatus non sequatur*; nimirum meminisse, quod S. Antoninus notavit : Apostolus ait, « unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum; » non dixit, secundum fructum suum. Nec enim credimus, inquit præfatus auctor, minorem gloriam obtinuisse Jacobum majorem, qui paucissimos convertit, quam multos Sanctos, qui millia populorum traxerunt ad fidem. S. ANTONINUS, p. III, tit. XVI, c. III, § 2.

Nosse debet, *quomodo delectatio in Concione quæri possit*; id quod Mansi his verbis declarat : Porro delectatio a prædicatione non omnino excluditur, sed ordinari debet ad faciendum fructum, ad eum fere modum, quo arbor florem producens in eo non subsistit, sed eumdem in fructum transmutat. Prædicetur eo modo ut aures auditoris in eo, quod audiunt, sibi complaceant ; at vero non sit balista sine globo explosa; hoc enim modo nil aliud obtinetur quam quod pulvis nitratus inutiliter consumatur; sit igitur bene onusta sententiis validis et efficacibus, tanquam globis, ut strages inter inimicos faciat, et turres subvertere, id est, obstinatos peccatores ad pœnitentiam inducere queat. MANSI, disc. XLI, n. 6.

Nosse debet, *cur non dolere debeat, si ab uno loco ad alium mittatur;* quem in finem proderit notare, quod Bollandus refert in vita B. Jordani, Generalis Dominicanorum, quod, cum Legati Bononienses apud ipsum intercederent, ne ab ipsis celebris quidam dimoveretur prædicator, qui seminaverat in civitate verbum Dei gratiose, eo quod timeretur, quod fructus, qui sperabatur secuturus de ejus prædicatione, totus posset in ejus absentia perdi ; sanctus hic vir iisdem responderit : Illa ratio, quam vos allegatis, quod Frater Joannes hic deberet morari, quia seminavit vobis verbum Dei, et posset perire fructus, si recederet, non multum conturbet vos ; non enim est consuetudo seminatoris camporum, quod cum seminaverit agrum unum, portet illuc lectum suum, et jaceat ibi quousque videat, quomodo semina fructificent ; imo potius commendat semen et campum Deo et vadit ad seminandum in alium campum. Ita fortassis expediret, quod Fr. Joannes iret ad seminandum verbum Dei alibi, sicut de Salvatore scriptum est : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare verbum Dei. BOLLAND 13 *Febr.* fol. 132.

Nosse debet, *quos potissimum Auctores legere et citare debeat Concionator ;* de quo sic loquitur S. Carolus Borromæus : Maxime sibi veteres Patres proponat, quorum in dicendo virtutes sequatur, Gregorii Magni et Chrysostomi disciplinæ moralis copiam, Leonis Magni et Basilii gravitatem, Nazianzeni vim, Nysseni subtilitatem, Augustini acumen, Ambrosii temperatum dicendi genus, Bernardi dulcem devotamque orationem, atque omnino admirabilem et divinam eloquentiam sanctissimi Pauli Apostoli. ACTA MEDIOL. fol. 477.

S. Antoninus quoque ait : Prædicator præcipue debet esse doctus in Sacra Scriptura, et ipsi vacare ; unde in hujusmodi figura vectes, quibus Arca portabatur, jugiter annulis erant insertæ, ut, cum Arca esset portanda, nulla fieret mora de intromittendis vectibus ; quia Prædicatores, per quos Ecclesia circumfertur, sacris litteris debent semper insistere, ne tunc cogantur discere, cum ex officio alios habent docere, ut exponit Gratianus, dist. XXXVI, cap. *Qui Ecclesiasticis*, § *Ecce quod Sacrum :* Salvator noster prius in medio Doctorum sedit, audiens illos, et interrogans, et postea prædicare cœpit. S. ANTONINUS, l. c.

Nosse debet, *quomodo profanos Auctores legere et citare possit Concionator;* id quod S. Franciscus Salesius sic docet : De historiis profanis quid dicis ? Bonæ sunt, sed illis uti oportet quemadmodum fungis, id est raro, et solummodo ad excitandum appetitum, et tunc quidem etiam necessum est caute et bene proponantur, atque, ut S. Hieronymus ait, ungues et capilli illis amputandi sunt ; quemadmodum Israelitæ mu-

lieribus in servitute natis faciebant, quando illas sibi desponsare parabant, id est, totaliter accommodandæ sunt Evangelio, et veræ virtuti Christianæ, tollendo ab ipsis, quidquid est reprehensibile actionum profanarum a Gentibus editarum; denique ut sacer Textus ait : « Separare pretiosum a vili oportet. » Dum de magnanimitate Cæsaris mentio incidit, nulla habenda est ambitionis illius commemoratio; et dum de Alexandro Magno sermo est, absit omnis memoria vanitatis, truculentiæ et superbiæ ipsius. De castitate Lucretiæ disserens, mortem ejus desperatam omnino sileat. Sed fabulis Poetarum quid agendum? Hæ prorsus negligendæ sunt, nisi forte ornatus causa adhibeantur, id quod adeo breviter, et cum talibus circumstantiis fieri debet, ut potius antidoti loco subserviant, et unusquisque illas a Prædicatore parvi fieri facile cognoscat. Cæterum antiqui, quantumcumque fuerint devoti, illas tamen nonnunquam usurparunt, imo ipsemet S. Bernardus earum nonnunquam meminit, licet ubi illas didicerit, ignorem. S. Paulus primus fuit, qui Aratum Menandrum citavit. Quod autem ad fabulas attinet, vix unquam earum vel minimam inveni in sermonibus antiquorum memoriam, sola excepta fabula Ulyssis et Sirenarum, cujus in operibus S. Ambrosii in sermone quodam fit mentio; ac proinde repeto, vel illis prorsus utendum non esse, vel ita parum, ut negligi videantur; non enim bene convenit cum idolo Dagon Arca Testamenti. S. Franc. Sales. p. I, l. I *Epist.*

Nosse debet, *quomodo Concionatores malæ vitæ audiendi sint*, nimirum juxta consilium Sancti Augustini dicentis : Botrum carpe, spinam cave. Bene quidem intellexistis, sed propter tardiores dicam hoc planius. Quomodo dixi : *Botrum carpe*, *spinam cave?* Quia botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, et portat fructum spina non suum, non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices. Quære radicem spinæ, extra invenis a vite. Quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysis vitis erat, Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes in sepe. Botrum inter spinas caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum, et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt, facite, legite uvas; quæ autem faciunt, facere nolite, cavete spinas. S. Aug. tract. iv *in Joan.*

Et iterum alibi : Quomodo vis, inquit, de spinis me uvam colligere? Respondeo, non est uva illa spinarum, sed aliquando increscens sarmentum, implicat se in sepem, et pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum, tu caute manum mitte, ne lacereris a spinis, id est, ne facta imiteris malorum, et lege uvam inter spinas pendentem, et de vite ad te perveniat botri alimentum, spinis autem servatur ignis tormentum. Idem, tom. IX *de Past.* l. I.

Nosse debet *impedimenta fructus ex Concionibus referendi*, quorum præcipuum indicavit Ecclesiastes, salubriter admonens : « Qui observat ventum, non seminat, et qui considerat nubes, nunquam metet. » Eccl. ii, 24.

Quæ verba S. Bonaventura ad propositum nostrum hoc modo exponit : Seminare est verbum Dei prædicare. « Exiit qui seminat seminare semen suum ; » et post : « Semen est verbum Dei, » ventus iste est ventus detractionis; qui observat hunc ventum, numquam seminat, quia timet verba hominum detrahentium ; non prædicat ad fructum, imo agitatur ut arundo. Quid existis videre ? Arundinem vento agitatam ? Et qui considerat nubes, nunquam metet. Nubes, ut dicit Glossa, est blandimentum adulationis, quod qui cupit habere, numquam metet vitam æternam, quia receperunt mercedem suam. S. Bonav. in cit. l.

Nosse debet, *cur curare non debet Concionator, si paucos auditores habeat ;* sed potius consilium sequi S. Caroli Borromæi dicentis : Nec propterea despondebit animum, si perpaucos auditores ad se convenire viderit, quoniam summus ille Magister vitæ Christus Jesus, cum Dei sapientiam, vitamque æternam monstraret mundo, paucitate discipulorum contentus fuit ; imo aliquando solam mulierem Samaritanam habuit, quæ illum et de divino cultu et cœlesti gratia loquentem audiret. Acta Mediol. f. 479.

Quod etiam S. Chrysostomus confirmans : Licet, ait, unus audiat ; non enim exiguum est, unam ovem servari, quandoquidem et pastor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves, ad unam cucurrit, quæ aberraverat. Hominem non contemno, licet unus sit homo, est animal Deo charissimum ; licet servus sit, contemnendus mihi non videtur; non enim dignitatem quæro, sed virtutes ; non dominationem, aut servitutem, sed ani-

mam. Licet unus sit, homo est, propter quem cœlum extensum est, et propter quem unigenitus Dei Filius factus est homo. S. Chrys. tom. V, hom. vi.

Nosse debet, *quando et quomodo recusare possit officium Concionatoris*, in quo observare debet S. Gregorii doctrinam : Sunt nonnulli, inquit, qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis, quibus impares se æstimant, præferantur. Quorum profecto humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinaces non sunt. Neque enim vere humilis est qui, superni nutus arbitrio, ut debeat præesse intelligit, et tamen præesse contemnit; sed divinis dispositionibus subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire. S. Greg. p. I, *Past.* cap. vi.

Nosse debet, *cur Apostoli et Concionatores Piscatores hominum fuerint appellati*; cujus rationem hanc assignat Hieronymus Narni, Capuccinus : Duo piscatoribus sunt necessaria, ne labor ipsorum frustra adhibeatur ; scilicet ars, et laborandi ardor ; etenim pisces animalia sunt lubrica, natatilia, et ad fugam capiendam velocissima, lacunasque suas in abysso maris adeo profundas et absconditas habent, ut, nisi piscator juvetur ab arte, et ab ardenti desiderio, quod illum in laboribus indefessum reddat, exstimuletur, de illis capiendis spem omnem deponere debeat. Hæc autem ars, et ardentissimum illud animas piscandi desiderium a Christo Apostolis promittitur. Hactenus verba sunt P. Narni. Porro certum est, prout quotidiana demonstrat experientia, quod inter omnes professiones, quas homo exercet, professio piscatorum supra modum sit laboriosa, quia, qui huic professioni est deditus, quovis anni tempore, id est, tam in hyeme, quam in æstate, temporum injuriis debet esse expositus, vigilias agere in obscuritate noctis, quasi nudus, sudare debet in ejiciendis, et adducendis ad se retibus, ludibrium sæpe fit ventorum, undarum, tempestatum, et continuo morti adeo est vicinius, quam subtile est navigii lignum, quo ab aquis dividitur ; famem patitur et sitim, adversus somnum continuo dimicat, frigore et æstu exercetur, et labore absoluto ob nimiam fatigationem vix pedibus insistit. Per hanc igitur similitudinem cœlestis Magister noster nobis insinuare intendit, quod, ut prædicator animas piscetur, easque ad salutis æternæ portum perducat, necessario multis magnisque laboribus expositus esse debeat. Talis piscator fuit Sanctus Paulus Apostolus, qui de semetipso dicere non dubitavit : Abundantius omnibus laboravi ; ac proinde mirum non est, quod mundum universum Christo lucratus fuerit. Unde D. Chrysostomus in ejus laudem ita scripsit : Nullus digne instituitur Prædicator, nisi qui paratus animam millies ponere pro auditoribus suis. Neque saltem attingere quisquam debet præclaram hujus muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam tradere in mortem atque discrimina. Mansi, disc. xlvii, num. 4.

Nosse debet, *quinam sint illi, qui verbum Dei adulterare dicuntur ;* id quod interpres quidam sic explicat : Adulterare verbum Dei est, fictis coloribus orationem pingere, audientium sensibus blandiri, non ex sinceritate loqui, et veritatis manifestatione, sed gloriæ exstruendæ studentes, non ædificandæ conscientiæ. Idem Apostolus, in cap. iv ejusdem epistolæ, inquit : Neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Et clarius Sanctus Anselmus : Adulter, inquit, in carnali coitu non prolem, sed voluptatem quærit ; et perversus quisque, ac vanæ gloriæ serviens, recte adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium, non Deo Filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare ; quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis, quam generationi operum intendit ; adulterare namque verbum Dei est, ait, aliter de illo sentire, quam est, aut ex eo non spirituales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex sinceritate vero loqui, est nihil in eloquio, extra quod oportet, quærere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se a se habere, sed ex Deo accepisse quod dicit; coram Deo vero loquitur, qui in omni quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit, nec suam, sed Auctoris gloriam requirit. Et in Christo loquitur, cujus sermo totus in Christi veritate persistit, ut nec mendax sit, nec aliud, quam Christum prædicet. Qui autem scit quidem, ex Deo se accepisse quod dicit, et tamen dicendo propriam gloriam quærit, sicut ex Deo loquitur,

sed non coram Deo, quia eum, quem cordi suo non proponit cum prædicat, quasi absentem putat. Sed sancti viri et ex Deo loquuntur, et coram Deo, quia ab eo sciunt se habere quod dicunt, et ipsum suis sermonibus adesse judicem, auditoremque considerant. Ibid. disc. XLIII, n. 1.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Samson olim dilaniatis leonis faucibus, relicto cadavere processit; reversus autem per eamdem viam, curiositate ductus, declinavit, ut videret cadaver leonis, et ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis, quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via. Omnia autem in figura contingebant illis. Audiamus igitur historiæ hujus moralitatem. Procopius ait : Fertur, quemvis leonem vivum os habere fœtidissimum, adeo ut dictu sit mirificum, in ore fœtido mel repertum esse dulcissimum. Enim vero quis est, qui nesciat, eloquentiam sacram a Spiritu Sancto sæpius favo mellis comparatam fuisse? Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! Et tamen quis non videt, hanc mellis suavitatem sæpius in putolentibus faucibus, id est, in Prædicatoribus ob malos mores, famamque sinistram fœtentibus reperiri? Admirantur auditores eorum talentum, facundiam, sæpe etiam eximium parient fructum quantumvis ipsi dissolute vivant. Horum igitur favo uti licet : Favus mellis composita verba, inquit Sapiens : « Quæcumque enim dixerint vobis, servate et facite. » Cavendus autem est in putrefactis ipsorum faucibus fœtor. Secundum opera eorum nolite facere. MANSI, disc. VIX. num. 2.

Duo fratres, Jacobus et Joannes, electi ad Evangelium prædicandum Apostoli, a Christo appellati fuere Boanerges, id est, *Filii tonitrui*; siquidem per tonitru vocis deterrere debeant idololatras, eosque ad veri Dei notitiam perducere ; advertendum vero est, quod oculus diu ante fulgur conspiciat, priusquam auricula tonitrui strepitum persentiscat; ita quoque in ministris Evangelicis prius videri debet lux boni exempli, virtuosorumque operum, et postea sermones eorum auscultari; si enim prædicationem bonum præcesserit exemplum infallibiliter efficax, et fructuosa reddetur. In Apoc. dicitur : « De throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua; » ubi prius mentionem facit fulguris, postea tonitrui. Apud Ezechielem pariter dicitur : « Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Et paulo post subditur : « Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum. » Porro quatuor illa mystica animalia Evangelistas, seu ministros Evangelicos præfigurarunt, in quibus prius resplendere debet lux perfectionis, et postea vox prædicationis audiri. Idem, disc. XXIX, n. 4.

Cœlestis Agricola divinum verbum suum semini assimilat; sicut enim non sufficit, quod semen in terram spargatur, nisi ipsemet rusticus terram arando et excolendo laboribus se conficiat, ita quoque orator Evangelicus nullum fructum producet, nisi prius operatus fuerit id, quod prædicat : « Verbi semen facile germinat, inquit S. Gregorius, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. » S. GREG. p. II. *Past.* cap. VII.

Didacus Stella super Lucam ingeniosam quamdam habet observationem, circa illa verba S. Joannis Bapt. : « Vox clamantis in deserto.» Dicit enim : Joannes erat vox, quia, quidquid erat in Joanne, erat vox. Vestis, manus, pedes, caput et lingua, totus Joannes vox erat clamans et dicens : « Pœnitentiam agite. » Ejus cibus, potus, lectus, cilicium, inedia, os denique et facies prædicabant. Etiamsi os non loqueretur, quidquid in ipso erat, prædicabat contemptum mundi, pœnitentiam, et amorem divinum. DIDACUS STELLA, *in c.* VIII *Luc.*

In secundo libro Esdræ, cap. IV. legitur quod, dum Filii Israel a captivitate Babylonis reversi in procinctu erant, ut collapsos Hierosolymæ muros restaurarent et resarcirent, ex timore gentium circumvicinarum, qui ædificantes impedire satagebant, una manu sua faciebant opus et altera tenebant gladium; ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus circa renes, et ædificabant, et clangebant buccina juxta me. Omnia autem hæc in figura contingebant illis. Per Jerusalem enim anima nostra præfiguratur, cujus muri per peccati mortalis excidium ruinantur, ut proinde opus habeant, ut per pœnitentiam resarciantur et reædificentur; ministri autem verbi Dei (ad quos Apostolus hæc verba dirigit : Dei ædificatio estis) ad hasce ruinas resarciendas sunt

destinati. Observandum tamen est, quod Esdras primo de hisce artificibus dixerit : Una manu sua faciebant opus, et postea secundo loco subjunxerit : Altera tenebant gladium, ut per hoc insinuet, quam sit verum, quod operatio prædicationem præcedere debeat. Cœpit Jesus facere, et postea gladium prædicationis stringere, et docere; quod si fiat, hic fructus subsequetur, quod scilicet vere ædificabunt. Et ædificabant, uniendo enim facta cum verbis; cum magna populorum ædificatione prædicatur, ruinæque spirituales restaurantur. MANSI, disc. xxx, num. 6.

Deus olim Prædicatore quodam indigens, qui surdas populi Israel a divino suo cultu deviantis aures aperiret, clamabat : Quem mittam, et quis ibit? Tunc Isaias sese prodens, ad obeundam hanc legationem promptum se obtulit, dicens : « Et dixi : Ecce ego, mitte me; » nimirum patentes sibi litteras expediri cupiebat, quibus ejusdem Verbi increati et sapientiæ Patris immediatus constitueretur Prædicator, evasitque in prædicatorem adeo famosum, ut Sancta Mater Ecclesia, cui continuo assistit Spiritus Sanctus, sapientissime ordinarit, ut annuntiaturus Evangelium Diaconus, specialiter eum invocet, ejusque imploret auxilium, ut verbum Dei digne annuntiare, et exponere possit; hoc enim fine orationem illam dicit : Munda cor meum etc. Verum etiam observandum est, quod priusquam Isaias se promptum ad annuntiandum Dei Verbum offerret, jam ante labia sua carbonibus ignitis ex officina Paradisi per manum non cujuscumque Angeli, sed ardentissimi cujusdam Seraphini desumptis purificari viderit, per quod Deus nobis insinuare voluit, quod priusquam ad prædicationem Evangelicam nos exponamus, necessum sit, ut prius Seraphico quodam incendio accendamur, et ardeamus. Idem, disc. xxxii. n. 1.

S. Gregorius verba illa Psalmi explicans : « Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque; » dicit : Perpendit namque, quod omnipotens Deus, veritatis verbum facientibus tribuit, et non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petiit, quid aliud quam gratiam bonæ operationis quæsivit? ac si aperte diceret : A bono opere errare me non sinas, ne dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. S. GREG. l. X *Mor.* cap. IX.

In Exodo ornatus et gemmæ vestium Sacerdotalium, quibus summus Pontifex induendus erat, in hæc verba describuntur : « Et tintinnabula inter malogranata ex auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ. » At vero quis vestrum mihi enodare poterit horum tintinnabulorum in extrema parte dependentium mysterium? S. Isidorus, ab auctore *Catenæ* citatus, dubium hoc in hæc verba resolvit : Tintinnabula inter malogranata consonantia, Prophetæ intelliguntur, et Doctores sancti, in medio Ecclesiæ collocati, quorum lingua doctrinæ scientiam resonans, tangit utrasque partes Legis et Evangelii. Hæc tintinnabula in extremo vestimento idcirco sunt posita, ut de fine mundi, et de vita futura disputantes, nunquam sileant. S. ISIDOR. in *Catena Lippoman.*

S. Albertus M. super illa verba : « Illi autem profecti prædicaverunt ubique; » ita scribit : Non tam passibus pedum quam passibus virtutum profecti, prædicaverunt intelligenda, credenda, agenda et appetenda. *Intelligenda*, quæ subnixa sunt necessariæ veritati. *Credenda*, quæ innituntur divinæ auctoritati. *Agenda*, quæ vel timore fugienda sunt, vel ut honesta, cum virtute complenda sunt. *Appetenda*, quæ beatos faciunt. ALBERTUS MAGNUS, apud MANSI, disc. IV, n. 7.

Si domus filii tui igne conflagraret, cum periculo incinerandi omnia, quæ in illa sunt tu vero ad ignem illum extinguendum folia adferres, vel ad vicinum pharmacopolium accurens, aquam tibi comparares rosaceam, numquid manifestam committeres stultitiam? Miserabiles peccatorem animæ in perniciosis carnalis concupiscentiæ flammis ardent, imo secundum præsentem justitiam ignem de facto conceperunt infernalem utpote a quo per unicam respirationem tantummodo absunt; ad prædicatorum autem munus pertinet, incendium hoc per prædicationem Evangelicam extinguere; stulte igitur facimus, si ignem hunc per variorum verborum folia, per metaphoræ, aliorumque troporum flores, phrasium elegantias, aliosque ornatus Academicos extinguere velimus. « O stulte, (verba sunt S. Thomæ de Villanova) ardet domus tua, et ignis omnia devastat, et tu exspectas compositam orationem! » S. TH. VILL. *in Sexag.*

In libro Judicum, cap. III, legitur de Aod : Fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus.

Hocque gladio uni duntaxat necem intulit, scilicet Eglon, Regi Moab. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore; subdit autem sacer Textus, priusquam hoc caput tertium finiat : Post hunc fuit Samgar, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere, et ipse quoque defendit Israel. Omnia autem hæc contingebant illis in figura. Per ensem namque verbum Dei intelligitur, de quo S. Paulus ait : « Gladium Spiritus, » quod est verbum Dei. Per gladium Aod tanto cum studio fabricato, elegans, et coloribus rhetoricis exornatus sermo intelligi potest, qui uni duntaxat mortem infert, eidemque infixus manet. Vomer autem Samgar, licet rudis et impolitus sexcentorum Philistæorum stragem faciens, prædicationem simplicem, materias utiles, animabusque proficuas tractantem denotat, dicente Stephano Cantuariensi : Ecce iste plures occidit vomere, quam Aod gladio suo limato et acuto, quia sæpe plus proficit simplex et rudis prædicatio, quam exquisita et polita. MANSI, disc. XLIII, n. 7.

Cœlestis Agricola, qui dixit : « Pater meus agricola est, » divinum verbum suum semini, non autem floribus comparavit. Enim vero, qui loco seminis flores quantumcumque pulchros, elegantes et odoriferos subtus terram seminaret, flores illi utique sub terra confestim emarcescerent, nec ullum fructum producerent. Idem quoque accidit iis, qui venustorum verborum vanarumque elegantiarum flores diligunt; hi enim nullum animabus fructum afferunt, sed potius irreparabile damnum, siquidem qui in sordibus est, sordescit adhuc. Opus itaque est semine, quod fructificandi virtutem habeat; tale autem est verbum non Demosthenis, non Ciceronis, nec aliorum similium Oratorum profanorum, sed Dei illius, qui verbum et sapientia æterni Patris est. Idem, disc. XLII, 2.

S. Matthæus, priusquam Christum nobis tanquam Prædicatorem exhibuit, hæc verba præmisit. «Et relicta civitate Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaum.» Circa quæ verba considerationem meretur, quod auctor quidam notat : Nazareth enim, inquit, idem est, quod floridus. Priusquam igitur Christus divinum verbum suum annuntiaret, non sine mysterio e Nazareth patria sua recessit; sed per hoc omnibus illis, quibus hoc mysterium exercendi munus incumbit, insinuare voluit, quod a stylo dicendi florido, id est, vano, semper sint alieni. Nam ut Isaias ait : «Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, verbum autem divinum manet in æternum ; « flores quippe cito evanescunt, sic quoque elegantium verborum flores cito languent, exarescunt et deficiunt, veritates autem æternæ ausculantium animis tenaciter impressæ remanent. Ibid. n. 5.

In libro secundo Paralipomenon de Sesac, Rege Ægypti, legitur quod inter alias prædas, quas e templo sustulit, etiam scuta aurea, quæ Salomon fabricari curaverat, rapuerit : «Tulit et clypeos aureos, quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex æneos.» Circa quæ verba Glossa in sensu morali ita in favorem nostrum scribit. Hæc antiquus hostis per injuriam Rectorum abstulit in prædicatoribus; tales vero cum se Spiritu privatos vident, per eloquentiam verborum copiam quærunt, quorum sonoritatem, velut scutorum æneorum firmitatem contra hostes opponunt, sed quanto æs est auro vilius, tanto est eloquentia inferior veræ sapientiæ fructu; unde ubi plurima verba, ibi frequenter egestas. GLOSSA, *in cit. loc.* c. XII, 9.

S. Mater Ecclesia, in Sacrosancto Festo natalitio Verbi incarnati, ita canit : « Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit. » Et tamen sanctissima ejus Mater, quæ ab eadem Ecclesia *sedes sapientiæ* appellatur, se partui vicinam esse sciens, quanam lintea suppellectile provisa fuit, ut filiolum suum recens natum involveret ? Sacer Evangelista ait : « Et pannis eum involvit.» Unde Albertus Magnus pro instructione Prædicatorum, sequentem deducit moralitatem, dum ex Richardo de S. Victore ita scribit : Mater Virgo verbum Patris pannis involvit, significans verbum Dei magis simplicibus sonis indui in prædicatione, quam phaleris rhetoricis. ALBERT M. *in Luc.*

Inter alias Sponsæ laudes, quibus a cœlesti Sponso extollitur, una quoque hæc fuit : « Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. » Quidnam vero Sponsus per hunc favum mellis e labiis dilectæ suæ distillantem indicare voluerit, Gillibertus Abbas egregie exponit; cum enim indubitatum sit, per Sponsam hanc sanctam denotari Christi Ecclesiam, quæ ejus conjux est; hoc supposito præfatus Abbas inquit : Tria laus ista complectitur : dulcedinem, plenitudinem, parcitatem. *Dulcedo* consideratur in genere, *plenitudo* in copia, *parcitas* in effusione. Quid effusionem dico ? Distilla-

tio magis est, quam effusio. Quid necesse est in assignandis singulis immorari, ipsi enim scitis quia favus non nisi dulcedinem effundit, nec nisi de pleno effundit, et de plenitudine quidem ipsa, non totam ipsam. Est ergo in labiis Sponsæ dulcedo sola, dulcedo plena, et dulcedo sobria ; plene quidem possidetur, sed non plene effunditur, sed prout auditorum capacitas exigit. GILLIBERTUS ABBAS, sermon. XXXIV *in Cant.*

Deus olim apud Jeremiam, cap. XVI, prædixit : « Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur eos ; et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos. » At vero quonam spectat hæc inter piscatores et venatores similitudinum varietas ? Inter utrosque prædictos hæc est differentia, quod piscatores nonnunquam in unico retium tractu ingentem capiant omnis generis piscium multitudinem; venatores autem unica sclopeti explosione unam tantum vel duas ad summum capiant feras ; vel laqueo aut visco unam tantum apprehendent aviculam. Vult igitur Deus prædictis verbis dicere, quod prius missurus sit Apostolos suos in primitiva Ecclesia velut piscatores, qui in Ecclesiæ sinum, et ad fidem integros protrahent populos et regna. Postea vero missurus sit venatores, id est, alios ministros Evangelicos, qui prædam tam copiosam non capient, sed ad summum unam vel duas animas convertent. MANSI, disc. XLVII, n. 3.

Christus ad Discipulos suos dixit : « Faciam vos fieri piscatores hominum ; » at vero quodnam in eo latet mysterium, quod Incarnata sapientia illos potius piscatores, quam cujuscumque alterius opificii artifices appellet ? Responderi potest, prædicationem piscationi assimilari, quia, hæc partim fit retibus, partim hamo instituitur, ex quibus hic ferit et vulnerat, non illa ; ad denotandum, quod Prædicator juxta diversitatem auditorum, nunc ferro uti debeat, id est, comminatione mortis, inferni, extremi judicii, quæ omnia expavescenda sunt ; nunc vero retibus, id est, extimulationibus præmiorum cœlestium, vel amicitiæ Dei, vel etiam bonorum temporalium promissione ; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Ibid. n. 2.

Interpres quidam super illa verba Isaiæ : « Quasi tuba exalta vocem tuam, ita scribit : Instrumentum hoc non a loquente, sed ab inspirante imbuitur, halitu inflatur et per cornu cavum spiramem ebibit, ut sonitum edat. Unde ad eruditionem veri Prædicatoris hoc deducit documentum, quod scilicet Prædicator in auditorum animam halat. Sicut enim per anhelitum vivimus, ita Prædicator tanto cum spiritu pro alterius salute detonare debet, ac si ad illum spiritualiter vivificandum, qui eum auscultat, extremum spiritum exhalaret : Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Canet tuba, et mortui resurgent etc. Ibid. n. 5.

Venerabilis Beda, libro *de Templo Salomonis*, aliud quoddam hujus necessitatis adducit motivum ; asserit enim, templum illud figuram fuisse veri Salomonis, qui templum gloriæ ædificare statuit, de quo dicitur in Psalmo : « In templo ejus omnes dicent gloriam, » de cujus artifice Apostolus pariter ait : « Cujus artifex, et conditor Deus. » Hic igitur architectus ex Petræ fodina Protoparentis lapides in hanc fabricam adhibendos eruit ; at vero quia rudes et informes erant, pro iis inter se uniendis et quadrandis martello opus erat (tunsionibus, pressuris, expoliti lapides suis coaptantur locis per manus artificis) ac proinde martelli loco verbum suum divinum adhibuit, ipsomet apud Jeremiam teste : « Nonne verba mea, sicut malleus conterens petras ? Prædicatores vero tamquam lapicidas adhibet, qui comminando supplicia, et proponendo præmia, reprehendendo scelera, et commendendo virtutes, rudes et deformes hosce lapides elegantissime expoliunt. Unde Apostolus ait : « Corripientes omnem hominem, et docentes, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. » Idem, dis. I, n. 9.

In primo libro Regum legitur, quod, cum Philistæi adversus populum Israel dimicaturi essent, omni conatu ad hoc contenderint, ne in universa Judæa reperiretur vel unicus qui gladios, aliaque similia arma bellica fabricare posset. Quam historiam Dionysius Carthusianus ad nostrum propositum hisce verbis adaptat : Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel, caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium. Per fabros istos intelliguntur Prædicatores, qui spiritualia arma fidelibus præparant, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, et lanceam militarem, videlicet charitatis fervorem, seu discretionis acumen, omnia penetrantem, et adversariorum interiora

pungentem; cavent autem Philisthiim, id est, dæmones, et omnes fidei inimici machinantur et student tales fabros auferre Ecclesiæ, sicut jam (proh dolor!) pro maxima parte ei ablati sunt, in tantum, quod fideles quam plures ad Philisthiim pergunt, ut sua acuant ferramenta, quia vera et spirituali sapientia derelicta, ad Philosophica argumenta, ad prudentiam sæculi, imo ad mundanas versutias se convertunt, atque in talibus suam acuunt mentem! Dionys. Carthus. in I, *Reg.* cap. xiii.

CONCUPISCENTIA

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est appetitus inordinatus rerum caducarum et terrenarum. Per hoc enim a Concupiscentia in genere distinguitur, quæ simplex appetitus boni cujusdam definitur. Fab. conc. IV *in Dom.* 5, post. Epi.

Divisio. — Dividitur in concupiscentiam *divitiarum, voluptatum carnis, et bonorum,* juxta illud Joannis: Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. I, Joan. ii, 26.

Dividitur etiam a S. Thoma et Aristotele in *naturalem et innaturalem*: Prior est, per quam appetuntur naturæ necessaria aut convenientia, uti sunt cibus, potus, aliaque sensuum oblectamenta. Posterior est, per quam concupiscuntur objecta secundum apprehensionem dumtaxat convenientia, qualia sunt pecuniæ, honores, exquisitus cibus et deliciæ. S. Thom. 1. II, q. xx, 3.

Denique dividitur ab aliis in concupiscentiam *Intellectus* (qualis est curiositas, vanitas, et inflans superbia), *Voluntatis* (qua honor, gloria, divitiæ appetuntur) et *Sensuum* (quia objecta sensibilia desiderantur, uti esculenta, poculenta et similia).

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Sensus et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. Gen. viii, 21.

Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum; nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Rom. vii, 28.

Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Ibi. 12.

Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Jac. i, 13.

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere. I, Cor. ii, 14.

Fuga. — Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstas animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Eccl. xviii, 30.

Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ non apprehendant me. Ibid. xxiii. 6.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. vii, 24.

Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis. Gal. v, 24.

Damnum. — Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Jac. i, 1.

Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. Jac. iv, 1.

Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. I, Tim. vi, 10.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Semper cupidi solliciti sunt acquirere non habita, et habita custodire. S. Thom. opus. vii.

Omnia reliquit, qui voluntatem habendi deseruit. Apostoli, quantum ad divitias nihil; quantum ad voluntatem, totum mundum reliquerunt. S. Hier. *sup. Matth.*

Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit. Multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. S. Greg. *in Hom.* v.

Multa, Fratres, relinquitis, si terrenis desideriis renuntiatis; exteriora enim nostra quantumvis parva, Domino sufficiunt: cor namque, et non substantiam pensat, nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Ibidem.

Age, qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento; immo vero maxime, et principaliter abnega temetipsum si desideras sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum. S. Bern. *in Ser.*

Nemo est, qui non habeat, quod dimittat. Universis renuntiavit facultatibus mundi, quicumque affectum possidendi eas radicitus amputarit. Cassan. l. VII, c. xxvii.

Quid refert, utrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas et magnificas, an erga viliores exerceat species, nisi quod in eo reprehensibilior judicandus est, quod qui maxima spreverit, in minimis obligetur? Ideoque perfectionem cordis abrenuntiatio illa non obtinet, quia cum censum habeat pauperis, non abjecit divitis voluntatem. Idem, *Collat.* IV, c. xxi.

Gulosus habet cor in ventre, lascivus in libidine, cupidus in lucro. S. August.

Sævus criminum stimulus est concupiscentia, et libido, qui nunquam quietum affectum manere patitur, nocte fervet, die anhelat. S. Ambros. *vide l. de Abel et Cain.*

Concupiscentia saginato corpore effervescit. S. Augustin.

Concupiscentia nostra est tentationum causa. Idem.

Fuga. — Bonorum Auctori aliter inhærere non possumus, nisi cupiditatem a nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus. S. Greg. *in Hom.*

Ipsi Apostoli Spiritu Sancto repleri nequiverant, quia carni Dominicæ, etsi sanctæ, inhærebant. S. Bern. s. iii *de Ascens.*

Exurgat Deus, cadat armatus iste; cadat et conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli! Quid tibi videtur? Certe si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur! S. Bern. *apud Rodr.* p. II, tr. i, cap. iv.

Nemo potest perfecte diligere, quo vocatur; nisi oderit, unde revocatur. S. Aug. *de Vit. Relig.*

Concupiscentia in corde frenanda est. S. Greg. xx *Moral.*

Damnum. — Cui cupiditas dominari dicitur, subjectus malis omnibus demonstratur. S. Greg. hom. xv *Mor.*

Qui moderari nescit cupiditatibus, is quasi equis raptus indomitis, volvitur, laniatur, affligitur. S. Ambr. l. *de Vir.*

Quanto acriore cura inardescit ad infima, tanto tempore damnabili refrigescit a summis; utraque enim simul et æqualiter amari non possunt. S. Greg. l. VII, ep. xvi.

Quisquis defluere devitat, fugiat, ne per hoc quod amat, in hoc cogatur devenire quod vitat. Idem.

Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum: seditionis origo, fovea scandalorum, Petrus Raven. *in Serm.*

Concupiscentia ætatem omnem fœdat, senectutem extinguit.

Concupiscentia plus quam cœtera vitia diffamat.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Totum et maximum impedimentum est, quod non sumus a passionibus et concupiscentiis liberi, nec Sanctorum perfectam viam conamur ingredi. L. I, c. xi, § 3.

Si veraciter vis delectari, et abundantius consolari, ecce in contemptu omnium infirmarum delectationum erit benedictio tua, et copiosa tibi reddetur consolatio. Et quanto plus te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suaviores et potentiores consolationes invenies. L. III, c. xii, § 5.

Noli concupiscere, quod non licet habere. Juvat enim non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta et decisa ex corde radicitus. L. III, c. xxvii, § 3.

Tene breve et consummatum verbum: Dimitte omnia, et invenies omnia. Relinque cupidinem, et invenies requiem. L. III, c. xxxii, § 1.

Nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis. L. III, c. xxxi, § 1.

Nisi homo sit in spiritu elevatus, et ab omnibus creaturis liberatus, ac Deo totus unitus, quidquid scit, quidquid etiam habet, non est magni ponderis. Ib. § 2.

Pauperem verum spiritu, et ab omni creatura nudum quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus. L. II, c. xi, § 4.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

S. Augustinus de seipso fatetur : Primo concupiscentia carnis sequentes duxit nos, postea renitentes traxit nos ; deinde accepta gratia cœpit nos nec ducere nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum, post contentionem erit et victoria, modo te, etsi oppugnat, non expugnet. S. Aug. *in Ps.* LXIV.

Cuidam Religioso Ordinis S. Dominici, cum gravissimas carnis concupiscentias Dæmon immisisset, et iis non minus fortiter ille restitisset, acclamavit victus Diabolus : Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, et non arsisti! Fab. con. IV *in Dom.* V. post Epiph.

Cum quidam Frater Abbati suo queretur, se variis cogitationibus et desideriis plurimum turbari, Abbas eductum in publicum jubet ventos aperto sinu excipere, cumque Frater responderet, hoc sibi posssibile non esse, dixit illi : Hoc si nequis, nec cogitationes et desideria tua coercere poteris, quo minus tibi incidant. Sed hoc tui est muneris, ut ardenti et magno spiritu eis resistas. *Vit. PP.* l. V, libel. x, n. 55.

Cum Ursinus Presbyter, separatus ab uxore, caste vixisset, et hæc ad morituri nares aurem applicaret, ut indagaret, num adhuc spiraret ; ipse, quanto potuit nisu vocem collegit, dixitque : Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. S. Greg. l. IV dial. c. XI.

Cum quidam B. Mariæ Œgniacensis familiaris, ex nimio spiritualis affectionis excessu,manum ejus strinxisset, et primos motus concupiscentiæ oriri in se advertisset, vox de cœlo lapsa dixit : Noli me tangere! Unde cautior factus, ab ejusmodi sensualitate abstinuit. Jacob de Vitriac. *in Vita.*

Medicus quidam a quodam Theologo (cui prius viam ad veram quietem atque perfectionem ostenderat), interrogatus, ubi Deum reperisset ? respondit, ubi omnem concupiscentiam creaturarum reliqui. Taulerus, *apud Drex. in Heliotr.*

Salomon, Rex Israelitarum, adamavit mulieres alienas et depravatum est cor ejus per eas, et adoravit deos alienos. II Reg. II.

Stetit Judith ante faciem Holophernis; cor ejus concussum erat, ardens ejus concupiscentia. Judith. c. XII.

Duo senes ita Susannæ concupiscentia exarserunt,ut ejus mortem procurarint,propterea quod pravæ eorum voluntati obsequi nollet. Dan. cap. XIII.

De Magistro Guidone, presbytero Beginarum in Nivella, fertur quod, cum in Sonegio oppido Hannoniæ scholas regeret, adolescens, incaute semel feminam contemplatus, per annos tres, etiam ipsa mortua, in tantum tentatus sit, ut excepto eo quod vigilans sustinebat, omni nocte in somni crederet eam esse præsentem ; sentiens ergo circa se diabolum non cessare, de nocte clam tumulum mortuæ mulieris aperuit, naresque et faciem in cœno putrefacti corporis tandiu tenuit, ut pene fœtore nimio suffocatus, quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, ut nullum postea stimulum in carne sentiret. Thom. Cantip. l. II, c. XXX, 31.

[EX]EMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius adeo omnem affectum erga creaturas deposuerat, ut sæpe et cum gemitu diceret : O quam sordet mihi terra, cum cœlum aspicio ! Ribad. *in Vit.*

P. Balthasar Alvarez cum aliquando per aliquot dies continue cogitabundus esset,causam rogatus, respondit : Contendo in meipso efficere, ut ita vivam, quasi essem in Africæ desertis, et ut cor meum sit ita ab omnibus creaturis expeditum, atque si reipsa in locis desertis habitaret. Atque hoc revera etiam obtinuit ; ut vita testatur. *Vita*, c. IV, § 2.

Joannes Berckmannus ita omni rerum terrenarum cupiditate vacabat, ut de seipso fateretur : Nulli rei sum affectus, nihil habeo, cui afficiar. *Vita*, p. XIII.

Insignis in S. Francisco Xaverio, Indorum Apostolo, amor castimoniæ, insigne odium libidinis fuit, adeo ut vel minimas hujus generis labeculas exosus, ipsum exhorreret libidinis nomen. Quod vel ex eo quod subjiciam existimari licet : Olyssipone diem profectionis Indicæ operiens, cum Simone Roderico in eodem diversabatur cubiculo. Ibi intempesta nocte repente excitatur a somno, adeo commotus, ut e naribus magnam vim cruoris profunderet. Ejus deinde rei causam in Simonem rogitantem obstinato silentio celavit, quamdiu in Lusitania fuit. Ad ultimum ubi solvendi advenit tempus, sub digressum, in navis angulum cum eo secessit, et sine arbitris : Nunc demum, inquit, tempus est enuntiandi quod toties ex

me, Simon, frustra exsciscitatus es; quippe hoc ultimum, ut arbitror, sum te in hac vita visurus. Scito igitur illa nocte impuram speciem per somnum mihi oblatam, summaque vi repellere conanti tantam copiam sanguinis erupisse. Hisce signis humanisque testimoniis, divinum indicium ac testimonium, extincti corporis accessit integritas. Quod eximium Dei beneficium, inter alia egregia, virginali castimoniæ concessum accepimus. TURSELIN, lib. VI *de Vita ejus*, c. VI.

SIMILITUDINES.

FUGA. — Sicut famelicus ille stultus reputaretur, qui oblato sibi cibo picto et vero, pictum arriperet; ita et homo, qui veram et infinitam Dei bonitatem relinquit, et bonitatem creaturæ, quæ est umbra tantum et imago divinæ bonitatis, appetit, insanus merito existimabitur. NEREMB. in l. *de Ador.*

Sicut nemo optaret oculos suos auro ornari, et serica veste circumdari, sicque visum impediri, sed oculorum libertatem, et videndi potentiam omnibus rebus desiderabiliorem judicat, quia, si hæc depereat, nihil jam ipsum in hac vita delectat; ita multo magis creaturæ omnes, quæ oculum mentis impediunt, removendæ, et libertas mentis omnibus rebus creatis præferenda est. S. CHRYSOST. hom. XXI *in Matth.*

Sicut is, qui in domo sua omnes delicias haberet, stulte faceret, si illas anxie extra domum quæret; ita non minus insipienter agit, qui extra se in creaturis delectationes quærit, cum intra se omnium deliciarum fontem habeat.

Sicut Confessarii neminem absolvunt, et gratia divina impleri faciunt, qui concubinam suam non vult ejicere; ita nec Deus gratiam et veniam largitur iis, qui concubinas suas, id est, creaturas, quas inordinato amore dilexerunt, nollunt ejicere.

Sicut si mus aliquis sciret in aliquo loco latere muscipulam, haud dubie illam studiose declinaret; ita et quivis homo, cum sciat, teste S. Scriptura, (SAP. XIV, 11.) creaturas in muscipulam pedibus insipientium factas esse, merito eas, quantum potest, declinare debet.

Sicut nullus Princeps in aurea supellectile pateretur vas luteum immisceri, ne videntes offenderentur, et factum carperent; ita neque cum Deo ulla in corde creatura collocanda est, ne Sancti et ipse Deus id advertentes justam displicentiam inde concipiant. NIEREMB. *de Ador.*

Sicut ii, qui thesauros effodiunt, terram rejiciunt, foveam profundam faciunt, et sedulo insistunt, donec inveniant quod quærunt; sic qui thesaurum veræ perfectionis et sapientiæ cœlestis reperire desiderat, omne pondus terrenarum rerum a se rejicere, fossam humilitatis in se fodere, nec donec invenerit, quiescere debet. *Glossa.*

DAMNUM. — Sicut ignis mox ut stupam apprehenderit, flamma sua incendit; ita et concupiscentiæ ignis, quamprimum venustatem visu attigerit, animam accendit. S. CHRYSOST. serm. *in Oziam.*

Sicut cerva telum corpore fixum gerens, licet venatorum manus effugiat, denique perit tamen; sic et anima telo concupiscentiæ ob intemperantem et curiosum aspectum saucia, tametsi discedat, non tamen periculo vitæ spiritualis amittendæ caret. Idem, hom. II *in Matth.*

Sicut ignis materialis humidam nactus materiam plurimum et admodum molestum fumum excitat; ita concupiscentia, si animam ad terrenas voluptates inclinatam occupaverit, non nisi crassissimos amoris sensualis fumos progenerat. Ibidem.

Sicut in hamo esca quidem aspectu dulcis, sed lethalis in gustu est; ita concupiscentiæ fructus dulcis videtur, dum appetitur, sed amarus, dum percipitur. ARNOBIUS, *apud Lang.*

Sicut scorpius vivens necat, occisus sanat; ita concupiscentia, dum in nobis viget, perdit nos, suppressa vero et mortificata mirum quantum prodest. FAB. con. I *in Dom.* VII post Pent.

Sicut herbæ suffocant triticum ; sic et concupiscentiæ carnales suffocant disciplinam. AUCTOR *Op. Imper. hom.* VIII.

Sicut hi, qui dæmone repleti, vel mente alienati sunt, non sentiunt si vulnerentur, quia naturalibus sensibus carent; ita et nos vel cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitiis inebriati, sentire non possumus, quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando aquirimus. ORIG. hom. *in Num.*

Sicut lusores, ubi pecuniolam omnem lusu perdiderunt, eo aguntur ludendi libidine, ut etiam vestes denique committant aleæ; ita quicumque concupiscentiam in societatem lusus admittit, et semel pudicitiæ jacturam fecit, non cessabit varias oblectationes

quærere, donec ipsam etiam animam perditionis periculo exponat. Drex. hora VI, noct. *in Horolog.*

MOTIVA.

Ad resistendum concupiscentiæ.

Quia *radix omnium malorum est;* nam omne peccatum, teste S. Paulo, ex concupiscentia inordinata boni creati oritur. I. Tim. vi.

Quia *hominem valde deprimit;* juxta illud Oseæ : Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. Oseæ ix, 10.

Quia *pacem animæ et quietem tollit*; id quod pulchre Seneca ostendit, dum ait : Vidisti aliquando canem missa frusta panis aperto ore captantem? Quidquid accepit, protinus integrum devorat et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis ; quidquid exspectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, et attoniti in Epicureum illud chaos incidimus, quod inane et sine termino est. Senec. ep. xiii.

Quia *veris et cœlestibus consolutionibus privat*; nam, ut recte notavit pius Asceta : Quod divinas (consolationes) non habemus, aut rarius sentimus, nos in culpa sumus, quia compunctionem cordis non quærimus, nec vana et externa omnino abjicimus. L. II, c. xxi, § 3.

Quia *vano labore consumunt*; cum enim anima ad imaginem Dei facta, cæteris rebus occupari, non autem repleri possit; merito frustra satietatem in particularibus creaturis quærit, quam omnes simul sumptæ præstare non possunt. S. Bern. *in serm.*

Quia *gravis stultitiæ arguit.* Quæ enim major stultitia inveniri queat, quam si quis umbram boni pro ipso bono eligat; si in gravissima siti guttam lacunæ sordidæ hauriat, quum ex ipso fonte recentissimas et purissimas aquas bibere valeat?

MEDIA.

Oratio; quod medium S. Thomas sequentibus verbis suasit : Si duo pugnarent, et velles unum juvare, alterum non, oporteret primo auxilium dare, secundo vero subtrahere. Inter spiritum autem et carnem est continuum prælium. Unde oportet, quod si vis, ut spiritus vincat, des ei auxilium, et hoc fit per orationem ; carni vero subtrahas, et hoc fit per jejunium. S. Thom. opusc. vii.

Amor Dei. Sicut enim, qui æstuant, facile omnes vestes sibi adhærentes abjiciunt; ita qui amore divino exæstuat, omnem facile aliorum objectorum concupiscentiam deponet. Certe ubi Deus mari turbulento cordis nostri imperat, continuo cessabunt fluctus concupiscentiarum, et fiet tranquillitas magna.

Consideratio exitus, quem habituræ sunt concupiscentiæ inordinatæ; ita Epictetus suasit his verbis : Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis. Sed et rem examina, et tibi ipsi præbe deliberandi spatium. Deinde utriusque temporis memento, tum ejus, quo voluptate perfrueris,tum ejus quo voluptate jam percepta dolebis; teque ipse objurgabis. Atque his illa confer, si abstinueris, fore ut gaudeas, teque ipse collaudes. Epictet. c. lvi. Sed et S. Gregorius idem suasit dicens : Caro cum concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis; intelligetur, quid ametur. S. Greg. l. XVIII, *Mor.* Hinc etiam Aristoteles voluit, ut circa concupiscentiam voluptatum nos perinde, ut Proceres Trojani circa Helenam, geramus, qui eam dimittendam censuerunt, ne belli damna et excidium incurrerent. Arist. ii. *Eth. c. ul.*

Generosa resistentia; nam, teste Sancto Chrysostomo, cani similis est voluptas, si pellas, fugit, si nutrias, permanet. S. Chrys. hom. xxii, *ad Pop.* Quod idem etiam S. Augustinus suasit dicens : Pugnat? repugna; noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare. S. Aug. s. xlv, *de Temp.*

Contemptus; juxta consilium Jobi : Clamorem exactoris non audit. Super quæ verba S. Gregorius ait : Clamorem exactoris non audire est, violentis tentationum motibus minime consentire. S. Greg. l. xxx, *Mor.* c. xiii. Hinc aliqui suadent ejusmodi concupiscentias perinde non curandas, sicut magni molossi catellos latrantes despiciunt. Hinc et pius Asceta ait : Juvat non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius decisa ex corde radicitus. L. III, c. xxvii, §. 3.

Cœlestium bonorum desiderium. Qui enim,

ut S. Gregorius sapienter dixit, cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfecte cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit; in comparatione enim illius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cœlestibus animus; nihil de terrenis libet, deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ Margaritæ claritas fulget in mente. S. GREG. *in Moral.*

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ de concupiscentia præcipue nosse, beneque advertere debet Asceta. *Primum* est, ut bene apprehendat quantopere referat, hanc concupiscentiam recte moderari; id quod S. Leo sequentibus verbis expressit : Virum Catholicum, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo implicari errore; ita nulla oportet cupiditate violari. Mens enim pecuniæ avida (aut cujuscumque alterius rei terrenæ) nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. S. LEO, *in serm.*

Certe miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, inquit S. Bernardus, si pro tam exiguis tanta patiamur detrimenta. Quid enim insipientiæ, immo quid insaniæ est, ut, qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine tenamus ? S. BERN. *ad Monacos.*

Quis stultum, inquit alius, non judicaret mercatorem, qui, ut unionem inæstimabilis pretii compararet, jam multa millia florenorum expendisset, et postea, ne unum adhuc obolum dare deberet, totum contractum rescinderet. NIEREMB. *de Ador.*

Secundum est, ut bene cognoscat, quousque concupiscentiam debellare possit, et debeat; nam, ut recte dixit S. Augustinus : Concupiscentia minui potest, consumi non potest in hac vita. S. AUG. *l. contra Julian.*

Unde bene inter passionem et propassionem distinguere oportet, nam passio sola in vitio est, quando scilicet consensus præbetur inordinatæ concupiscentiæ; propassio vero, qua animus ad consensum incitatur, licet initium culpæ habeat, tamen non tenetur in crimine, ut recte S. Hieronymus dixit. S. HIERON. *sup. Matth.* l. I, c. XIV.

Et hoc videlicet est, quod Deus olim Caino dixit : Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. GEN. IV, 7.

Tertium est, ut solidum sciat modum moderandi et vincendi hanc concupiscentiam, qualem quidem efficaciter S. Augustinus sequentibus verbis suggessit : O Ecclesia, caput serpentis observa. Quid est caput serpentis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem aliquid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est, caput calca, et evades cæteros motus. Quid est, caput calca ? Ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggessit, magnum ibi lucrum, magnum aurum, dives eris, si hanc fraudem feceris. Sed pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? Hæc dicens observasti caput serpentis, et calcasti. Ille autem diabolus calcaneum tuum observat. Quid est observat calcaneum tuum? Quando labaris a via Dei. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum ; si cecideris, possidebit. S. AUG. *in c.* III, *Gen.*

Quartum est, ut non difficilem sibi, sed facilem potius imaginetur hanc luctam et victoriam ; id quod nonnemo pulchre hac similitudine ostendit : Finge, aiebat, juvenem ad amores pronissimum turpissimæ Æthiopissæ adhæsisse, et ex illius consortio gravissimos morbos contraxisse, sed et totius substantiæ ac famæ suæ jacturam fecisse ; hujus autem misertum Regem, aliam ei formosissimam virginem Æthiopissæ loco offerre, promittereque se, et a morbis eum curaturum, et omnem substantiam ac famam restituturum, quin et millecuplo plus adjecturum ; an prudenter judicari posset, difficilem fore huic juveni Æthiopissæ repulsam, et virginis speciosissimæ electionem ? Atqui similiter se res habet cum eo, qui inordinatam rei alicujus concupiscentiam fovebat, et cui loco talis creaturæ ipsa Divinitas amanda offertur ; hinc merito S. Bernardus dixit : Nihil in hac vita laboriosius, quam desideriis terrenis æstuare ; et nihil hic quietius quam hujus sæculi nihil appetere.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cor humanum mari simile est, teste B. Alcuino, quod semper æstuat ; in quod omnia flumina intrant, et aqua dulcis in amaram convertitur, quia oblecta-

mentum in fastidium vertitur, et omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur; neque flumina in mari quiescunt, sed revertuntur, ut iterum fluant; eamdem inquietudinem experiuntur Filii hujus sæculi. B. ALCUINUS.

Cum adolescens quidam furibundum equum conscendisset, et ab eo, quia cohibere non valebat, per avia et devia abreptus fuisset, quæsitus ab aliquo familiari casu transeunte, quo ferretur? respondit : Quo quidem equo huic placuerit. Simili modo cum concupiscentia res se habet, si debilem sessorem et regendi imperitum inveniat. LANGIUS, *in Polyant. V. Cupiditas.*

Abbas Achilles concupiscentiam manubrium dæmonis appellat, eo quod sine illa nihil possit efficere, omne autem damnum per illam inferat. FAB. con. I, in Dom. VII, *post. Pent.* n. 2.

FUGA.—Corvus etiam sitiens abstinet aqua pluviali, quam noxiam sibi novit ob ventris profluvium ; quanto magis homo abstinere debet ab iis, quæ animo noxia novit.

DAMNUM. — Columba siti prope enecta cum vidisset in tabula craterem pictum, concitato impetu in illam allisa, alas fregit, sicque in terram lapsa a pueris capta fuit. Idem contingit illis, qui nimia concupiscentia impulsi, magno impetu in amorem et fruitionem rerum illicitarum feruntur. LANGIUS, *l. cit.*

Mulier quædam, cum gallina singulis diebus ovum unum peperisset, rata quod plura esset paritura, si melius saginaretur, cibo superfluo pastam omnino non amplius parere fecit. Sic nempe, dum futuris concupiscentia inhias, etiam præsentia amittis.

Dicebat senex quidam : Quia tres virtutes Satanæ præcedunt universa peccata. Prima, oblivionis. Secunda, negligentiæ. Tertia, concupiscentiæ. Etenim si oblivio venerit, generat negligentiam; de negligentia vero concupiscentia nascitur; de concupiscentia vero corruit homo. Si enim ita sobria est mens, ut oblivionem respuat, ad negligentiam non venit; et si non neglexerit, concupiscentiam non recipit, numquam cadet opitulante Christi gratia.

AUCTORES.

Matthias Faber, conc. 2, in Dom. 4, post Epiph. et conc. 3, in Dom. 5, post Epiph.

Jeremias Drexelius, in *Zodiaco, signo 4.*

Jacobus Marchantius, in *Horto pastor.* tr. 4, lect. 18.

Thomas Kempensis, de *Imit. Christ.* l. III, c. 31 et 32.

Josephus Langius, V. eodem et V. Cupiditas.

CONFESSIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est Sacramentum, in quo peccata sua detestanti, et legitime confitenti, vera a Sacerdote absolutio, remissioque conceditur. TRID. s. XIV, c. I.

Vel brevius, est legitima coram sacerdote peccatorum suorum declaratio, ut Hostiensis definivit, qui etiam addit, eam dici confessionem, quasi simul fassionem omnium peccatorum, quæ quis confiteri tenetur, aut sponte confitetur.

DIVISIO. — Dividitur in *Materialiter et Formaliter integram.* Illa est, qua quis omnia peccata gravia, quæ occurrunt, explicat. Ista est, qua quis suppresso uno vel altero peccato, tantum confitetur, quantum moraliter loquendo hic nunc fieri potest.

Dividi etiam potest in *Publicam et Auricularem.* Illa est, qua quis audientibus aliis se apud sacerdotem accusat. Ista est, qua quis soli sacerdoti sua peccata explicat.

PARTES. — Tres præcipue partes requiruntur ad Confessionem. Prima est *Contritio*, seu animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Quam partem S. David indicavit dicens : Sacrificium Deo spiritus contribulatus ; cor contritum et humilitatum, Deus, non despicies. Ps. L, 19.

Ut vero hæc contritio sit legitima, requiritur in primis; ut ex motivo supernaturali concipiatur. Deinde ut propositum non peccandi conjunctum habeat ; nam, ut S. Gregorius ait : Perfecte convertitur, qui, cum semel, quod prave egerat, plangit; quod rursum plangat, ultra non repetit. S. GREG. l. III, *in I, Reg.* VII.

Est tandem etiam *occasionis ad peccatum allicientis evitatio* , aut certe propositum evitandi; quemadmodum S. Bernardus monet dicens : Sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. S. BERN., s. I, *de Resur. Dom.*

Altera pars est ipsa *Narratio peccatorum*; de qua sic loquitur Concilium Tridentinum : Ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam esse; quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non in specie potius, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, confessione recenseri. TRID. ses. XIV, c. V.

Nam, ut S. Augustinus, ait : Deus noster, quia pius est et misericors, vult ut ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro, (S. AUG. l. L, hom. XII.) juxta Sapientem, qui ait : Pro anima tua non confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. ECCL. IV, 13.

Tertia pars, eaque integralis dumtaxat (nam priores sunt de essentia hujus sacramenti) est ipsa *Satisfactio*; nam ut S. Ambrosius advertit : Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendationibus factis operire et tegere delicta superiora, ut non imputetur ei peccatum. S. AMBR. l. III, *de Pœn.* c. V.

Unde et Sapiens monuit : De propitiato peccato noli esse sine metu. ECCL. V, 5.

Et Christus : Facite fructus dignos pœnitentiæ. MATTH. V.

Quo autem modo fructificare poterimus? inquit Sanctus Chrysostomus. Si utique peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti? Incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus? Legitimo quoque usu conjugii suspende te. Injuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? Refer benedictionis verba convitiis, et percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Cur autem hanc satisfactionem requirat Deus, et non omnem etiam pœnam cum culpa remittat, quatuor affert causas Marchantius, nempe : 1. Quia sic divinæ justitiæ ratio exigit, ut quemadmodum in Baptismo remittitur peccatum aliena voluntate commissum, ideoque etiam pœna relaxatur; ita post Baptismum peccata propria voluntate commissa etiam propria satisfactione castigentur, et deleantur. MARCH. tr. V, *sup. Candelab.* 2. Quia alioqui liberius peccarent homines, cum impunitas, juxta S. Bernardum, sit incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix imprudentiæ, transgressionum nutrix. Hinc Conc. Trid. ait : Procul dubio a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent satisfactoriæ hæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. 3. Quia peccatorum reliquiis medetur, dum vitiosos habitus contrariis virtutibus tollit satisfactio. 4. Quia ad augmentum meriti conducit, quod tum ex obedientia, ex qua assumitur, tum ex ipsa Sacramenti efficacia et meritis Christi, cui per ejusmodi satisfactionem conformamur, provenit. CONC. TRID. s. XIV, c. VIII.

PROPRIETATES. — Exprimuntur a nonnemine sequentibus versibus :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, munda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et se punire parata.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Sanctifica eos hodie, et cras, et lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. EXOD. XIX, 10.

Leprosus adducetur ad sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. LEV. XIII, 7.

Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini atque deliquerint, peccatum suum confitebuntur. NUM. V, 7.

Fili mi, da gloriam Deo Israel, et confitere, ac indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Et dixit : Vere ego peccavi. JOS. VII, 19.

Vade lavare septies in Jordane, et recipiet caro tua sanitatem et mundaberis. IV REG. V, 10.

Iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo. Ps. XXXVII, 19.

Præoccupemus faciem ejus in confessione. Ps. XCIV, 2.

De negligentia tua purga te cum paucis. ECCL. VII, 34.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Ps. XXXVIII, 15.

Reduc me in memoriam, ut judicemur simul; narra, si quid habes, ut justificeris. MATTH. VIII, 4.

Vade, et ostende te sacerdoti, et offer munus tuum. JAC. V, 16.

Confitemini alterutrum peccata vestra. ROM. X, 10.

Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. JOB, XXXI, 33.

NECESSITAS. — Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. PROV. XXVIII, 13.

Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio; confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et glorificaberis in miserationibus illius. ECCL. XVII, 26.

Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Ps. XXXI, 5.

Pro anima tua non confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. ECCL. IV, 24.

Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. MATTH. XVI, 19.

Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. I JOAN. I, 9.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Judices, quando ceperint latrones et sacrilegos, non, quomodo ipsos reddant meliores, considerant, sed quomodo ab ipsis peccatorum pœnas exigant; Deus autem considerat, non quomodo sumat supplicium, sed quomodo ipsum corrigat, et meliorem faciat, et in futurum inexpugnabilem; itaque et judex pariter, et medicus, et magister est. In hoc judicio sese accusat pœnitens ut ad meliorem frugem reducatur, ut Deo reconcilietur, ut gratiam consequatur, et jus reacquirat, quod perdiderat, ad Regnum cœleste. S. CHRYS. apud MANSI, tr. XV, disc. IV, n. 8.

Quid times confiteri? Time confiteri homini judici, qui confessum punit, Deo noli; fac confitendo propitium, quem negando non facis nescium. Vis non timere peccatorem? Ama donatorem. S. AUG. *in Ps.* LXXIV.

Pœnitentia est quoddam spontaneum judicium, in quo contritio est quædam citatio, ubi sequitur rei spontanea ante mortem confessio, deinde sequitur per judicem impositæ emendæ solutio. S. BONAV. *de Sacr. virt.* t. VI, c. XXIII.

Sit integra, ut effundas in confessione, quidquid culparum habes in corde; juxta illum Isaiæ textum : « Effunde sicut aquam cor tuum; » non dicit : Effunde sicut oleum, vel sicut sanguinem, vel sicut lac, vel sicut vinum; in his enim aliquid remaneret, vel de substantia, vel de colore, vel de sapore, vel de odore, dum effunduntur. Effunde integraliter sicut aquam. Idem, ser. II, *de Rogat.*

Oportet ante confessionem firmum et verum continendi a peccatis propositum perquirere, et, an vere illud habeas discutere, quo naufragio multæ animæ submerguntur. S. THOM. VILLAN. serm. *in Dom. 4 Quadr.*

Frustratoria est illorum pœnitentia, qui quadam consuetudine temporis tracti, ad horam dicunt, sed non deflent peccata sua, quippe statim deponunt onus satisfactionis, revertuntur ad vitia, bibunt calicem confusionis usque ad fæcem, et fiunt novissima talium pejora prioribus. ABSOLON. ABB. ser. XVII, *de Quadr.*

Vera peccati confessio est, sine intermissione temporis pœnitere; peccati vero pœnitentia est, ab eo, quod pœnitendum intellexeris, destitisse. S. HILARIUS *in Ps.* CXVIII.

Usitatum humani generis vitium est, et latendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta ducimus nequitiæ, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. S. GREG. l. XXII *Mor.* c. IX.

Quantum studium a nobis adhiberi conveniat, ut morbum medicis detegeremus; tantum ad medicinam fugiendam adhibe-

mus, atque in nostram perniciem fortes sumus, et adversum sanitatem nostram periti. S. GREG. NAZIAN. apud MAN. dis. XV, n. 8.

Si patet vitium, ex magno fit pusillum; si latet peccatum ex minimo fit maximum. S. ISID. HISP. *de Mod. viv.*

Pudorem et verecundiam Deus peccato dedit (verba sunt S. Doctoris) *confessioni vero fiduciam;* invertit rem diabolus et peccato fiduciam præbet, confessioni vero verecundiam. S. CHRYS. hom. III *de Pœn.*

Audacter dico, quicumque discooperuit confessionem, gravius peccat proditore Juda, qui Dei Filium Judæis vendidit. S. ANT. DE PAD. ser. II *in Dom.* 2 *Quadr.*

Plerumque gravioris certaminis est commissa peccata prodere, quam non admissa vitare. S. GREG l. XXII, *Mor.*

Mirentur in bono Job, qui volunt, castitatis continentiam; mirentur integritatem justitiæ; mirentur viscera pietatis; ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum. Idem, l. XII, *Mor.*

Confessio humilis sit, pura, et fidelis. S. BERNAR. *super Cant. serm.* XVI.

Confessio vera fontes lacrymarum habet. S. CHRYSOST. homil. I, *sup. Gen.*

Mala quæ facimus sponte confiteamur, et hæc aliis arguentibus non negemus. S. GREGOR. l. XXI, *Mor.*

NECESSITAS. — Qui promereri vult, quod expetit, debet malum confiteri, quod fecit; valde enim facile est, ut peccatorem se quisque fateatur, cum nihil pro peccato suo patiatur. Idem, l. VIII, *Mor.*

Absque confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur. Confessio igitur peccatoris est vita, justi gloria, et necessaria est peccatori, et justum nihilominus decet. S. BERN. p. c. XIV.

Quis peccatorem mortuum in peccatis suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit dicens : Lazare, prodi foras ! Quid est autem foras prodire nisi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur foras prodit. Foras prodire non posset, nisi qui viveret. Vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, est laudatio Dei. Dicit ergo aliquis : Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait : Quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in cœlo? Ipsum Lazarum attende. Cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia cui dictum est : Quæ solveritis, soluta erunt ; nisi quod ait Dominus continuo ad Discipulos : solvite illum, et sinite abire ? S. AUG. ser. VIII *de Verbis Domini.*

Si quem serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri ; magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. S. HIER. in c. X. *Eccl.*

In veritate dico vobis, quia nihil sic exasperat iram divinam, quam iniquitatis defensio ; æquo enim certamine nos decertamus cum Domino, cum defendimus quod odit; cum nobis placet, quod displicet illi. S. PETR. DAM. *in vigil. Nativ. Dom.*

Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus expectant, quanto magis vulnera animæ spiritualis medici solatia deposcunt? Deo vis, homo, confiteri, quem volens nolens latere non poteris. ALCUINUS, ep. LXXI.

Si tu non revelaveris peccatum tuum, revelabitur a Deo; si absconderis, quasi homo, manifestabit ipse ut Deus ; unde per Prophetam : « Revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam in gentibus nuditatem tuam, et in regnis ignominiam tuam. S. THOM. VILL. ser. VI. *post Dominc.* IV. *Quadrag.*

Hortatur nos sæpius S. Scriptura ad medicamenta fugere Confessionis, non quod Deus indigeat confessione nostra, cui omnia præsto sunt, quæ cogitamus, loquimur, aut agimus; sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur. S. AUG. ser. LX. *de Temp.*

UTILITAS. — Carnalibus hostiis reprobatis, placabilis hostia est Deo pura confessio, sacrificium Deo spiritus contribulatus. RUPERT. *Abbat. in Gloss.*

Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus, ego illud operio; si agnoscis, ignosco, si te accusas, excuso ; si te judicas, et condemnas, te nec judico, nec condemno. PETRUS BLESSENS. *in c.* I. *Job.*

Peccata nostra judices nos sentiant, non patronos; tu agnosce, et Deus ignoscit. S. Aug. ser. lxxxviii. *de Temp.*

Confessio placat Deum, lætificat Angelos, serenat conscientiam, criminum exsolvit debitum, veniæ spem nutrit, servilis metus coercet stimulos, præstat gratiam, præbet auxilium, immundorum spirituum propulsat fraudes, cœlum reserat, revelat mysteria, elevat de terrenis, et provehit in excelsa. S. Laur. Justin. *de Ob.* c. xxv.

Oris autem confessio est perficienda, quam proculdubio quis exercuerit frequentius, tanto erit Deo propinquior, sui interioris hominis perscrutator clarior, ad virtutum exercitia alacrior, ad resistendum peccatis robustior, ad misericordiam promerendam aptior, atque ad percipienda charismata meliora habilior. Ibidem.

Peccatorum assidua confessio, charitatis est index, humilitatis germen, gratiæ radius, electionis præsagium, conscientiæ decus, compunctionis filia, spei mater, orationis præcursor, et resolutionis corporis exspectator intrepidus. Ibidem.

Tres sunt syllabæ *peccavi*; sed in tribus syllabis, flamma sacrificii coram Domino ascendit in cœlum. S. Aug. hom. xli.

O bona spes confitentium, quam potens es apud omnipotentem, quam facile vincis invincibilem, quam cito tremendum Judicem convertis in piissimum Patrem. S. Bonav. *de Sacr. virt.* l. VI, c. xxi.

Per confessionem inveniemus faciem Christi placatam, portam cœli reseratam, coronam Regni magnificatam. Idem, s. v *de Rog.*

Portam cœli apertam invenies ad introducendum in evolatione, si porta cordis tui, os tuum nunc plene apertum fuerit in confessione; nihil remanebit in judicio, quod fuerit per confessionem purgatum. Ibidem.

Nihil sic cordis amissam reparat gratiam, sicut jugis oris confessio; si delictorum maculis fœdatur, si hebetudine gravatur, si desperatione tangitur, si agitatur tentatione, currat ad confessionem, et liberabitur. S. Laur. Justin. *de Cast. Conn.* c. xiii.

Ad sacram messem confessionis accedere festinate; hæc est enim salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, pavor inferni, obstaculum diaboli, Angelorum tunica, Ecclesiarum fiducia, salus, dux, baculus, lumen et spes omnium fidelium. S. Aug. ser. xxx. *ad Fratres.*

Peccatum, quod homo tegit, Deus revelat, sed peccatum, quod homo per confessionem revelat, Deus tegit. Mich. Bonon. apud Mansi, disc. xv, n. 10.

Tu, o dilecte, quando peccaveris, dic: Peccavi! Nihil est hac defensione justius. Ita Deum reddis propitium; ita etiam facias, ut tardius in ea rursum incidas. S. Chrys. in Ps. cxl.

Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? Obstruit os inferni, portas aperit Paradisi. S. Aug. *in lib. de Pœn.*

Qui se accusat, etiamsi peccator sit, justus esse incipit, quia nec sibi parcit, et Dei justitias confitetur. Cesset enim vindicta divina, si confessio præcurrat humana. S. Ambros. sup. *Beati immac.*

O ingeniosa simplicitas et mille tergiversationibus cautior puritas, manifestare delictum! Illis non judex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt. Cassiod. sup. Ps.

Mira compensatio, stupenda vicissitudo, Domino suo propria mala dicere, et ab eodem præmia salutis accipere! Quis non incitetur illi ad præmium confiteri, cui non possis negare quod feceris? Idem.

Pœnitentia, quasi secunda post naufragium tabula fit miseris. S. Hier. in cap. iii. *Isaiæ.*

Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccatis veniam donat. Omnis spes in confessione consistit. In confessione locus misericordiæ est. Nulla tam gravis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam. Isid. l. I, c. xii.

Non operui, sed aperui, ut operires; non celavi, ut tegeres; nam quando homo detegit, Deus tegit. Cum homo celat, Deus nudat. Cum homo agnoscit, Deus ignoscit. S. Aug. sup. Ps.

Per amarum poculum confessionis pervenitur ad gaudium salutis. Greg. hom. vi, in *Ev.*

Confessio peccatorum est etiam abolitio peccatorum. Chrysost. sup *Gen.* hom. xx.

Confessio peccatorum habet mercedem. Idem *de Pœn.*

Facilitas. — Num opes aliquæ suæ sunt expendendæ? Num via prolixa eunda est? Num dolorem et cruciatus affert hæc medicina? Absque sumptu et cruciatu est præsens pharmacum, in pristinæ firmitatis valetudinem restituens. S. Chrys. h. x. in c. iv. *Gen.*

Quid faciet ille Sacerdos peccator cum alio peccatore, nisi quod vellet secum fieri de peccatis suis? O mirabilem commiserationem! O ineffabilem dignationem, quod veniat peccator peccatis onustus ad alium peccatorem sibi similem, et ille judicet eum et absolvat, et deducat de inferno et restituat Paradiso; et quod iste facit in terra, firmum et ratum habeatur in cœlo. Benedictus Dominus, qui talem potestatem hominibus dedit! S. THOM. VILLAN. l. c.

In humanis quidem judiciis si quis hoc faceret, et ante accusationem facinora confiteretur, quamvis apud humanum forte judicium tormenta, et sibi succedentes pœnas effugeret, tamen sententiam capitalem omnino in suum caput accerseret. At misericordia Dei et animarum nostrarum medici tanta est, tamque ineffabilis bonitas et clementia, ut omnem etiam sermonem excedat. S. CHRYST. in c. XLIII. l. V.

ÆQUITAS. Si solus Papa hanc haberet potestatem in mundo, omnes ad ipsum quantumcumque separatum et distantem, cum maximo fervore ac desiderio, pro tanto beneficio consequendo, sæpius in vita ire debuissemus, et pro maximo beneficio reputaremus; quanta ergo gratitudine prosequendum, quod ubique terrarum Sacerdotes abundant, qui non solum confessiones peccatorum libenter acceptant, sed etiam peccatores ad hanc veniam suscipiendam provocant et invitant! S. TOM. VILLAN. in Domin. 3. *Quadr.*

Hoc est miserandissimum genus pravorum, qui propria delicta excusant; hi enim obicem ponunt remedio, vulnus suum abscondunt, in manus divini judicii incidunt, insanabilesque consistunt. DIONIS. CARTH. *in Psal.*

Quid est aliud, peccatum celare, quam ignem in sinu portare? Retinere in conscientia mortale peccatum aliquod, nihil aliud est, quam proditorem proprium in domo sua retinere, ut insperato eum tradat in manibus inimicorum suorum. S. BERN. tom. I, ser. XV. ar. 3, cap. I.

Pigeat sane peccare, sed non pigeat pœnitere; pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? Quis sanandis vulneribus invidebit? PACIANUS, in *ep.* I.

JUCUNDITAS. — Confessionis Sacramentum velut sinus pacatissimus est, in quo hominum conscientiæ religantur, ne a procellis absorbeantur. S. LAUR. JUSTIN. *de Disc. Mon.* c. XIX.

Tantum relevat confessio delictum, quantum dissimulatio agravat. TERTULL. *de Pœnis.* c. XIX.

DIGNITAS. — Videatur vir iste (Job) cuilibet magnus in virtutibus suis; mihi certe sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo, qui volunt, castitatis continentiam, mirentur integritatem, mirentur viscera pietatis; ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum; scio enim, quod per infirmitatis verecundiam, plerumque gravioris est certaminis commissa peccata prodere, quam non admissa vitare. GREG. l. XXIII, *Mor.* c. X.

Confessio est mater indulgentiæ. CHRYSOST. *de Confess.*

Confessio ornamentum est animæ. S. BERN, *in epist.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Scito, quod antiquus hostis omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, et ab omni devoto exercitio evacuare. Displicet illi humilis confessio, et si posset, a communione cessare faceret. L. III, c. VI.

Diligenter examina conscientiam tuam, et pro posse tuo vera contritione et humili confessione eam munda et clarifica, ita ut nihil grave habeas aut scias, quod te remordeat, et liberum accessum impediat. L. IV. c. VII.

Propter aliquam parvam tribulationem vel gravitatem, sacram ne dimittas communionem, sed citius vade confiteri, et omnes offensiones aliis libenter indulge. L. VI. c. X.

Quid prodest diu tardare confessionem, aut sacram differre communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium; et senties melius, quam si diu distuleris. Ibidem.

EXEMPLA EXTERNA.

QUALITAS.. — Filii Israel afflicti per ignitos serpentes, confitentes peccatum suum venerunt ad Moysen atque dixerunt Peccavimus. NUM. V.

Christus leproso a se sanato dixit : Vade, ostende te Sacerdoti. MATTH. VIII, 4.

Prædicante S. Paulo, multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos.

Dæmon quidam ex obsesso exire jussus, dixit, tres esse in obsesso Dæmones, quorum primus vocaretur *claudens cor*, ne possit peccator contritionem elicere ; secundus *claudens os*, ne confessionem faciat ; tertius *claudens bursam*, impediendo restitutionem, et hunc plurimum efficere. *Spec. Ex*, dist. IX, ex XXXVIII.

Quidam vir sanctus multos mortales ad Confessionis Sacramentum confluentes cum vidisset, inter illos etiam dæmonem conspicatus, quæsivit, cur tam sollicite inter eos circumcursitaret ; cui respondit dæmon, se hominibus quod abstulisset, pudorem nempe, restituere. CASSIAN. Coll. II, c. XI.

Zelantissimus Rex Ludovicus, non nescius, vel ab unius peccatoris malitia navis dependere interitum, nihil urgebat instantius quam sinceram nautarum cum Deo reconciliationem, crebramque confessionem. Inter cætera dixit eis verbum notabile et memoria dignum, videlicet, quod si interim, dum unus nauta confiteretur peccata sua, navis officio suo forsitan indigeret : Ego, inquit, Rex, libenter manum meam apponam sive ad chordam trahendam, sive ad aliquid aliud faciendum. RAYN. anno 1254, 18.

Cum B. Ludovicus Beltrandus Valentiæ in conventu S. Dominici ageret, accessit, ad eum flagitiosus quidam enormissima confessurus peccata ; dum igitur confiteretur, ad uniuscujusque criminis pronuntiationem, vultum intuebatur hominis sancti, motus ejus observaturus et gestus ; videns autem diuturna adeo maximorum scelerum recensitione necquidquam immutari Sanctum, imo eamdem vultus sui conservare jugiter lætitiam frontisque serenitatem, subjunxit tandem, adhuc unum sibi superesse, quod panderet, peccatum, jam jam commissum, sinistri nempe judicii quod formaverat circa Sanctum, existimans ipsum eadem aliquando aut similia perpetrasse crimina, quando quidem nullum ediderat indignationis signum aut motum, tam abominabilia audiens flagitia. Cui servus Dei respondit : Confiteor equidem, malitiam meam tua longe superiorem esse, agnosco me maximum mundi peccatorem ; nihilominus per Dei gratiam nullum ex omnibus a te recensitis sceleribus admisi unquam, attamen illa sine alteratione omnia auscultavi, qui mox te ad meos pedes prostravisti, tua audivi peccata, non quasi eadem tibi placere crederem, sed qui te eadem summe detestari præsumpsi ; non quasi in iis perseverare, sed maxime ab illis te abhorrere existimavi ; dolui equidem, te ea commisisse et magis exultavi, dum audivi te eadem confitentem. MANSI, *disc.* III, 15.

NECESSITAS. — Quidam obierat in exercitu miles, dumque post trium annorum spatium aliqui locum, ubi ingens contigerat strages, pertransirent, tantisper subsistentes, cum editissimum cadaverum acervum spectarent, emissam inter ossa subinde vocem exaudivere, faustissima Jesu Christi Salvatoris, et B. Mariæ Virginis nomina resonantem ; admiratio simul et pavor hos incessit ; cum ad verba subticuissent, eadem paulo post quasi difficulter expressa accepere. Dum vocis locum inter ossa disquirerent, potenti desiderio succensi, loquax inter cadavera caput inveniunt, quod ubi homines sibi adesse novit : Quid tam, inquit, stupidi, quid hic statis viri ? Christianus ego sum, et magnæ Deiparæ Mariæ semper addictus, inexpiatus, inconfessusque in hoc bello occubui ; magna Diva in cujus tutela vitam degi, me æterni supplicii reum esse non patitur ; hæc me adhuc linguæ compotem servavit, ut et delicta fateri, et animum sacris rite Apostolicis lustrare queam ; proinde Sacerdotem, qui confessionem exaudiat et me expiatum reddat, accersite quæso. Accersito e pago proximo Sacerdote, confessionem rite peregit, et impetrata omnium errorum remissione, acceptaque novissima lustratione, id defuncti caput repente obticuit, perpetuoque quievit. RAYN. an. 1415, n. 54.

Joannes Raulinus, Ordinis Cluniacensis scribit, viduam miræ pietatis, et in pauperes profusam, apud Episcopum, cui confitebatur, sanctitatis nomen habuisse ; quæ semel oculos in herilem famulum conjiciens, turpem inde cogitationem concepit, qua se oblectabat, facinus ipsum exosa, ac deinde cogitationis peccato doluit ; quia tamen opus ipsum non admisit, confiteri neglexit ; nec multo post lethali morbo correpta, rursus ea turpi cogitatione pulsatur ; qua dum delectatur, moritur, relicta apud Episcopum sanctitatis opinione, uti et apud omnes. Episcopus eam celebri pompa in sacello suo instar thesauri tumulo condi curavit : sed nocte sequenti, cum eo se reciperet, ut matu-

tinas horas recitaret, ædicula tota incendio absumi visa est. Deo tamen confisus intrat, et cadaver mulieris craticulæ candenti impositum cernit, affusa undique dæmonum turba, coquentium in morem, pars tædis ardentibus rogum succendens, pars ferratis contis susque deque miseram vexabat. Eam ut agnovit, adjuravit, ut ediceret, quod commeruisset. Respondit se damnatam, ob solam delectationem animo conceptam ex unica cogitatione. RAULINUS, *Dom.* XVIII, *post. Pentec.* § 3.

Quidam Princeps, cum frustra ab uxore ad confessionem sollicitatus, semper respondisset, non credere se quod alia vita aut pœna post hanc vitam superesset, denique noctu a dæmonibus abreptus, et in infernum deportatus est. Uxor vero cum Deum rogasset, ut statum viri sui manifestare dignaretur, mane corpus ejusdem quasi titionem denigratum reperit, ac in manu chartam, in qua scriptum erat: Jam certus factus sum, quia infernus est, et timor, quem habui ad agendam pœnitentiam, me illuc deportavit. *Spec. Ex. v. Confess. ex.* XXI.

Mulier quædam, cum gravissima peccata adulterii et fornicationis commisisset, erubescens illa confiteri, largas eleemosynas pauperibus distribuit, sperans se illarum merito salvatum iri; sed frustra, nam paulo post mortua filio monacho apparuit terribili aspectu, et a duobus draconibus, qui illi in pœnam duorum filiorum occisorum assignati fuerunt, crudeliter dilacerata, dixitque, se ob verecundiam suam, qua peccatum suppressit, æternum damnatam esse.

Alia quædam mulier cum semper in corde retinuisset peccatum, quod præ verecundia confiteri non audebat, quotidie tamen templum adivisset, Deumque pro remissione illius peccati orasset, conspecta est a dæmone super caput ejus triumphante mirum in modum irrideri; qui cum causam risus interrogaretur, respondit: Cur non merito riderem, videns istam mulierem sine confessione salvari velle, sicque ejulantem ad inferos descendere. IBID. ex. XXX.

Cum duo Patres Prædicatores, per castrum quoddam transeuntes, confessionem cujusdam mulieris audivissent, illius ex ore, quoties peccatum aliquod confessa est, bufonem exire socius vidit, sed tamen singulos postea cum longe majori bufone redire, quia scilicet peccatum quod undecim annis nunquam confessa erat, iterum suppresserat. Qua de causa paulo post suffocata, petentibus a Deo Prædicatoribus, ut statum hujus mulieris aperire dignaretur, eis apparuit terribili draconi insidens, et lacertas in capite, canes in manibus, bufones in oculis, sagittas igneas in auribus, et ignem sulphureum in ore, crudelissimo cum cruciatu patiens; postquam omnium horum tormentorum causas, varietatem scilicet peccatorum explicasset, ex eorum oculis evanuit. IBID. ex. XXXII.

Confessionem imperfectam faciens femina ad vitam redire permittitur, ut perfecte confiteatur, quia quotidie B. Virgini occultum suum, et nulli sacerdoti manifestatum, peccatum aperuit. IBID. ex. V.

In Indiæ Orientalis urbe Itata, circa Annum 1590, puella quædam Catharina nomine, clandestinis libidinibus assueta, de illis nullum verbum in confessione dixit. Igitur cum in periculum incidisset, et a Societatis Jesu sacerdote visitata, deque accurata confessione instituenda commonita fuisset, novies quidem illam, sed semper sacrilege peregit, id agente (ut uni ancillarum ipsa retulit) Diabolo, ut libidines suas, tanquam nullius momenti res, occultaret, de vulgaribus se accusaret, licet eodem tempore S. Maria Magdalena ex dextro latere contrarium suaderet. Qua de re monitus Pater, cum ad moribundam rediisset, et graviter admonuisset, nihil tamen ageret, extincta est puella, quæ paulo post uni ex domo horribili aspectu, et flammis undique circumdantibus, conspecta, narravit se ob celata peccata æternis addictam suppliciis et jussu Dei missam, ut ejus exemplo saperent alii. Quod idem confirmavit Dei Angelus, jussitque ad aliorum exemplum evulgari. De cujus vita interrogati parentes, hoc unum edixerunt, vivacioris eam fuisse ingenii, cum pueris libenter ac frequenter egisse, nec unquam confessionis Sacramento expiatam fuisse. *In litteris annuis Soc. Jesu an.* 1590.

UTILITAS. — David reprehensus a Nathan Propheta super peccatum adulterii et homicidii dixit: Peccavi! et audire meruit: Dominus transtulit peccatum tuum. REG. XII.

Nehemias dixit: Confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi; et ego et domus patris mei peccavimus. Vanitate seducti sumus. Et exaudivit Dominus orationem ejus. NEHEM. c. I.

Miles quidam, cum noctu a latere uxoris secedens cum alia adulterium commisisset, tam fœdo aspectu rediit, ut et uxor et an-

cillæ monstrum ratæ aufugerent. Quare ad se rediens summo mane confiteri statuit, sed et tunc bestiæ ac pastores earum occurrentes, ob fœdum aspectum fugerunt, donec ipse ad fores Ecclesiæ, quas Parochus, horas tum forte recitans et eo conspecto fugiens, post se clauserat, se prosternens, dixit : Miserere, Pater sancte, miserere miserrimi peccatoris ; non enim sum ille, qui videor, sed hoc mihi peccatis meis exigentibus accidit, ut in me quasi larvalis facies videatur, sed pœnitenti injunge quod vis, et hic de me, quod voluerit Deus, expectabo. Nec mora, ubi audivit Sacerdos confessionem, magna cum contritione multisque lacrymis peractam, larvalis illa confusio detersa est, et propriam faciem cum integritate recepit. *Spec. Ex. verb. Adult ex.* v.

Magister Thomas, Theologus, cum, in præsenti expeditione, in castro peregrinorum, in camera quadam, lecto decumbens esset moriturus, vidit diabolum in angulo stantem ; quem cum cognovisset, voce S. Martini allocutus est eum, dicens; Quid hic astas, cruenta bestia? Dic mihi, quid est, quod maxime vobis noceat ? Cumque ille nihil responderet, subjunxit: Adjuro te per Deum, qui judicaturus est mortuos et vivos, et sæculum per ignem, ut dicas mihi hujus interrogationis veritatem. Ad quod dæmon respondit : Nihil est in Ecclesia, quod tantum nobis noceat, quod sic vires nostras enervet, quam frequens confessio ; quando enim homo in peccatis est, peccatis dico mortalibus, omnia ejus membra ligata sunt, neque tunc potest se movere. Cum vero peccata eadem confitetur, statim liber est, et mobilis ad omne bonum. Quo audito, Doctor ille bonus, et crucis Christi fidelis prædicator, lætus expiravit. CÆSARIUS l. XI, c. XXXVIII, *Spec. Ex. V. Confess. ex.* XV.

Cum novitius quidam, ex ordine S. Dominici, facta confessione, post matutinum ante altare paululum obdormisset, vocem sibi dicentem audivit : Vade, et iterum rade caput tuum. Qui evigilans interpretatus est repetitionem confessionis sibi imperari, S. Dominicum adiit, meliusque circumstantias omnes explicavit. Quo facto, cum ad quietem se recepisset, Angelum de cœlo descendentem, qui auream coronam in capite illius posuit, conspexit, mireque ob hoc gavisus est. *Spec. ex v. circumstantiæ.*

Cum aliquando Sacerdos quidam tempore Quadragesimali confessiones audiret, inter alios juvenis quidam robustus novissimus ad tribunal accessit, et enormia crimina confessus est. Quæsitus ergo a Sacerdote obstupescente gravitatem delictorum, quis esset? respondit dæmonem se esse, et quoniam vidisset alios homines, licet sordibus plenos confessionis sedem intrasse, nive tamen candidiores exire, concepisse desiderium pariter confitendi ; si forte spes esset similem effectum consequendi. Cui Sacerdos : Polliceor tibi hoc, inquit, si pœnitentiam a me impositam suscipere volueris, et ter dicere : Domine Deus, Creator meus, ignosce mihi, quia peccavi tibi. Sed ille hoc sibi non esse possibile dicens, ex oculis evanuit. IBID. ex. XX.

Mulier quædam ob iracundiæ suæ intemperiem omnibus intolerabilis, cum ad S. Malachiam adducta, ejusque suasu confessa fuisset, adeo mansueta effecta est, ut omnes manifestum esse hanc Dei virtutem dixerint, eamque propterea vehementer laudarint. Ibid. *Ex.* XX.

Cum quidam adolescens Parisiis peccata sua exprimere erubesceret, ideoque legenda daret, affluentibus tamen interea rivulis lacrymarum, confessarius prius ea legens, et postea ad Superiorem consilii petendi gratia accedens, dum ea iterum legere parat, omnia deleta invenit. CÆSARIUS, *apud Daurolt.* c. v, tit. XXXIX, *Ex.* 12.

Birgerus, S. Brigittæ pater, singulis feriis sextis solebat peccata sua confiteri, dicens : Ita me parabo ergà Deum, ut, quidquid cæteris diebus ille mihi præstiterit, æquo animo ferre queam. SURIUS, *in Vita S. Brig.* 22, *Jul.*

Unde idem etiam postea S. Birgitta, et maritus illius Ulpho fecit, cujus animam cum ipsa in Purgatorio vidisset, et quæsiisset quid maxime illi profuisset ad salutem? respondit ille : Confessio mea, singulis feriis sextis peracta. LUD. BLOS. *in Monil.* c. V.

Norimbergenses quondam a Carolo V, Imperatore, postularunt ut confessionem auricularem imperatoria potestate introduceret iterum; nam experientia se comperisse, ab eo tempore, quo ea abolita est, Rempublicam suam vitiis contra justitiam aliasque virtutes abundasse. DOM. SOTO, IV, dist. 13, qu. I, art. 1.

S. Astion martyr, per confessionem liberatus fuit a turpi cogitatione, et diabolus ab eo, in specie nigri pueri cum ignea face discedens, dixit : Confessio tua, o Astion, ma-

gnas meas vires contrivit, et inermem me reddidit, FABER. con. III *in Domin.* IV, *Quadr.*

Nobilis quidam Burgundus primos ætatis suæ annos in maxima traduxerat pietate et modestia Christiana, at laxatis tandem habenis viam aggressus est licentiosam, quam dum calcat infrenis, improviso percellitur horrore, contabescit pallore, melancoliæ obruitur mœrore. Squalenti mente tabescens incidit in languorem, nec tamen Dei manum castigantis agnovit, sed mala malis accumulans, pallore vultus et macie quasi homo ignis æterni miserabiliter habilitabatur ad pœnam; cumque nulla medicorum cura proficeret, nec saltem ei languentis vitæ causam aliquis aperiret; tandem in se reversus solam miseriæ corporalis causam, languorem animæ, divina miseratione præventus, pœnitens intellexit; ut primum, per benignissimi Salvatoris gratiam, tristitiæ suæ originem a mala conscientia procedere intellexit, lacrymosam indilate instituit confessionem. Statim ubi beneficium absolutionis accepit, similitudinem fere bubonum habentium in facie, sed diversificata posterius septem animalia, cute teterrima et parva, quasi vitiorum septem dæmonia, de se simul ejecit. Mira res! (exclamat mox idem auctor) vix modico temporis spatio interjecto, in tabem animalibus resolutis, reflorere cœpit caro et facies pœnitentis, menteque et corpore integerrime sospitatus, multis postea profuit ad exemplum. THOM. CANT. l. II, c. L.

Alius quidam nobilis Romanus ad S. Gregorii monasterium se receperat, ubi dum mortui cadaver Ecclesiasticæ sepulturæ inferendum deportaretur, tumulumque sequeretur energumenus, nobilis ille alloquendi occasionem nactus, eumdem de variis curiose interrogare cœpit, qua tandem molestia victus arreptitius: Tu quoque, ait, obsessus es. Quæ verba imbellem animum tanto impleverunt pavore, ut veritus se veraciter a dæmone obsideri, a Sacerdote quantocius sacros sibi mandarit adhiberi exorcismos; atque ab exorcista subinde de nomine adjuratus, varia recensebat nomina dæmonum, ita ut multi eum obsessum arbitrarentur. Ast cum continua exorcismorum repetitione vis morbi invalesceret crudelius, quatuor primariis urbis medicis se curandum commisit, cui quo plura propinabant medicamina, eo magis augebatur infirmitas; inque eam demum corruit macilentiam, ut vix ossibus hæreret pellis. Tandem igitur admonitus fuit, ut S. Philippum conveniret, tunc adhuc viventem; ast sanum cosmophilo detrectante consilium, de rei veritate certificatus Sanctus, infirmum invisit, edixitque eum ab immundo spiritu non obsideri, quem variis deinde modis demulcens, tandem de generali confessione instituenda admonuit; audiit ille, et obediit, moxque pristinam perfecte recuperavit lætitiam, ac sanitatem. *In Vit. S. Philip. Ner.* l. II, c. X, n. 1.

Henricum Susonem per decem solidos annos continuæ exagitarunt ad desperationem impellentes tentationes, suggerente diabolo, eum de numero esse præscitorum, nec salvandum unquam. Postquam ergo annis decem teterrimam hanc afflictionem toleraret, atque toto illo tempore nonnisi damnatum se respexerat; venit tandem ad virum sanctissimum D. Eckardum, Theologiæ Doctorem, cui cum suam explicasset miseriam, illius consiliis per confessionem liberatus est. BOLLANDUS, 25 *Jan.* c. XXIII.

Fuit quidam, qui dæmonem peccata aliorum detegentem audire desiderans, propter turpia quædam, quæ commiserat peccata, appropinquare non audebat, timens sibi illa coram omnibus improperari; et veniens ad Sacerdotem confessus est universa, voluntate tamen peccandi retenta, factusque ex eadem confessione securior, ad domum venit. Mira res! Mox ut limen attigit, et introspexit, dæmon in aere clamavit: Amice, veni huc, veni, certe bene dealbasti! Et statim coram omnibus omnia ejus peccata turpia, licet confessa, prodidit, vehementer illum confundens. Tristis effectus, et conscientia accusante in se reversus, ad Sacerdotem rediit, quæ gesta sunt retulit, confessionem iteravit, et quia de reliquo emendatius vivere vellet, de corde pollicitus est Deo, et Sacerdoti. Tunc Sacerdos: Modo, inquit, reverterre securus, non te confundet amplius. Et fecit sic. Intrante eo domum, quidam ex circumsidentibus dæmoni dixerunt: Ecce amicus tuus iterum venit. Quibus ille respondit: Quis est? Ille, inquiunt, cui paulo ante tam turpia peccat. improperasti. Respondit dæmon: Ego ipsi nihil improperavi, neque aliquid de eo novi mali. Et æstimarunt dæmonem mentitum fuisse hi, qui hominis ignoraverunt confessionem. Sicque per virtutem confessionis ipse evasit notam maximæ confusionis. CÆSARIUS, l. III, c. VI.

Legitur in *Scala Cœli* Joannis junioris Dominicani, quod duo boni fratres oberrabant in montibus Hiberniæ, qui viam invenire non valentes, dum aspicerent ante se, viderunt quemdam hominem parvæ staturæ. Quem cum vocassent, cœpit eos fugere. Qui cum secuti fuissent eum, requisita via noluit respondere. Sed cum instarent, et inquirerent quis esset, dixit : Triginta annis dæmonibus servivi, homagium eis feci, et sigillum eorum in manibus meis porto, visitant me in diversis figuris, et quidquid præcipiunt, facio semper. Cumque unus illorum sermonem ei faceret, allegando acerbitatem pœnarum inferni, vilitatem peccati, et infinitatem divinæ misericordiæ, ille compunctus quærit consilium, quomodo posset salvari. Tunc Fratres : Confitere omnia peccata tua; quia virtus confessionis tanta est, ut frangat omnem potestatem diaboli, mitiget omnem iram Dei, et induat te omni virtute. Cum ergo ille cum perfecta contritione confessus fuisset, statim sigillum dæmonis est abrasum. Tunc Fratres : Ut cognoscas magis virtutem confessionis, sta hic in nemore confidenter, et si diabolus, cui tu fecisti homagium, dum venerit, te non cognoverit, Deus tibi indulsit peccata tua. Qui confisus de misericordia divina dæmonem expectavit. Et postquam cum Magis equitaturis, post recessum Fratrum, venisset dæmon, interrogavit hominem, si servum eorum vidisset? respondit : Ego sum ille, qui triginta annis servivi tibi. Tunc dæmon : Mentiris nequam, non vidi te, sed quæro illum, qui sigillum meum habet in manibus suis. Ille ergo audiens accedit ad Fratres, et perseveranter Deo servivit. *Specul. Exempl. v. Confessio, exempl.* 26.

Cum latro quidam, monachus futurus, peccata sua omnia confiteretur, conspectus fuit a spirituali quodam sanctoque viro procerus quidam ac terribilis, qui conscriptam chartam et calamum tenebat, et cum latro ille humi prostratrus peccatum confitens pronuntiaret, hoc ille calamo delebat. Qua visione intelligi voluit Deus, per temporalem confessionem eos, qui confitentur ab æterna confusione liberari. S. Climacus, *in Climax*, iv.

Serapion Abbas cum adolescens esset, in eam prolapsus est consuetudinem, ut gulæ intemperantia victus panem unum occulte comederet, cumque hoc vitium quotidie defleret, et quotidie tamen recideret, demum aliquando in plurimum Patrum consessu interioribus stimulis adactum, prodiit in medium, suamque hanc culpam omnibus confessus est. Tum vero ipsius magister, homo prudens et spiritualium rerum gnarus, jussit eum bono esse animo, quoniam adversarium, a quo antea suo silentio victus esset, nunc præclara illa confessione vicisset; quibus verbis vix ab eo finitis, quamdam quasi sulphuream facem ex juvenis sinu, in quo antea panem committere consueverat, exiliisse, quæ tanto locum illum fœtore replevit, ut vix ullus consistere potuisset ; id autem ab omnibus sic acceptum fuit, ut intelligerent, dæmonem esse, qui superatus abscederet. Et ab eo tempore Serapion, ut ipse de se testatus est, nunquam amplius in vita sua ullum furtivi illius desiderii vel minimam titillationem sensit. Plat. l. IV, *de Bono Statu Religionis* c. xxi, *et ex Collation. Cassiani*, cap. x.

Cum Archidiaconus Trevirensis a Nicetio Episcopo Trevirensi pro adulterii crimine pulsaretur, Sacramento confessionis se ad sepulchrum Sancti Maximini purificari expetiit, ingressusque primum criptæ limen, restitit quasi stupens, de hinc descendens per gradus ad illud ostium venit, cumque ad tertium accedere vellet, protinus febre correptus ingressum amplius figere non audens, crimen quod imputabatur, in discrimine mortis positus, est confessus, deprecans populum ut pro se vel sancti Antistitis, vel Episcopi sui suffragia flagitaret, sed statim ut confessus fuit ab impulso febris erutus et a suo Antistite fuit in charitate receptus. Gregor. Turon. *de Gloria Confession.* cap. 93.

Jucunditas.

Quidam vir locuples cum Antuerpiæ audivisset, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ facta debita discussione memoriæ non occurrerent, omnia media adhibuit ut grave aliquod peccatum, quod manifestare ipsa morte et damnatione gravius illi acciderat, oblivisceretur. Sed cum frustra omnia tentasset et tandem in Patrem Societatis Jesu incidens, ab eodem pio stratagemate ad confessionem adductus esset, in has demum voces erupit : Quantum bonum est, mi Pater, peccatorum confessio ! Quam securum me lætumque reddidit ! Quam multa tristia sum passus, confessionem fugiens,

quæ facile evadere potuissem, si conscientiæ parere voluissem! JOAN. CROMBEEL. l. II, *de Perf.* c. II.

Sacrilega Punitio.

Anno 1560, Cræmonæ matrona nobilis demortua superstiti filiæ post septimanas aliquot se sistit, porcelli excoriati ignitique specie cum fœtore deterrimo : Noveris, aiebat, esse maledictam matrem tuam, quæ sanctam et inculpatam videbar agere vitam, sed perii ! Cur? Propter quædam enormia, detestandaque peccata, quæ ego cum patre tuo marito meo, fœdissime perpetravi, et præ verecundia nunquam confessa sum. Subjunxit plura alia saltitans per scamna, per arcas, ac spurcissima damnatæ incontinentiæ signa relinquens in thalamo, quæ signa vidit Damianus Bousfolius, Quadragesimalis concionator Cremonæ, vidisseque se, palam professus est, ut refert Joannes Bisselus ; et erat tamen in frequentandis Ecclesiis, erogandis eleemosynis, reformanda familia domestica prorsus singularis et eximia, et passim sanctitatis idea dicta. HARTUNCH. *Dom.* III. *Quadrag.* § 11.

CONFESSIO AUDITA. — Quidam Frater, bonus prædicator, habens multos filios et filias confessionis, hanc virtutem habuit, quod paupercularum et devotarum personarum confessiones libenter audiebat. Quo jacente in extremis, quædam devota mulier vidit in excessum mentis, quod idem Frater erat filius perditionis, usque dum spiritum exhalare debuit, et tunc Dominus misertus salvavit ipsum. Nam ejus anima egressa descendit in gravissimas incendii pœnas, sed ipsa die mortis suæ vidit lacrymas et orationes devotarum filiarum suarum magnam partem incendii ejus extingere. Hora autem liberationis ejusdem Fratris de Purgatorio, venit vox ad eamdem sororem dicens : Propera ante altare S. Catharinæ, quia ibi hodie dedicatio erit (in isto enim altari idem Frater solitus erat celebrare). Quæ jussa complens vidit Fratrem illum duci e Purgatorio, et venire super idem altare, et protinus multi filii et filiæ ejus, qui ante obierant, et ad Patriam discesserant, descenderunt de cœlo, eumque secum in cœlestem Jerosolymam adduxerunt. *Spec. Ex. V. confess. ex.* XVIII.

Franciscus Brixiensis, in conventu S. Bartholomæi, prope Fulginium, si alicujus pœnitentis, quem exiguum dolorem de peccatis ostendere adverterat, confessionem exciperet, adeo obruebatur lacrymis, ut ipsum ad perfectam compunctionem adigeret. Cumque a quodam familiari Fratre semel importunius interrogaretur, cur ita aliorum peccata deploraret ? respondit esse cujusque fidelis commissa in Deum peccata deflere, et cuique a Domino (maxime vero Minoritæ, qui peccata populi comedit,) de proximo suo mandatum esse. MARCH. V. v, *in Hort. Past.* lect. VIII.

Cum quidam Sacerdos ad pœnitentem infirmitate lethali oppressum vocatus, eumdem ob gravitatem scelerum desperantem reperisset eumdem sic allocutus est : Ego spoliabo me omnibus bonis et meritis totius vitæ meæ, et illa in te transferre volo ; tu vero spolia te omnibus peccatis tuis, et in me transferas, ego pro illis Deo respondebo, et pœnitentiam agam ; sicque noli desperare. Cumque illi placuisset permutatio, ulterius dixit : Ecce nunc teneris mihi aperire, quæ mala feceris, ut sciam, de quibus tenear pœnitentiam agere. Tunc ille libere ordinem vitæ suæ cum omnibus flagitiis, quantum in se fuit, aperuit. Cui Sacerdos : Numquid et de his tu mecum doles, et si absolvere ab illis te possim, idipsum optas? Cumque ille omnino se id optare affirmaret, absolutionem ei impendit, cum qua paulo post mortuus est. Post mensem autem apparuit huic confessario, et dixit, in via salutis se esse, quærentique, quomodo res circa merita, quibus se spoliaverat, haberet, respondit : Deus tibi duplicata reservat ob eximiam charitatem, qua meam desperationem evicisti. Ibid. *ex Spec. Ex. tr. Desperatio.*

Confessarii perfidia.

Anno 1579, caupo truculentus, apud Tolosates, exceptum hospitio advenam, jugulavit in hypogæo clam omnibus, ac ne domesticorum quidem ullo, vel sceleris administro, vel conscio. Post aliquod tempus, tangente Deo cor homicidæ, expiavit conscientiam apud confessarium, eique cædem advenæ, et cædis modum, ac sepulturæ locum aperuit. Nunquam comparente post non breve tempus eo, qui cæsus fuerat, cognati omnes latebras frustra scrutari, præmium publice proponunt per præconem, iis qui renuntiarent, quid illo homine factum esset. Cauponis confessarius, quæstum æstimans pietatem, audita mercede non

contemnenda indicibus constituta, furtim admonuit quærendum esse in hypogæo cauponis; ibi enim infossum jacere, qui desiderabatur. Refossum est cadaver, et comprehensus caupo, priusquam tormenta admoverentur, reum se cædis fassus est; quam tamen constanter negavit, ab ullo mortalium, quam a confessario suo prodi potuisse. Senatus apprime catholicus, comperto eo corrupto fonte notitiæ, qua caupo gravabatur, habuit eum pro innoxio, nec passus est perfidi et omni nota ac mulcta digni confessarii delationem nocere reo, sed donec is aliunde patratæ cædis insimularetur, pronuntiavit insontem. THEOPH. RAIN. *in Prat. Spirit.*

EXEMPLA DOMESTICA.

Confessio audita.

S. Ignatius, anno 1553, 22 Julii, pro tota Societate statuit, ut sacerdotes, qui audiunt confessiones, præcipue feminarum ac juvenum, semper ad unum se convertant latus, numquam gerendo vultum adversus faciem pœnitentis, quin potius aures illis advertendo, et, ubi craticula non est intermedia, ponendo manum inter suam et pœnitentis faciem, nec eum respiciendo nisi in fine, vel ab initio, si volet. Hujus rei sacristanum constituit syndicum, ut is etiam inadvertenter transgredienti pœnitentiam imponat unius diei abstinentiam a carne et vino. *Ex Ital. manus.*

S. Franciscus Xaverius sequentia monita confessariis dabat. 1. Ut in confessionibus audiendis, animorum sanandorum cupiditate accensi, comiter benigneque confitentes exciperent, quo spiritualium medicorum lenitas eos pelliceat ad omnia conscientiæ vulnera haud cunctanter aperienda. Proinde ne initio saltem confessionis gravitatem, severitatemque præseferrent, sed facilitatem potius ac lenitatem. 2. Ut pecunia neque restitutionis, neque eleemosynæ nomine pauperibus dividenda acciperetur, sed vel arbitrio erogantium, certis piis operibus nominatim, vel generatim sodalitati misericordiæ, vel alteri attribuendam curet. Quod si qui ad confessionem accederent, non tam peccatis animorumque suorum incommodis, quam paupertati ac difficultatibus rei familiaris remedium petituri, hos de usu sacræ confessionis admonitos ad curam traduci volebat animorum, demonstrando, quanto graviora animorum sint incommoda, quam corporum. 3. Ut confitentibus non festinatam, sed diligentem navent operam, ac præoptent confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas. 4. Ut sumpto spatio in auditas a se confessiones inquirant, videantque, ecquid in delictis aliorum expiandis ipsi deliquissent, et quæcumque in alienis expiassent confessionibus, expiarent suis, eaque delicta in posterum summa vi corrigere niterentur; hoc quippe studium ad recte atque utiliter obeundum munus Confessarii maximo adjumento futurum. *Vita*, l. IV. c. XXIII.

P. Petrus Faber confessiones audiens, cogitabat se scoparum instar esse, quæ cum cætera verrendo purgarint, ipsæ sordidæ relinquuntur. Ad hanc ergo operam famuli instar suum studium Christo obtulit, precatusque est hominibus Societatis, ut scopæ illius fieri et appellari possent, habere enim Deum in domo sua, multa nobilia instrumenta, sibi autem et aliis sociis abunde fore, si scoparum loco esse concederetur, cujus rei gratia aliquando Sacrificium obtulit, ut ipse et socii dici possent splendidæ Christi et gloriosæ scopæ. *Vita*, l. II, c. XII.

P. Vincentius Cassagnola cum in confessionali quotidie per multas horas sederet, sæpe autem nemo in templo esset, rogatus causam, cur nihilominus tam constanter sederet? egregium hoc responsum dedit, mercatores et opifices sæpissime, cum nihil vendunt, spe tamen lucri in suis tabernis otiosos considere. *Annal. Sic. Coll. Mess.* 1604.

P. Joannes de Cetina, quatuor votorum professus, annos quadraginta quatuor, quamdiu scilicet in Societate vixit, audiendis operam dabat confessionibus. Sedebat vero in sacro tribunali horas omnino sex mane, a prandio paululum pauciores. *Annal. Tol. Coll. Madr.* 1613.

P. Bernardinus Crepsin etiam non vocatus descendebat ad confessionale, itaque suos perficiebat, ut, qui ei confiteretur, vulgo apud omnes sanctus haberetur. *Annuæ Arrag. Coll. Balear.* 1602.

P. Sebastianus Molineus, parum doctus sed valde sanctus, ad corrigendos pœnitentes suos sæpe disciplinam per septem Psalmos Pœnitentiales fecit. Semel ad lucrandum monialem Deo et Regulis resistentem, mille ictus sibi inflixit, et eam lucratus est. *Annuæ Tolos.* 1598.

P. Guido Bellinus, nonaginta quatuor annorum senex, ad ultimum usque spiritum confessionibus audiendis operam dedit. *Prov. Med.* 1601.

Quidam in Collegio Taurinensi dum in confessionibus audiendis tenuissimo cuique dat operam, tanta divinæ dulcedinis ubertate completus est, ut nunquam meminerit, se majorem expertum fuisse. Ibidem 1684. *Coll. Taur.*

P. Silvester Landinus ab horis antelucanis usque ad secundam noctis horam nullo tædio, nulla fatigatione confitentes audiebat. *Hist. Soc. ep.* II. l. VIII. n. 13.

P. Consalvius Mederius post Sacrum mane factum, toto matutino tempore pedem e confessionali non efferebat, nisi obedientia vel charitas avocaret. Severissime autem ab hoc judicio sacro alienas sermocinationes arcebat. *Hist. Soc. ep.* I. l. XII. n. 66.

P. Valerianus Rendux ad cæcitatem redactus, quoad vixit studiosus externorum Confessarius fuit. Primus sine ductore accedere solitus ad confessionale, quamvis per varios anfractus incedendum foret, et in remotissima templi parte situm. LANC. *op.* XI. c. VI. n. 97.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut in ædibus facimus, inveteratas perpetuo restituentes; ita et in teipso facias. Peccasti hodie, inveterasti mentem tuam; ne desperes, ne recidas, sed renova ipsam resipiscentia, lacrymis, confessione, bonorumque operum studio. S. CHRYS. hom. XX. *in ep. ad Rom.*

Sicut homines vitia corporis nequaquam temere aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem ea curandi tenent; sic et confessio peccatorum fieri debet apud eos, qui curare possunt. S. BASIL. *in regul. brevior.* q. 219.

Sicut lupus os seu guttur ovis occludit, ne clamet, et clamore suo canes excitet; ita Dæmon hoc molitur, et in hoc insidias struit, ut peccator nec per orationem ad Deum fusam, nec per detectionem delicti apud Sacerdotem, neque per petitionem consilii crimina sua ad salutem consequendam declaret. S. AUG. tr. XLVI, *in Joan.*

Sicut in civitate, licet omnes portæ sint clausæ, si tamen murus esset ruptus in aliqua sui parte, inimici intrarent per illam rupturam, et caperent civitatem; ita inimicus diabolus animarum, retento unico peccato, intrandi aditum per illud peccatum habet in animam. S. BERN. SEN. tom. IV, s. XX.

Sicut prima lex, quam medicus infirmo ponit, est abstinentia a cibo; ita primum, quod est necessarium pœnitenti, est diæta, scilicet abstinentia a peccatis. Hanc legem imponebat Hippocrates noster Christus ægrotis suis quos habebat in cura, sicut patebat in adultera, cui Christus dixit : *Vade, et amplius noli peccare.* S. BONAV. *in Diœt. Sal.* t. XII. c. XLIV.

ÆQUITAS. — Sicut ad justitiam Dei pertinet, ut nullum malum maneat impunitum; ita ad Dei veritatem, ut nullum peccatum maneat occultum, juxta illum Evangelii textum : *Nihil occultum, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur.* S. TH. VIIL. s. VI. *post Dom.* IV. *Quadrages.*

Sicut, si in domo accenditur ignis, subito exclamas; ita, cum peccasti, subito vadas ad clamorem Confessionis, ad extinguendum peccatum. S. BERN. SEN. l. c.

Sicut in tristibus et adversis rebus humanis expletur lacrymis, egeriturque dolor, et quod in amici sinum effundimus, eo propemodum liberari videmur; similiter faciunt conscientiæ, dum animi sui pondus exponunt. STAPLET t. IV. *in Dom. in Albis.*

Et uberius S. Augustinus : Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumebat. Cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet Medicus fomenta verborum ; tu agnosce Medici manum. Confitere. Exeat in confessione, et defluat sanies. S. AUG. *in Ps.* LX.

Sicut Rex cui multi cives multa deberent, omnibus afferret remissionem debitorum, qui ad eum accederent, chirographum remissionis petituri, quamdiu in illa civitate ageret, post discessum vero nulli amplius debitum condonare vellet; nemo esset, qui non statim ad impetrandum gratis chirographum accurreret, et toties quidem, quoties debitum contraxisset; ita multo magis ad confessionem properandum, ubi talia chirographa spiritualiter dantur.

Sicut indusia, mappæ, et similia ab iis, qui paulo honestioris conditionis sunt, singulis fere hebdomadis mutantur, sed et domus eorum frequenter purgantur; ita multo magis hæc cura animæ per confessionem exhibenda est, ne eamdem corpore viliorem æstimare putemur. ANONYM.

Sicut barbitonsor jubet tondendum sibimet pectere capillos, ne, si ipse id faciat, capillos ei evellat ; ita nunc homo per confessionem seipsum pectere et punire debet, ne ipse Deus id facere olim cogatur. Fab. Conc. v, in *Dom.* 3, *post Epiph.*

Dignitas. — Sicut post morbum remanent ejus reliquiæ, et pravæ in membris dispositiones, quæ nisi contrariis evacuentur medicamentis, ægritudinem facile revocant ; ita in peccatore remanent multi habitus generati, qui, nisi per confessionem et similia media curentur, facile ad antiqua peccata retrahent. Idem, conc. iv, n. 2.

Sicut is qui pedes lavit, nisi sedulo eos extergat statim iterum inquinat, quia aqua pedi adhærens, pulveri commixta, illico lutum efficit ; ita confessio parum proderit, si ipsa etiam peccati radix, occasio, et inclinatio non tollatur. Ibidem.

Sicut templum Salomonis prima vice spatio septem annorum extructum est ; postquam vero ab hostibus destructum est, non nisi quadraginta sex annis reparatum fuit ; ita in Baptismo renati sine labore per gratiam Dei, civitas et domus ejus efficimur ; si autem suadente diabolo ad peccata relabimur, et virtutum mœnia victor hostis vitiorum igne dejicit, necesse est graviori studio afflictionis, et vigiliarum, et arctioris vitæ, bonorum operum ædificia reparare ; nam expertis vitiorum illecebris difficilius caremus quam incognitis, minorisque laboris est incognitam cavere carnis voluptatem, quam rejicere cognitam. Ven. Beda, *in II, Esdr.* iv, c.

Sicut coma, quæ non frequenter pectitur, usque adeo implicatur, ut vix aut certe non sine ingenti labore et dolore extricari possit ; ita et conscientia, quæ non frequenter per confessionem pectitur, intricata valde efficitur, nec sine magno labore purgari et ordinari potest.

Sicut navis sentina quotidie exhauritur, ne navem submergat, si nimium excrescat ; ita et animæ sentina sæpius per confessionem exhaurienda est, ne demum sua multitudine peccata licet levia navem demergant id est, damnationi obnoxios efficiant.

Necessitas. — Sicut vulnus non ostensum etiam sanam carnem inficit putredine ; ita peccatum, nisi confitendo reveletur, etiam, quæ tibi sunt bona, corrumpit. S. Greg. *ap. Mansi*, disc. xvi, n. 5.

Utilitas. — Sicut scorpio, dum ferit, venenatus est, et in oleum liquatus præstans est contra proprium morsum remedium ; sic et peccatum probrosum est, dum admittitur, et in pœnitentiam et confessionem conversum, salutare est et honorificum. S. Franc. Sal. p. i, *Introd.* c. i.

Sicut araneus vitat cubicula divitum, quæ sæpe purgari consueverunt, eo quod in illis suæ telæ mox detergantur ; ita et diabolus, dum videt suas tentationes frequenti confessione dissipari, fugit eos homines, qui frequenter confitentur.

Sicut canum lingua, dum vulnus lingit, curat ; ita Doctores sancti, dum in confessione nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam nostram curant. S. Greg. h. xl, *in Ev.*

Sicut si quis liquefacto auro manum vel linguam injiciat, quamprimum deauratur ; ita anima immersa sanguine Christi, aurea redditur. S. Chrys. hom. xlv, *in Joan.*

Sicut stamina, quo sæpius tinguntur, eo candidiora fiunt, semel autem duntaxat tincta, parum candoris imbibunt ; ita conscientia fit tanto purior, quanto crebrius per confessionem lavatur. Fab. conc. IV, *in Dom.* iv, *Quadrages*, n. 5.

Sicut scarificatio menstrua vel hebdomadaria plurimum conducit ad servandam sanitatem corporis ; ita non minus confessio menstrua vel hebdomadaria ad animæ salutem conducit. Ibidem.

Sicut adultera si tota pudore suffusa prosternat se ante maritum, et reatum agnoscat, in gratiam recipitur ; ita anima peccatrix, quæ Christum sponsum deseruit, et Satanæ se prostituit, merito cum rubore accedit, si gratiam iterum vult inire. Marchan. *tr.* v. *Hort. Past.* lect. 6.

Sicut Samson per virtutem Spiritus in eum irruentis, omnia vincula, quibus ligabatur, disrupit ; ita licet peccator septem peccatorum capitalium vinculis ligatus sit, virtute tamen absolutionis, quæ a Spiritu Sancto est, facile illa dissolvit. Idem. lect. x.

Jucunditas. — Sicut is qui gravi onere, quod humeris sustinebat, deoneratus est, expeditus et lætus incedit ; ita et ii, qui per crebram confessionem ab onere peccatorum liberati sunt, expediti et alacres viam mandatorum decurrunt.

Sicut ii, qui ad convivium pingue ac delicatum invitati sunt, magna cum voluptate desiderioque ad illud accedunt ; ita non mi-

nori alacritate ad Confessionis Sacramentum accedendum est, cum eo juge convivium securæ mentis ac conscientiæ offeratur.

Sicut avicula in laqueos aucupis lapsa, si laquei casu rumpantur, magna cum lætitia avolat; ita non minus lætari debet post confessionem peccator, canereque cum Davide : Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium ; laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Ps. CXIX, 7.

MOTIVA.

Honor Dei ; quia sacrificium Deo gratissimum, spiritus contribulatus et cor contritum. Ps. LX, 19. Unde merito Confessarius erga pœnitentem utitur illis Josue verbis : Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Jos. VII, 19.

Laus Christi ; nam ut S. Augustinus recte advertit, tanto plus laudatur medicus, quanto plus desperatur ægrotus. Confitere igitur peccata tua, quo magis desperabas de te propter iniquitates tuas. Tanto enim major laus est ignoscentis, quanto major exaggeratio est peccata confitentis. S. AUG. in Ps. XCIV.

Gaudium Sanctorum ; cum ipso teste Christo, majus gaudium sit Angelorum (atque ob paritatem rationis, etiam aliorum Sanctorum) super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem, justis. LUC. XV, 7.

Salus propria cujusque ; nam hic etiam vere locum habet illud Christi : Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis. LUC XIII, 3. Et illud S. Augustini : Si non confessus lateas, inconfessus damnaberis. S. AUG. *in Psal.*

Amicitia Dei ; si enim hominem amicum, diu nobis offensum sustinere non possumus ; quanto magis amicitiæ cum Deo redintegratio diu differenda non erit ?

Gratiæ augmentum et recuperatio ; si enim ubi singulis pœnitentibus rite confitentibus restitutio bonorum ademptorum, et præterea centum aurei nummi promissi fuissent, quoties quis confessus esset, nemo non frequentissime illam perageret ; quanto magis eamdem frequentabit, qui tantum gratiæ augmentum sibi promissum credit ?

Robur animæ ; quod eidem oritur, tum propter confirmatum erga peccata (quæ per contritionem detestantur), odium, ac illa devitandi propositum (de quo recte pius Asceta dixit : Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri) ; THOM. KEMP. l. I, c. 19, § 2, tum propter crebram de hoste victoriam, quæ per confessionem obtinetur et ipsum quidem pœnitentem audacem, et hostem vero timidum et viribus suis diffidentem efficit.

Gaudium spirituale. Quod enim majus gaudium esse potest, quam liberari a tam gravibus animæ morbis, tam grande debitum remitti, a morte æterna absolvi, gravissimum onus a pectore auferri, cum Deo summe dilecto in amicitiam redire ?

ALIA MOTIVA.

Necessitas ; nam quantam vita humana necessitatem habet respirationis, tanta pariter vita et salus animæ exigentia laborat confessionis et sacramenti pœnitentiæ. Unde Concil. Tridentinum, dum ad necessitatis Sacramenti hujus punctum se convertit, ita resolvit : Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria. CONC. TRID. *sess.* XIV, c. I.

Utilitas multiplex. Primo : *Ad sanitatem corporis impetrandam,* ut S. Bonaventura indicavit, qui ex illo Levitici textu « Propter peccata patrum suorum et sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas » sequentem elicit doctrinam, nam : Unde afflictis per infirmitates, et quascumque alias adversitates, semper consulendum est in principio, ut sincere confiteantur peccata sua, sæpe enim propter peccata affiguntur. Confessio autem non solum contra infirmitates corporis, sed etiam animæ valet. Neque enim exempla difficiunt, sed exstant propemodum innumera, e quibus brevitatis amore, unum alterumve proferre suffecerit. In vita Sancti Philippi Nerii traditur, Torquatum de Comitibus gravi pressum morbo, Cardinalis Taurusii rogatu, peccata sua S. Philippo Nerio confiteri voluisse, spe sanitatis recuperandæ. Accersito itaque viro Dei, vix Torquatus mediam attigerat peccatorum confessionem, moxque se pristinæ reperit sanitati restitutum. Ex oppido Palum-

bariæ, non procul ab Urbe dissito, rusticus Romam se contulit, gravissimo afflictatus morbo, S. Philippum rogaturus, ut sibi sanitatem impetret; cui vir sanctus unicum præscripsit confessionis remedium, cui ut paruit infirmus, mox surrexit sanus. S. Bonav. *in Lev.* c. xxvi.

Secundo : *Ad dæmonum conatus et insidias eludendas;* nam ut S. Antonius de Padua dixit : Confessio est terribilis immundis spiritibus. Unde idem sanctus illam Jobi sententiam : « Sicut inundantes aquæ, sic rugitus mei, » sequenti ad intentum nostrum peraccommodo illustrat commentario, inquiens : Ad rugitum leonis omnes bestiæ sistunt gradum ; inundantes aquæ subvertunt obstaculum. Rugitus leonis est confessio pœnitentis, de quo Psal 71. « Rugiebam a gemitu cordis mei ; » quia a gemitu cordis debet exire rugitus confessionis, quo audito maligni spiritus territi, ad tentationes procedere non præsumunt; inundantes aquæ sunt lacrymæ contritorum, quæ totum dissolvunt et subvertunt, quidquid maligni spiritus contra lacrymas pœnitentis machinantur. S. Ant. de Pad. s. ii, *in Dom.* iv. *Quadrages.* Quod etiam S. Bonav. confirmans : Nec facilius, inquit, ab inimico devincimur, quam cum superbiendo ipsum imitamur; neque vehementius eum prosternimus, quam cum humilitate Deum consequimur, neque ei dolores acriores infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo, et pœnitendo sanamus. S. Bonav. s. 75, *in Rog.* Hinc S. Augustinus hortatur : Deprecor te, o homo, ut confiteri non paveas; frequenter enim diabolus cor tuum adstringit, ne confitearis, quandocumque hoc persenseris, diaboli tentationem esse non dubites, qui cupit te astringere nequiter, ut in peccato positus sine magna tentatione semper agas, quæ placita sunt ei. S. Aug. l. xxx, *ad Frat. in Erem.*

Tertio : *Ad divitias et gratias cœlestes obtinendas;* nam, ut Molina sapienter advertit : Pœnitentia est quædam arca depositi, in qua repositi sunt Christi Salvatoris nostri thesauri, omnes meritorum ejus divitiæ, inæstimabile redemptionis nostræ pretium. Hæc aperitur omnibus ejusdem fruitionis cupidis, tantum ex ipsa extrahere valentibus quantum ad totius sui debiti abundat solutionem. Quam insanabili ille insaniæ malo laboraret, qui multis obstrictus debitis ditissimum offenderet thesaurum ex quo juxta debiti qualitatem, tot sibi licite tollere posset pecunias, quot sufficerent ad omnimodam satisfactionem, ille vero manibus sperneret favorem? Ita et in præsenti etc. Molin. *de Sacr.* tr. v, c. 1 et 3.

Æquitas, uti S. Thomas Villanova ex magnitudine hujus beneficii hoc discursu ostendit : Quis enim tam mirandus favor, quæ major clementia, quam ut causa nostra committatur fratri nostro, qui est os de ossibus nostris, et caro de carne nostra ? Quis in cœlo vel in terra invenire potuit judicem favorabiliorem, quam hominem Christum, qui propter hoc descendit de cœlis, propter hoc judicatus et crucifixus est, ne homines damnarentur? Et paulo post : Hoc est onus? Ita est, onus est mirabile, et onus est maximum, sed immensi beneficii, inenarrabilis clementiæ, ineffabilis obligationis. S. Th. Vil. *Conc. in Dom.* iii, *Quadr.*

Jucunditas, quam Josephus Mansi sequenti discursu indicavit : Si quis impacatis alti maris inerrans fluctibus, centies milliesque abyssi faucibus absorbendus, forte fortuito in quieti portus sinum devehitur, quanto repletur gaudio, quanto exultat jubilo? Se ipsum capere nescit præ lætitia, dum se a morte conspicit rediisse ad vitam. Mansi, disc. vi, n. 9. Eamdem penitus anima confitentis sibi comparat tranquillitatem, teste S. Laurentio Justianio, dum inquit : Confessionis Sacramentum veluti sinus pacatissimus est, in quo hominum conscientiæ religantur, ne a procellis absorbeantur delictorum ; dejecta eriguntur, amissa reparantur, et quidquid immunditiæ inundantibus tentationum tempestatibus, aut operante malitia in navim conscientiæ perfusum est, rejicitur, et purgatur. S. Laur. Justin. *de Disc. Mor.* c. xix.

Facilitas; uti idem Mansi ostendit : Quanta foret agonizantis felicitas, qui spe vitæ propemodum destitutus, non nisi violentis curandus remediis, perfectam nihilominus subito assequeretur sanitatem, si medico suum morbum confiteretur, dolens sua se culpa contraxisse, firmumque eliciens propositum devitandi eum in posterum? Hæc ipsa Sacramenti Confessionis est prærogativa ; si Christianus peccati mortalis reatum contraxit, irreparabiliter ad mortem condemnatus æternam, malum abolevit pœnitens Confessio. Tollite vobiscum verba, et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem. Absque sumptu

et cruciatu est præsens pharmacum. MANSI, *disc.* II. n. 7.

Quod ipsum etiam confirmans S. Chrysostomus, sic loquitur : Num grave aliquid et molestum a nobis requirit? Contritionem vult cordis, compunctionem mentis, confessionem ruinæ ; non solum largitur vulnerum curam, et a peccatis mundos ostendit ; sed et eum, qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, justum efficit, quam celerrime curat. Eamdem facilitatem alibi sequenti discursu ostendit : Si quis fur a patibulo absolvendus esset, dumtaxat ob publicam criminis admissi confessionem, an non inviolate expleret conditionem? Salutis cupiditate pudorem contemneret. Peccator ad furcam condemnatus est infernalem, reus est criminis læsæ Majestatis, ut autem sese a supliciis eximat, inque divinæ redeat gratiam Majestatis, sola ab eo exigitur peccati confessio, hæcque secreta, non publica. Progrediamur ulterius. Si judex reo enormi levem imponeret pœnam, ipsumque deinde diversis afficeret beneficiis, ditaret thesauris, gratia honoraret Principis, regni sublimaret favoribus, an non spiritus vobis deficeret præ stupore? Ecce vobis planum hunc in Confessionem expressum casum ; hæc enim virtute Sacramenti pœnam æternam mutat in temporalem, delicta tollit, amicitiam redintegrat Dei, novumque jus, peccato deperditum, ad cœlestis regni hæreditatem impertit ; siquidem majora per pœnitentiam bona, gratiasque acquirimus, quam possederamus ab initio. S. CHRYS. hom. LXXX. *in Gen.*

MEDIA.

Consideratio Bonitatis et Misericordiæ Divinæ, quam quidem S. Chrysostomus sequentibus verbis maxime demonstrat : Judices, cum latrones ceperint et sacrilegos, non, quomodo ipsos reddant meliores, considerant, sed quomodo ab ipsis peccatorum pœnas exigant. Deus autem contra, cum aliquem reperit peccatorem, non considerat, quomodo sumat supplicium, sed quomodo ipsum corrigat et meliorem faciat et in futurum inexpugnabilem. Itaque et Judex pariter, et Medicus, ac Magister est. S. CHRYS. hom. I. *ad Pop.* Et iterum alibi : In mundanis quidem ac forensibus judiciis post accusationem et criminum confessionem restat mors ; at apud Divinum tribunal post utrumque corona. Si tu te inutilem dixeris, ego te ut utilem coronabo. Hom. III. *de Ozia.* Hinc merito Psalmista ait : Confitemini Deo, quoniam bonus ; quoniam in æternum misericordia ejus. Ps. CXVII, 2.

Consideratio Sapientiæ et Charitatis, qua Christus hoc Sacramentum instituit ; si enim media dubia quantumcumque amara a medicis corporalibus pro sanitate corporis conservanda vel recuperanda tam avide arripimus, quanto ardentius hoc pharmacum a Christo sapientissimo et peritissimo Medico pro salute animæ certo obtinenda arripere debebimus ?

Consideratio Solatii, quod ex confessione facta percipitur, tum ob reconciliationem cum Deo, velut supremo Domino, Judice, Patre, Amico ; tum ob debiti tam grandis remissionem ; tum ob laqueos peccati, quibus a diabolo anima captiva tenebatur, contritos.

Consideratio Confusionis, quam in universali Judicio pati quisque debebit ob peccata per confessionem non expiata ; in cujus consideratione recte S. Augustinus dixit : Melius est, coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die Judicii coram tot millibus hominum gravi repulsa denotatum tabescere. Cogita ergo Confessarium fore ex illis, qui Judicio illi intererunt, nec erubescas illi nunc magno tuo commodo manifestare, quod tunc aperte cognoscet, cum insigni adeo pudore ac contemptu suo. S. AUG. lib. II. *de Visit. infirm.* c. I.

Consideratio Gehennæ, quæ parata est illis, qui hoc tam necessario medio, et secunda post naufragium tabula salutem suam servare negligunt. Ita Tertullianus suasit his verbis : Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguit : et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. TERTULL. l. *de Pœn.*

Gratiæ Divinæ sedula invocatio. Nam ut Sanctus Bonaventura recte advertit in domo, quam subintrans radius solis illuminat, quantumcumque fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius intuenti apparent ; sic et cor radiis gratiæ illustratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit, quanto quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videbit. S. BONAV. p. I. *Spec. ad Nov.* c. IX.

Pudoris a confessione abstrahentis generoso

expugnatio, pro qua serviet discursus sequens a Josepho Mansi factus : Numquid si debitum contraxissem decem millium scutorum et creditor meus totum mihi remittere polliceretur, si eamdem summam humiliter agnoscere vellem cum signis displicentiæ etc. Nonne indulgentia hujusmodi inæstimabilis beneficii joco habenda foret? Hic ipse est casus præsens. In pœnitentia per exiguum ruborem, humili conjunctum confessioni, totum cassamus peccatorum nostrorum debitum, summam longe maximam. Tanta erat Publicani impietas, ut oculos in cœlum, ne forsan divinæ contra se iræ fulmina provocaret, attollere minime præsumeret; nihilominus, dum suam publice in templo, verecundus manifestavit inquitatem, domum repetiit sanctificatus: «Descendit justificatus in domum suam.» Audite S. Ambrosium : Multum verecundia placet, inquit ille, multum conciliat gratiæ apud Deum. Nonne hæc protulit Publicanum, et commendavit eum, qui nec oculos audebat ad cœlum levare? Mansi, disc. xxi, n. 9. Juvabit quoque ponderare, quod S. Augustinus dixit : Melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in Judicio coram tot millibus hominum, repulsa denotatum tabescere. Et alibi : Melior est modica amaritudo in faucibus, quam æternus cruciatus in visceribus. S. Aug. l. II. *de Vist. infirm.* c. v.

ASCETICA.

In primis *nosse debet Asceta originem Confessionis*, quam quidem Lucas Burgensis clare ostendit, dum ait : Christum priusquam Apostolos suos dicta felicitaret eminentia, præmisisse : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos », quasi dicere voluisset : Sicut Pater æternus me in Mundum misit ad humani generis salutem, ita et modo vos ego per terrarum orbem dispersurus, vobis auctoritatem confero et potestatem dimittendi peccata. Perspectum est mihi, fore in Ecclesia mea multos infirmos, qui justitiam per baptismum acceptam non sint conservaturi, misertus illorum, ut possitis eis succurrere, « eam vobis inspiro, ac do gratiam et facultatem, ut requirentibus queatis peccata, vice mea, valide remittere. » Luc. Burgen. *in* c. xx. *Joan.*

Quod ipsum etiam Concilium Tridentinum insinuavit dicens : Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo, ipsius beneficio et gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem institutum esse. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Conc. Trid. sess. xiv. c. i.

Nosse debet, cur omnia peccata mortalia in specie declarari in Confessione voluerit Christus ; quod iterum citatum Concilium sequentibus verbis declarat : Porro ex eo, quod Jesus hic Sacerdotes Vicarios suos constituit; qui tanquam Præsides et Judices, sententiam de fidelibus in peccata relapsis ferant, semper intellexit Ecclesia Catholica, quod fidelibus quoque suis præcipiat Jesus, ut, si peccatorum veniam consequi velint, declarent ea Sacerdotibus; cum enim judicium hoc, incognita causa, non valeant exercere, sequitur, in specie peccata omnia mortalia humili confessione declaranda. Concil. Trid. ibid. Aliam quoque rationem idem Concilium assignat, dum ait : Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur. Idem, cap. v. et viii. Tertiam quoque rationem S. Bernardinus affert, dicens : Justum utique est, ut, qui inverecunda facie mentis et corporis, Deum peccando despexit, sic per confusivam sui verecundiam placet. S. Bern. Sen. t. IV. ser. xx. art. 2. Est enim verecundia magna pars pœnitentiæ, secundum S. Augustinum, et hæc est una causa, quare Confessio instituta est; ut scilicet, dum de culpa peccator erubesceret, a Deo misericordiam impetraret. S. Aug. *de Pœnit. dist.* i. c. *Quem pœnitet.*

Nosse debet cur homini potius, quam ipsi Deo Confessionem fieri Christus voluerit ; cujus rationem S. Thomas Villan. ostendit, dum causam inquirit, cur Sapientia divina modum immutavit Confessionis, quandoquidem David soli confitens Deo, obtinuit absolutio-

nem : «Tibi soli peccavi»? Ad quid opus fuit, peccatum contra Deum commissum, homini revelari, maxime cum hoc sit nimis onerosum et verecundum? Cui objectioni sanctus breviter respondet in hæc verba : Quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri; sed postquam Filius Dei factus est homo, jam Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est; ex tunc ergo peccator, hominis Christi, a Deo Patre, foro commissus est, et in illo reddere rationem peccatorum suorum tenetur. S. THOM. VILLAN. *in Domin.* II. *Quadrag.* Cui etiam consentiens Hugo Victorinus, qui illud S. Jacobi Apostoli præceptum, *confitemini alterutrum peccata vestra*, penitus considerans, sequenti illud glossa illustrat : Quid est alterutrum? Alter alteri, homo homini; non solum homo Deo, sicut verus ille Confessor ait : «Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino»; sed homini propter Deum. Videtur Dominus hoc ipsum homini assignasse tribunal, ut ad majoris humilitatis exercitium, homo adversus hominem ferret sententiam, homo hominis subjaceret judicio; plus enim facit, qui servo humiliatur. Idem subjungit auctor, juxta cujus opinionem, Christus hoc Confessionis instituendæ modo, eam longe magis meritoriam efficere voluit, pœnitenti occasionem offerens, actus frequentandi humilitatis et subjectionis; si quidem coram Deo graviter a nobis offenso, multisque injuriis affecto, cui ipsi Throni et Principatus reverenter genua flectunt, coram, inquam, supremo hoc Numine humiliari, perquam facillimum est, repugnantia levis. HUG. VICT. *ap. Mansi*, disc. III, 5.

Nosse debet, cur Christus insufflando potestatem dederit Apostolis; quod iterum Lucas Burgensis ostendit, sic discurrens : Flatum seu anhelitum ex imo pectore attractum in eos gestu oris jecit; volens per hoc demonstrare Salvator, Spiritum Sanctum ad instar flatus esse, cujus adventum in Cœnaculo Sion obtigisse didicimus, « tamquam advenientis Spiritus »; circa quod factum ita auctor prædictus discurrit : Est veluti flatus quidam Patris et Filii, nam et hinc *Spiritus* vocatur, cui asserto non absimile correspondet illud Alberti Magni dogma, inquientis : Spiritum a se procedere, significavit per flatum, quem in discipulos direxit. Doctissimus vero Salmeron altius repetens principium, ad eam se convertit, quæ in Mundi exordio contigit hominis formatio, quem flatu animavit Deus, cui vitam corporis mediante halitu, seu respiratione, infudit omnipotens, ita quoque in præsenti Salvator vitam animæ, id est, gratiam, quam interemerat culpa, suis impertiri voluit, eumdem Sanctissimum iis communicando Spiritum per modum flatus, ut olim Deus insufflavit spiraculum vitæ, ut fieret homo in animam viventem, ita idem insufflat animam, peccato mortuam, ut vivat per Spiritum Sanctum. LUC. BURG. *ap. Mansi*, disc. I. n. 4. Quibus etiam S. Cyrillus assentiens ait : Ut ipsum sciamus esse, qui ab initio naturam nostram creavit, et Spiritu Sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione Spiritum discipulis largitur, ut quemadmodum creati ab initio sumus, sic etiam renovemur. S. CYRILL. lib. XII, in *Joan.* c. XVI.

Nosse debet, cur Deus hanc potestatem hominibus, et non Angelis concesserit; cujus hanc rationem assignat S. Chrysostomus : Propterea enim non Angelo Sacerdotium commissum est (liberi enim sunt a peccandi libidine) ne videlicet ob severitatem, eos, qui ex populo peccarent, confestim fulguribus transfigerent; sed homini ea cathedra commissa est, qui et ipse libidine et peccatis colligatus est, ut, si quem peccantem invenerit, suorum peccatorum conscius, in eum, qui peccat, benignus efficiatur. Et iterum : Nam et hoc divina quadam dispensatione factum est, ut Sacerdotes etiam ipsi peccatis subjecti sint. Audi, quæso, quomodo res se habeat; si Doctores et Sacerdotes ipsi non peccarent, neque vitæ hujus affectibus subjecti essent, certe inhumani, et a venia aliis danda essent abhorrentes; sed propterea Deus subjectos esse voluit, ut eorum, quæ ipsi patiuntur, sensum habentes, aliis etiam veniam darent. Et ideo Christus etiam lapsum Petri permiserat; erat enim, ut idem S. Doctor ait, Petrus non mitis, sed admodum severus, et aliquando durior; quod si ad ejus naturam illud etiam accidisset, ut nullis peccatis subjiceretur, quæso, quam veniam habituri fuissent, qui ab illo docendi erant? Propterea hoc egit Dei gratia, ut paululum ab ipso descisceret Petrus, et peccato alicui subjiceretur, quo ex his, quæ ipse passus fuerat, disceret humanior esse in alios. S. CHRYS. hom. *de Elia.*

Nosse debet conditiones ad veram Confessionem requisitas, quas in primis B. Petrus Damianus sequentibus verbis indicavit : Ostendam tibi unum justorum justissime confitentem ; quæris quisnam sit? Psaltes Domini est : *Dixi* inquit, *confitebor adversum me injustitiam meam Domino. Dixi*, hoc est, in corde meo proposui, non coactus, neque compulsus, sed spontaneus. *Injustitiam meam*, ait, non alienam ; *adversum me*, me arguens et accusans. Vides, quia non timore alicujus, vel ad alium accusandum, vel excusandum, se ipsum Sanctus Domini confitetur. Pro hujusmodi confessione remittes tu, Domine, impietatem cordis mei, peccati scilicet. S. PETR. DAM. *ser.* II. de S. Andrea. Clarius vero S. Bonaventura has conditiones insinuavit, dum illum Psalmistæ versum : Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, explicans sic loquitur : In hoc verbo tanguntur sex, quæ debet vera confessio habere. Primum est, *præmeditatio*, quæ notatur cum dicitur : *Dixi*. Secundum est, *compunctio cordis et oris*, ut ore simul et corde fiat, quæ notatur per *confitebor*. Tertium est, quod sit *accusans*, non excusans; quod notatur per *adversum me*. Quartum, quod *de malis*, non de bonis, quod notatur per *injustitiam*. Quintum, quod sit *propria*, id est, de peccatis propriis, non alienis, quod notatur per *meam*. Sextum, quod sit *ad honorem Dei*, et honestatem sui, quod notatur per *Domino*; et talis confessio est utilis. Unde sequitur : « Et tu remisisti impietatem peccati mei. » S. BONAV. in *Dœt.* tit. II, c. III.

Nosse debet, quod sit potissimum impedimentum Confessionis; id quod S. Petrus Damianus indicavit, dicens : Nihil fortius ad expungendum Dei gratiam, quam timor humanus; quia dum erubescimus confiteri quæ commisimus, Deum minus, quam homines, reveremur. Hæc est confusio adducens peccatum. S. PETRUS DAMIAN. Unde S. Bernardus : Dicatur, ait, illi, quem afficit pudor : Cur te pudet peccatum tuum dicere, quod facere non puduit? Aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? S. BERN. *in Sent.* Quod etiam S. Chrysostomus confirmans : Cur confunderis, inquit, dicere, quod non confusus es perpetrare? Cur vereris Domino indicare, quod non veritus es, ipso præsente committere? S. CHRYS. *de Conf.*

Nosse debet, quomodo electio Confessarii sit suadenda; nimirum ut illud Ecclesiastici monitum in memoriam revocet : Ne subjicias te omni homini pro peccato. ECCL. IV, 31. Et illud S. Ludovici Regis filio datum præceptum : Fac ut idoneus tibi sit conscientiæ arbiter, cujus prudentia doctrinaque semper tutus sis. Quam in rem Joannes Avila : Confessarium, inquit, elige, unum *ex mille*. Imo ut S. Franciscus Salesius ait, *inter decem millia;* dici enim non potest, (addit idem), quanta sit ad excipiendas confessiones idoneorum inopia ; si ex his tribus, charitate scilicet, doctrina, et prudentia, vel unicum in aliquo desideretur, est periculosæ plenum opus aleæ.

Nosse debet duos errores et impedimenta integritatis Confessionis removere, scilicet : *Erubescentiam*, quæ facit, ut peccata quoad substantiam non integre aperiantur, et *Negligentiam*, quæ facit, ut in genere dumtaxat, et non quoad debitas circumstantias eadem peccata manifestentur. Et ad priorem quidem errorem cavendum proderit memorabilem S. Augustini sententiam proferre : O homo, quid times confiteri? Illud, quod per confessionem scio, minus scio, quam illud, quod nescio. Cur confiteri erubesceris peccata tua? Peccator sum, sicut et tu, homo sum, humani nihil a me alienum putato. Confitere homo homini; homo peccator homini peccatori. Elige quod vis, si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem, ut liberet hominem humilem ; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. S. AUG. in Psal. Ad alterum autem errorem cavendum proderit Cardinalis Bellarmini verba referre : Quæso te, inquit, si reum aliquem ante tribunal Judicis constitueres, et nihil diceres aliud, quam : Iste egit contra legem, peto, ut velis ferre sententiam. Quid Judex iste responderet ? Annon putaret se irrideri? Iste egit, inquis, contra legem; contra quam legem, stulte? Quam sententiam feram, si quod ejus sit peccatum, ignorem? Pari ratione si medicum adeas, et dicas : Mihi aliquid dolet, adhibe, quæso, medicamentum. Quid ille non dicet : Stupide, quid est, quod tibi dolet? Caput, oculi, dentes, renes, pedes? An putas omnia medicamenta omnibus malis convenire ? Quid si tu podagra labores, et ego medicamentum dentibus adhibeam ? BELLARM. conc. IX.

Nosse debet utilem et efficacem modum Confessionem fructuosam efficiendi; quod fiet, si efficiat, ut cum sincero dolore, et serio proposito emendationis peragatur; in quo quidem dolore et proposito potissimum hujus Sacramenti fructum consistere, non immerito dicunt Ascetæ; ita ut Thomas Kempensis dicere ausus sit : Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri. L. I. cap. XIX, § 2. Unde recte sibi quisque dictum illud S. Macarii applicabit : Ploremus, Fratres, et producant oculi nostri lacrymas, antequam illuc hinc eamus, ubi nostræ igneæ lacrymæ corpora nostra comburant. *In Vita Patr.* l. III. *de Comp.*

Nosse debet et curare, ut non frequentiam dumtaxat Confessionis, sed generalis etiam Confessionis usum sedulum vehementer commendet; illam quidem, quia, ut Catechismus Pii V, sapienter et recte dixit : Quidquid hoc tempore Sanctitatis, Pietatis, et Religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte Confessioni tribuendum est. Istam vero, scilicet generalem Confessionem, quia et Confessario et Pœnitenti majorem tribuit status notitiam, pro directione ipsius cum primis necessariam; majorem item parit confusionem et dolorem dum Pœnitens omnia peccata sua in cumulo conspiciens in illas Ecclesiæ voces prorumpit : Heu mihi, Domine, quia peccavi nimis in vita mea, quid faciam miser, quo fugiam nisi ad te, Deus meus? *In offic. defunct.* Et tandem majorem etiam securitatem et quietem animæ generat, dum supplet ea, quæ in aliis Confessionibus defuerunt. Ut merito in consideratione horum fructuum exclamet S. August. O felix conscientiæ puritas, quæ vermem interiorem excludis, quæ a carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem! O mens sancta! O Paradisus deliciarum, variis bonorum operum virgultis consitus, variisque virtutum floribus purpuratus, et suaviter cœlesti gratia irrigatus! Hæc est, Fratres mei, Paradisus, in quo plantatur lignum vitæ et cœlestis sapientiæ ; hæc thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum Spiritus Sancti. S. AUG. s. X. *ad Fratres in Erem.*

CONCEPTUS PRÆDICABILE

Ex occasione thematis : « Est autem Hierosolymis probatica piscina. JOAN. v. 2.

Potest Confessio Piscinæ huic comparari. 1. Quia in Confessione, perinde ac Piscina illa, virtus residet omnis generis morbos curandi. 2. Quia, sicut aqua illa non sanabat, nisi Angeli aquam turbantis subsidio; ita Confessio nihil prodest, nisi Confessarius absolutionem impertiendo concurrat. Si ergo tam avide olim adventus Angeli aquam moventis expectabatur, quanto magis ad Confessionem accurrendum est, ubi tam facilis copia Confessarii est; nec unus dumtaxat, sed omnes curantur, non a corporali, sed spirituali, longeque graviore morbo.

Ex occasione thematis : « Reduxit quoque Loth, et omnia, quæ illius erant.» GEN. XIV, 16.

Potest confessio exercitui comparari, illi maxime, quem Abraham ad fratrem suum reducendum congregavit. Et 1. dici, quod debeant peccata per examen, sicut milites, congregari. 2. Armis, id est, sincera contritione instrui. 3. Delectus fieri, et nominatim recenseri. 4. Sacramentum fidelitatis præstari, id est, nullum peccatum omitti. 5. Ductorem sequi, eique in omnibus obedire, id est, Confessario per omnia parere. 6. Suam, non aliam Personam repræsentare. Quæ omnia fusius deducta, et variis historiis illustrata, apud Fabrum, conc. VII. *in Domin.* 3. *Quadrag.* videri possunt.

Ex occasione thematis : « Funiculus triplex difficile rumpitur.» ECCL. IV, 12.

Potest Confessio funiculo triplici comparari. 1. Quia ex tribus partibus, veluti tribus filis, componitur, scilicet contritione, confessione, satisfactione. 2. Quia per hunc funiculum Deus attrahit animas; sibique denuo unit, et in amicitiam recipit, qui est ingens fructus Confessionis, cum in tali unione et conjunctione tota felicitas hominis consistat. 3. Quia funiculus iste difficile rumpitur; cum frequens confessio faciat, ut homo ob serium propositum et dolorem toties repetitum non facile labatur, uti testatur ille Religiosus, qui de se ipso fassus est, non meminisse, quod bis in idem peccatum inciderit. Quæ omnia facile fusius ex supradictis deduci et amplificari possunt.

Ex occasione thematis : « Vox Domini super aquas multas. » Ps. XVIII, 3.

Potest vis et efficacia Absolutionis sacerdotalis explicari. Et 1. quidem ostendi, quomodo sit *Vox Domimi super aquas*, idest, homines multos, de quibus dictum : « Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram » maxime vero peccatores labiles, qui per se ad abyssum labuntur, sed virtute hujus vocis retrorsum, instar Jordanis, ad Deum, velut originem suam, convertuntur. 2. Quomodo sit *Vox Domini in virtute et magnificentia;* quia scilicet conterit vincula peccati, ac Satanæ potestatem et in libertatem Filiorum Dei asserit, cœlum aperit, infernum claudit, hominem mortuum resuscitat, et vivificat. 3. Quomodo sit *Vox Domini confringentis cedros ;* quia etiam magnatum et superborum æstimatio et superbia hic flectitur, et ad Sacerdotis pedes prosternitur. 4. Quomodo sit *Vox Domini intercidentis flammam ignis;* partim quia ignem infernalem extinguit; partim quia flammas libidinis cohibet, contra quas vix est potentius remedium, quam confessio. 5. Quomodo sit *Vox Domini desertum concutientis;* id est, corda peccatorum, quæ instar deserti spinosa sunt, et vepribus consita, ad dolorem movet, ipsasque peccatorum spinas eradicat. 6. Quomodo sit *Vox Domini præparantis cervos;* id est, virtutem conferens ad viam mandatorum et perfectionis velocius currendam, ita ut dicere possit, qui confitetur : Perfecit pedes meos tamquam cervorum, super excelsa statuens me. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Marchantium, loc. cit. *in Hort. Past.* t. V, lect. IV.

Ex occasione thematis : « Ite, ostendite vos Sacerdotibus. » Luc. XVII, 14.

Potest peccatum lepræ comparari, ob similitudinem maculæ, doloris, et separationis a Deo et Angelis. Deinde ostendi potest, quomodo hæc lepra per Sacerdotem curari possit, ideoque peccator cum magno desiderio salutis eidem se sistere debeat. Vel si placeat, potest Peccator Naamo, Confessarius Elisæo, (qui idem significat, ac Dei salus, vel Deus salvans), comparari, et inde inferri, quam merito illa pœnitenti verba repeti possint : Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras, quanto magis, quia nunc dixit tibi : Lavare (per contritionem et confessionem), et mundaberis. IV. Reg. v, 13.

Ex occasione thematis : « Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. » Luc. XIII, 3.

Potest confessio secundæ post naufragium tabulæ comparari. Et in 1. quidem parte ostendi, mundum esse mari periculoso similem; simulque pericula breviter enarrari. In 2. parte ostendi potest, quam metuendum sit naufragium animæ per peccatum factum, utpote quod in abyssum æternæ infelicitatis præcipitat. In 3. tandem demonstrari potest, quanta celeritate ac gaudio Confessionis tabula sit arripienda, utpote quæ sola, si fieri potest, ab hoc naufragio liberet. Quem in finem varia exempla afferri possunt, tum eorum, qui sine confessione perierunt; tum eorum, qui per eam salvati sunt.

Ex occasione thematis : « Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino. » Ps. XXXI, 5.

Possunt varii errores in Confessione committi soliti demonstrari, et corrigi. Et 1. quidem *in Confessario eligendo*, dum vel stabilis, si fieri potest, non eligitur, vel non consulitur, vel nimis eidem adhæretur, ita ut propter ipsius absentiam confessio, negligatur. 2. *In æstimanda confessione*; dum scilicet confessio, eo quod profectus et emendatio non advertatur, est facienda. 3. *In facienda confessione*; dum vel breviter nimis, omittendo necessaria, vel nimis diu, miscendo impertinentia, quidam confitentur. 4. *In turbationem mentis*; dum vel timetur, quod confessio non recte fiat, vel scandalum concipitur ex eo, quod aliqui tamdiu confiteantur. Qui omnes proin errores, quomodo corrigendi sint, facile ex iis, quæ hactenus de Confessione dicta sunt, ostendi potest.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Urbes quondam refugii, in gratiam delinquentium assignaturus Dominus : *Tres erunt*, inquit, *trans Jordanem*, *et tres in terra Chanaam*. Num. XXXV, 14.

Ubi Lyranus : Licet trans Jordanem habitarent duæ tribus cum dimidia, tamen tot erant ibi civitates refugii, quot erant citra Jordanem, ubi habitabant novem tribus cum dimidia. Quis tantam non obstupescat hac in divisione inæqualitatem? Mysterium utique continet, novem namque tribubus plures urbes assignari debuisse videtur, quam solis tribus. Rationem porro hujus partialitatis indaganti Rabbi occurrit Salomon, dicens : «Terram Galaad quæ trans Jordanem situata

erat et habitatores, præ omnibus ad rixas propensos, humanique sanguinis profundendi avidos fuisse, » unde et Osee inquit : « Galaad civitas operantium supplantata sanguine, » OSEE c. VI, 8. vel ut hebraica versio habet : « Torcular sanguinis, » voluit igitur Deus, ut juxta criminum abundantiam abundarent et remedia, facilisque præsto foret modus declinandi supplicia. Quid nobis cum figura, dum fruimur figurato, maxime in locis populosioribus, ubi innumeratæ frequentantur offensæ et flagitia, confessariorum abundante copia, ut nemo non ad indilatam exstimuletur confessionem, profecto ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia ; nec est qui se abscondat a calore ejus. MANSI, disc. IV. n. 13.

Semel lupus confitebatur iniquitates suas, et interim erat multum sollicitus, quia videbat oves recedentes, unde dixit confessori suo, quod cito eum absolveret, ut scilicet posset sequi oves. Sic confitentur aliqui in Quadragesima, proponentes ad peccatum redire post Pascha. Certo contigisse scio, quod jam jam narraturus sum. Rusticus quidam ovem furatus proximo, in Confessione obstrictus ad restitutionem, promittit se obtemperaturum ; requisitus postea a confessario : Qualiter autem, et quomodo satisfacies? Incunctanter, aiebat : Aliam furabor, hancque in primæ satisfactionem dabo. S. BONAV. *in Dicet. Salut.* tit. 2. c. III.

S. Gregorius explicans textum Jobi : Si abscondi, quasi homo, peccatum meum » sic loquitur : Christus resuscitando Lazarum non dixit : *Tibi dico surge* ; prout alteri imperabat filio viduæ ; sed : *Veni foras!* Mortuo Lazaro, inquit, qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur : *Reviviscе*, sed *Veni foras*. Ex qua scilicet resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur, qualiter nos resuscitemur in corde ; cum videlicet mortuo dicitur : *Veni foras*, ut ab excusatione atque occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire provocetur ; quia igitur hæc occultationis culpa humano genere vehementer excrevit, bene B. Job cum diceret *si abscondi peccatum meum* interposuit, *quasi homo* ; hominis quippe proprium esse conspicit, quod ex Parentis veteris imitatione descendit. S. GREG. l. XII. *Mor.* l. c. IX.

Quisquis divini judicii gestit declinare tribunal, cum sinceritate et candore hocce adeat pœnitentiæ tribunal, cujus S. Joannes in hæc verba meminit : « In conspectu sedis, tanquam mare vitreum, simile crystallo. » Mare hoc confessio est, conformiter illi, quod gemebundæ quondam atque afflictissimæ dictum est animæ : Velut mare contritio tua. Unde Dionysius Carth. dicit : Quidam per hoc mare intelligunt pœnitentiæ Sacramentum ; ast quod in vitrea et crystallina figura latet mysterium ? Crystallus omnino transparens est, totumque videtur, quidquid ei opponitur, nihil occultat ; ita quoque in hoc confessionis tribunali conscientia nostra tota debet esse transparens , ut ejusdem statum perfecte attingat confessarius. Potest explicari, inquit Sacer quidam Interpres, ut pœnitentiæ mare sit vitreum, propter confessionis perspicuitatem. Confessio clara et ingenua nos ad Dei sedem et tribunal conducit. MANSI, disc. XV. n. 23.

Regius Vates divinæ supplicaturus Majestati, ne pessimo excusationis suique delicti defensionis vitio contaminetur, ante omnia, ori suo petit ut obtingat custodia : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. » Portam, ostium seu januam postulat, non firmum solidumque claustrum ; cujus mysterii si causam ignoratis, rationem accipite a S. Aug. inquiente : Non dixit claustrum continentiæ, sed ostium ; ostium et aperitur, et clauditur, in confessione namque verbali portam hanc quandoque aperire, quandoque claudere debemus. Ergo si ostium est, et aperiatur, et claudatur ; aperiatur ad confessionem peccati , claudatur ad excusationem peccati, ita enim erit ostium, inquit Glossa, ut non excusetur, quod, proh dolor ! summum vitium dominatur hominibus. S. AUG. *in Ps.* CXL.

NECESSITAS. — Cassianus illa Ecclesiastis verba : « Si mordeat serpens in silentio,» sic interpretatur : Taciti serpentis morsum perniciosum esse designans ; id est, si per confessionem suggestio, seu cogitatio diabolica, incantatori cuiquam, spirituali scilicet viro, qui carminibus Scripturarum mederi protinus vulneri, et extrahere de corde consuevit noxia venena serpentis, patefacta non fuerit, succurrere periclitanti, periturove non poterit. CASSIAN. *coll.* 2. *de disc.* c. XI.

Teste S. Matthæo, tributorum exactores, vice quadam a S. Petro causam poposcere, cur Magister ejus obligationi non satisfaceret universali ; querimoniam hanc cum ad aures Christi deferre pararet Apostolus, discipu-

lum prævenit Magister, inquiens : « Simon, Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis, vel alienis? » Cui Petrus : « Domine, ab extraneis. » Ita quidem se res habet, subjunxit Salvator, nihilominus ut omnem scandali petram amoveamus, vade protinus ad mare, mitte hamum tuum in aquas, et quemcumque piscem primo ceperis, attrahe eum, comprehende ipsum, tene fortiter, os aperi, moxque monetam reperies in eo, quæ ad utriusque nostrum tributi sufficiat solutionem. Obediit, abiit, atque omnia feliciter expediit Petrus. Hæc rei gestæ series est litteralis, ast a sensu litterali ad moralem sanctus digrediens Ambrosius, historiam hanc nostro per quam subtilissime accommodat proposito, inquiens : Piscis elinguis, fundumque incolens marinum, peccatoris gerit figuram ; suum reticentis peccatum, non obstante, quod secundum præsentem justitiam damnatus sit ad infernum. Moneta juxta divinum assertum non e visceribus, sed ex ore piscis extrahenda erat, quantumvis naturali piscis feratur instinctu, ut devoret immediate, quidquid apprehenderit faucibus. Ecce vobis mysterium; S. Petrus paulo ante Christi in terris erat declaratus Vicarius, cum promissione clavium, id est, potestatis absolvendi peccata, atque ideo necessum erat, ut modum addisceret Apostolus, in hujusmodi debitorum satisfactione observandum, nosque omnes edoceremur, monetam in ore fidelium inveniendam esse, juxta quod scriptum est : « Ut justificeris in sermonibus tuis. » Non otiose, inquit S. Doctor, didrachma in ore piscis inventum est, ex ore enim tuo justificaberis; etenim pretium nostræ immortalitatis est nostra confessio. S. Ambr. *in Ps.* l.

Utilitas. — Tradunt historiæ de Xerxe, Persarum Rege, quod duas orbis partes, quas natura diviserat, artis beneficio statuerit unire. Europam scilicet atque Asiam, quem ut conceptum executioni mandaret, opus aggressus difficillimum in maris fundo longum vastumque erexit pontem, Hellespontum denominatum, qui facilem utrique parti ac liberum indulgeret transitum, mutua augeret commercia, communes omnium mores efficeret ac leges. A littera ad spiritum pertranseamus; negari utique nequit, infinitam inter cœlum et terram esse distantiam, Deum inter et hominem, peccatum inter et gratiam : « Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris. » Quæ societas lucis ad tenebras? Quæ conventio Christi ad Belial? Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Peccatum nos a Deo separabat, e Paradiso ejectos in exilium deturbabat; noster autem Redemptor, qui merito dicere poterat : « Veni in altitudinem maris, » siquidem paulo ante cruentum intrarat passionis suæ oceanum, misericorditer pœnitentiæ et confessionis sacramentalis erexit pontem : « Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus ; » unde et hoc Sacramentum passim secunda post naufragium tabula nuncupatur. Pontem construxit Dominus confessionis, qui liberum atque securum omnibus ad cœlos præberet transitum. Unde S. Thomas de Villanova hoc confessionem exornat præconio, dicens : Æternæ vitæ aliqualis saltem certitudo conjecturalis, nam major citra miraculum in hac vita haberi non potest. S. Th. Vil. *in Dom.* 4. *Quadr.*

Quod immensam tanti Sacramenti gratiam atque favorem amplificat punctum, consistit in eo, quod Christus beneficium hoc omni fecerit loco ac tempori commune, absque ulla limitatione. Erat autem Jerosolymis, inquit S. Joannes, probatica piscina quinque porticus habens, in his jacebat multitudo magna languentium. Sed quo effectu? Miseris subitanea forsan obtingebat sanitas? Nequaquam. Exspectantium aquæ motum. « Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam et movebatur aqua, et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. » Joan. v, 2 et 3.

Semel quolibet anno cœlestis descendebat Genius, unum ex universa multitudine, reliquis diligentiorem, sanaturus toties, quoties in piscinam se immisisset. Ecce vobis incredibilem sacrosancti confessionis lavacri prærogativam, in quo omnes languidæ sanantur mundanturque animæ. Probaticam hanc piscinam non sola Jerosolyma, sed omnes continent Christiani orbis regiones, provinciæ, civitates; non unus Angelus, non Sacerdos duntaxat unicus, sed innumerabiles potestatem habent nostrorum solvendi vincula peccatorum ; non unus, sed quotquot volunt, pristinæ restituuntur sanitati, non aquarum exspectandus est motus, sed ad libitum nostrum semper præsto est confessis, nec unquam internis Deus nostra cessat movere corda inspirationibus. Sto

ad ostium, et pulso. Neque ullus excusationi superest locus, ut dicamus : « Hominem non habeo, qui mittat me in piscinam ; » homini namque auctoritatem Deus contulit remittendi peccata, in majus generis humani bonum. Salutaris hæc piscina sanguine abundat Agni illius, qui in debitorum nostrorum solutionem evisceratus est super Calvarium. Unde S. Aug. in horum verborum commentario : « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, » ita discurrit : Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur; unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur. S. Aug. in c. v, *Joan.*

S. Bernard. explicans versiculum Ps. xcv : « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, » sic loquitur : Ama, unde placeas ; ama confessionem, ob quam amaris ; ama confessionem, si affectas decorem. Revera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Ecce facilem vobis, et per accomodam similitudinem : Annulus v. g. aureus rumpitur, ruptusque reparatur, ast locus rupturæ, ne appareat defectus, adamante insternitur valoris inæstimabilis, nonne annulus iste maximum consecutus est decorem, pretium, venustatem? Ita pariter in præsenti animam equidem maculavit culpa, ast pœnitentem postea confessio et Sacramenti virtus inappretiabili ditat thesauro : « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia etc. » S. Bern. p. 113.

Fit persæpe, inquit S. Laurentius Justin. Redemptoris nostri se infundente atque cooperante misericordia, ut post lapsum vero pœnitenti augeatur gratia major, quam habuerat, addatur spes gloriæ, atque præclarior largiatur eidem Dei bonitate cognitio, ita ut impleatur quod Apostolus ait : « Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. » S. Laur. Just. l. VII, *de Ob.* c. xv.

Quærunt aliqui, cur Patriarca Jacob in Ægyptum ad filium suum Joseph regio solio sublimem, sese transferens, unicum ex omnibus, qui paternum insinuaret adventum, præmiserit Judam : « Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei. » Diversas diversi rationes assignant et motiva; aliis autumantibus id factum esse, quia Judas omnium fratrum erat eloquentissimus ; alii merito adscribunt Judæ, quod sibi comparavit apud Joseph, dum eum crudelibus, inique ad mortem Joseph paratis, fratrum eripuit manibus : « Quid nobis proderit, si occiderimus fratrem nostrum ? » Ast dum ad sensum me spiritualem converto, invenio, quod Judas confessio interpretetur. Ecce igitur vobis mysterium, ad præparandum, adornandumque Israeli hospitium, ad mundandam Deoque disponendam animam nullus cursor, nuntius nullus servit accomodatius quam bona confessio ; ad quod alludere voluisse videtur S. Ambrosius, dum ait : Post tanta peccata haberentur indigni, nisi donaretur his remissio peccatorum ; occurrit illi Judas, hoc est, confessor erroris. Ideo Joseph verus, id est, arbitrer et interpres Divinitatis occurrit quia dræcedit jam confessio. S. Ambr. *l. de Jos.* c. xiv.

Seneca inter alias veritates etiam hanc non postremam pronuntiavit : Proximum, inquit, ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confessio. Somnium narrare vigilantis est, et sua vitia confiteri, sanitatis indicium est. Seneca, ep. xlv.

Quæstio est apud nonnullos, cur S. Joannes Baptista potius ad Jordanis flumen, quam in Jerosolymitanæ, aut alterius cujuscumque civitatis medio, prædicarit, populumque ad pœnitentiam, et peccatorum suorum detestationem invitarit ? Rationem hujus mihi attigisse videtur S. Antonius de Puada, dum per Jordanem confessiones intelligens ait : Congrue per Jordanem accipitur confessio; est enim Jordanis fluvius, qui dividit terram promissionis et populum Dei ab Arabia, quæ occidentalis et insidiatrix interpretatur, et sunt dæmones. Ad discooperiendas inimici fraudes et insidias, ad debilitandas ejus vires et assultus, ad ripam Jordanis dimorari, id est, frequenti vacare oportet confessioni. Non absimilem idem Sanctus discursum format, dum filios Israel per mare rubrum, hinc inde suspensis tenaciter aquis, gradientes contemplans, ait : Item præbuit iter filiis Israel ; unde aquæ superiores steterunt, et inferiores defluxerunt, quia peccata præterita sapientis hominis confessio fugat, et futura sistit. S. Ant. de Pad. ser. i, *de Dom.* i, *Quadr.*

Bajazeth, Turcarum Imperator, obtentis insolens victoriis, Tartarorum Regem Tamerlanum oppugnaturus, dum inimicum jam tum spe devorasset, ferream secum duxit in prælium caveam, cui victum in triumphorum suorum ostentationem includeret, inclusumque, quoquo gradi continge-

ret, secum conduceret, ast qui triumphum cecinerat ante victoriam ipse victus captusque, opprobrium fit caveæ. Ecce vobis casum in terminis. Dum nos peccato implicamur mortali, mancipatui subjacemus dæmonis, qui colla nostra severissimis tyrannidis suæ humiliavit in vinculis (quos delictorum catena constringit); ut primum autem nostras culpas confitemur, easque clavibus subjicimus, omnia dissipamus vincula, dæmonem nostræ substernimus potentiæ, cum omni vigore destituentes. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet; si autem fortior superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. Quis est ille, qui armati instar militis, suas tutatur stationes, nisi dæmon, cor possidens peccatoris, qui omni absque contradictione quietus, infamis mancipatus onstringitur compedibus? Quis porro ille, qui fortior eo, ipsum vincit, ex possessione exturbat, omnesque diripit prædas, nisi confessionis Sacramentum? Spolia sunt animæ ab eo deceptæ, inquit Glossa. His exuviis, his prædis Sacerdos privat dæmonem. Has Christus per gratiam suam redemit, et dæmonibus abstulit, ait Carthusianus. MANSI, disc. X. n. 7.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Pythagoras dicebat, non esse peccata verbis tegenda, sed tentandum ut reprehensionibus curentur. MAXIM. *l. de Confess.*

Sicut fumus præcedit incendium; sic flammam fidei et charitatis præcedit confessio peccatorum. PRIMAS. *in Apoc.*

Somnium narrare, vigilantis est, et vitia sua confiteri, sanitatis est indicium, ait Seneca. SEN. ep. LIV.

Diogenes conspicatus adolescentem erubescentem, et ob id animo turbatum: Macte, inquit, animo, fili, isthæc est virtutis tinctura. BEIRL. ex. VI, *in Fest. SS. Apost. Petr. et Paul.*

NECESSITAS. — In omni lege confessio fuit a Deo exacta. 1. In lege naturæ, ab Adamo, dum ei dixit: Adam, ubi est? Ab Eva: Quare hoc fecisti? A Caino: Ubi est Abel rater tuus? GEN. III. Ubi S. Ambrosius ait: Interrogat Dominus Cain de fratre, ut moveret eum ad confessionem. GEN. IV.

2. In lege scripta, dum Deus præcipit: Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum. N. V, 6. Sed et Josephus ait: Qui sciens peccavit, nemine conscio, arietem offert, lege ita jubente; et quis peccat, jubetur adire Sacerdotem, et peccatum illi detegere, ut pro ejus arbitrio aries eligatur, et ipse pro peccatore oret. JOSEPH, l. III, *Antiq.* c. X.

Ven. Beda asserit, experientia sui temporis constare, quod energumeni aliter non curentur, nisi (in quantum sapere possunt) omne quod ab immundis spiritibus visu, auditu, gustu et tactu, et alio quolibet corporis vel animi sensu vigilantes, dormientesque pertulerint, confitendo pariter exponant. VEN. BED. *in c. Luc.*

Illis, qui confessionem diu nimis protrahunt, evenit frequenter id, quod echino contingere solet, qui, quia ob prolium egredientium aculeos partum differt, crescente fœtu majores dolores pati cogitur, et sæpe omnino rumpitur. MARCH. *t.* V. *Hor. Past.* lect. VIII.

UTILITAS. — Serapion adhuc puer, cum furtis assuetus, tandem se vicisset, et Theonæ Abbati peccatum suum fassus esset, lampas accensa de sinu ejus processit, tantoque fœtore cellam replevit, ut præ vehementia fœtoris vix in ea residere potuerint. CASS. Coll. II, c. 11.

Recte Seneca: Ubi confessio est, ibi remissio est. SEN. *l. de Morib.*

Sed et Ovidius: Numen confessis aliquod patet. OVID. l. X, *Metam.*

Omnia vitia in aperto leviora sunt, inquit Seneca; morbi quoque ad sanitatem tunc inclinant cum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt. Et avaritiam itaque et ambitionem, et cætera mala mentis humanæ tunc perniciosa esse scias, cum simulata sanitate subsidunt. SEN. ep. LVII.

Sicut ii, qui escam habent indigestam, perpetuo ad vomitum urgentur; ita et iis, qui peccata in confessione nondum explicata in pectore habent, nulla quies erit, donec illa aperiant. ORIG. Ps. XXXVII.

Postquam Joseph Patriarcha indignationem suam adversus fratres indicavit, Judas (qui idem significat, ac confessio), primus

ingressus est ad eum, ut illius iram leniret, et ad misericordiam provocaret. Sed et quærentibus filiis Israel, quis post mortem Josue esset gubernaturus, dictum est : Judas ascendet, ecce tradidi terram in manus ejus. Sed et multo antea (ut quidam tradunt) Judas primus ingressus est mare rubrum, propter quod Principatum obtinuit. JAC. ALV. *de Hum.* c. v, p. 4.

Initium salutis, ait Seneca, est notitia peccati. Qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, ante quam emendes. Inquire in te, Accusatoris primum partibus fungere, deinde Judicis, novissime Deprecatoris. SEN. ep. XVIII.

ÆQUITAS. — Ipsa etiam bruta medicinam vulneribus suis et morbis quærunt. Cervus telum inhærens corpori, dictamo, et venenum, quod phalangius (araneorum genus) affudit mordens, esu cancrorum expellit. Hippopotamus exacuto arundinis fragmine venam mittendo sanguini aperit. Apri pastu hederæ, aut cancrorum, ingluviem sanant; canes ac feles herbis. Anguillæ et serpentes vetustam pellem gustato fœniculi succo exuunt. Palumbes, corvus, graculus, merula, perdix, lauro se purgant. PLIN. l. II, c. XXVII.

AUCTORES.

Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum* tr. 5.

Philippus D'Outreman, p. 2, c. 15.

Matthias Faber, *Dom.* 3. *Advent.* conc. 6 et 7. Item, *Dom.* 3. *post. Epiph.* conc. 3. Item, *Dom.* 3. *Quadr.* conc. 6 et 7, et *Dom.* 4, c. 3 et 4. Item, *Dom.* 13, *post. Pent.* conc. 9.

Fulvius Androtius, lib. integro.

Bernardinus Rosignolius, l. I, c. 9 et 10.

Paulus Parry, in *Solitudine Hagiophilæ.* Dissert. 1 et 2. diei secundæ, et diss. I, diei tertiæ.

Ludovicus Gran., in *Locis Comm.* f. 699.

Thomas Stapletonus, text. IV *in Dom.* 1, *post Pascha.*

Laurentius Beirlinck, textu VI *in Festo* SS. *Apost. Petri et Pauli.*

Nicolaus Lancizius, opusc. XII, f. 246 et 185. Item, opusc. c. XIII, c. XII.

Josephus Lang., *in Polyanthæa*, V. eodem.

Antonius Daurollius, *in Catech. Historiali*, tit. XXXV, c. V.

CONFIRMATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est unctio Chrismatis, sub præscripta forma verborum, in fronte Baptizati, ab Episcopo facta, qua is ex institutione Christi gratiæ augmentum et robur accipit. BUSENB. l. VI, tr. 2. c. II.

CAUSÆ. — Materia remota essentialis est Chrisma, ex oleo et balsamo confectum, et ab Episcopo benedictum. Materia proxima est unctio in fronte per manum Episcopi in formam Crucis facta. Idem, *ex Comm.*

Forma hujus Sacramenti est : Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis; in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Causa efficiens seu Minister est solus et omnis Episcopus; ex delegatione Pontificis etiam simplex Sacerdos.

Causa finalis est robur et gratiæ augmentum, unde teste S. Aug. : Unguentum hoc visibile, quo Ecclesia Baptizatos inungit, significat invisibilis gratiæ donum, quo Spiritus Sanctus Christum in primis, qui et a Chrismate nomen trahit, et deinde Christianos omnes interna unctione imbuit atque confirmat. S. AUG. l. XIII, *de Conf.* c. XXVI.

CÆREMONIÆ. — Hos ceu Christianæ militiæ tyrones Episcopus admonet inunctione, ut adversus tot hostes, et quotidiana pericula spiritualia confirmentur. CANISIUS p. II *de Confir.* § 5.

Consignat Cruce frontem, quæ pudoris est sedes, ut non erubescat Christum et fidem Catholicam coram hominibus confiteri.

Alapam impingit, ut militiam Christianam invicta patientia exercendam et ornandam esse, perpetua memoria retineant.

Obligatur frons fasciola, tum ne temere tangatur et abstergatur Chrisma, tum ut intelligat confirmatus, gratiam confirmationis sedulo sibi conservandam esse.

Datur Patrinus, ut se adhuc ductore indigere sciat, sicut ob eamdem causam tyroni militi veteranus adjungitur.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me. Ps L, 14.

Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis (per confirmationem) in salutem. I. Petr. II, 2.

Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos DEUS; qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. II, Cor. I, 21.

Manda, Deus, virtuti tuæ (per Spiritum S. conferri solitæ) confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Ps. LXVII, 29.

Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum. Act. VIII, 17.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Baptismi gratiam omni homini, vel omni sexui, tradidit auctoritas antiquorum; Confirmationis autem insigne, sola Pontificalis persona suæ vendicat dignitati. S. Petrus Dam. s. I *de Dedic. Eccl.*

Postquam Dominus noster verus Rex et Sacerdos æternus, a Deo Patre cœlesti mystico unguento est delibutus, jam non soli Pontifices et Reges, sed omnis Ecclesia unctione Chrismatis consecratur, pro eo, quod est membrum æterni Sacerdotis et Regis. Ergo quia genus regale et sacerdotale sumus, ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur. S. Isidor. Hisp. l. II *de Eccl. off.* c. XXV.

An nescis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis manus imponatur, et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam et multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpant. S. Hier. *contra Lucifer.*

Ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solum sacerdotalis et regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem. S. Aug. *in Sent.* n. 341.

Necessitas. — Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. S. Cypr. l. I, ep, XII *ad Joan.*

Cum regeneratus quis fuerit per aquam, postmodum septiformis Spiritus gratia ab Episcopo confirmetur, quia aliter perfectus Christianus esse nequaquam poterit. S. Clem. IV *ad Julium et Julianum.*

Quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. S. Melch. Pont. *in ep. ad Hisp. Episc.*

Decretales paginæ et Sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post Baptismum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, a quo nemo unquam nocendi inducias extorsit. S. Petrus Dam. l. I *de Dedic. Eccl.*

Utilitas. — Secundum est Sacramentum Confirmationis. In baptismate Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam; ibi mundamur ab iniquitate, hic virtutibus præmuniamur. Ibid.

Signatur baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem in capitis summitate; per Pontificem vero in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio, ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et virtutis venire in hominem declaretur. Raban. Arch. Mogunt. l. I *de Instit. Cler.* c. XXX.

Caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manuum impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. Tert. l. *de Carn. Resurr.*

EXEMPLA.

Qualitas. — Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. Act. c. VIII, 14.

Cum S. Paulus Ephesi aliquos discipulos reperisset, quæsivit ab eis, an Spiritum Sanctum accepissent? Cumque illi respondissent, se, nec si Spiritus Sanctus esset, audivisse, jussit eos in Christi nomine baptizari, cumque post Baptismum manus illis imposuisset, venit Spiritus S. super eos et loquebantur linguis et prophetabant. ACT, XIX.

Cum Clericus S. Ethelwoldi, Wintoniensis Episcopi, ampullam tantum media parte plenam oleo accepisset pro Confirmationis Sacramento administrando, eamque ipsam in itinere amisisset, postea cum anxietate iter repetens, reperit eam in via jacentem, et penitus impletam. SURIUS, t. IV, 2 *Aug.*

Japoni tanto cum sensu pietatis hoc Sacramentum susceperunt, ut Episcopus Japoniæ dixerit, se nunquam reperiisse gentem, quæ tantam erga hoc Sacramentum religionem præseferret, ac in Japonibus compererat. JOAN. HAIUS, *in Lit. Jap.* 1603.

NECESSITAS. — Quod Novatus ab Exorcistis Catholicis ad veram fidem perductus, et baptizatus, postea tormentorum metu iterum defecerit, potissimam Scriptores causam aiunt fuisse, quod Confirmationis Sacramentum, cum potuisset, non susceperit. EUSEB. l. VI *Hist. Eccl.* c. XXXV.

S. Anselmus, cum post multos alios hoc Sacramento initiatos puellam, idem beneficium petentem, inungere suorum importunitate persuasus omisisset, tantum ex hoc facto dolorem concepit, ut nunquam amplius per totam vitam ab ejus corde recesserit. EDINERUS, *in Vita* l. VII, c. XXXII.

S. Mauritius, Episcopus Gandavensis, cum ad puerum moribundum inungendum vocatus, paululum tardasset, puerque interea mortuus esset, multis annis hanc negligentiam deflevit, et tandem indignum se Episcopatu ratus aufugit, et clavibus in mare conjectis votum fecit non redeundi ad Episcopatum, donec claves iterum fuissent inventæ. Servivitque tamdiu in hortulani officio, donec a suis inventus, clavibusque, quas piscis ultro in navem insiliens in se concluserat, oblatis, ad sedem suam reversus est. SURIUS, t. V, 13 *Sept.*

UTILITAS. — Lactantius Firmianus refert multos Christianos propterea a Tyrannis graviter excruciatos esse, quod illis præsentibus, utpote qui uncti erant, dæmones ex idolis responsa non darent. LACTANT FIRM. l. IV *de Vera Sap.*

Cum quidam cæcus pastor ope dæmonis et vaccas totius pagi cognosceret et custodiret, quamprimum confirmatus est, nihil simile amplius potuit. CANTIP. l. II *Ap.* c. XVII.

Cum paschali tempore Faro, Meldensis Episcopus, subditos suos hoc Sacramento initiaret, cæcus quidam puer inter alios accedens mox oculorum usum recepit. S. Malchus vero usum rationis per idem Sacramentum puero cuipiam restituit. DAUROLT. *in Catech. hist.* c. V, tit. 4.

S. Rembertus, secundus Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, in Sueciam profectus, cum ibi pontificali more sacro Chrismate cæcum inunxisset, visum luminis illi reddidit. SURIUS, *in Vita Remberti*, IV.

S. Malchus, D. Bernardi præceptor, e Monasterio Wintoniensi, ubi in habitu ex proposito monachali conversatus fuerat, ad Episcopatum in Lesmon civitate Mamoniæ assumptus, puerum mente captum ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra unctione sanavit. SURIUS, *in Vita ejus*, tom. V, 28 *Octob.*, c. VI.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut in Christo morimur, ut renascamur; ita etiam Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum; nam etsi signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus S. exprimat in nobis cœlestis imaginis effigiem. S. AMBR. l. I *de Spiritus* s. c. VI.

Sicut Salvator per Baptismum et Spiritus S. descensum, aggressum Adversarium devicit; sic et vos per sacrum Baptisma induti mysticum Chrisma (quæ est Spiritus S. armatura) state adversus hostes, eosque debellate dicentes : Omnia possum in eo, qui me confortat Christus, a cujus Chrismate Christiani appellamini, perducentes ad veritatem nomen Christianum, quod a Baptismo cœpit nominari, si quidem non eratis proprie digni eo nomine, sed potius eo progredientes tendebatis, ut Christiani essetis. CYRILL. HIER. *Catech.* s. II.

Sicut in ædificiis materialibus fabri inferiores calcem, cæmentum, ligna et reliquam materiam subministrant, absolutio vero operis, et ultimæ manus impositio ad architectum spectat; ita Baptismus per communes Sacerdotes conferri solet, Confirmatio vero, quæ spirituale hominis ædificium perficit,

manum Episcopi requirit. D. TH. III, p. q. LXXII, art. 11.

Sicut trium votorum Religiosorum editio hominem in statu perfectionis constituit, non quod is jam perfectus sit, sed quod illa professio eum addicat studio perfectionis, et pecularia adjumenta ad id habeat; ita idem etiam de Confirmationis Sacramento dicendum. FAB. conc. VI *in Fer.* 3, *Pent.*

Sicut de intentione naturæ est, ut homo crescat in statura; ita de intentione Dei est, ut idem crescat in vitæ perfectione, quod fit per hoc Sacramentum. S. THOM. q. V, a. 8.

Sicut inferiores et leviores artes docent alii Magistri, Doctorem vero Theologiæ creat, et sic ultimam quasi manum Cancellarius aut Doctor alius Theologiæ imponit; ita Baptismum multi alii, Confirmationem vero solus Episcopus administrat.

NECESSITAS. — Sicut exigit militaris ordo ut cum Imperator quemcumque receperit in militum numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum; ita in Baptismo recipitur homo in militiam et in Confirmatione coarmatur ad pugnam. S. MELCH. dist. V, c. *de Hist.*

Sicut Anti-Christus olim jubebit, ne quis in fronte crucem portet; ita Dæmon et Hæretici cavent, ne quis fronte inunctus Christum fortiter profiteatur. S. HYPPOLIT. *in l. de Consumm. mundi.*

Sicut parentes magnam conferre facultatem volentes, non satis provident, nisi etiam tutorem constituant; ita Christus non satis putabat provisum suis, nisi regeneratis in Baptismo Paracletum pro custode, consolatore et tutore daret. S. MELCH. l. c.

MOTIVA.

Ad Confirmationem recipiendam.

Necessitas; si enim is, qui militiam adire debeat, ante omnia opus habet, ut bene armetur; quanto magis spiritualem militiam (a cujus felici exitu salus æterna pendet), auspicaturus, curare debet, ut per hoc Sacramentum spiritualem armaturam accipiat.

Utilitas; si enim ideo quisque cibum et alia similia media adhibet, quia ad augmentum corporis sunt proficua; quidni magna alacritate hoc Sacramentum quis suscipiat, ut quoad animam perfici et crescere queat?

Dignitas. Quis enim non gauderet, si ad modum Saulis vel Davidis, subito ab aliquo in regem jussu Dei inungeretur? Quanto magis autem felicem se reputare debet, si per hoc Sacramentum inunctus titulum et jus Regis cœlestis accipiat?

Jucunditas; si enim merito jucundissimum accidit pupillo, si bonum et fidelem tutorem se nactum fuisse intelligat; quanto magis gaudere debebit, qui per Confirmationis Sacramentum se Spiritum Sanctum in tutorem et protectorem accepisse meminerit?

MEDIA.

Cognitio sui; hæc enim efficiet, ut fragilitatem ac infirmitatem suam cognoscens, ultro desideret hoc Sacramentum, utpote per quod vires suas non modice roborari novit.

Æstimatio hujus Sacramenti; quam concipiet, si meminerit, quemadmodum Sauli olim cum unctione cor immutatum est; ita sibi quoque per Spiritus S. unctionem in hoc Sacramento peragendam, cor aliud datum iri; nam, ut Urbanus Papa loquitur, cum Spiritus S. infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur. URBANUS, *de Conf.* dist. V, c. *Omnes.*

Ardens desiderium Christianæ perfectionis; si enim Religiosi simili desiderio accensi, statum Religiosum tam ardenter eligunt et amplectuntur; cur non et Christianus, si Religionem ingredi non possit, saltem hoc Sacramentum, velut statum perfectionis, cupide amplectatur?

Odium Dæmonis; per hoc enim instigabitur quis ad fortiter ei resistendum, atque adeo etiam ad hoc Sacramentum, velut armaturam spiritualem, arripiendum.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ præcipue Asceta circa hoc Sacramentum observare debet. Primum est, ut bene cognoscat naturam et institutionem hujus Sacramenti, nempe quod sit eo fine a Christo institutum, ut Christianus non solum regiæ sacerdotalis dignitatis fiat consors, sed insignis etiam, contra diabolum aliosque animæ hostes, luctator, quemad-

modum S. Augustinus loquitur. S. AUG. *in Sent.* n. 31.

Alterum est, ut ad illud mature digneque suscipiendum hortetur; cum enim id contra graviores lapsus confirmet ac protegat, quibus juvenilis ætas magis quam alia subjecta est, merito in hac etiam ætate magis hoc remedium arripitur, quam in posteriorem ætatem differtur.

Tertium est, ut ad digne cooperandum huic Sacramento hortetur illis S. Pauli verbis: Labora sicut bonus miles Christi; II TIM. II, 5; eumque in finem sibi gratiam Sacramentalem Confirmationis a Spiritu Sancto dari imaginetur, illaque olim ad Judam Machabæum dicta verba repeti: Accipe Sanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. II MACH. ult. 16.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. » Ps. LXXXVIII, 21.

Potest effectum Confirmationis per comparationem cum oleo explicari. Et 1. quidem ostendi, quod sicut oleum nutrit et augmentat corpus; ita hoc ipsum etiam hoc Sacramentum respectu animæ faciat. 2. Quod sicut oleum ea, quibus infunditur, nitida et splendida efficit; ita et hoc Sacramentum fidei lumen et splendorem in anima augeat. 3. Quod, sicut oleum corroborat corpus quod inungitur (unde olim athletæ oleo se ungebant); ita et anima per hoc Sacramentum ad pugnam spiritualem roboretur. 4. Quod, sicut oleo unguntur et creantur Reges; ita per oleum hujus Sacramenti Reges cœlestes, id est, veri ac perfecti Christiani, efficiantur. Vide Marchant. in *Horto Pastorum*, tract. 3. Lect. 2.

Ex occasione thematis: « Sicut balsamum romatizans odorem dedi. » ECCL. XXIV. 10.

Potest natura et effectus Chrismatis in hoc Sacramento adhiberi soliti ostendi. Et 1 quidem dici, quod Chrisma nihil aliud sit, quam oleum balsamo mixtum, et ideo a Christo pro materia hujus Sacramenti assumptum sit, ut intelligerent Fideles, quemadmodum ipsi per oleum nunc inunguntur in veros et perfectos Christianos, et ad hoc gratiam copiosam accipiunt; ita ex sua parte ipsos cooperari debere, et vitæ ac bonorum exemplorum odorem aliis relinquere. 2. Ostendatur, quam merito hic odor odori balsami comparetur, quia est odor valde suavis gratusque Deo et hominibus: *Sanus*, id est, a putredine peccati conservans; *penetrativus*, cum exempla magis quam verba penetrent, moveantque, ut adeo merito tales Christiani cum Apostolo dicere queant: Christi bonus odor sumus in omni loco. I COR. II, 13.

Ex occasione thematis: « Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. » ACT. VIII, 13.

Explicari possunt effectus hujus Sacramenti per manus impositionem, dicique: 1. Quod manus imponatur, ut significetur, eos a Spiritu S. tamquam manu adversus hostes protegi. 2. Quod, sicut olim supra victimas manus imponebantur; ita etiam per hanc manuum impositionem Deo velut victimæ gratissimæ immolentur 3. Quod a Deo quasi manu ducantur, et specialiter nunc regantur, velut veri ipsius servi. 4. Quod per hanc impositionem iterum reconcilientur Deo.

Ex occasione thematis: « Accipe Sanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. » MACH. *ult.* 16.

Potest primarius effectus hujus Sacramenti explicari, qui est, robur contra hostes fidei conferre. In prima ergo parte ostendatur, quam vere a Jobo dictum sit, militiam esse vitam hominis super terram, et quam periculosa sit hæc militia, utpote in qua pro animæ salute certatur; quem in finem potest Dæmon Nicanori Judæorum hosti comparari, qui summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. In secunda parte ostendatur, ab Ecclesia contra talem hostem, perinde ac olim Judæ ab Jeremia, gladium offerri per Sacramentum Confirmationis, gladium vere *Sanctum* (cum non sit alius, quam ipse Spiritus S. et gratia illius) vere *munus a Deo* præclarissimum (cum sit donum optimum et perfectum desursum descendens) *in quo omnes adversarii dejiciuntur*, (cum sit ille ipse, quo olim S. Michael Luciferum superavit dicens: Quis ut Deus?) ut adeo vere quivis Christianus ad Deum et Ecclesiam accedens dicat cum Davide: Non est alter huic similis, da mihi eum.

Ex occasione thematis: « Ecce unxit te

Dominus super hæreditatem suam in Principem. » I Reg. xxi, 10.

Potest alius effectus Confirmationis explicari, scilicet Character impressus, per quem deputatur confirmatus in verum Dei servum, atque ideo Regem cœli, juxta commune illud dictum Ascetarum : Servire Deo, regnare est. In prima itaque parte ostendatur, quale sit hoc regnum pro quo confirmatus inungitur, quam longe excedens omnia regna mundi, sive dignitas, sive abundantia, sive potentia spectetur. In secunda ostendatur, quomodo hoc regnum per hujus Sacramenti unctionem conferatur. In tertia parte demonstretur, quanti hanc gratiam facere debeat quivis Christianus, quod perinde ut olim Saul, e tot millibus hominum vera fide carentium electus sit, ut in Regem, et quidem talem ungeretur. Quantopere adeo studere debeat, ut personam suam digne sustineat.

Ex occasione thematis : « Manda, Deus, virtuti tuæ, confirma hoc, quod operatus es in nobis. » Ps. lxvii, 25.

Explicari potest quidquid de hoc Sacramento cuivis Christiano sciendum est. Et in prima quidem parte ostendatur, quando, a quo et quem ob finem hoc Sacramentum institutum sit. In secunda ostendatur, quam convenienter hunc in finem omnes actiones et cæremoniæ in ejus administratione adhiberi solitæ, sint electæ, utpote quæ omnes robur animæ conferri solitum significant ; nam *Oleum* indicat eum perinde ut pugilem inungi, et ad certamen præparari ; *Signatio in fronte* per modum crucis facta, significat illum hac cruce contra hostes armari, illaque Ecclesiæ verba hostibus dici : Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ ; *Alapa* indicat actualem patientiam, qua confirmatus omnes adversitates pari alacritate ac tranquillitate accipere debet, qua nunc alapam ab Episcopo accipit. Excitentur proin auditores, ut beneficium hoc agnoscant, magni faciant, ardenter desiderent, et animo gratissimo amplectantur

MISCELLANEA.

Qualitas. — Quod Sponsa de Sponso dixit : Oleum effusum nomen tuum ; Cant. v, 3. hoc pariter de nomine Christiani dici potest, cum vere talis a Chrismate, quod est oleum balsamo mixtum, dictus sit, atque adeo conari debeat, ut odorem bonæ vitæ et exempli undique a se effundat.

Necessitas. — Themistocles de Cretensium duce, Theutide Orontho, dicebat Atheniensibus : Non timete Theutidem, quia licet habet gladium ad jugulandum, non tamen habet cor ad evaginandum. Idem de Christianis baptizatis quidem, sed nondum confirmatis, dici potest. Fab. conc. vi *in Festo SS. Sim. et Judæ*, n. 1.

Utilitas. — Triplicem Confirmationis effectum pulchre S. Apostolus his verbis indicavit : Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, (qua unctione robur animæ denotatur), qui et signavit nos, (charactere scilicet hujus Sacramenti) et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris (per gratiæ habitualis, aliorumque habituum supernaturalium infusionem). II Cor. i, 21.

Sicut S. Petrus juveni, quem Simon Magus a morte excitare præsumpserat, dixit : Si vivit, surgat, loquatur, ambulet ; ita omnibus confirmatis dici potest : Si vivitis gratia Spiritus Sancti confirmati, surgite a tepore fidei ad fervorem ; loquimini, fidem vestram publice prædicando et defendendo ; ambulate ut Catholici per viam mandatorum, et vocationem vestram dignis operibus certam facite.

AUCTORES

Petrus Canisius, part. II, c iii.
Jacobus March. *in Horto Pastor.* tr. III.
Philippus D'Outreman, *in Pædagogo Christiano*, p. I, c. i, § 1.
Antonius Dauroltius, in *Catechismo Historiali*, c. v.
Matthias Faber, conc. vi, *in Festo SS. Simonis et Judæ*, et conc. v., *in Fer* iii, *Pent.* Item, *in Auctario*, *them.* iii, *in Festo Pent.* et them. iv, *in Fer.* ii, *Pent.*

CONSCIENTIA

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est dictamen rationis, sive actus intellectus, quo judicamus aliquid hic et nunc agendum vel omittendum esse,

vel fuisse. Euseb. l. I, tr. I, c. i. Hinc a S. Chrysostomo vocatur Codex, in quo quotidiana hominum peccata scribuntur. S. Chrysostomus, *in Psal.* Hugo vero ait esse idem ac *cordis scientiam*; cor enim et se, et alia novit. Et quando se novit, vocatur *conscientia*, quando vero alia novit, *scientia* appellatur.

Divisio. — Quintuplex a Theologis assignatur : 1. *Recta*, quæ vere docet, quid agendum vel omittendum sit. 2. *Erronea*, quæ falso docet, quid agendum vel omittendum sit, et iterum in culpabiliter, et inculpabiliter erroneam subdividitur. 3. *Probabilis*, quæ ex duobus contradictoriis utrumque licite fieri posse dictat. 4. *Dubia*, quæ quid hic et nunc agendum sit, resolvere se non potest. 5. *Scrupulosa*, quæ vane apprehendit periculum peccati, ubi non est. Sed recte monent iidem Theologi, nec hanc, nec erroneam, ac dubiam, conscientiam proprie posse hoc nomine appellari, sed umbras potius esse conscientiæ, cum conscientia detur ad voluntatem dirigendam, nulla autem earum id proprie præstet.

Rectius ergo ab Ascetis in *Bonam* et *Malam* dividitur. Quarum prior est, quæ bene aliquid actum esse dictat; posterior, quæ male factorum arguit. De quibus Deus Caino dixit : Nonne si bene egeris, recipies? Si autem male, satim in foribus, peccatum tuum aderit, cor scilicet fodicans? Gen. iv, 7.

EX S. SCRIPTURA

Qualitas. — Esto consentiens Adversario tuo cito, dum es in via; ne forte tradat te Adversarius Judici, et Judex tradat te Ministro, et in carcerem mittaris. Matth. v, 26.

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Ps. iv, 5.

Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Rom. ii. 15.

In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hoc enim est conservatio mandatorum. Eccl. xxxii, 27.

Conscientia bona. — Beatus, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. Eccl. xiv, 1.

Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo. I Joan. iii, 21.

Omnes dies pauperis mali; secura mens quasi juge convivium. Prov. xv, 15.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. II Cor. i, 12.

Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Eccl. xiii, 30.

Non est oblectamentum super cordis gaudium. Ibid. xxx, 17.

Conscientia mala. — Die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Ps. xxxi, 4.

Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia. Sap. xiii, 21.

Quid faciam tibi, o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Job. vii, 20.

Sonitus terroris semper in auribus illius; et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Job. xv, 21.

Fugit impius nemine persequente; justus autem quasi leo confidens absque terrore erit. Prov. xxviii, 1.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Ps. l, 4.

Dabit tibi Dominus cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore; et erit vita tua quasi pendens ante te. Deut. xviii, 66.

Vermis eorum non moritur. Marc. viii, 44.

EX SS. PATRIBUS

Qualitas. — Quantumlibet quis ad vitiorum profunda corruerit, animi judicium nunquam corrumpitur, atque inviolabile perstat, nullusque est, qui, dum operatur malum, bonum id esse putet, sed occasiones fingit, et omnia facit; cæterum ille, etsi verbis fortassis crimen diluat, conscientiam tamen ipse suam effugere nequaquam poterit. S. Chrys. hom. v, *in post epist. ad Tim.*

Nullus prætexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem vitæ ducem et demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam. Et fieri non potest, ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis, implantata est scientia faciendorum et non faciendorum. Idem, hom. liv, *in Gen.*

Conscientia domesticum et verum tribunal. S. Greg. Naz.

Humana judicia potest subterfugere male agens, sed non judicium conscientiæ. S. Greg. Magn. l. xxvii, *Mor.* c. xvii.

Humana conscientia semper in lubrico est. S. Greg. xi, *Moral.*

Conscientia semper manet accusatrix. Ibid.

Conscientia delictorum est maxima omnium afflictio. Idem, *sup.* Ps. vii.

Conscientia incorruptus judex est. Idem. *super Gen.* hom. xvii.

Necessitas. — Duo tibi sunt necessaria, conscientia et fama; conscientia propter Deum, fama propter proximum. S. Ambr. *in Ep. ad Const.*

In omne quod dicitur, tacite semper debemus reccurrere ad mentem, et interiorem testem et judicem requirere. S. Greg. *super Ezech.* hom. ix.

Utilitas. — Felix conscientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur! Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. S. Hier. l. XI, *Comm.*

Tranquilla conscientia est, quæ est omnibus dulcis, nullis gravis; utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, quibus potest ad beneficentiam; cui Deus nec sua peccata imputat, quia non fecit, nec aliena, quia non approbavit, nec negligentiam, quia non tacuit, nec superbiam, quia in unitate permansit. Hugo, l. II, *de Anima* c. ix.

Conscientia bona titulus est Religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber signatus et clausus, et in die judicii aperiendus. Ibidem.

Benignus Deus ejusmodi nobis accusatorem assistere voluit, ut nunquam soli relinquamur; sed indesinenter ille congrediens clamet, et pœnam exigat delictorum. S. Chrys. hom. xx, *in Gen.*

Est conscientia quasi candela accensa, quam posuit Dominus in medio cordis nostri, ut pateant ea, quæ in eo sunt contenta, unde Psalmus ait: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » S. Bern. *Sent.* t. II, ser. lii, a. 1, c. ii.

Conscientia bona coram Deo sufficit. S. Anselm. *sup. Ep. ad Cor.*

Tranquillitate conscientiæ nihil excogitari beatius potest. S. Aug. *de Civ. Dei.*

Jucunditas. — Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus; non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus; non mensæ dapsilitas, sed animæ cura. Maximum enim festum est conscientia bona. Qui enim vivit in justitia et operibus bonis, vel absque festo festum agit, sinceram voluptatem ex bona conscientia percipiens; qui vero in peccato et malitia degit, multorum malorum sibimet conscius, etiam cum maxime festum est, festo caret quam maxime. S. Chrys. *in hom. de Fest.*

Lectulus respersus floribus bona conscientia est, bonis referta operibus. S. Bern. s. xlvii, *in Cant.*

Quis puritate et simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior, quam is, quem animus bene sibi conscius et mens innocentis, epulatur? S. Ambr. in Ps. xlviii.

Animi tranquillitatem et lætitiam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quidpiam rerum humanarum afferre consuevit, præterquam conscientia bona, quam certe qui puram habet, ut pannosus sit, ut cum fame luctetur; tamen tranquillior beatiorque est iis, qui inter delicias degunt. S. Chrys. hom. i, *in Ep. ad Rom.*

O conscientia sancta, in terra adhuc es, et in cælo habitas! Gaude, o anima sancta, sancta conscientia decorata! S. Aug. s. x, *ad FF.*

Non secundum forensem abundantiam æstimanda est beatitudo singulorum, sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium et flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum, præmiorumque arbitra. S. Ambr. l. i, *Off.* c. xii.

Nihil bona conscientia suavius; et si vultis hoc discere, hinc migraturum interrogemus, et commonefacientes lautæ mensæ, qua quondam oblectabatur, et honoris, et gloriæ, et bonorum operum, quæ unquam fecit, rogemus, in quibus magis exultet? Et in illis quidem videbimus erubescentem, in his vero gestientem. Tunc maxime capies et sapies verissimum illud Sapientis: « Secura mens quasi juge convivium, » cum omnes cibi desipient, omnia humana fastidies. S. Chrys. hom. xxxii.

Bona conscientia secura erit, cum corpus morietur. Secura, cum anima coram Deo præsentabitur; secura, cum utrumque in die

judicii ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur; futuræ benedictionis non est utilius remedium, nec certius testimonium bona conscientia. S. BERN. XIII *de Inter.*

O felix conscientiæ puritas! O felix sanctæ conscientiæ jucunditas, quæ vermem interiorem excludis, quæ a carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem. O mens sancta, O Paradisus deliciarum, variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus purpurata, et suaviter cælesti gratia irrigata! Hæc est, Fratres mei, Paradisus, in quo plantatur lignum vitæ et cœlestis sapientiæ; hæc est, thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum Sancti Spiritus; hæc est thronus Salomonis, lectulus Sponsi cœlestis, in quo ipsa conscientia bona optime delectatur, et requiescit cum Sponso suo. S. BERN. s. X, *ad FF. in Erem.*

Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est et securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ et ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur. Idem, *in l. de Consol.*

Tu, qui veram requiem quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem gustabis, si ejus, qui eam promisit, præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores fructus esse justitiæ, quam iniquitatis, et verius ac jucundius gaudebis de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. S. AUG. *de Catechiz. rud.*

CONSCIENTIA MALA. — Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod conscientia vocatur, ubicumque aliquid passus fuerit tribulationis, illuc confugiet, et ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatis, quoniam et ibi Deus non est, quid facturus est homo? Quo confugiet, cum cœperit pati tribulationes? S. AUG. *in Ps.* XLV.

Quisquis malus est, male secum est, torqueatur, necesse est, sibi ipsi tormentum est, ipse est enim pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico, quo potuerit; a se quo fuget? Idem, *in Ps.* XXXVI.

Jussisti, Domine, et vere sic est; ut pœna sibi ipsi sit omnis inordinatus animus. Idem, l. IV, *Confess.*

Quæ pœna gravior, quam interioris vulnus conscientiæ? Nonne hoc magis fugiendum, quam mors, dispendium, exilium, debilitas, dolor? S. AMBR. *de Offic.*

Infernus quidam et carcer animæ rea conscientia est. S. BERN. s. XXV, *in Cant.*

Explica mihi istius conscientiam, et videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem; videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem et tanquam Judicem quempiam sedentem et cogitationes loco carnificum adhibentem, in equleo suspendentem, lateraque conscientiæ radentem ungulis, etc. S. CHRYS., conc. I, *de Laz.*

Amplius suis suspicionibus affligitur impius, quam alienis plerique verberibus, majoresque vibices vulnerum in ejus animo sunt, quam in eorum corpore, qui ab aliis verberantur. S. AMBR. *de Jacob*, tr. IV, l. II, c. VI.

Quo confugiet (homo malæ conscientiæ) cum cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo ad cubiculum, et sequitur tribulatio. A cubiculo jam quo fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere, pellitur enim inde, et cum inde pellitur, a se ipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quo confugerat, se ipsum quo fugiturus est? Quocumque fugerit, se talem trahit post se, et quocumque talem traxerit se, cruciat se; sed a seipso sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis, acerbiores enim non sunt; tanto sunt acerbiores, quanto sunt interiores. S. AUG. *apud Nyss.* § 5, *de Proditore Juda.*

Habet occultos conscientia carnifices, quia magis lancinant et torquent vitia, quam cruces, quam verbera, quam tormenta. LATINUS PACATUS, *in Cant.*

Ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno est. S. AMBR. *in Ps.* XLV.

Unusquisque peccatis flagellatur, gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera, sicut onus gravant grave, et infligunt animæ cruciatus. S. AMBR. *in Ps.* CIV.

Scortator, adulter, aut fur, non modo cum accusatur ipse; verum etiam cum audit alios eadem ausos accusare, ipse sibi videtur flagris cædi; alius quidem vocatur in jus, hic vere flagellatur. S. CHRYS. conc. IV, *de Laz.*

Talis est peccantium consuetudo, omnia

suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, et quemque existimant contra se venire; et aliis alia disserentibus, sibi ipsis conscii, cogitant illos de se sermocinari; talis res peccatum est, nullo arguente prodit, nullo accusante condemnat, pavidum facit et timidum peccatorem. S. Chrys, hom. xviii, *ad Pop.*

Vermis est conscientiæ remorsus, qui dicitur vermis in quantum oritur ex putredine peccati, et animum affligit. Vermis est, ait Ambrosius, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungunt, et quædam exedunt viscera conscientiæ; quæ tanquam vermes ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris. S. Th. in iv, dist. l, q. xi.

Qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen se intus accusare. S. Chrys. conc. i, *de Laz.* Et voluptas quidem temporaria est, dolor vero perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio et anxietas. S. Aug. *in Ps.* ci. Angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit, et virum, quem affecit contumelia. S. Chrys. *sup. Ep. ad Heb.* hom. xviii.

Conscientia mala bene sperare non potest. S. Aug. *Soliloq.*

Conscientia mala oculum perturbat. S. Chrys. *sup. Ep. ad Heb.* hom. xviii.

Nulla pœna gravior est pœna conscientiæ. Vis autem nunquam esse tristis? Bene vive! S. Aug. *Soliloq.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Non est vera libertas, nec bona lætitia, nisi in timore Dei cum bona conscientia. Lib. I, c. xxi, § 2.

Felix, qui a se abdicat, quidquid conscientiam maculare potest. Ibid.

Duabus alis homo sublevatur a terrenis, simplicitate scilicet et puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. L. II, c. iv, § 1.

Cor purum penetrat cœlum et infernum. Ibid., § 2.

Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Et si est alicubi tribulatio et angustia, hoc melius novit mala conscientia. Ibid.

Gloria boni hominis, testimonium bonæ conscientiæ. L. II, c. vi, § 1.

Habe bonam conscientiam, et semper habebis lætitiam. Ibid.

Bona conscientia valde multa potest portare, et valde læta est inter adversa. Mala conscientia semper timida est et inquieta. Ibid.

Bonorum gloria in conscientiis eorum, et non in ore hominum. Ibid. § 2.

Oportet te esse mundum, et purum cor ad Deum gerere, si vis vacare, et videre quam suavis sit Dominus. L. II, c. viii, § 5.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Conscientia bona. — S. Augustinus dicere solebat: Senti de Augustino, quod libet; sola me conscientia in Dei oculis non accuset. S. Aug. c. i, *cont. Secundin. Hæret.*

S. Hilarion interrogatus a latronibus, quid faceret, si latrones ad ipsum venirent? respondit: Nudus latrones non timet. Cumque illi dicerent. Atqui occidi potes. Subjecit ille: Possum, sed ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum. Moriens vero sic animam allocutus est: Egredere, quid times? Egredere, anima mea. Septuaginta annis servisti Deo, et mori times? S. Hier. *in Vit.*

S. Ægidius, comes S. Francisci, dicere solebat: Licet lapides et saxa de cœlo pluerit Dominus, non nocebunt nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit. Fab. conc. iv, *in Dom. post. Ep.*

S. Tiburtius a Fabiano Christum abnegare, aut gravia tormenta expectare jussus, intrepide respondit: Decerne quod lubet. Omnis nobis vilis est pœna, ubi pura est comes conscientia. Ibid.

S. Martinus, in agone Dæmonem conspicatus, dixit: Quid hic adstas, cruenta bestia? Nihil in me funesti reperies. Sulpitius, *in Vita.*

Ezechias Rex, accepta mortis sententia, ad Dominum dicebat: Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. IV, Reg. xx.

Samuel, regnum Sauli cedens, ad populum dixit: Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum; si oppressi aliquem; si de manu cujusquam munus accepi. I Reg. xii.

Vidi ego, inquit Thomas Cantipratanus,

Lovanii Ordinis nostris fratrem, Servatium nomine, dilectum valde mihi et amicum familiarem : de illo beatissimo viro fratres, qui triginta quinque annos illi convixerant, testati sunt eum omni hoc tempore ita pacifice vixisse, ut neminem unquam vel leviter commoverit, aut perturbarit; humilitatis et mansuetudinis tantæ fuit, quantæ unquam hominem meminerim me vidisse. Hic ad extrema deductus, cum a fratre quodam rogaretur, ut sibi statum pacis suæ conscientiæ exponeret, dixit humiliter et devote : Pax certa et firma est inter me et nostræ salutis Auctorem, nec ullo modo diutius ab ejus contemplatione frustrabor. Atque ita in pace æterna requievit. TH. CANT. *apud Engelg.* 3, *Fer. Pasch.*

CONSCIENTIA MALA. — Memorabile est quod Abbas Sabbatius narravit : Sicarius a patrata per summam immanitatem innocentis pueri cæde, meliori radio a Deo illustratus, quo scelus occultum melius expiaret, Religiosæ vitæ rigorem ac habitum ab Abbate Zosimo petiit, et impetravit; jamque per omnes severioris disciplinæ gradus, magnis passibus ad virtutem gradiebatur, cum ecce scelus semper animo obversans, exturbat hominem e monasterio; pueri enim voces semper in auribus ejus insonare illud videbantur : *Cur me occidisti?* nec sinebant, ut auctor ait, una hora conquiescere ; quare semper tremens ac pavens, tanti cruciatus impatiens, e monasterio excessit, urbem ingressus Diospolim, in carcerem conjicitur et capite plexus est. Adeo nusquam securum latet scelus. *Pratum Spir.* c. LXVI.

Annis ab hinc multis, vir locuples ac potens facinus quoddam admiserat quod prodere et Confessarii auribus committere, morte et damnatione pejus ducebat; agitabat tamen mens hominem, et conscientia ad virus evomendum exstimulabat. Inaudierat forte Antuerpiæ pro concione, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoria exciderant; hinc nihil non molitus, ut peccatum illud e memoria proscriberet. Ivit per varia voluptatum genera, scelera sceleribus accumulans, vel ut antiquum illud obrueret, vel ut novis conscientiæ tumultibus vetus ille tumultus, quasi clavus clavo pelleretur. Sed frustra omnia. Abit in exteras regiones, quasi seipsum relicturus esset in Belgio; sed cœlum, non animum mutat, qui trans mare currit. Igitur animum fluctuantem ad studia appellit quæ totum hominem petunt, ut sunt Mathematicæ, Astrologiæ, et his affines disciplinæ; sed et hæc frustra. Audit tandem peccata contritione deleri, et ad opera bona, tanquam ad sacram anchoram confugit, dormit in cinere et cilicio, multa in pauperes erogat; nec sic animus conquiescit. Quid agat? Quo portu fluctuantis animi jactatio desæviet? Non alio, quam fœdæ mortis interitu. Itaque rhedam conscendit, domum, quam funestæ tragædiæ locum designarat, repetit; occurrit de via e nostris Patribus unus aliquis, quem ex rheda conspicatus, rogat, ut currum conscenderet, vincitque recusantem importunitate. Pater de Deo, divinisque rebus sermonem injecit, et inter cætera ad Confessionem dilapsus est; tetigit ea hominis ulcus, qui stomachabundus : Quid ais? inquit. Unde me nosti? Cui Pater: Nusquam, inquit, te vidi; sed nos de more ejusmodi sermones miscere solemus, et si qua in re ope mea eges, presto sum. Juveris, inquit ille, sed quid si confiteri renuam? Raptus Pater cedendum tempori, pio dolo hominem capit, spondetque, se missa confessione remedium allaturum. Arripit ille conditionem, ad acerba quæque se abjicit. Pater, cum domum appulisset, jubet epulum instrui, et se hilaritati dare, qua maxime egebat, nocte illa decretoria. Postridie quædam puncta ruminanda dedit, ad excitandam in Deum fiduciam; tum examen conscientiæ, non ut confiteatur, sed ut in memoriam reducat, et de singulis doleat, denique in vicinam silvam educit, rogatque, num bene conscientiam discusserit, et ne quid forte præteriisset, quærit ex illo quædam, per atrocia quæque dilabitur; tandem illud ipsum, quod angebat, attingit, ubi perturbatur miser : Et illud? Illud (inquit) est truculentum, infandum, quod eloqui non audeo. Tum Pater : Jam, inquit, confessus es, neque pluribus opus, nisi ut cætera prodas. Fecit, et onere illo levatus animi quietem invenit. CROMBERIUS, l. II, *de Stud. perf.*, c. II.

Ludovicus Severus, ex Bojorum sanguine princeps, Mariæ conjugis suæ litteras Ruchoni aulico scriptas, per tabellarii errorem, domo absens, intercepit, sed cum epistolæ sententiam non assequeretur (ut est malitiosa suspicio) cœpit de fide uxoris dubitare, et credere ausam facinus, quod non cogitarat. Itaque internuntius et lator litterarum, velut leno, primo obtruncatus ; deinde ubi Donaverdam urbem suam rediit, etiam præfectum arcis, flagitii suspectum, per satelli-

tem mandat jugulari; tum matronam aulæ præsidem, quasi sceleris consciam, ex turris arce præcipitari imperavit. Sed, o barbarum facinus! his quatuor funeribus, ipsa Maria integerrima Princeps, quintum accessit. Imperio conjugis vere severi, caput manu carnificis illi amputatum. Sed prima statim a cæde nocte Ludovicus a Mariæ manibus adeo exagitatus fuit, ut cum barba florente, et juvenili decoraque coma cubitum se contulisset, una nocte ita incanuerit, ut mane senem septuagenarium referret; in quem merito quadrat illud Poetæ Martialis :

O nox quam longa est, quæ facit, una senem.

DREXEL, *in Rogo Damn.* c. II.

Adam ubi audivit vocem Domini deambulantis in Paradiso, mox conscientia urgente timere cœpit, et abscondere sese. GEN. III, 8.

Cain, occiso fratre, agnovit scelus, dixitque : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus, et profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. GEN. IV, 13.

Fratres Josephi, in angustiis constituti, ad se invicem dixerunt : Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus; idcirco venit super nos hæc tribulatio. GEN. XLII, 21.

Miles quidam, ostenso sibi a duobus Angelis libello bonorum operum, et postea ingenti libro scelerum a Dæmonibus proposito, cum a Rege Angliæ ad pœnitentiam incitaretur, negavit id fieri posse, quia pessimam conscientiam præ oculis certus haberet. DAUROLT. c. V, tit. XXXVI, ex. I.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Xaverius tam teneræ erat conscientiæ, ut per totam hyemem confessus, materiam peccati venialis non afferret. LANCIZ. opusc. III, n. 47.

S. Aloysius adeo studebat mundam servare conscientiam, ut non modo alii, sed nec ipse quidem reperire quid posset quod peccati venialis speciem haberet. VIT. l. II, c. X.

C. Bellarminus tantopere custodiebat puritatem mentis, ut ipse fassus sit, se per totos septuaginta novem annos, quibus vixit, deliberate non peccasse. LANCIZ. l. III.

P. Ludovicus de Ponte et P. Jacobus Rhem voto se obstrinxerunt, quod numquam conscientiam suam deliberate admisso peccato maculaturi essent.

P. Bernardinus Realinus ordinarie antiqua dumtaxat peccata in confessione enarrabat. Id. opusc. XXX, n, 31.

Ciccottus, coadjutor, dicebat suo Patri spirituali confessionem suam annuam ab hebdomaria non differre, nec plura se peccata committere.

EXEMPLA PROFANA.

Herodes, conscientia scelerum urgente, S. Joannem Baptistam et vivum, et mortuum timebat, velut reprehensorem criminum. MARC. VI.

Agis ab ephoro interrogatus, num etiam pœniteret eorum, quæ gessisset? impavide respondit : Nequaquam pœnitet, cum sciam, me prudentiam cum honestate semper conjunxisse; nullam enim aliam ob causam nunc ad supplicium ducor. PLUTARC. *in Lacon. in Apopht.*

Drusus, cum faber murarius promitteret, se quinque talentorum mercede effecturum, ne domus illius ullius prospectui pateret, respondit : Quin immo decem tibi talenta dabo, si talem facias, ut omnium prospectui pateat. Id. lib. VI, *Apoph.*

Pertinax Imperator admonitus, ut a conjuratis sibi caveret, respondit, nequaquam sibi ullius mali conscium esse, atque adeo opus non esse, ut contra Imperatoriam Majestatem, et anteactam vitam, latebris aut fuga vitæ suæ consulat. HEROD. l. II.

Theodoricus, Rex Gothorum, cum Symmachum innocentem occidisset, et paulo post caput magni piscis appositum in mensa fuisset, visum ei est caput dicti Sancti apparere, ideoque, concito gradu in cubiculum secedens decubuit, et paulo post mortuus est.

Antiochus, morbo percussus, dixit : Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem. Cognovi ergo, quia propterea me invenerunt mala ista; et ecce pereo tristitia magna in terra aliena. I, MACH. VI.

Nero, ob cædem Matris, crebro dicebat, se specie materna exagitari, verberibus Furiarum et tædiis ardentibus; et ab Octavia et Matre in arctissimas tenebras trahi. SUETON. c. VI, *in Neron.*

Dionysius, Syracusanus Rex, metu patratorum scelerum adeo omnibus diffidebat, ut barbam non ferro, sed ardentibus nucum

putaminibus per filias sibi imminui curaret. In lectum vero, lata fossa cinctum, per ligneum pontem se recepit, appositis nihilominus foris custodibus. VAL. MAX. l. c. XIV.

Caligula, ob innumera flagitia sua, tanto metu fuerat occupatus, ut noctu vix tribus horis, et his ipsis inquiete dormiret, ad minimum tonitru caput obvolveret, ad majora vero se omnino sub lecto absconderet. SUETON, c. L et LI.

Bessus, apud Plutarcum, cum patrem obtruncasset, diuque scelus clam fuisset, ad cœnam vocatus nidum hirundinum hasta dejecit; rogatus a præsentibus de insolentia facti : Non auditis, inquit, hirundines falsa de me vociferari et testari me esse interfectorem. Mirati, qui aderant, hunc sermonem ad Regem detulerunt. Bessus captus et sceleris convictus, pœnas luit. ENGELGR. p. 2, *Jac. Ev.* fol. 120.

SIMILITUDINES.

Conscientia bona.

QUALITAS. — Sicut umbræ corpora, sic peccata sequuntur animas, et manifestas facinorum repræsentant imagines. LANGIUS, *in Polyan. V. eod.*

Sicut bonus medicus non cessat sua medicamenta apponere, et si semel depellatur, neque sic desistit, sed continuam curam gerit; sic hoc etiam conscientiæ opus est, ut jugiter memoriam ingerat, nec permittat unquam in factorum oblivionem nos venire, sed ob oculos proponat, ut vel hac ratione nos tardiores faciat, ne in eadem peccata prolabamur. S. CHRYS. hom. XXVII, in c. III, *Gen.*

UTILITAS.—Sicut scintilla in magnum dejecta profundum statim extinguitur; sic omnis tristitiæ superabundantia in bonam missa conscientiam facile extinguitur. S. CHRYS, hom. XXV, *de Via Rect.*

Sicut ericius in globum convolutus, in medio canum securus est; sic bona conscientia in omnibus adversitatibus quieta ac tranquilla est. FAB. conc. VI, *in Dom.* IV, *post. Ep.*

JUCUNDITAS. — Sicut nepenthes herba addita poculis, omnem discutit tristitiam; ita mens bona. PLUTAR. *in Mor.*

Sicut arborem, quam florere vides, colligis subterraneo succo animari, sicque reddere in superficie, quod radice continetur; sic hominum vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis nullius gravamen sentiat læsionis. CASSIAN. l. II, epist.

Sicut in laboribus pressi, in lecto quiescentes reficiuntur; ita dum mundi hujus adversitatibus premimur, in bona conscientia interius delectamur.

Sicut qui in cubili cubat, requiescit et suaviter dormit; sic qui perfectus in Deo est, et qui crevit in virum perfectum, requiescit in Deo, tanquam cubile reputans divinam perfectionem, cubilis autem fulcra dicuntur virtutes. S. GREG. *in Ps.* VI.

CONSCIENTIA MALA. — Sicut mare tempestuosum et fervens, inquietum, turbulentum, subversivum est navigantium; sic homines pravi et impii semper turbulenti sunt corde, et animo inquieti. DION. CARTH. *in Isa.* c. LVII, n. 58.

Sicut ii, qui febriunt, jactant se inquiete, lectum mutant; ita nos, qui fomitem mali circumferimus et telo affectuum percussi, frustra illud motu et discursu sanare volumus. LIPSIUS, l. II, c. II, *de Constant.*

Sicut rivus, quocumque fluit, terram cavat; ita conscientia mala rodere occulte mentem non cessat. S. BERN. l. IV, *de Consid.*

Sicut cruciarii crucem ferre cogebantur, antequam in ea penderent; ita impii hic et ibi a conscientia torquentur. DREX. *in Dan.* c. XXV, § 1.

Sicut gravius ægrotare censentur, qui occulta tabe lente contabescunt, quam qui febri aut alio morbo extinguuntur; ita in graviore pœna sunt improbi, qui tardo gradu ad æterna supplicia præparantur. Ibid.

Sicut Damocli, famulo Regis Dionysii, ad regale convivium sedenti gladius e seta equina super caput pendens omnem appetitum extinxit; ita timor vindictæ Divinæ imminentis omnes delicias impiis fastidire facit. Ibid.

Sicut navis pondus non tam sentitur, dum in aquis trahitur, quam cum in littus deducitur; ita pondus peccatorum in hora mortis vehementius, quam reliquo vitæ tempore cognoscitur. FAB. conc. VII, *in Dom.* II, *Adv.*

Sicut ebrius, quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum, postea autem sentit, quale sit damnum; ita peccatum, donec consumetur, obtenebrat mentem, deinde vero conscientia exurgit, et quovis accusatore mentem gravius arrodit,

et monstrat absurditatem facti. S. Chrys. in c. xxiv, *Gen.*

Sicut navarchus acum nauticam non observans, illico deviat; ita qui in actionibus conscientiam non attendit, graviter errat. Fab. l. I.

MOTIVA.

Ad conscientiam rectificandam.

Quia est Dux noster optimus Conscientia; si ergo duces itinerum non adeo necessariorum aut utilium, tam prompte et fideliter sequimur; quanto fidelius in itinere vitæ, a quo salus nostra pendet, conscientiam, velut a Deo datum ducem, sequi convenit.

Quia Consiliarius noster optimus est, quem si sequamur, peccare non possumus. An non ergo de hoc dictum nobis credamus : Sit tibi Consiliarius unus de mille? Eccl. vi, 6. Et iterum : Fili, sine consilio (hujus Consiliarii) nihil facias, et post factum non pœnitebis. Ibidem xxxii, 24.

Quia est optimus Pædagogus noster, de quo recte Seneca dixit : Nullum conscium scelerum tuorum magis timueris, quam temetipsum (id est, conscientiam tuam) alienum enim fugere potes, te nunquam. Seneca, l. *de Morib.*

Quia est Judex noster severissimus, qui, ut supra ex S. Chrysostomo vidimus, statim tribunal ascendit post factum, et Accusatoris, Judicis, et Carnificis munere fungitur.

Quia est optimus noster Consolator, cum non sit oblectamentum super cordis gaudium, quod bona conscientia parit.

Quia etiam Advocatus noster optimus est, juxta illud S. Joannis : Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo. I. Joan. iii.

MEDIA.

Ad conscientiam purificandam.

Accurata sensuum custodia, ut Salomon suasit dicens : Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Prov. vi, 23.

Frequens discussio conscientiæ; ut enim aranei telas suas non suspendunt in locis, in quibus frequenter eas dissipari advertunt; ita nec Diabolus retia sua facile expandit iis, a quibus ea statim notari et dissipari comperit.

Creber Confessionis usus; hæc enim scopæ similis est, per quam omnes immunditiæ conscientiam maculantes auferuntur.

Considerare seipsum ut Templum et habitationem Dei. Quis enim ex hac consideratione non incitabitur ad omnes ab eo sordes arcendas?

Amor sincerus B. Virginis; cum enim hæc sit Mater purissima, minime sane patietur, ut ii, qui se dilectos illius filios profitentur, non pariter etiam purissimi evadant.

Prompta acceptatio correctionis; si enim maculas in vultu ostensas tam cito corrigimus; quanto magis animæ maculas cavebimus, si a fideli monitore fuerint demonstratæ?

ASCETICA.

De hac materia sequentia nosse debet Asceta : *Imprimis indicia variarum Conscientiarum, maxime vero bonarum et scrupularum.* Et bonæ quidem conscientiæ tria præcipue sunt indicia. 1. Agnoscere culpam, ubi non est, ut S. Gregorius dixit. 2. Erubescere ad publicationem sui peccati; nam ut Ambr. ait : Sicut lapis, si ad lapidem teratur, ignem excutit; ita etiam bona conscientia pudore succenditur, si renovetur illi suorum recordatio delictorum, et in ipsa meditatione exardescit ignis. S. Ambr. in Ps. xxxviii. 3. Non subterfugere lucem; bona enim conscientia, teste Seneca, prodire vult et conspici, turbam advocat. Seneca, ep. 97.

Scrupulosæ vero indicia sunt sequentia : Timere in omnibus peccatum; perpetuo hærere, quid sit agendum; assiduo et sine justa causa reflectere se super actiones et cogitationes; nolle acquiescere aliorum consiliis; ex levi apparentia mutare consilia.

Nosse debet utilem praxim, seipsum dirigendi juxta ductum suæ conscientiæ, quam quidem S.Gregorius sequentibus verbis breviter declaravit : In omni, quod dicitur, semper tacite recurrere debemus ad mentem, et interiorem testem ac Judicem requirere. Quid enim prodest, si omnes laudent, et conscientia accuset? Aut quid poterit obesse, si omnes derogent, et sola conscientia defendat? S. Greg. hom. *sup. Ezech.*

Nosse etiam debet utilem praxim alienas con-

scientias dirigendi, ita ut cuique se apte accommodet, et laxas quidem dextre cohibeat et restringat; anxias vero et scrupulosas aptis mediis suaviter et prudenter relaxet.

Nosse debet, cur conscientia bona tantam jucunditatem afferat; quod quidem Sanctus Athanasius declarat, dum illa Psalmi 49, verba : « Exultabunt Sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis » explicans, quærit de qua gloria hic loquatur Sanctus Propheta, et quæ sint illa cubilia, in quibus tam festa gaudia, ac tam gaudiosa festa ducere Sancti feruntur. Respondet autem, gloriam, et cubilia, et penetralia, in quibus homines probi magnam capiunt voluptatem, esse virtutes, hancque esse veram quietem et gloriam ; nec enim in hac vita est major vel requies, vel gloria, quam illa bonæ conscientiæ; in somno namque virtutum suavissime et dormit, et respirat, qui integra conscientia constat. S. ATHAN. in Ps. CXL.

Aliam rationem assignat S. Chrysostomus dicens : Etsi vitium habeat secum universum orbem, tamen omnium maxime imbecillum est; virtus autem, et si sola sit, est omnium potentissima; habet enim Deum secum stantem. Peccatum, quamvis totius mundi præsidio munitum, perdebile est; virtus, licet inermis et nuda, validissima est, Deum adjutorem habens. Timens Deum, neminem præterea timet. S. CHRYS. in Ps. VII.

Nosse debet, unde inquietudo malæ conscientiæ oriatur; cujus rationem assignans S. Augustinus: In cæteris, inquit, miseriis possumus ex Deo habere solatium et robur. At quando inter cruciatus conscientiæ abest Deus, qui est unica consolatio, non habet infelix peccator, quo recurrat, et propterea quocumque vadat, in quemcumque locum se recipiat, perterrefacit illum crudelis inimicus, conscientia propria, sicut ubique ardeat in ultricibus flammis tam molestæ et inquietæ tribulationis. S. AUG. ps. VL.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Et erat ipse in puppi super cervical dormiens. » MARC. IV, 38.

Potest conscientia bona huic cervicali comparari, et imprimis narrari ex Macrobio, quod Augustus Cæsar, cum multas noctes insomnes duxisset, audiens postea cujusdam equitis romani, qui licet grandibus debitis obæratus, secure tamen dormiebat, supellectilem vendi, culcitram ejus sibi emi præceperit, dicens, miram illi vim ad conciliandum somnum inesse debere, cum homo tot debitis gravatus, tam suaviter tamen in ea dormierit. Subinferatur postea, Augustum forte non invenisse, quod quærebat; si quis tamen hoc cervical, in quo Christus dormiebat sibi compararet, certo suaviter et secure dormiturum et victurum; hoc enim cervical nil aliud esse quam bonam conscientiam, quæ est mollissimis plumis, id est, optimis operibus, impleta, et candidissimo linteo puritatis involuta; et ad securitatem ac suavitatem somni spiritualis, id est, quietæ ac tranquillæ vitæ, conciliandam aptissima. Uti probari potest tum ex Sacra Scriptura dicente : Non contristabit justum, quidquid ei acciderit; PROV. XII, 21, tum ex SS. Patribus id ipsum confirmantibus, ut supra videre est ; tum ratione (quod scilicet iste totum se voluntati divinæ committat, sine qua novit nihil sibi accidere posse; quidquid autem ipsa permittat, optimum sibi, summeque proficuum esse. Præterea etiam bono tali fruatur, quod nemo invito auferre queat) tum denique variis exemplis, tum sacris, tum profanis eorum, qui tam suaviter in hoc cervicali bonæ conscientiæ dormierunt. Vide Fabrum, conc. 6. *in Dom. 4. post Epiph.* fusius de hac materia disserentem.

Ex occasione thematis : « Liberat animas testis fidelis. » PROV. XIV, 25.

Potest conscientia testi fideli comparari, ut quæ non modo de actibus omnibus hominis testetur, sed etiam, an boni vel mali sint indicet, et propterea laudet vel reprehendat, nec ullo medio se corrumpi aut perverti, aut expelli sinat, id quod variis exemplis ostendi potest. Unde merito hic testis dicitur liberare animas, quia, qui eum debito modo colunt et observant, in nullum actum pravum consentient, aut certe illius correptione castigati mox resipiscent, ut adeo huic præcipue conveniat, quod Seneca dixit : Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Videatur Faber, conc. VII. *in Dom. 2. Adv.*

Ex occasione thematis : « Secura mens quasi juge convivium. » PROV. XV, 15

Potest bona conscientia convivio jucundissimo comparari, tum quia ut convivium nutrit et conservat vitam gratiæ; tum quia

facit pinguescere in meritis; tum quia satiat appetitum animæ, miram illi tranquillitatem concilians; tum quia supra modum convivas jucundos efficit; tum quia magnopere etiam roborat, tam quoad ordinarias functiones cum alacritate obeundas, quam quoad adversitates quascumque fortiter superandas Sed et ob convivas, Christum nempe et justos, hoc convivium merito valde commendandum est. Quæ omnia facile fusius deduci possunt, et illud etiam præcipue demonstrari, quod juge sit convivium, utpote quo quisque semper pro libitu frui possit. Videatur Faber, cit. conc. 6. *in Dom.* 4. *post Epiph.*

Ex occasione thematis : « Non est oblectamentum super cordis gaudium. » ECCL. III, v. 17.

Potest ostendi, quam vere dicatur gaudium ex conscentia bona oriri solitum omnia alia gaudia excedere. 1. Quia illa omnia sunt falsa gaudia utpote quæ in falso bono, puta voluptatibus, divitiis, honoribus quæruntur; hoc autem *verum* est gaudium, quia ex vero bono, scilicet finis ultimi possessione, hauritur. 2. Quia alia gaudia vana sunt, nihil præter momentaneam delectationem relinquentia; hoc autem *solidum* est gaudium, quia ad æternitatem felicem jus tribuit, et præparat. 3. Quia alia gaudia valde impura sunt, id est, variis malis tristitiam conciliantibus permixta; hoc autem *purissimum* est, cum nihil justum contristare soleat, sed omnia ei in bonum cooperentur. 4. Quia alia gaudia instar puncti brevia sunt; hoc autem *juge* et *perenne* est, utpote de quo Christus dixit : Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. JOAN. XVI, 22.

Ut adeo merito cum pio Asceta dicatur : Vanitas vanitatum et omnia vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire. THOM. KEMP. l. I, c. I, 3.

Ex occasione thematis : « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. » PROV. X, 6.

Ostendi possunt bona, quæ ex conscientia bona oriuntur. 1. *Summa utilitas*, tum ad benedictionem in temporalibus bonis obtinendam (cum Benedictio Domini sit super caput justi; et quærentibus Regnum Dei et justitiam ejus omnia temporalia adjiciantur), tum ad æternam felicitatem acquirendam, juxta testimonium S. Davidis : Quis ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde. PSAL. XXIII, 4.

2. *Summa jucunditas*, cum secura mens sit juge convivium. Et juxta Thomam Kempensem, si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo, ut adeo merito suo modo dicere possit, qui bonam conscientiam habet : Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me hæc bona conscientia. SAP. VII, 12.

3. *Summa dignitas*; qui enim diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem, teste Salomone. Quæ autem major hac dignitas obtingere potest? Merito sane de ea dicitur : Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius. PROV. XXII, 11.

Ex occasione thematis : « Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda et intelligentias vestras. » PHIL. IV, 7.

Potest explicari magnitudo pacis, quæ per conscientiam bonam obtinetur. Et 1. quidem ostendi potest quod sit summe necessaria pax, quia sine illa interitus, omniumque bonorum jactura incurrit. 2. Quod sit summe optanda pax, ut quæ omnem sensum, id est, sensualem delectationem, quæ ex rebus sensibilibus percipitur, longe exuperat, cum in conjunctione cum Deo, atque adeo fruitione ultimi finis fundetur. 3. Quod sit summe constans et stabilis pax, ut quæ ex parte Dei nunquam rescinditur, nisi prius ex parte hominis fuerit rescissa. Si ergo tantum gaudium ex facta pace ad conservationem bonorum temporalium conducente percipitur, quantum sperari debet ex hac pace omnium nobilissima, cum Deo facta et stabilita?

Ex occasione thematis : « Vermis eorum non morietur. » ISAIAS V, 24.

Potest mala conscientia vermi comparari. 1. Quia, uti vermis carnem, ex qua nascitur, consumit; ita vermis conscientiæ cor, ex quo originem sumpsit, cruciat et corrodit. 2. Quia uti vermis assiduo rodit; ita nec mala conscientia mentem vellicare cessat. 3. Quia uti vermis non nisi per res amaras perimitur; ita nec mala conscientia aliter, quam per pœnitentiæ amaritudinem tollitur; quæ proin merito ad tam noxium et molestum vermem perimendum assumitur.

Ex occasione thematis : « Peccatum meum contra me est semper. » PS. L, 4.

Potest conscientia mala epistolæ Uriæ comparari, et ab initio quidem historia de

Uria narrari. Deinde vero ostendi, quomodo mala conscientia vere sit talis epistola, quæ illum ipsum, qui eam secum fert, morti adjudicandum esse testabitur.

ALII CONCEPTUS PRÆDICIABLES.

Conscientia bona.

Exodi cap. VIII, dixit Deus : « Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est ; ut non sint ibi muscæ, et scias, quoniam ego Dominus in medio terræ.» Ut discamus, consolationem hanc internæ pacis et tranquillitatis, quam bona rectaque parit conscientia, solis divinitus reservatam servis Dei : « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum ;» neque ulla eos inquietat synderesis. MANSI, disc. VI, 11.

Jussi a Deo Moyses et Aaron pulverem terræ per aerem dispergere, ad generandos sciniphes hominibus infestos et jumentis, obedierunt prompte. Et facti sunt sciniphes in hominibus et jumentis; quod et Magi Pharaonis subito imitari attentarunt, sed conatu irrito. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, et non potuerunt. Cur, obsecro, in aliis omnibus efficax præstigiis, in hocce unico exarmatur incantatio, protestantibus omnibus digitus Dei est hic? Responderi potest, aliis in prodigiis, oculos intuentium delusos fuisse, aqua sanguineum perhibente colorem, licet in substantia vere talis non esset ; virgis item formas exprimentibus serpentinas, sed apparentes dumtaxat; sciniphes autem fingere nequibant, quia quos formaverat Moyses, aculeum circumferebant pungentem crudeliter. S. Augustinus ab hac historia ad sensum digreditur moralem, et ait : Supplicia, quibus Deus per servorum suorum manus castigavit Ægyptum, pœnas figurabant impiorum, quas inter perquam crudelis est malæ conscientiæ vermis et remorsus ; homines improbi et flagitiosi omnibus aliis tormentis servos Dei affligere, ac discruciare possunt, solam si exceperis malæ conscientiæ torturam; quia non contristabit justum, quidquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo. Hujus synderesis et remorsus auctor immediatus est ipse Deus : Digitus Dei est hic. S. AUG. q. XXVI. *in Exod.* 8.

Joannes Sambucus ingeniose oculis subjecit homines probi tranquillitatem et securitatem animi, dum hominem penicillo expressit, qui laurum complecteretur, cum hac adscriptione : *Conscientia integra laurus.* De lauro (quod nemo nescit) aiunt Joannes de S. Geminiano, Plinius, Berchorius, Antonius, Ricciardus, et non pauci alii habere litteras immunitatis adversus furorem fulminis. Nam cum reliquæ plantæ, et arbores omnes inevitabili ejus furori sint expositæ, sola illius rabiem non pertimescit, neque experitur laurus. Talis est homo justus et perfectus, laurus est semper virens, semper extra jactum et formidinem fulminis. Cum enim penes se habeat privilegium bonæ conscientiæ, nec fulmen est, quod ipsum terreat, nec res ulla, quæ affligat. JOAN. SAMBUCUS *Embl.* I.

Petrus Crinitus refert, Romanorum et Græcorum Feciales, aut legatos, secum ferre solitos fuisse herbas, quas *sagmina* vocabant, quæ velut pro salvo conductu fuerint, ne quis illis incommodaret, et sic in omni patria, non amicorum modo, verum etiam hostium tuto circumiisse. Hinc illud Martiani juris consulti : Sanctum est, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est. Sanctum autem dicitur a sagminibus ; sunt enim sagmina herbæ quædam, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret, sicut et Græcorum legatis accidit. Omnes justi sunt Legati Dei, qui magnitudinem ejus nobis nuntiant, cœlorumque negotia, quantum possunt, in hac vita curant, ut ait S. Paulus, II. Corinth. V, 20. : Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Quam ergo herbam hi cœlorum legati secum ferunt, ut sint per viam securi, quocumque pergant, dicat idem Apostolus, cujus hæc sunt verba, II. Cor. I, 12. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Herba quæ nos ubique tutos habet, non est alia, quam secura conscientia. Ista gloria est, quæ nos ab omni pœna liberos reddit, et cujus gratia inoffenso pede pergimus quocumque contendamus. NYSS. § 1. *de Prod. Judæ.*

Macrobius narrat, Augustum Cæsarem propter pergraves Imperii curas, sæpius insomnes duxisse noctes, inaudisse vero de quodam Romano Equite obæratissimo, nullius tamen sollicito, sed in utramque aurem,

et multam lucem quotidie stertente. Contigit autem, Equitem illum, subito fatis concedere, et supellectilem illius omnem a creditoribus vænum exponi. Quod ubi rescit Augustus, pulvinar defuncti Equitis mille aureis lubens redemit, inquiens: Necessarius est mihi hic pulvillus, omnique auro charior, in quo tam quiete potuit dormire. Macrob. l. II. *Saturnal.* l. c. xxiv. Non est pulvinar pretiosius, et captando dulcissimo somno accommodatius, quam quo Christus in hodierna tempestate usus est, et in usum nobis omnibus transcripsit, si bonam scilicet habere curemus conscientiam. Hæc enim nobis in omni tempestate somnum præstabit securissimum.

Quærunt nonnulli, cur Christus olim in puppi dormierit, quæ est pars ultima navis? Cur non in prora, parte navis anteriore? Cur non sub malo, in navis medio? Docere nimirum dormiens voluit, bonam conscientiam in fine vitæ potissimum lætari, quiescere, obdormire. *Exultabunt Sancti in gloria*, inquit Psaltes, *lætabuntur in cubilibus suis.* Quæ est illa gloria, in qua Sancti exultaturi prædicantur? *Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*, inquit Paulus, II. Cor. I, 12. Conscientia exultationem in vitæ puppi, agone inquam, procurat. *Lætabuntur in cubilibus suis*, scilicet in conscientia, inquit Hugo purpuratus, quia habent tam bonum Dominum. Pathetice ait Orator Aureus, homil. XXXVII. ad popul. Antioch.: Nihil bona conscientia suavius; non nostis in novissimo die quomodo peccata animum convolvunt, (pejus, quam nautæ Jonam) qualiter ab imo cor movent? Hæc igitur, cum ista fiunt, bonorum operum memoria, tamquam in tempestate serenitas, animam consolatur tumultuantem. Vivacius adhuc S. Augustinus, in Ps. XXX, fugitivum a facie Absalonis Davidem ita loquentem inducit: Quo fugio, ad quem locum tutus fugio? Ad quem montem, ad quam speluncam? Ad quæ tecta munita? Quam arcem teneam? Quibus muris ambiar? Quocumque iero, sequor me. Quidquid enim vis, potes fugere, o homo, præter conscientiam tuam. Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra in interiora, interius nihil habere potes, quo fugias a conscientia tua. S. Aug. *in Ps.*

Conscientia mala.

Bessus, apud Plutarcum, cum patrem obtruncasset, diuque scelus clam fuisset, ad cœnam vocatus, nidum hirundinum hasta dejecit; rogatus a præsentibus de insolentia facti: Non auditis, inquit, hirundines falso de me vociferari, et testari me esse patris interfectorem? Mirati, qui aderant, hunc sermonem ad regem detulerunt: Bessus captus et sceleris convictus, pænas luit. En quam non falsum illud; Sonitus terroris semper in auribus impii, omnia tuta timent, numquam conquiescunt. Plutarc. *de Vind. Num.*

Turpissimo illo piaculo se Cain obstrinxerat, vix contra omnes Dei et hominum leges sanguinem innoxii fratris sui fuderat, quando subiratus Deus adfuit, ut in tantum nefas inquireret, cum se ferus et sanguinarius homicida convictum cerneret, aiebat Deo: Si me a facie tua projicis, mundum vagabundus ac profugus obibo, quisquis autem occurrerit mihi, is me, pro justissimo sceleris mei supplicio obtruncabit. Cui Deus: Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Genes. IV, 15. *Ego vitam tuam diligentius tutabor, quam tu fratris vitam custodisti, nec enim permittam, ut quisquam tibi manus afferat, quin septuplo supplicio, si contra facit, luat.* S. Hieronymus inquit: « Crudelitasne, an pietas fuerit, quod Deus tanto studio vitam Caini curavit? » Respondet vero, incredibilem austeritatem fuisse, quod illum ita sospitavit, neque id ob aliud fecisse, quam ut atrociora illi tormenta conflaret. Verba illius ex quæstione II. ad Damasc. sunt ita: Nolens Deus eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradere pœnæ, qua se ipse damnarat, ait: Non sic, id est, non ut existimas, morieris, et mortem pro remedio accipies, verum vives usque ad septimam generationem, et conscientiæ tuæ igne torqueberis. Premite illa, compendio mortis finire cruciatus. Felicitatem intrepretatus fuisset Cain, si Deus illi vitam ademisset, putassetque, eo modo finem accepisse suas miserias, et cum vita exspirasse ærumnas. Noluit autem Deus ex voto illius agere, quin ob hoc ipsum voluit diuturnam esse illius miserabilem vitam, qui felicem sperabat ex cita internecione mortem. Conscientiæ tuæ igne torqueberis, dixerit Domi-

nus; ut depravatæ conscientiæ suæ ignibus inclusus moreretur semper vivens, et viveret semper moriens, et vita in septimam generationem usque producta vice æternæ pœnæ interim esset, quæ illi apud inferos constituta erat; conscientiæ enim malæ pœna cruciatuum infernalium absentiam supplet. S. Hieron. *ap. Nyss.* 6.

Seneca non male dixit: Ante peccatum conscientia est frenum, post peccatum est flagrum. Senec. ep. xlvii. Hinc, juxta Psalmistam: « Multa flagella peccatoris. »

Sapienter dixit Salvianus: Nemo aliorum sensu miser est, sed suo; et ideo non possunt esse falso judicio miseri, qui sunt vere conscientia sua beati, Salvian. lib. I, *de Prov.*

Conscientia discutienda.

Redi ad cor tuum, et subtiliter discute te ipsum. Considera, unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus tangeris, quibus tentationum machinis a maligno spiritu acrius impugnaris; et cum totum interioris et exterioris hominis statum plene cognoveris, non solum, qualis sis, sed etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. Hugo Vict. l. V. *de Anim.*

Perpendite, quæ dico, fratres. Negotiator sæcularis damna et lucra quotidie computat, et si quidem damna perpessus fuerat, ea resarcire sollicite studet; sic etiam tu, carissime, serio facias ac cures; diebus singulis vespere et mane diligenter considera, quo pacto sese habet negotiatio tua; et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina temetipsum, ac dicito: Putasne, hodie in aliquo Deum exacerbavi? Numquid verba otiosa protuli? Num per contemptum, negligentiamque peccavi? Num in re aliqua fratrem irritavi? Num alicujus famam detrectationibus laceravi? Moxque subdit: Quod si in istis compereris te detrimenta perpessum, futuris lucris præterita damna sedulo resarcire stude. S. Ephr. § *Asces. de Vit. Religiosa.*

An non codicem domi habes, inquit S. Chrysos. in quo quotidianas rationes scribas? Habe nunc codicem in conscientia, et quotidiana peccata scribe. Cum in lecto tuo jaces, nec quisquam est, qui tibi negotium facessat, antequam somnus irrepat, libellum in medium produc, et peccata tua tecum reputa, dicens apud timetipsum: Numquid hodierno die, vel sermone, vel opere peccavi? Et alibi: Quando estis decubituri, et nullo præsente, multa quies et silentium, excita judicium tuæ conscientiæ, ab ipsa rationem exige; cumque in notitiam veneris omnium inordinatorum affectuum et appetituum tuorum, omnium malorum verborum, cogitationum, etc. de eis pœnam sume, torque cogitationem, quæ peccavit; id sibi vult illud: « Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. » Compungite pro eo, quod est, pungite, stimulate, quæ in cordibus vestris dixistis interdiu. S. Chrys. *in Ps.* l.

Unicuique liber est sua conscientia, et ad hunc librum discutiendum et emendandum omnes alii libri inventi sunt. Anima vero, cum de corpore egreditur, nullum alium librum, præter librum conscientiæ secum poterit portare; atque in illo cognoscet, quo debeat ire, vel quid debeat recipere. S. Bern. *l. de Conf.*

Isboseth in lecto suo a Recab et Baana occisus fuit, dum altum ipse sterteret in meridie; causamne nostis funesti adeo accidentis? Mulier triticum purgans, custodiæ domesticæ deputata ipsamet obdormierat. Unde S. Gregorius inquit: Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia, discernendo virtutes a vitiis separat; quæ si obdormierit, cessante conscientiæ examine, insidiæ contra nos invalescunt diaboli, animæque nostræ ager zizaniis repletur. Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizania. S. Gregorius fusius ad prius factum alludens: Ingressi, inquit, spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum semina auferunt. S. Greg. lib. I. *Mor.* c. ii.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Recte ad conscientiam curandam adhortans Poeta canit:

Hic murus ahenus esto.
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Horatius, i, *Ep.*

Sicut corvi S. Medardi occisores ubique persecuti sunt, donec Judex eosdem appre-

hendit, et punivit; ita sua quemque conscientia ad ipsum usque Judicem comitatur, nec unquam deserit.

Pædagogo pueros nos tradiderunt parentes, qui ubique observaret, ne quid læderemur : Deus autem jam viros insitæ conscientiæ custodiendos tradit; quæ quidem custodia et consecratio nequaquam contemnenda est, quoniam et Deo displiceret, et conscientiæ ipsi nostræ hostes essemus. Epictet. *ap. Bus V. eod.* § 2.

Honesta bonis viris, non occulta quæruntur, inquit recte Cicero. Cic. l. III, *Offic.*

Utilitas. — Bene iterum Horatius canit :

Integer vitæ, scelerisque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, Pharetra,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Horat. *in Odis.*

Conscientiam magis, quam famam attende. Falli namque sæpe poterit fama, conscientia nunquam. Seneca, *de Moribus.*

Dignitas.— Periander interrogatus, quid in minimo esset maximum : Bona mens, respondit, in corpore humano. Alias rogatus, quid esset libertas? Recta conscientia, dixit. Stob. s. i, *de Prud.*

Nullum theatrum virtutis conscientia majus est, ut sapienter Cicero dixit. Cicero ii, *Tusc.*

Mortalibus cunctis conscientia est Deus, teste Menandro. Ap. Fab. con vii, *in Domin.* ii, *Adv.*

Jucunditas.—Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum; etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. Sen. *ep.* xxvii.

Bias interrogatus : Quid in vita metu careret? Bona conscientia, respondit. Granat. *in loc. com.* s. ccxxiv.

Socrates quæsitus : Qui sine perturbatione viverent? Qui nihil sibi conscii sunt, dixit. Ibid.

Conscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est. Cicero, *in Caton. major.*

Acta ætas honeste atque splendide tantam affert consolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non tangat ægritudo, aut leviter pungat animi dolor. Idem, iii *Tusc.*

Conscientia mala. — Pulchre de hac Juvenalis :

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet Auctori, prima est hæc ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.

Juvenal, Satyr. xii.

Nullus neque testis tam formidabilis, neque Judex tam gravis, quam conscientia, quæ mentibus cujusque insidet, et inhabitat. Polybius, *in Fragmentis.*

Districtus ensis cui semper impia
Cervice pendet, non siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem ;
Non avium Cytharæque cantus
Somnum reducent.

Horat, l. III Od. i.

Facinorosa conscientia instar ulceris in corpore, pœnitentiam relinquit in anima lancinantem jugiter ac pervellentem. Plut. *l. de Anima. tranq.*

AXIOMATA.

Conscientia, mille testes. Lang. *in Polyant.*

Secura mens, quasi juge convivium. Prov. xv, 15.

Bona est substantia,
Quando non est peccatum in conscientia.
Floril. p. 5.

Omne malum aut timore, aut rubore natura perfudit. Tertul. *in Apolog.*

AUCTORES.

Jeremias Drexelius, *in Daniele*, c. 25 et 26,

Joannes Busæus, *in Viridario* V. Conscientia bona.

Ludovicus Granatensis, *in Locis Communibus*, fol. 224.

Josephus Langius, *in Polyanthæa* V. eodem.

Matthias Faber, conc. 7, *in Dom.* 4. *Adv.* et conc. 6, *in Dom.* 4, *post Epiph.*

CONSILIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est, juxta S. Thomam, inquisitio eorum tantum, quæ sunt ad finem, operabilium a nobis, non minimorum, nec determinatorum. S. Thom. II, q. xii, art. 3.

Juxta S. Damascenum vero, est appetitus

inquisitivus de rebus utilibus. Unde quia frequenter ejusmodi consilia considendo et conferendo concipiuntur, aliqui *consilium*, quasi *considium* dictum volunt. S. DAM. l. III, c. XXX.

DIVISIO. — Dividitur in *divinum et humanum;* illud est, quod a Deo inspiratur; istud quod ab hominibus suggeritur, et subdividitur in *bonum*, seu ad finem præfixum consequendum utile, et *malum*, quod potius abducit a fine, quem intendimus, quam juvat.

EX S. SCRIPTURA.

CONSILII DIVINI QUALITAS. — Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. ISAIÆ, XLVI, 10.

Si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissolvetur; sin ex Deo est, non potestis dissolvere, ne forte et Deo repugnare inveniamini. ACT. V, 38.

Consilium autem Domini in æternum manet. PSAL. XXXII, 11.

Terribilis in consiliis super filios hominum.

CONSILII HUMANI NECESSITAS. — Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium; ubi vero sunt plures consiliari, confirmantur. PROV. XV, 22.

Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. ECC. VI, 6.

Consilium semper a sapiente require. TOB. IV, 19.

Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. ECCL. XXXVII, 20.

Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. Ibid, XXXII, 24.

UTILITAS. — Salus, ubi multa consilia. PROV. II, 14.

Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso. ECCL. XXXVII, 18.

Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. PROV. XIII, 10.

Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. PROV. XIX, 20.

Cogitationes consiliis roborantur, et gubernaculis tractanta sunt bella. Ib. c. XX, 18.

Unguento et variis odoribus delectatur cor; et bonis amici consiliis anima dulcoratur. Ib. c. XXVII, 9.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Advertendum, quod in acquirendis consiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ usus, facilitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis de turbida aqua potum petat? Quis utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero judicare consilio Superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet esse cui me committere paro? Anne eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi; et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat, cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugat, cupiditas perturbat? S. AMBR. l. II, *de Offic.*

Talis esse debet, qui consilium dat, ut seipsum formam aliis ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate, ut sit ejus sermo salubris et irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora.

Nullus fidelior tibi ad consilium potest esse, quam qui non tua, sed te diligit. S. GREG. l. I *Registri.*

Omnes, juxta Domini præceptum, etiam inimici diligendi sunt; sed ad consilium soli eligantur, qui et prudentes esse videantur, et benevoli; absque benevolentia et prudentia non sunt perfecta consilia. S. BERN. *in ep. ad Henric. Senens. Archiep.*

Consilium in rebus arduis non debet esse præceps. S. GREG. *Epist.* V.

Consilia perfecta non sunt absque prudentia et benevolentia. S. BERN *in Epist.*

Consilia Dei occulta super nos, timenda sunt. S. GREG. hom. III, *super Evang.*

NECESSITAS. — Valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur; quia quo plus se posse conspicit, eo virtus sine moderatione deterius in præceps ruit. Mens, quæ intus sedem consilii perdidit, foras se per desideria innumerabilia spargit. S. GREG. *in Mor.*

O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione præcedente, eodemque pacto cœlum, quibus duobus nihil potest esse par creatis in rebus. Ad solius hominis fabricationem Creator ille rerum quadam cum consideratione accedit; nam naturam nostram condidit, velut instrumentum quoddam regno

administrando idoneum, quasi diceret, creatus est homo cum consilio, ut cum consilio gubernaret, et ex molitione disceret, quo pacto et ipse reliqua moliretur; ne postea neglexisse pœniteat, quod Deum fecisse non puduit. S. Greg. Nyss. c. iii, *de Opif. hom.*

Ubi dixisti : Meus sensus sufficit mihi, ibi defecisti. Ubi tuo consilio placuisti, ibi periisti. S. Aug. l. IV, *de Civ. Dei*, c. xiv.

Quid tibi prodest habere sapientiam, si consilium neges, si consulendi copiam includas? Inclusisti fontem, ut nec aliis influat, nec tibi prosit. S. Ambros. *in Offic. apud Jur. conf.*

Novum factum novum consilium expetit.

Utilitas. — Bonus est Israel Deus, sed quibus? Rectis corde. Et qui sunt recti corde? Qui voluntatem suam ad Dei voluntatem, ea prius consulta, dirigunt. S. Aug. *Enchir.* c. xv.

Quanto utilius Regem Pharaonem Joseph consilio providentiæ juvit, quam si pecuniam contulisset! Pecunia enim unius civitatis ubertatem non redimeret; at prospicientia Joseph totius Ægypti per septennium famem pepulit. Facile autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt; hæc usu augentur, pecunia minuitur, et cito deficit. S. Ambros. l. II, *de Offic.*

Profecto divina quædam res est consilium; est namque animi conjunctio, charitatis fructus, mentis demissæ demonstratio. S. Basil. *orat. de Felic.*

Consilium misericordibus congruit. S. Aug. l. II, *de ser. Dom. in monte.*

Consiliarius bonus est qui sibi consulit. S. Ambros. *in Offic.* l. I.

EXEMPLA.

Christus ipse, cum turba multa eum sequeretur, consilium de iisdem pascendis ab Apostolis expetiit, dicens : Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem fecit, teste S. Hieronymo, ut magistris exemplum tribueret, cum minoribus et discipulis consilia communicandi. S. Hier. in cap. xv, *Matth.*

S. Ignatius Loyola suos identidem admonere solebat, ne quid inconsulto Deo aggrederentur, subjungens : Nunquam se ausum esse nullum cujusque ponderis aut momenti negotium auspicari, nisi prius recursum faceret ad Deum. Et hic erat solemnis ejus sermo. Lyræus, *in Apoph.* xvi, l. I.

Pambo Abbas, quoties consilium rogaretur, spatium petebat tantisper rem Deo commendandi; nec enim responsi quidquam dare sustinuit, quin prius os Domini interrogasset. Drex. *in Heliotr.* l. II, cap. v, § 1.

Alphonsus Rex interrogatus, quibus consiliis maxime uteretur, et delectaretur? respondit : A quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. Panor. l. III *de Gest. Alph.*

Caiphas consilio suo Senatum Judaicum in mortem Christi concitavit. Luc.

Laudatur Josephus ab Arimathia, vir bonus justusque dicitur, quia non consenserat consilio et actibus eorum, Pontificum scilicet et Pharisæorum, Christo necem impie conspirantium. Matth.

Demetrius quidam cum aliis opificibus, ut suo studeret questui, totam pene urbem Ephesum adversus Paulum Paulique doctrinam ingenti seditione suo consilio complevit. Act. Apost.

Herodiæ infamis, qua Rex Herodes per adulterium fœde abutebatur, consilio et suasu instructa saltatrix filia, quod crudeliter appetivit, sanctissimi Joannis obstruncatum caput nefarie impetravit. Luc.

Anno Domini 410, Carochus, Rex Vandalorum, cum magna multitudine Germaniam pervagatus, assensu Germanorum trajecto Rheno Gallias invasit, et vastata per gyrum patria, indigenas graviter afflixit. Et mater, detestabilis mulier, a cujus nutu pendebat, tale dedit consilium : Fili, si nomen quæris æternum, omnia ædificia, quæ cæteri Reges et Principes construxerunt, destrue; et homines quibus illi pepercerunt, occide. Tu neque meliora neque pulchriora poteris ædificia construere, quamdudum illi construxerunt, neque pietate, modestia sive clementia illis pascendo, quos viceris, nomen tibi facere gloriosum. Impiæ genitricis malo usus consilio Carochus, Rheno transmisso, Moguntiam urbem cis Rhenum cum habitatoribus cunctis delevit, incendit ac funditus destruxit. Deinde Wormatiam, postea Spiram simili furore aggressus, interfectis civibus cunctis, quos reperit, subvertit. Inde movens, Trevirorum antiquissimam urbem cis Mosellanam, obsedit, cepit, et vix paululum a clade Francorum respirantem destruxit. A Treviris movit ad Metentem quam cepit, subvertit, cunctis habitatoribus ejus necatis. Inde progressus, interiorem Galliam intravit, et post multarum urbium de-

solationes, Arelatensem postremo civitatem obsedit, ubi a milite quodam, nomine Marcio, captus et vinculis constrictus per omnes civitates, quas devastaverat, est circumductus cum ludibrio, et vitam nimis impiam digna morte finivit. *Ex* lib. I *Compendii Ansoh. Trishemii.*

EXEMPLA PROFANA.

Livius Salinator in consilio primus rogatus sententiam, neminem fidelius posse dare consilium dixit, quam eum, qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus esset. LIV. l. VII, dec. 4.

Homerus potius optabat malum Principem, qui bonos haberet consiliarios et amicos, quam bonum, qui malos haberet, quibus rerum administrationem committeret; putabat enim facilius fore, ut a multis bonis unus malus ad saniora duceretur, quam ab uno bono multi a malitia averterentur. FULGOS. l. VII, c. II.

Antoninus Pius nihil solitus fuit agere in belli negotiis aut in civilibus, de quo non prius conferret cum gravibus viris, dicens : Æquius est, ut ego tot, taliumque amicorum consilium sequar, quam ut tot, talesque amici meam unius sequantur voluntatem. LANGIUS, *in Polyant.* V. *eod.*

Scipio Africanus non ante negotia publica vel privata perrexit, quam in cella Jovis Capitolini aliquandiu constiterit, et vota Diis pro consilio et sapientia impetranda fecerit. LYRÆUS, *in Apohp.* XVI c.

Cyrus Rex, Cambysis filium adhortatus est, ne quid publice aut privatim inconsulto Numine ageret. Ibid.

Alexander Severus, Imperator, re consiliariis proposita, spatium ad disquirendum, cogitandumque dedit, ne de rebus sæpe ingentibus incogitati sententias dicere cogerentur. DREXEL. *in Phaet.* c. VIII, § 3.

Leo Imperator filio suo hoc monitum sapienter reliquit : Delibera tarde, nisi aliqua necessitas celeritatem requirat; at ubi consulueris, festinanter exequere.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut lamiæ cæcutientes domi, foris nihil non vident; ita quidam in alienis negotiis plus satis oculati, in suis parum perspiciunt. ERASM. *in Simil.*

Sicut Aquilo initio vehemens, desinit lenior; contra Auster initio lenior, desinit vehementior ; ita qui præcipites magno impetu res aggrediuntur, frigescunt in progressu; contra qui cum consilio suscipit, magis ac magis accenditur operis progressu. Idem.

NECESSITAS. — Sicut civitas, cujus diruta sunt mænia; ita vir se habet, qui non omnia cum consilio agit. LANGIUS, *in Polyant.* V. *eod.*

Sicut vespertilionum oculi se habent ad lucem et splendorem diei; ita mentis nostræ acies ad ea, quæ alioqui per se clarissima sunt, se habere compertum est. ARIST. l. II, *Met.* c. I.

Sicut per ignota loca peregrinanti nil magis necessarium est, quam ducem itineris peritum habere; ita cum ob naturæ corruptæ statum et vulnus, frequenter viam ad recte vivendum et agendum ignoremus, merito aliorum auxilium et consilium implorare debemus. LYRÆUS, *Apoph.* XVI, l. I.

Consilii mali damnum.

Sicut polypus, dum conchæ carnem captat, ipse capitur, et perit; ita sæpe, dum aliis nocere per mala consilia studemus, nos ipsos in periculum adducimus. PLIN. l. IX, c. XXIX.

Sicut Perillus Phalaridi bovem æneum donans, suo invento periit, primusque illud tormentum experiri debuit; ita plerumque malum consilium in auctoris caput redundat. Idem l. XXXIV, c. VIII.

MOTIVA

Quia nemo sibi sapiens satis; hinc merito monet Salomon : Ne innitaris prudentiæ tuæ. PROV. IX, 3.

Quia salus, ubi multa consilia ; ubi vero non est gubernator, qui cum consilio omnia administret, corruet populus. PROV, XII. 14.

Quia sicut odoribus delectatur cor; ita bonis amici consiliis anima dulcoratur. Prov. XXVII, 6.

Quia, si quis sine consilio nihil faciat, post factum non pœnitebit, teste Siracide. ECCL. XXXII, 42.

MEDIA.

Oratio. Sic enim Tobias filio suasit : Pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. TOB. IV, 20.

Alios libenter audire. Nam audiens sapiens sapientior erit, teste Salomone. PROV. XII, 15. Hinc S. Hieronymus ait : Græci Poetæ laudabilis illa et admiranda sententia est : Primum esse beatum, qui per se sapiat; secundum, qui sapientem audiat. S. HIER. *in c.* III *Isa.*

Historiarum lectio frequens et accurata. Ita jam olim Basilius Imperator Leoni filio suasit, dicens : Per historias veteres ire ne recusa ; ibi enim reperies sine labore, quæ alii cum labore collegerunt; illinc hauries et bonorum virtutes, et improborum vitia, et vitæ humanæ varias mutationes, mundi hujus instabilitatem, et Imperiorum præcipites casus. Et, ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, et bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in Divinæ Justitiæ manus incidas ; hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris. BASIL. c. XXXVI *Monit.*

Libertas ab inordinatis affectibus. Ita jam olim Sallustius judicavit, omnes, qui de rebus dubiis consultant, vacuos esse debere affectibus; haud facile enim animum pervidere verum, ubi illi officiunt. SALLUST. *in bello Catilin.*

Fuga præcipitantiæ. Nam, teste Tacito, scelera impetu, consilia mora valescunt. TACITUS, l. I. Et, ut Livius recte advertit : Omnia non properanti clara, certaque sunt; festinatio vero improvida et cæca est. LIV. l. XXXI.

ASCETICA.

Quatuor sunt, quæ Asceta præcipue de hoc Consilio notare debet. Primum est, ut certo sibi persuadeat, unum ex præcipuis mediis ad perfectionem conducentibus esse, ut frequenter a viris et patribus spiritualibus consilium petatur, id quod S. Climacus sequentibus verbis sat clare ostendit : Quicumque revera voluntatem Christi addiscere vult, suam prius voluntatem studio mortificare debet ; deinde vero fide atque innocua simplicitate orantes Patrum sive Fratrum animas, summa cordis humilitate, ac sine cordis hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt, tanquam ex Dei ore suscipiunt, etsi contraria intentioni suæ sint, quæ ab illis fuerint dicta ; etiamsi hi, qui interrogantur, non valde spirituales fuerint. Neque enim est injustus Deus, ut animas decipiat, quæ semper fidem et innocentiam proximi consilio atque judicio humiliter submiserint. S. CLIM. *Grad.* XXVIII.

Hadrianus Lyræus alia tria commoda refert, quæ ex frequenti petitione consiliorum reportantur, videlicet 1. Quod is, qui petit consilium, si alius idem sentiat, quod ipse, securior sit quod non decipiatur. 2. Quod, si evenerit aliquid contrarium, minus ei imputari possit, quam si ex suo sensu id egisset. 3. Quod sæpe in meritum talis humilitatis Deus daturus sit illi per se, vel per alium agnoscere, quod ante non intellexit. LYRÆUS, *Apoph.* XVI, l. I.

Sed et ipse Seneca ejusmodi plures utilitates enarravit, dicens : Proderit sapiens aliquando sapienti, suadebit enim, impetum dabit illi, occasiones actionum honestarum commonstrabit. Præter hæc aliquas suas cogitationes exprimet; docebit, quæ invenerit, et quo animus ejus excurrat. Præterea quarumdam illi notitiam tradet; non enim omnia sapiens scit ; etiamsi sciret, breviores vias rerum aliquis excogitare possit, et has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur; atque ita incipiet alter sapere securior, et extra metum positus feriari ; plus enim homines in alieno negotio vident, quam in suo. SENECA, l. XIX, epist. CX.

Alterum est, ut sciat, quid potissimum observandum sit in consilio dando, videlicet illa tria, quæ Gregorius Theologus sequentibus versibus indicavit :

Nam trina cum sint, ut vetus sensit cohors,
Pollere debet optimus Monitor quibus,
Rerum usus, ingens charitas, os liberum,
In me requires prorsus ex tribus nihil.

GREGORIUS THEOLOG. *in Carmin.*

Alii non male conditiones boni Consilii in viginti quatuor Senioribus a S. Joanne olim conspectis adumbratas putant. Nam 1. erant *Senes*, propter experientiam et usum rerum commendabiles; quod vel maxime requiri ad Consilium jam olim Plutarcus significavit, dum dixit : Maxime salvam esse civitatem, ubi consilia Senum, et Juvenum arma obtinent. 2. *Vestiti albis vestibus erant*; id est, ab omni cupiditate et metu liberi.

3. *Coronas in capite gerebant*, quibus *libertas* in consilio dando indicatur, de qua recte S. Ambrosius, Theodosio Imperatori scripsit: Clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium, libertas placere; nam silentii mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. S. AMBR. l. V, ep. XXIX. 4. *Cum libro signato in manibus*, quo secreti tenacitas et fides indicatur; hinc jam olim Valerius Maximus dicere solitus erat: Taciturnitatem optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum esse. 5. *Procidebant, et coronas suas ad pedes Dei mittebant;* ut indicetur, omnia consilia ad gloriam Dei primario referenda, alioqui enim nullam vim et efficaciam habebunt, cum non sit sapientia, nec prudentia, nec consilium contra Dominum, Salomone teste.

Tertium est, ut sciat, quas doctrinas et regulas in ipsa consultatione observare debeat, nempe: 1. Ut ante omnia curetur, ut finis semper integer et illæsus servetur. 2. Ut in electione mediorum ad ea media maxime respiciatur, quæ ad finem appositissime ducunt; item ad ea, quæ practice magis parabilia sunt, relictis incertis, licet ex se forent meliora. 3. Ut, cum consultatio tanto melior sit, quo firmioribus ex fundamentis procedit, in ea rationes æternæ magis, quam temporales curentur. 4. Ut res, de qua consultatur, non obiter perspiciatur, sed bene quoad omnia penetretur, atque adeo diligenter perpendatur, quid ex re tali suscepta vel neglecta non tantum proxime, sed etiam per aliquot sequelas, sequi possit. 5. Ut etiam circumstantiæ temporis, locorum, et personarum bene examinentur, ex his enim plerumque ultimum judicium, consiliumque formadum est. 6. Ut pariter etiam attendatur, in quid affectus magis propendeat; huic enim ut plurimum contra nitendum, aut certe minus fidendum est, eo quod plurimum impediat sinceritatem judicii.

Quartum est, ut diligenter attendat, caveatque ne, si advertat consilium a se conceptum, vel ab aliis suggestum, minus felicem exitum sortiri, pertinaciter nimis eidem adhæreat; etsi enim merito inter alias virtutes Consiliariorum etiam constantia numeretur, atque adeo merito reprehendantur a Sallustio ii, qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur, et alia ac alia consulunt, prout eorum, quibus placere cupiunt, simultas et arrogantia exigere videtur; superbæ tamen stultitiæ perseverantia est, teste Seneca, dicere: *Quodcumque semel dixi, fixum, ratumque sit;* non enim est turpe cum re mutare consilium; nec levitas censeri debet, a cognito et damnato errore discedere. Oportet enim, ut Plato sapienter dixit, tanquam in telorum jactu, ad id, quod ceciderit, res suas aptare, quocumque modo ratio id optimum esse duxerit. PLATO, l. X, *de Republ.*

MISCELLANEA.

QUALITAS.—Bias interrogatus, quis esset optimus Consiliarius? Tempus, inquit. STOBÆUS.

Fredericus Cæsar dicere solebat: Utinam Consiliarii mei in palatii vestibulo duas res deponerent; sic enim et ipsi recte consulerent, et mihi etiam inter consilia dijudicare facillimum esset. Interrogatus, quænam res illæ forent? Simulatio et dissimulatio, respondit. ÆNEAS SILVIUS, l. III.

Mithridates Rex de seipso fatebatur: Mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi. Hinc et Joannes Cockier bonum consilium ex imagine lætorum et tristium procedere dicebat. DREX. *in Joseph.* c. IX, § 1.

Interrogavit hominem aulicum unus ex purpuratis Patribus: Cujusnam Consiliarii fidelissimum esset consilium? Respondit alter: Contemnentis aurum. Idem, *in Phaet.* c. IX, § 6.

Leo Imperator filium suum instructurus sic eum alloquebatur: Consultores adhibe experientes rerum, providos, perspicaces, ærumnarum ac prosperitatis tuæ socios; ad cogitandum solertes, fideles, qui tibi neque ad gratiam obtemperabunt, neque illi, qui susceptor rei existit, neque sibi mutuo; sed qui, quod cogitant, dicunt; qui simplici animo et incorrupto sunt, nullumque ex iis rebus lucrum quærunt, sed in eo ipso tempore, quid maxime utile sit, explorant. Sunt enim, qui, cum lucrum aliquod vel compendium aut ad se, aut ad eos quos caros habent atque diligunt, pertinere posse vident, totam judicationem rei eo transferunt; et quia pertinaces sunt, universum consilium ab utilitate communi ad id, quod ipsi volunt, devehunt.

Recte monuit nonnemo:

O Consultores, rectos assumite mores,
Publica privatis præponite commoda gratis,
Ne damnet vestras animas divina potestas.

S. BEYRL. l. V, *eodem.*

Ratisbonenses Curiæ suæ hos versus in tabula marmorea inscribi curarunt :

Quisquis Senator Curiam officii causa ingrederis,
Ante hoc ostium privatos affectus abjicito;
Iram, vim, odium, amicitiam, adulationem,
Reipublicæ personam, et curam subjicito;
Nam ut aliis æquus aut iniquus fueris,
Ita quoque Dei judicium expectabis et sustinebis.

NECESSITAS. — Impossibile est, ut salubriter disponat principatum, qui non agit consilio sapientium. JOAN. SALISBUR. l. V, *Polit.* c. V.

Monstrabo tibi, cujus rei inopia laborant magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat. Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, et unum amicorum officium, una contentio, quis blandissime fallat. SENECA, l. VI, *de Benefic.* c. XXX.

Parva sunt arma foris, nisi consilium sit domi. CICERO, l. X, *de Off.*

Non male cecinit Ovidius:

Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re, consiliumque fugit.
OVID. l. IV, *de Pont. eleg.* XII.

Hirundo, cum semel, iterumque monuisset aves, ut semina lini, de quibus herba avibus nocentissima germinatura esset, eruerent, aves vero consilium sequi noluissent, ipsa in oppida et civitates fugit; reliquæ vero aves retibus de lino contextis captæ, vel damno suo docuerunt, quam nocivum sit, bona consilia non sequi. LANG. *in Polyant.*

Vis consilii expers, mole ruit sua.
HORAT. l. III, Od. IV.

Prudenter suasit Epictetus: Magno animo Deos, ut consiliaros, accedito; deinde si quid consilii datum fuerit, memento, quos in consilium adhibueris. EPICT. c. XXXVI. *Enchir.*

UTILITAS. — Dubium non est, omnia omnino, quæ divino consilio recte geruntur, jure meritoque effectu et firmitate niti. *Cod. de Repulsa*, l. III.

S. Augustinus in illud Psalmi : Firmabo super te oculos meos; pulchre ait : Non a te auferam oculos meos, quia et non aufers a me oculos tuos. S. AUG. *in Ps.* XXXI.

In summa fortuna magis consilia, quam manus et tela, valent. Lyræus, l. I, *Apopht.* XVI. Id quod sequenti distycho non male expressit nonnemo :

Consilio utilius, quam viribus arma geruntur;
Militis est robur, consiliumque Ducis.

Non minorem utilitatem, ait Cicero, Reipublicæ afferunt, qui præsunt, quam qui bellum gerunt; itaque eorum consilio sæpe aut suscepta, aut confecta bella sunt. Quare expetenda est magis decernendi ratio, quam decertandi fortitudo; temere enim in acie versari, et manu cum hoste confligere, immane quiddam est, et belluarum simile. CICERO. l. I, *Offic.*

Maximæ Respublicæ per adolescentulos labefactatæ, a senibus sustentatæ et restitutæ sunt. Cum enim ad gubernacula Reipublicæ temerarii atque audaces homines accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt.

AXIOMATA.

Consilium bonum multas vincit manus. EURIPID.

Consilium prudens lætos habet exitus. DREX. *in Joseph.* c. IX.

Malum Consilium Consultori pessimum.

Argue consultum, te diliget; argue stultum, avertet vultum, nec te dimittet inultum. BUCHLER. V. *eod.*

AUCTORES.

Josephus Langius, in *Polyanth.* V. eodem.

Laurentius Beyrlinck, in *Theatro vitæ hum.* V. eodem.

Hadrianus Lyræus, in *apopht. S. Ignatii*, l. I, *Apopht.* 16.

Ludovicus Granatensis, in *Locis comm.* f. 405.

Hieremias Drexelius, in *Phaet.* cap. IX. Item, in *Joseph.* cap. IX.

Joannes Busæus de *Statibus Hominum.* V. Consiliarus.

APPENDIX

DE CONSILIIS IN SPECIE.

Hactenus de Consiliis in Genere actum; quia vero merito etiam Consilia in Specie, maxime in materia Ascetica, ad salutem et perfectionem Christianam pertinente, desiderari possunt; ideo, ut, huic quoque Lectoris avidi desiderio satisfaciam, placuit ejusmodi saluberrima consilia adjungere; ita tamen ut non Religiosis dumtaxat, sed Sæcularibus etiam, in suo statu pie sancteque vivere cupientibus, sana ejusmodi consilia suppeditentur.

I.

CONSILIA CIRCA VOCATIONEM AD CERTUM VITÆ STATUM.

CONSILIUM I.

Petitio. — Narcissus, juvenis, 16 circiter annorum, cum in libro aliquo legisset, quantopere quilibet homo obligatus sit ad vocationem suam indagandam et implendam, ardens concepit desiderium, propositumque suam quoque vocationem cognoscendi. Quia vero nescit modum id solide præstandi, Ascetam rogat, ut consilium hoc in negotio suggerere dignetur.

Responsio. — Respondet Asceta, summopere sibi placere hoc desiderium, utpote a Deo, qui omnes cupit salvos fieri, speciali ex gratia inspiratum, quare ut justissimæ petitioni satisfaciat, sequentes doctrinas, velut fundamenta vocationis indagandæ eidem bene percipiendas suggerit. *Primo*, non modo non impossibile, sed facile potius, esse vocationem inquirere, uti S. Bernardus testatur dicens : « Plane conversio animarum opus est divinæ vocis, non humanæ : Nec sane laborandum est, ut ad vocis hujus perveniatur auditum. Labor est potius aures obturare, ne audias. Nimirum vox ista se offert, ipsa se ingerit, nec pulsare cessat ad ostia singulorum. Est enim non tantum vox virtutis, sed et radius lucis, annuntians pariter hominibus peccata eorum, et illuminans abscondita tenebrarum. » Quæ Bernardi sententia illam quoque rationem habet certam et evidentem, quod cum Deus ideo nos vocet, ut ad se accedamus, frustra vocaret, nisi ita vocaret, ut a nobis percipi posset. Quis enim herus servo aliquid imperans, quod eum exequi velit, non ita imperet, ut ille intelligat? Magistri autem cum id spectent, ut discipulos erudiant, non solum ea afferant oportet, quæ ab illis capiantur, sed ad illorum quoque intelligentiam adhuc tenuem sese accommodent, eadem, si opus sit, sæpius iterent, et involuta explicent; quod nisi faciant, vitio illis detur, quod quidem vitium non cadit in Deum. *Secundo*, negotium hoc vocationis inquirendæ summe æstimandum, atque adeo serio suscipiendum ac tractandum esse; nam in cæteris quidem actionibus sive prætermissum, sive ignoratum est quidpiam, non plus incommodi accipitur, quam tanti quæque earum rerum est, in quibus neglectum sit aliquid. In hoc autem tamquam vitæ omnis cardine si erretur, totam vivendi rationem aberrare necesse est. *Tertio*, non esse in toto hoc negotio vel expetendas, vel expectandas revelationes divinas aut miracula quædam, signave extra naturæ ordinem. Cujus ea causa est, quoniam, cum Deus nobis lumen mentis atque intelligentiæ inseruerit, quod fide instructum, divinaque adjutum gratia, satis sufficit ad omnia, quæ saluti nostræ conveniant, cognoscenda, id a nobis adhiberi, exercerique vult, et ipse

eo nobis tamquam interprete loquitur, et indicat, quæ oportet. Quam ob rem magnopere falluntur, qui in ista deliberatione Angelum aliquem de cœlo ad se delabi cupiunt, aut in summa ejusmodi aliquod signum divinæ voluntatis requirunt, quod nihil dubitationis admittat; quod non est faciendum, neque omnino aliud exigendum, quam ferat communis usus, ac mos Dei cum hominibus. Hic autem est Dei mos, ut, licet nos suo lumine adjuvet, hoc tamen sit lumen fidei, non autem apertæ visionis, ac propterea obscuritatem semper aliquam habeat admixtam. *Quarto*, cum duæ sint hominis partes, voluntas et ratio, duo etiam esse solent genera vocationum; alterum, quo voluntas accenditur religiosæ vitæ desiderio totumque hominem eo rapit sine ulla cunctatione, aut hæsitatione, et potius cum magna voluptate. Alterum est, cum ratio illuminatur, ut mundi vanitatem ac periculum, contra vero religiosi status quietem, securitatem, thesaurosque ingentes agnoscat, etiamsi affectus non ita incensus sit, tardiusque ac lentius rationis ductum sequatur. Et quidem si verum quærimus, hæc optima est vocationis ratio, quæ a sapientissimis viris, et harum rerum peritis fortasse etiam magis probetur, quam altera illa, quæ in solius voluntatis motu consistit. Hæc enim certior est, minusque erroribus patet, quoniam lumine nititur, quin etiam, ut illi iidem aiunt, aliquanto præstantior est; quoniam ratio ac mens ea est, qua homo maxime belluis præstat, præsertim cum ad tarditatem illam, pigritiamque voluntatis sanandam multa sint remedia, multique stimuli, quibus impellatur, et incitetur meditando, et cogitando ea, quæ ad rem faciunt. Quod cum ita sit, valde ii quoque errant, qui vocari se a Deo non putant, nisi eos animorum motus sentiant, ut toti ardeant, et quasi rapiantur ad Religionem, nulla difficultate, nulla molestia. Nam et hoc naturæ nostræ conditio tam gravis, tamque terrena non patitur, ut ad res tam arduas sine labore et sudore conscendant, et divinæ sapientiæ mos est, non destruere naturam, sed juvare, nec hostem nostrum omnino perimere, ut non habeamus, cum quo pugnemus, sed potius gratiam et robur nobis suppeditare, ut pugnando vincamus, id enim nobis ipsis utilius, et ad multa salubrius. His fundamentis positis, et bene intellectis, hortatur Asceta, ut Narcissus serio et mature suscipiat hoc negotium, et, ut peritius illud exequatur, ac se, ubi commodum ei fuerit, denuo recurrat modumque illud exequendi cognoscere studeat.

CONSILIUM II.

Petitio. — Idem Narcissus recurrens ad Ascetam, eidem significat, se nullam voluntatis specialem inclinationem ad ullum certum statum experiri; quare cum vocationem suam per intellectum indagare debeat, petit ab Asceta regulas et directiones quasdam, quas in deliberatione tali observare debeat.

Responsio. — Respondet Asceta, sequentes regulas observandas esse. *Primo*, ante omnia divinum auxilium serio implorandum esse, dicendumque vel cum Apostolis : Ostende, Domine, quem pro me ex variis statibus elegeris. *Secundo*, si hanc Dei voluntatem cognoscere, et percipere cupiat, non putet, se id consequi posse in media vanitate, et negotiationibus, ac turbis sæcularibus. Segreget igitur sese paululum de strepitu mundi, ut quasi aurem admoveat, et ante omnia, si opus est, purget se diligenter generali omnium peccatorum vel certa seria particulari confessione, quod juvat, ut depulsis tenebris Dei lumen ingredi possit. Deinde dedat se orationi, ac meditationi paulo diligentius, erigat cor a terrenis ad cælestia; denique sistat se Deo, quasi discipulum docilem et attentum, et cupidum cœlestis hujus doctrinæ. Quid mirum enim, si cum animus aliis occupatus fuerit, quasi obstrepentibus mortalium rerum curis et amoribus, aut delectationibus divina illa vox exaudiri non possit. Itaque S. Bernardus ad Thomam quemdam in hoc ipso sæculi relinquendi consilio versantem : « Tu, inquit, o charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel, et favum, si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito ac vacante interno sensu dicas et tu cum Samuele : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico. Secretum consilium secretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit et lætitiam, si sobria aure perceperis. » S. Bernard. ep. xx. *Tertio*, ut ad hanc deliberationem sic accedat, ut animo plane obfirmato ac deliberato sit, se omnia perfecturum, quæcumque a Deo audierit; sunt enim, qui non bona fide,

nec sincere agunt cum Deo, sed curiositate quadam ducti, scire volunt ejus voluntatem, non ut faciant, sed ut sciant, et ut aliquo modo officio functi videantur; qui quidem, tantum abest, ut officio satisfecerint, ut illa ipsa major sit culpa, tanquam servi, qui domini voluntatem intelligit, nec tamen exequitur. Quin etiam hoc ipsum impedimento est, ne iis Deus lucem suam impertiat, quam se frustra impertiri videt; ac majore etiam illorum damno. Scriptum est enim: « Intellectus bonus omnibus facientibus eum; » Ps. CL; quoniam qui faciunt, vel facere decreverunt bonum, quod intelligunt, iis bonis intellectus datur, idque monet S. Gregorius: « Qui vult, inquit, audita intelligere, festinet ea, quæ jam audire potuit, opere implere. » *Quarto*, componendum esse animum nostrum ad eam, quæ maxime esse possit, æqualitatem, ita ut nihilo plus in unam, quam in alteram partem propendeat, sed hoc unum cupiamus, Dei placitum, quodcumque id fuerit, explere. Hoc enim est in primis officium boni ac fidelis servi, ut antea diximus, quod nisi faciat, non tam Deo, quam sibi, suæque voluntati servit; qui autem id fecerit, is facile, tanquam nube omni discussa, Dei lumen ac lucem accipiet. Sic enim Climacus quoque scribit: In divina voluntate indaganda necessarium esse, posita comparare, ut nostra omnis voluntas cesset, ac in neutram partem magis vergat: nam cum ea ab omni proprio affectu penitus purgata, ac mundata fuerit aptatam fore ad Dei instinctum percipiendum. » S. CLIM. *grad.* XXXVI. *Quinto*, cum hæc consilia agitantur, non esse adhibendos amicos carnales, multoque minus propinquos, tum quia naturali illo affectu impediuntur, ne verum videant; tum quia, ut Dominus ipse dixit: « Non omnes capiunt verbum hoc, » quod autem consilium dare possint in re, quam ne intelligant quidem? Quare ut qui ædificare velit, non pictores aut aurifices advocat, nec qui ægrotat, jurisperitos, sed ille architectos, hic medicos et eos quidem, quam possit, optimos et peritissimos, atque ut in aliis rebus iis utimur consiliariis qui in illo genere et scientia, et usu valeant; ita in hoc tanto opere; quæ ædificanda est illa spiritualis domus, quæ stare possit adversus ventos et flumina, et curatio non corporis, sed animæ instituenda, an eorum judicium requiremus, qui partim nullum habent in iis rebus judicium; partim etiam variis, ut dixi, affectibus perversum et eversum? Solum igitur communicandum est cum viris probis et vero, si quærimus, cum iis potissimum, qui antea hanc ipsam triverunt viam, id est, cum Religiosis ipsis, qui sua experientia edocti, alios quoque fideliter ac sine errore perducere possint. Quid enim stultius, quam si vel mari, vel terra iter facturus sis, eum ducem accipere, qui nunquam in vita sua iter illud confecerit, cum ad manum habeas multos, qui nihil aliud tota sua vita egerunt. *Sexto*, in ipso deliberationis actu ante omnia illum finem esse ante oculos habendum, cujus causa facti, et nati sumus. Hic vero finis nullus est alius, quam ut Deo amando et colendo ad æternam felicitatem perveniremus. Deinde omnes vitæ degendæ modi proponendi, singulique accurate sunt examinandi, atque explorandum, quid in iis insit commodi, quid incommodi ad finem illum consequendum, idque demum ex omnibus complectamur, quod tum ex sua, tum ex nostra ipsorum natura ad hoc potissimum judicetur. Ut qui in aliquem locum profecturi sunt, iter illud accipiunt, quod planius, brevius, ac commodius existimant. Præterea vero meminisse oportet, nos certissime morituros, atque insuper rationem etiam Deo reddituros de tota villicatione nostra. Quare quod tunc se quisque fecisse volet, id nunc faciat, et quod in illa hora magno mercaretur a se electum, eligat in præsenti. Quid enim stultius, quam id committere in re tanta, cujus scias futurum, ut te pœniteat sine ullo fructu. *Septimo*, denique perito alicui, zeloso, ac prudenti viro, qualis maxime Confessarius esse posset, omnes animi motiones, quas quisque in hac deliberatione sensit, aperiendæ, ejusque super illis judicium, consiliumque requirendum; sicut enim Saulo quærenti: « Domine, quid me vis facere? » respondit Dominus: « Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi (ab Anania) quid te oporteat facere; » ACT. c. IX; ita et in hoc negotio idem Dominus ad Confessarium mittere censendus est deliberantem, ut ex eo voluntatem Dei certius cognoscat. Ad harum ergo regularum accuratam observationem hortatur Asceta, pollieeturque hanc viam esse rectissimam advocationem suam rite intelligendam.

CONSILIUM III.

Petitio. — Idem Narcissus post factam de statu vitæ eligendo deliberationem, magnos quidem stimulos sentit ad statum Religiosum amplectendum ; sed quia instinctus iste consilium dumtaxat est, atque adeo sine peccato negligi potest, statuit nondum illi parere ; majoris tamen securitatis gratia, quærit ex Asceta, quid ipse hoc in casu faciendum suadeat.

Responsio. — Respondet Asceta, stolidum et insipiens hoc esse argumentum, cui egregie aliquando responsum sit a quodam Societatis Jesu Sacerdote rerum spiritualium perito, qui cum insignem Theologiæ Doctorem spiritualibus exercitationibus informaret, isque a Deo se vocari sentiens hac ipsa, quam diximus, fallacia vocationem excludere excogitaret : Dic mihi, inquit, si necessario in Indiam navigare cogereris, ac, cum multæ naves præsto essent, aliæ meliores, aliæ deteriores, classis Præfectus in suam te navim invitaret, novam et firmam, rebusque omnibus instructam, velis, rudentibus, gubernatore, et nautis optimis; an tu ejus beneficio contempto, aliam malles quassatam et cariosam, suisque ornamentis spoliatam, ac non potius summa cum gratia acciperes, quod offertur, imo etiam ultro rogares, et urgeres? Multo igitur magis ad evitandum animæ naufragium, quod æternum est, ejusmodi statum eligi oportet, qui nos tutius, securiusque perferat in hac tam dubia et scopulosa hujus mundi navigatione. Nihil clarius atque evidentius dici potest, itaque illi etiam Doctori adeo evidens visum est, ut convictus, omni dubitatione deposita, Societati nostræ se adjunxerit. Sed ponamus cessare periculum, quod diximus, fingamus etiam promissum alicui cœlum certissime, tamen nonne melius est, hoc quoque omni ope curare, ut non solum cœlesti beatitudine potiamur, sed etiam quam maximo ejus cumulo potiamur? Etenim si quis tibi stannum et argentum, vel argentum et aurum offerret, ut alterutrum acciperes, essetne dubium, utrum accepturus sis? Aut si redditum centum millium habere possis, num ducentis tantum, aut trecentis annuis contentus esses? Si ergo non solum hæc magna lucra, sed nullum est fere tam exiguum lucrum, quod homines contemnant, et oblatum non cupide arripiant ; quæ hæc cæcitas est, cum possis dives esse in illa cœlesti gloria, id est, multis ejus gradibus frui, magna gaudii, magna felicitatis copia abundare, eaque immortali et æterna, malle æternam paupertatem, et parce hic seminando, id agere, ut postea cœlum ingressus (si tamen aliquando ingredieris) parce etiam metas? Videamus, quid Apostolus, seu magis Dominus per Apostolum omnibus hominibus præcipiat. Tempus breve est, reliquum est, ut, qui habent uxores, tamquam non habentes sint; et qui flent, tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudentes ; et qui emunt, tamquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. Quid hoc sibi vult, nisi quod, etiamsi liberum sit cuique sua retinere, non tamen liberum est uti, quoquo modo velit? Ita enim uti debet, ut corde non inhæreat, ut tantum sicut instrumenta ad vitam sustinendam adhibeat, ut et amittere, si Domino placuerit, et sponte abjicere etiam, si ejus honor tulerit, paratus sit. Denique quid pluribus opus est? Ita uti debet, ac si non uteretur ; hæc enim ipsa formula ab Apostolo præscribitur, idque in omnibus, in uxore, in liberis, in possessionibus, in pecunia, in honore. Si ergo hæc est hominis conditio, si hæc est lex in istarum rerum possessione, quanto melius non uti, quam sic uti? Primum enim multo hoc facilius non amare, si non habeas; quam habere, et non amare. Deinde multo etiam jucundius, nam affectum ab iis, quæ possideas, divellere, vis quædam perpetua est, quæ ideo nec perpetua esse potest, et tamen quamdiu durat, difficilem et arduam, ac laboriosam pugnam affert, quam non sentiunt, qui a se pugnæ illius materiam ac fomitem removerunt. Accedit, quod non levis injuria Deo fieri censeatur per hoc, quod ab ipso invitati ad ejus amicitiam ac familiaritatem, et quidem diu ac multum rogati, tamen recusemus, ejusque promissis ac præmiis omnibus remittamus, quasi vel parva sint, vel incerta. Principes quidem hujus mundi, si sic rogantes repudientur, læsos se putant. Sed hoc in Principes istos numquam evenit, ultro enim eorum gratia et obsequium ambitur, viæque omnes quæruntur, quo se quisque insinuet. Solus est Deus (res sane dolenda, multumque lugenda) qui, cum tanto major sit, et tanto majora polliceatur, relinquitur tamen, et abjicitur cum suis promissis. Quantum ergo hoc crimen

est? Nempe, sicut summa est eorum culpa, qui, postquam Christum in religione sequi cœperint, deinde retrorsum abeunt; sic eorum proxima quodammodo videtur esse culpa, qui ad religionem vocati, Dei vocem consiliumque spernunt. Nam detracto voto, et sponsionis illius nexu, quod quidem ad injuriam attinet, de qua hic agimus, eadem fere est, vel amicitiam jam factam diluere, vel oblatam respuere; æqualisque fere contumacia existimatur, jussum Regis, postquam facere cœperas, omittere vel numquam incipere. Quare, ut generi illi hominum tanta semper parata esse creduntur supplicia, quæ divinam iram testarentur, idem omnino de his credendum et tenendum est. Impletur enim in ipsis ex Psalmis vera et justa sententia, ut, quoniam noluerunt benedictionem, elongetur ab eis, et quia maledictionem dilexerunt, eveniat eis, eamque induant sicut vestimentum, et intret sicut aqua in interiora eorum, aut sicut oleum in ossa eorum. Impletur etiam quod in libris Sapientiæ divina minitatur justitia: « Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. » Quæ igitur pœna rependetur tali culpæ? Subjicitur statim: « Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis evenerit. »

CONSILIUM IV.

Petitio. — Idem Narcissus, cum aliquandiu vocanti Deo restitisset, tandem gravibus malis exercitus, et prope succumbens, statuit Religiosum statum amplecti. Verum quia ad oqc decretum concipiendum per adversa compulsus est, merito vereri sibi videtur, ne legitima sit hæc vocatio, sed potius illusio Diabolica dicenda sit.

Responsio. — Respondet Asceta, certo inprimis Narcissum persuadere sibi debere, omnem ejusmodi instinctum, qui hominem ad religiosam vitam impellat, non nisi a Spiritu Sancto esse posse. Hoc docet S. Thomas, tum in libello, quem scripsit contra retrahentes a Religione; tum etiam in secunda parte Summæ Theologicæ, quo loco ait, qui ad Religionem accedit, non posse ambigere, an a divino Numine moveatur, cujus est, ut ait Propheta, ducere in terram rectam, cum videlicet sibi conscius sit, non se ullo pravo fine ad hoc impelli, sed desiderio virtutis, ac divini obsequii. Quare quod dicitur in Scriptura: « Probate *spiritus*, si ex Deo sint; » id de dubiis tantum intelligendum esse, ait, quod quidem locum habet in iis, quorum est ad Religionem admittere, qui, cum accedentium mentem, ac finem quo moveantur, perspicere nequeant, recte faciunt, quod illorum spiritus probent et explorent. Quin etiam hoc adjungit, quod majus est; si ita contingeret, ut Satanas in lucis se Angelum transfigurans nos ad Religionem incitaret, tamen nihil esse metuendum, primum quia quamdiu ea suggerit, quæ ei cum Angelo bono sunt communia, nullum est periculum, neque nos prohibemur, etiam ab inimico utilitatem capere, præsertim ignorantes esse inimicum. Deinde quia, quamquam a dæmone incitemur ad Religionem, is tamen solus numquam nos movere posset, nisi Deus interiore vi attraheret. Ex quo concluditur Religionis propositum, a quocumque proponatur, ab uno Deo proficisci. S. Thom. *qu. ult.*

Addit postea a Cassiano, cum tria vocationum genera commemoret, hoc postremo loco poni; cum vel bonorum amissione, vel carorum morte, vel aliis ejusmodi casibus ad Dominum Deum, quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem inviti compellimur, ut Hebræi illi, de quibus in Psalmo scriptum est: « Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur *et diluculo* » id est, impigre ac celeriter, « veniebant ad eum. » Addit etiam, licet hic modus vocationis infimus videatur, in eo tamen perfectos et spiritu ferventissimos extitisse, illisque nihilo inferiores, qui optimo principio Dei servitutem agressi, reliquam vitam cum laude exegerunt. Cassian. *de Vit. Monas.*

Optime vero S. Climacus hunc quoque Domini morem esse ait, ut interdum homines bono dolo capiat, et in suam salutem deceptos inducat; ejus hæc verba sunt: « Non contemnanus, inquit, quosdam mundo renuntiantes sine sapienti deliberatione, quia spiritus quandoque pie decipit animas. Sæpe enim talis renuntiatio meliori fine terminatur, quam illa, quæ fuit deliberata, sicut semen cadens de manu agricolæ, ubi non vult, uberius interdum germinat, quam de industria seminatum. Vidi quosdam ad monasterium euntes non sancta intentione, sed necessitate coactos, qui deinde fuerunt capti a multa sapientia Abbatis, et placida conver-

satione Monachorum. Hi postmodum recceperunt a Deo lumen gratiæ, pervenerunt ad altum statum. S. Clim. *grad.* I.

CONSILIUM V.

Petitio. — Idem Narcissus postquam a priori etiam scrupulo liberatus, firmiter decrevit, statum Religiosum amplecti, in eo tamen non modice adhuc hæret, quem Ordinem præ alio eligere debeat, etenim cum in Religione complectenda, ut antea diximus, in universum quidem errari non possit, tamen in hoc vel illo Ordine complectendo, tum nos errare, tum dæmon multas nobis tenebras offundere potest. Sæpe enim perfectionis desiderio flagrantes eo flectit, ubi perfectio minime vigeat, ut illorum desideria evanescant; sæpe etiam præpostero quodam fervore inflammat, ut plus oneris suscipiant, quam corporis vires ferre queant, et in summa ad hoc omnes ejus insidiæ nituntur, ut modo ad nimium, modo ad parum impellat.

Responsio. — Respondet Asceta, duo in præsenti casu bene esse inquirenda, et bene perpendenda. Primum, ut sit ipsum Institutum quam maxime perfectum; deinde ut perfecte et exacte servetur. Nam licet aliqua Familia sanctissimas habeat constitutiones ac decreta, si deinde eis non pareant, vel pauci pareant, id quidem parum prodest, nec debet ullus ita sibi confidere, ut se multitudinem resistere posse speret, et cæteris errantibus rectam viam tenere. Itaque non tam illud videndum, quis sit antiquior Ordo, aut etiam ob res olim gestas, vel ob antiquos Patres, nobilior et clarior, sed quis in præsenti sanctior ac regularum suarum observantior, et præsertim illius primævi spiritus, quo quisque Ordo fundatus, ac cœptus est. Cujus si signa aliqua, ac veluti indicia quærantur, hæc esse poterunt : *Primum*, si rerum omnium communitas exacte servetur, nemo vel pecuniam, vel aliud quidquam proprium teneat. *Secundum*, si floreat charitas et concordia, nulla sint jurgia, aut contentiones; animorumque dissidia. *Tertium*, si procul absit ambitio, et honorum affectatio, potiusque hæc munera in speciem honorifica declinentur. *Quartum*, si obedientia in superiores incorrupta servetur, neque ullæ in ea exceptiones, aut limitationes introductæ sint. *Quintum*, si sit quam rarissima cum carnalibus propinquis communicatio, eaque, ut debet, spiritualis. *Sextum*, denique si animarum zelus conservetur, eaque causa nullus labor, nulla fatigatio fugiatur. Hæc sunt potissima et maxima. Accedunt deinde alia minora, nec tamen contemnenda, cujusmodi est, præter cætera ipsa Ordinis amplitudo, si copiosus sit et magnus, multasque in partes diffusus, et multas ac varias nationes complexus. Sic enim et doctrina et prudentia uberior efficitur, et majora suppetunt ad res gerendas adjumenta, et quo major hominum copia, eo etiam major copia bonorum operum, ex quorum mutua communicatione ampliores etiam consequuntur fructus. Idem enim evenit, quod in flamma, ut, quo major sit lignorum copia, eo majus conflatur incendium, cujus incendii vis in singula etiam ligna redundet, ut facilius et celerius et magis etiam ardeant, quam si separatim quodque arderet. Sed hoc quidem quodcumque est, extrinsecum est; illud essentiam attingit, quod paulo antea dicere cœperam de ipsius Instituti perfectione, cujus perfectionis, quoniam in tanta varietate multi sunt gradus, si eorum inter se contentio et comparatio facienda est, nimirum adhibendus est auctor B. Thomas, qui hanc ipsam quæstionem ita dissolvit : Ultima, inquit, rei perfectio in sui finis consecutione posita est. Quare ex duobus potissimum spectanda est Instituti cujusque Religiosi major perfectio; primum, si finem habeat nobiliorem; deinde, si instrumenta ad eum finem consequendum aptiora; nam quæ præstantibus operibus diriguntur, illa etiam præstantiora sunt judicanda ; et quæ his operibus efficiendis tum plures, tum efficaciores continent rationes, eadem etiam meliora sunt, et præferenda. Sed tamen quia nemo potest novam vitam incohare, nisi eum veteris vitæ pœniteat, et ob hanc causam quælibet Religio, per quam scilicet homo novam vitam aggreditur, quidam pœnitentiæ status est, ideo tertia quoque comparatio fieri potest in paupertate, et asperitate, cæteroque ejusmodi rigore. Sed tamen priores illæ duæ comparationes cum Religionis natura et essentia magis conjunctæ sunt, atque ex iis magis vel minus perfecta existimanda est, tum quia perfectio vitæ magis in interiori justitia, quam in exteriori abstinentia collocanda est, tum quia hæc austeritas majora bona, et maxime in proximum, impedire potest. Hæc fere S. Thomas, quæ breviter

et universim dicta, ad uniuscujusque Ordinis dignitatem æstimandam facile applicantur. Quæ omnia si debito modo perpenderit Narcissus, non difficile illi accidet, etiam hoc in casu prudentem et legitimam deliberationem instituere.

CONSILIUM VI.

Petitio. — Postquam Narcissus matura deliberatione adhibita, et Confessarii etiam approbatione accedente, statuit Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini amplecti, varia illi Collegia hujus Ordinis proponuntur; aliqua, quæ multas, easque doctrina et virtute illustres personas complectuntur; alia, in quibus pauci et parum docti, aut eminentes viri reperiuntur, unde quia ipse non modice se in scientiis profecisse putabat, ad posteriora Collegia inclinabat, eo quod in illis facilius eminere, et ad regimen promoveri posse consideret. Nihil tamen prius concludere decernit, quam Ascetæ super hoc consilium, quod proin impense sollicitat, intellexerit.

Responsio. — Respondet Asceta, hanc inclinationem non a bono, sed a maligno superbiæ spiritu provenire, neque enim in certo Collegio aut Cœnobio eligendo aut personarum multitudinem, aut scientiam potissimum attendendam esse, sed potius, qua ratione observentur vota, floreat usus virtutum, observatio regularum, studium cultus Divini; an religiosa cum sæcularibus conversatio; quæ Religiosorum inter se concordia, reverentia, subordinatio, humilitas, gravitas modesta; quæ occupationes, num etiam Parochiales; cum hæ sua indigeant deliberatione, demum, quæ de hoc Cœnobio apud alios sit æstimatio, fama sanctitatis, etc. Eum in finem narrat ipsi, quod S. Anselmus sibi in simili deliberatione evenisse fatetur, cui ipsi quoque de certo loco ad profitendam vitam monasticam deliberanti, cum duo occurrissent Monasteria, Cluniacense, in quo nulla erant litterarum studia, et Beccense, quod erat celebre opinione doctrinæ; ab illo quidem detrahebatur, quoniam, cum nonnullam ipse litteris operam dedisset, eam omnem perdi videbat; ab hoc vero contra, quia verebatur, ne inter tot doctos nullus ipsi locus esset. Et ille quidem hæc secum eo tempore, quo, ut ipsemet postea hæc narrans confiteri solebat, nondum esset edomitus, nondum in eo vigeret mundi contemptus. Sed tamen in se reversus: Quid, inquit, an Monachum esse est aliis præponi velle, et honorem quærere, ac nominis celebritatem? Illum ergo potius locum delige, ubi omnibus propter Deum postponaris, ubi obscurus, omniumque infimus jaceas. Hoc igitur consilio, quod erat a divino Spiritu, Beccensem prætulit familiam. Hoc ergo exemplum si ob oculos habuerit, et secutus fuerit Narcissus, merito sperare poterit, electionem suam perinde, ut S. Anselmo, feliciter cessuram.

CONSILIUM VII.

Petitio. — Expedita jam omnia circa vocationem suam existimaverat Narcissus, dum certo cuipiam Canonico S. Aug. Collegio cum approbatione Confessarii mancipare se decrevit; sed cum assensum etiam sui Parentis reverentiæ causa ad hoc requireret, noluit is ullatenus consentire, eo quod Narcissus unicus et ultimus familiæ suæ surculus esset. Quare quærit Ascetam, quomodo in hac causa se gerere debeat?

Responsio. — Respondet Asceta contra hanc inimici nostri subdolam simul, et tam vehementem (utrumque enim hic conjunctum est, quod in aliis raro contingit) tentationem ita nos armari oportet, ut hoc teneamus certum et fixum, cum semel de Dei voluntate nos ad Religionem vocantis constiterit; quocumque modo constiterit, quidquid deinde proponatur, quod ab hoc distrahat, aut avocet, non posse nisi a Dæmone proficisci. Quare illa omnia, quæ parentes, amici, propinqui, aut alii quivis (omnium enim eadem est causa) in hoc genere vel loquantur, vel faciant, ita audienda, itaque accipienda sunt, ut ab illo auctore conflata, qui omnibus quidem insidiatur, sed ut latro multo magis, ubi major est præda, et de quo scriptum est: Cibus ejus electus. Is enim, quos per se ipsum expugnare non potuit, eos sæpe hujusmodi instrumentis, quibus, utpote gratioribus, molliores habent ad pectora nostra aditus, expugnavit. Vetus autem est ars ista Diaboli, quæ illi in parente nostro Adamo nimium bene processit. Nam quid interest (ait S. Augustinus in hac ipsa re) utrum in uxore, an in matre, dum tamen Eva in qualibet muliere, caveatur? Nam ista umbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus se primum parentes nostri damnabili pietate texerunt. S. Aug. ep. lxxxi.

Recte ergo S. Climacus : « Melius est, inquit, contristare parentes, quam contristare Dominum Jesum. Hic enim nos creavit, et salvavit; illi sæpe suos amando perdiderunt. Amor Dei, ipsiusque sanctum desiderium extinguit in anima carnalem parentum amorem; qui autem utrosque amores in uno corde claudi posse putat, is seipsum decipit. Ne te moveant tuorum lacrymæ, ne tu tibi ipsi æternas lacrymas parias. Cum te parentes et propinqui circumdant, sicut apes, imo vespæ, plangentes et lamentantes, tu tibi propone peccata tua, ut dolorem dolore vincas. » S. Clim. *grad.* III.

Addit præterea idem Asceta, pro certo ponendum ex communi Theologorum sententia nullam iis in hoc genere obedientiam deberi; ideoque op triplicem causam. Primam licet sumere ex S. Th. qui in iis, quæ ad corporis naturam pertinent, omnes homines pares esse affirmat, atque in ejusmodi rebus nec servum esse inferiorem domino, nec filium patre, ut sunt, in iis quæ vel ad corporis necessitatem, vel ad prolem gignendam pertinent. S. Th, II, II q. a. 2.

Altera ratio est, quod, cum paternum jus in liberos nihil sit aliud, quam participatio quædam ejus auctoritatis, quæ est in Deo, a quo, ut ait Paulus Apostolus, est omnis paternitas. Eph, c. v. Ex eo fit, ut vicaria tantum, et delegata potestate nitatur. Quare si ita accidat, ut aliud Deus, aliud parentes præcipiant, cui dubium sit, quin tum cesset patria jurisdictio, quoniam ejus voluntati repugnat, a quo ea accepta est? Idem enim est, ac si Rex familiæ suæ, vel ubi quempiam suo nomine præfecerit, ac deinde aliquid Præfectus iste imperet, Rex autem contrarium; qui enim illi pareat, hic in Regem contumax et perjurus habeatur. Quam ob rem S. Bernardus in ea epistola, quam Heliæ monachi sui nomine ad ejus parentes scripsit: Sola, inquit, causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: Qui amat patrem et matrem plusquam me, non est me dignus. Matth. c. x. Si me vere ut boni et pii parentes diligitis, si fidelem erga filium pietatem habetis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, et ab ejus servitio, cui servire regnare est, abstrahere tentatis? Vere nunc cognosco, quia inimici hominis domestici ejus. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes. » S. Bern. ep. CXII.

Tertia causa hujus est, quia si vere, quasi rationibus subductis supputare velimus, quid parentibus nostris debeamus, tam parum ab eis accepisse cognoscemus, ut Dei respectu verius nihil sit. Nam cum homo animam habet, et corpus, in anima quidem, quæ præcipua in homine est pars, ac pene totus homo, constat nullam eos partem, ne minimam quidem, habere; hæc enim tota a Deo creatur, nec ulla vis inest vel homini, vel etiam Angelo, quæ ejus affectionem attingere queat. Restat ergo corpus, quod etiam si totum ab homine compingeretur; tamen paulo amplius ei deberemus, quam si vestem nobis, aut instrumentum aliquod ad aliquid faciendum, aut vas ad aliquid capiendum, confecisset. Hæc enim præstat corpus animæ, et certe paulo plus, quin etiam in multis eam impedit, et perturbat, et obtundit, ut ne perfecti quidem instrumenti ad omnia animæ opera peragenda vim habet. Itaque, ut dixi, etiamsi totum corpus soli nobis homines dedissent, tamen quota pars nostri illa esset? Nunc vero in ipso quoque corpore quam prope nihil est, quod parentes de suo conferunt? Ut enim, si cum quis in terram spuisset, de illo sputo Deus statim vel statuam, vel aliam rem efformaret, uter illius rei auctor diceretur, Deus, an is, qui casu in terram expuerat? Sic enim Dominus Deus informem materiam ab homine excisam ad corpus conformandum adhibet; ipse fingit, ipse distinguit, ipse ex una illius parte nervos, ex alia vero ossa, et sanguinem, et cætera membra compaginat, quæ tantum abest, ut homines efficiant, ut quomodo ea fiant, et an fiant, non intelligant, quod apparet, quia sæpe, cum maxime prolem cupiunt, eam tamen habere non possunt. Sicut ergo S. Augustinus : « Istis, inquit, generationibus Deus creat. Nam si tu creas, dic quid tua mulier paritura sit? Quid dicam, tu dic? Dicat ipsa, quæ, quod portat, ignorat. » S. Aug. *sup. Ps.* XX.

Pro majori confirmatione addit notatu dignissimam S. Hieronymi sententiam sic loquentis : « Audi edictum Regis tui : Qui non est mecum contra me est, et qui mecum non colligit, spargit.» Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in Sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non te patri periturum, non matri. Ecce Adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant.

Licet parvulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem siccis oculis ad vexillum crucis evola, solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Veniet, veniet postea dies, quo victor revertaris in patriam, quo Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas. Neque vero nescio, qua te dicas nunc compede præpediri. Non est nobis ferreum pectus, nec dura præcordia. Et nos per ista transivimus. Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis; nunc illi, quibuscum adolevisti, vernulæ aiunt. Cui nos servituros relinquis? Nunc et gerula quondam jam anus, et nutritius secundus post naturalem pietatem pater clamitat : Cui nos morituros relinquis? Facile rumpit hæc vincula amor Christi, et gehennæ timor. At contra Scriptura præcipit, parentibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat perdit animam suam. Gladium tenet hostis, ut me perimat, et ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam Christi deseram? Cui sepulturam Christi causa non debeo, quam etiam omnibus ejus causa debeo. Domino passuro timide Petrus consulens scandalum fuit. Paulus retinentibus se fratribus, ne Hierosolymam pergeret, respondit : « Quid facitis flentes et conturbantes cor meum? Ego enim non solum ligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu Christi. » Artes iste pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro : « Mater mea et fratres mei hi sunt, quicumque faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. » JOAN. c. XII. Si credunt Christo, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo; si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos. »

Denique parata pro coronide proponit exemplum Alberti, de quo sic narrat Hieronymus Platus : Itaque quantum id in omnium animis valere debeat, declaravit aliquando adolescens, Albertus nomine, ex Germania oriundus, illustri admodum familia, quippe Falchembergensis Comitis filius, et Regi Galliæ affinitate conjunctus, ad quem missus, ut cum ejus filiis Lutetiæ educaretur, ille contra ad cœlestem militiam animum adjecit, eamque in Prædicatorum ordine, adhuc pene novo, aggressus est, circiter annum Dom. MDCCXXX. Quod ubi ad Patrem perlatum est, etsi jam natu grandis, tenere se non potuit, quin Lutetiam cum magno suorum comitatu advolaret, omnesque machinas et omnes conatus ad filii (erat enim illi unicus) voluntatem expugnandam intenderet. Sed frustra, cum Dei amor juvenile pectus adversus carnalem amorem, paternasque blanditias, obdurasset. Illustrior autem fuit ejusdem congressus cum Theodorico consobrino, qui dolore ardens, omnia videlicet attulit, ad illud consilium labefactandum apta, lacrymas, preces, argumenta, matris denique commemorationem, quam præ animi ægritudine aut jam mortuam esse, aut moribundam decumbere confirmabat. Consederant autem e regione iconis cujusdam, in qua Christus, ut pingi solet inter Matrem et Joannem Discipulum, in cruce pendebat. Tum Albertus oculos ac digitum in eam tabulam intendens : En, inquit, Dei Filius cum matrem et consobrinum, utrumque sibi tam charum, dolorum gladio confossum videret, tamen e crucis patibulo, quod facile poterat, descendere noluit, sed in ea cum suo et illorum cruciatu usque ad mortem permansit. Quare nec ego quidem hanc Religiosæ vitæ crucem, quam semel conscendi, deseram unquam, quamvis et matrem, quam narras, et te consobrinum ad pedes meos, exanimes jacere viderem. Quin tu potius in hanc eamdem crucem mecum conscendis, teque mundi hujus laqueis expedis, in quibus hæres cum tanto periculo? Quid plura? Tantum valuit hic adolescentis sermo, ut eum permoverit ad idem institutum, sæculo relicto, complectendum, mirante et obstupescente tota civitate, eo magis quod is antea mundanis nugis, atque omni vanitate valde obligatus tenebatur. Ad hoc ergo exemplum imitandum omnibus viribus hortatur Asceta. HIERON. PLAT. l. III, c. XXXIV.

CONSILIUM VIII.

PETITIO. — Esti sæpius memoratus Narcissus ex præcedenti consilio clare cognoverit, non oblig ri se in hoc casu ad obedientiam Parentibus præstandam, quia tamen aliquis ex prudentioribus consanguineis suasit, ut saltem ad tempus differat executionem sui propositi, sic enim et Deo et Parentibus satisfieri, et contingere posse, ut Pater vel interea mutet animum (maxime si id ipsum Narcissus instanter a Deo petat) vel certe ob devexam ætatem omnio moria-

tur. His rationibus prope persuasus, admittere hoc consilium decrevit; ut tamen securius illud exequatur, prius etiam pro more suo illud Ascetæ proponit, ejusque super hac re judicium sollicitat.

Responsio. — Respondet Asceta, hoc speciosum magis esse quam salutare consilium, utpote quod privet ingentibus illius utilitatibus, commodisque, quæ ex eo percipiuntur, si quis portaverit jugum ab adolescentia sua; nam in primis cum ea ætas improvida sit, et quasi cerea ad vitium ob rationis imbecillitatem, si quis eam in sæculo transigat, inter tot occasiones, laqueosque peccatorum, nihil est proclivius, quam ut iis se se irretiat erratis, quæ deinde impediant, ne se ad virtutem et salutem referre possit, aut si quando referat, quasi tot vulneribus acceptis tardior, debiliorque ad hunc cursum reddatur. Quod contra evenit, cum ipse flos vitæ Deo consecratur, eripiturque iis, quæ dixi, periculis et casibus. Accedit, quod id tempus est omnium aptissimum disciplinæ, dum adhuc animus velut rudis, et pura charta, omnibus, quæ inscribantur, recipiendis idoneus est, et velut tenera arbor in omnem partem facile deducatur, ac flectatur, cujus rei evidens exemplum in plerisque animantibus habemus, ut in equis et in canibus, avibusque nonnullis, quæ, si, dum adhuc teneriores sunt, erudiantur, sunt omnes in suo quoque genere disciplinæ cujusdam capaces; cum autem id tempus effluxerit, ita obdurescunt, ut indociles fiant. Homines autem semper ad virtutem tempestivi sunt, sed si facilitatem et agilitatem quamdam quærimus, est sine dubio major in illa ætate, quæ nondum obcalluit vitiis, aut vanitate. Accedit etiam, quod, quidquid tum addiscitur, nescio, quomodo firmius inhæret, vixque obliterari potest. Sic enim S. Hieron. in quadam epistola : « Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Recens testa diu et saporem retinet, et odorem, quo imbuta est. » Aristoteles etiam non parum ait referre, quomodo quispiam ab ineunte ætate assueverit, sed quamplurium, imo totum penitus in eo consistere. Atque idem alio loco docet, omnia prima capere, et præoccupare animum; quam ob causam jubet ille in bene instituta Republica omnia turpia procul a pueris removeri, ut ne pictum quidem aliquid ejusmodi videant, aut etiam ne comœdias, tragœdiasve spectent. Sed quæ custodia in sæculo nec servari, nec sperari potest, in Religione perpetua et certa est. Quin illa etiam non minima est utilitas, quod inest in illis annis vigor quidam mentis, dum adhuc ejus vires nullis aliis, vel operibus, vel cupiditatibus, distractæ sunt, ac diminutæ, ac si, ut sunt, integræ atque illibatæ Domino offerantur, earum cursus ad virtutem intensior erit. Quam rem videtur gravissimus ille Ethnicorum Philosophorum optime expressisse : Quemadmodum, inquit, ex amphora primum, quod est sincerissimum, effluit, gravissimum quodque, turbidumque subsidit; sic in ætate nostra, quod est optimum, primum est. Id exhalare in aliis potius patimur, ut nobis fœcem reservemus. Inhæreat istud, et tamquam missum oraculo placeat :

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit....

Quare optima ? Quia restat quod incertum est. Quare optima ? Quia juvenes possumus discere, possumus facilem animum, et adhuc tractabilem ad meliora convertere ; quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studium ingeniis, et exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius et languidius est, et propius a fine. Hæc ille. Est autem et hæc utilitas, et cæteræ, quas diximus, evidenter declarata visione quadam cœlesti, quam Humbertus, vir clarissimus, Generalisque Magister Fratrum Prædicatorum narrare solebat: Religiosum quemdam vita functum apparuisse aliquando nocte Fratri, socioque suo, magno splendore collucentem, cumque eum ex cella eduxisset, ostendisse magnum numerum hominum candida veste, mirabilique luce micantium; qui pulcherrimas cruces humeris deferebant, erat autem omnium iter in cœlum. Postea modico intervallo alius sequebatur ordo, isque multo pulchrior, multoque lucidior, quorum unusquisque ornatissimam crucem, jam non humeris, sed manibus gestaret. Deinde tertius omnium longe splendidissimus et speciosissimus, quorum item cruces forma et pulchritudine reliquorum cruces superabant, neque eas ipsi portabant, sed suus, qui singulos præibat, Angelus, ut ii alacres et lætabundi sequerentur. Quod spectaculum cum ille miraretur, exposuit ei socius, primos illos esse, qui provecta jam ætate religiosam vitam amplexi fuissent; secundos, qui in virili, postremos autem, quos adeo expeditos, hilaresque vidisset, eos esse, qui in adolescentia se divino obsequio consecra-

cunt. Atque hæc quidem, quæ hactenus diximus, ita teneriorem ætatem confirmare debent, ut tamen provectiorem non terreant. Quare hortatur Asceta ut Narcissus potius consilium S. Bernardi sequatur, sic adhortantis : « Quid tardas ipsum, quem jam dudum conceperas, spiritum parturire salutis? Nil mortalibus vel morte certius vel incertius hora mortis, siquidem tamquam fur in nocte ita veniet. Væ prægnantibus illa die. Si supervenerit, vel prævenerit hunc tam salutiferum partum, seu perfodiet domum, sanctum germen extinguet. Cum enim dixerint : *Pax et securitas!* tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugiet. Eia ergo festina, exi, recede, moriatur anima tua morte justorum, quo fiant et novissima tua horum similia! O quam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus! Fuge, quæso, in via peccatorum ne steteris. Quomodo vivere poteris, ubi mori non audes?

CONSILIUM IX.

Petitio. — Persuasus tandem Narcissus Ascetæ sapientissimis consiliis, moras rumpere decrevit; prius tamen, quid circa executionem sui propositi observare specialiter debeat, ab Asceta sibi significari cupit.

Responsio. — Respondet Asceta, tria præcipue ab ipso postulari videri. *Primum est*, ut gratiæ pro tanto beneficio amplissimæ, creberrimæque agantur. Nam si in levi quovis munere, quod homo ab homine accipiat, indecorum videatur, ita accipere, ut non aliqua gratiarum actio reddatur, quanto magis in re tanto majori ac diviniori, quæ a Deo accipiatur cujus ea est dignitas, ut minimum quidvis ab eo acceptum, maximum videri debeat? Sed in hoc animo, quem dixi, grato multa insunt. Inest enim cognitio, inest memoria, deinde amor ac benevolentia, denique etiam gaudium et quidem perpetuum. Nam nisi cognoscas et intelligas quod datum est, ingratus sis; si autem cognoscas, sed cito obliviscaris, tamen sis ingratus. Quod si cognoscas, memineris, necessario summa in Deum incendi charitate oportet, quoniam non potest non amari, qui tam bonus in se nobis et ipsis tam bonus perspicitur. Et qui illius liberalitate ita se divitem et ornatum videt, non potest non gaudere et magnopere lætari. Sed quoniam hæc omnia ex illo fonte procedunt, si, quam grande sit beneficium, perpendamus, ita omnino cogitandum, itaque apud nos statuendum est, hoc summum esse et maximum, quod a Deo in hac vita accipere homo possit. Et hoc videlicet est, quod S. Bernardus quodam sermone adeo commendat : « Et prius quidem, inquit, te cum cæteris, et inter cætera creavit, non sine magna prærogativa dignitatis, post hæc vehementissimo tui amore inflammata majestas redemit te. Numquid verbi facilitate? Non, sed triginta annis operatus est salutem tuam in medio terræ affixus cruci, addictus morti, ludibriis deputatus. Adjecit autem erga nos speciale quoddam, quod de lata nos et speciosa via, quæ ducit ad mortem, digito suo traxit, et posuit in concilio justorum et congregatione. Quid ultra debuit facere, quod non fecit? Cujus vel saxeum pectus tanta, et talis a tanto, et tali collata beneficiorum multitudo non emolliat? » S. Bern. ser. ii, *de Verb. Ap.*

Secundum est, ut summa quadam ac perpetua perfectionis adipiscendæ cupiditate ardeamus, idque ita, ut eo semper omnis nostra cogitatio et vires omnes connitantur. Primum enim hoc a nobis postulat Deus, cujus voluntas est sanctificatio nostra; postulat etiam ille ejus amor, qui, cum in nos adeo effusus ac profusus fuerit, nullo alio modo ei cumulatius respondere possumus, quam amando, et nos ita ornando, ut ab eo quam maxime amari mereamur. Deinde postulat et status, in quo sumus, qui nihil aliud est, quam virtutis ac perfectionis professio. Itaque, ut in militia est turpe esse ignavum, aut in schola esse indoctum, idque homines sibi probro ducunt; ita in hoc loco, ubi unum hoc viget pietatis ac sanctitatis studium, turpe est esse imperfectum aut tepidum; quod Dominus in Apocalypsi exprobrat. *Tertium est*, ut omnis diligentia, omnisque cura defigatur in tam ingenti bono retinendo. Neque vero hoc ulla confirmatione indiget. Sequitur enim ex ipsa tam magni boni notitia; nam qui id semel cognovit, citius mortem millies oppetat, quam id dimittat, aut id ab aliquo sibi eripi patiatur. Et in summa nihil omnibus Religiosis ita horribile, aut luctuosum, nil tam formidandum et execrabile videri debet, quam excidere a tali statu, exui tantis bonis, et quasi Adamum de Paradiso ejici. Id enim nihil aliud est, quam, ut ait S. Bernardus, rursus in naufragium, unde nudi eva-

serant, relabi; rursus in ignem, unde vix semusti exierant, relabi; rursus in latrones, a quibus semivivi relicti fuerant, sed miserante Domino jam convaluerant, recidere; et militem Christi prope jam rapto cœlo trimphantem, ab ipso jam introitu gloriæ, tamquam canem ad vomitum, tamquam suem ad lutum redire. Itaque recte etiam idem Bernardus id, quod quasi minitando Sponsæ dicitur *Egredere et abi*, sic intelligit, ut nihil validius et efficacius ad terrendum religiosæ animæ a Deo dici possit: « Quod et tu, inquit, advertere potes, si bene attendas, unde, quo egredi jubeamur. Unde enim, quo putas, nisi de spiritu ad carnem, de bonis animi ad sæculi desideria, de interna requie mentis ad sæculi strepitum, et inquietudinem curarum exteriorum, in quibus omnibus non est nisi labor et afflictio spiritus? Quæ enim anima semel a Domino didicit, et accepit intrare ad se ipsam, et in intimis suis Dei præsentiam suspirare, talis, inquam, nescio, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliusve ducat, quam post spiritualis studii hujus gustatam semel suavitatem exire denuo ad illecebras, vel potius molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem? S. Bern. l. xxxv, *Sup. Int.*

II.

CONSILIA CIRCA VITAM RELIGIOSÆ PERFECTIONI CONFORMEM INSTITUENDAM.

CONSILIUM I.

Petitio. — Postquam Narcissus superatis feliciter omnibus impedimentis, Novitiatum ingressurus erat, firmumque vocationis suæ perfecte adimplendæ desiderium conceperat, ante omnia pro veteri sua erga Ascetam fiducia doctrinas, et consilia quædam, quæ ad assequendum suum finem, probationemque feliciter absolvendam (a qua resolutione totus fere subsequentis vitæ Religiosæ cursus pendet) suppeditari petit.

Responsio. — Respondet Asceta, vehementer sibi probari hoc desiderium et petitionem, quare ut eidem quamprimum satisfaciat, sequentia monita sibi suadere. *Primum* est, ut ante omnia exemplum S. Pauli sequi studeat dicentis: « Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. » Ad Philip. iii. Oblivisci autem in specie debet primo Parentes et consanguineos, illamque S. Ignatii subditis suis factam adhortationem observare: Unusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendo: Qui dimiserit Patrem etc., existimet sibi Patrem, Matrem, Fratres et Sorores, et quidquid in mundo habebat, relinquendum, imo sibi dictum existimet verbum illud: Qui non odit Patrem et Matrem, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et ita curandum est, ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuat, ac illum in spiritualem convertat, eosque diligat eo solum amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui mundo ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro solum vivit, eumque loco Parentum, Fratrum, et rerum omnium habet. Secundo oblivisci etiam sui ipsius debet, juxta Christi monitum dicentis: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. » Luc. c. ix. Quomodo autem hoc fieri debeat, pulchre indicat pius Asceta, dum ait: « Domine, quoties me resignabo, et in quibus me relinquam? Semper, et omni hora; sicut in parvo, sic et in magno. Nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inveniri volo; alioquin quomodo meus esse poteris, et ego tuus, nisi fueris ab omni propria voluntate intus et foris spoliatus? Quanto celerius hoc ages tanto melius habebis; et quanto plenius et sincerius, tanto mihi plus placebis, et amplius lucraberis. Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera, ut ab omni proprietate possis exspoliari, et nudus nudum Jesum sequi, tibi mori, et mihi æternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanæ phantasiæ conturbationes iniquæ, et curæ superfluæ. Tunc etiam recedet immoderatus timor, et inordinatus amor morietur. » Thom. Kemp. l. III, c. xxvii. Denique etiam oblivisci operum suorum in mundo patratorum decet, nec peccata sua, ubi semel ea legitime confessus est, amplius multum revolvat, sed solum ex iis in genere dolorem, pudorem, et fervorem retineat, ut de ipso perinde, ac de S. Maria Magdalena dici queat: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam (vel ut alii vertunt, *propterea*) dilexit multum » Luc. v, v.

Secundum monitum est, ut finem probationis ob oculos semper habere studeat, qui quidem alius non est, quam ut, sicut olim speciosæ virgines, c. II. Esther, duodecim mensibus præparabantur, ut Regi Assuero desponsari possent, et sex quidem mensibus oleo myrrhino ungebantur, aliis autem sex pigmentis et aromatibus utebantur; ita et Novitius, ut velut Sponsa spiritualis completo duodecim mensium pro probatione designatorum spatio præparetur, ut cœlesti Regi per professionem trium votorum desponsari possit. Hinc et ipse in primis oleo myrrhino ungi, id est, mortificationis studio se totum impendere, sibique illud pii Ascetæ dictum applicare debet : « Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris. » THOM. KEMP. l. I, *de Imit.* c. XXV. Secundo, pigmentis uti, id est, studere debet, ut intentionem purissimam, quæ faciem animæ peculiariter exornat, et pulchram facit (nam *omnis gloria Filiæ Regis ab intus*, teste Davide, *Psal.* XLIV) omnibus actionibus præfigere assuescat. Et tandem aromatibus solidarum virtutum, a quibus bonus odor ad Deum et homines promanet, studiose utatur.

Tertium est, ut illud Siracidis monitum sibi speciatim applicare studeat : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem. » ECCL. c. II, 1. Nam etsi omnis hominis vita super terram sit militia, specialiter tamen Religiosi, quorum vita, juxta Ascetas, est perpetua violentia, ad hoc certamen se præparare, utilemque vincendi modum addiscere debent. Hinc sibi applicet iterum saluberrimam Thomæ Kemp. doctrinam : « Multi quærunt tentationes fugere, et gravius incidunt in eas. Per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam et veram humilitatem omnibus hostibus efficimur fortiores. Qui tantummodo exterius declinat, nec radicem evellit, parum proficiet ; imo citius ad eum tentationes redibunt, et pejus sentiet. Paulatim et per patientiam cum longanimitate (Deo juvante) melius superabis, quam cum duritia et importunitate propria. Sæpius accipe consilium in tentatione, et cum tentato noli duriter agere ; sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri. » THOMÆ KEMP. l. I, c. XIII. Et iterum : « Fili, nunquam securus es in hac vita, sed quoad vixeris, semper arma spiritualia tibi sunt necessaria. Inter hostes versaris, et a dextris et a sinistris, impugnaris. Si ergo non uteris undique scuto patientiæ, non eris diu sine vulnere. » Idem, l. III, c. XXXV.

Quartum monitum est, ut quemadmodum Christus, ut proficeret sapientia et gratia coram Deo et hominibus, obedientia tamquam præcipuo medio usus est (*erat* enim *subditus illis*, nempe Parentibus, teste S. Luca, in Evang. c. II), ita ipse potissimum ad profectum suum in perfectionis studio procurandum utatur ; audiatque iterum pium Ascetam salubriter monentem : « Valde magnum est, in obedientia stare, sub Prælato vivere, et sui juris non esse. Multo tutius est, stare in subjectione, quam in prælatura. Multi sunt sub obedientia, magis ex necessitate, quam ex charitate, et illi pœnam habent, et leviter murmurant. Nec libertatem mentis acquirent, nisi ex toto corde propter Deum se subjiciant. Curre huc et illuc, non invenies quietem, nisi in humili subjectione sub Prælati regimine. » THOM. KEMP. l. I, c. IX. Atque ut hoc facilius obtineat, Christum exemplo præeuntem, sibique dicentem imaginetur : « Quid magnum, si tu, qui pulvis es et nihil, propter Deum te hominibus subdis ; quando ego omnipotens et altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te humiliter subjeci ? Factus sum omnium humillimus et infimus, ut tuam superbiam mea humilitate vincerem. Disce obtemperare, pulvis, disce te humiliare, terra et limus, et sub omnium pedibus incurvare. Disce voluntates tuas frangere, et ad omnem subjectionem te dare. Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere ; sed ita subjectum et parvulum te exhibe, ut omnes super te ambulare possint, et sicut lutum platearum conculcare. » Ibid. l. II, c. XXIII.

Quintum denique monitum est, ut omnem sollicitudinem et diligentiam in perfectionis studio adhibeat, juxta sæpius citati Ascetæ monitum : *Esto vigilans et diligens in Dei servitio, et cogita frequenter :* « Ad quid venisti, et cur sæculum reliquisti ? Nonne ut Deo viveres, et spiritualis homo fieres ? Memor ergo semper esto hujus finis, et quia perditum non redit tempus. Sine sollicitudine et diligentia nunquam acquires virtutes. Si incipis tepescere, incipies male habere. Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorem

laborem propter Dei gratiam, et virtutis amorem. Homo fervidus et diligens ad omnia est paratus. Major labor est resistere vitiis et passionibus, quam corporalibus insudare laboribus. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores. Gaudebis semper vespere, si diem expendas fructuose. Vigila super te ipsum, excita te ipsum, admone te ipsum, et quidquid de aliis sit, non negligas te ipsum. » Ibid. l. II, c. XXV.

CONSILIUM II.

Petitio. — Ingressus feliciter Novitiatum Narcissus, dum rigorem Ordinis experiri incipit, multa toleratu prope sibi impossibilia judicat; consilium proin petit ab Asceta, et, an non reditum ad sæculum suadeat, interrogat.

Responsio. — Respondet Asceta, hanc quoque tentationem diabolicam esse, indeque provenire, quod oculos mentis ad solas difficultates, et non perinde etiam ad gratiam vocationis reflectat. Unde S. Bernardus timorem hunc, qui, ut ipse ait, nostræ conversionis primordia exagitat, quemque statim intrantibus horror vitæ arctioris, et insuetæ disciplinæ austeritas ingerit, esse timorem illum nocturnum, de quo est in Psalmo 90, quem ideo nocturnum vocari docet, quoniam si dies ille luceret, in cujus lumine pariter et labores et præmia videremus, timor omnino quorumvis laborum nullus esset præ desiderio præmiorum, dum clara luce appareret, quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nunc vero, inquit, quoniam abscondita sunt ab oculis nostris, et nox interim est, in hac parte tentamur nimium a timore nocturno, et pro bonis, quæ non videmus, formidamus præsentia mala tolerare. S. Bern. *sup. Ps.* XC.

Quare alibi, quod in Ecclesiis dedicandis rite observari solet, ut pictæ cruces oleo sacro inungantur, idem ait, in Religiosorum animis per gratiam fieri : « Nam, inquit, necesse est, ut Unctio spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram ; observantiarum et multimodæ pœnitentiæ cruces devotionis suæ gratia leniens; quia nec sine cruce sequi Christum, et sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est, quod multi abominentur et fugiant pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non videntes unctionem. Vos, qui experti estis, ecce scitis, quia vere crux nostra inuncta, et per gratiam spiritus adjuvantis suavis et delectabilis est pœnitentia nostra, et ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. » Id. ser. 1. *Dedic. Eccl.*

Id quod exemplo Andræ Spinulæ, Societatis Jesu Religiosi, Asceta confirmat; is enim cum provectiori jam ætate, nempe, ut ipsemet humili quodam loco de se queri solebat, triginta et octo annos habens in infirmitate, de sæculo relinquendo deliberaret, atque in partem contrariam tum valetudinis imbecillitas, tum deliciarum consuetudo, familiæ nobilitas, dignitatis, quam in Ecclesia gerebat, amplitudo, denique disciplinæ difficultas, et multæ aliæ rationes, quasi agmine facto ad terrorem ei sese offerent, repente Dei bonitas hunc versiculum ejus menti objecit : *Pones pedes meos quasi cervorum*, eoque versiculo, tanquam lumine quodam oborto, ita illustratus est, ut, quemadmodum ipse narrabat, omnes illæ timidæ ac deficientes cogitationes momento evanuerint, isque animo penitus confirmato ac constanti adversus illa omnia incommoda permanserit. Et quidem id brevi etiam re ipsa expertus est. Nam cum antea adhuc sæcularis, quoties nostrorum mensæ interesset, quod amicitiæ causa nonnunquam faciebat, multa fastidire soleret, utpote delicatioribus epulis, argenteæ supellectili, et exquisitæ cuidam munditiæ assuetus domi suæ, idem deinde Societatem nostram jam ingressus, cum primum ad communem mensam venit, omnia ei visa sunt longe alia, quam prius viderentur, mantilia nitidissima, patinæ atque orbes ex argento ; ipse vero locus totus optimo odore fragrans, ita ut nihil apud se dubitarit, quin illa omnia præter nostrum morem parata essent Rectoris jussu, ad suam videlicet infirmitatem extraordinariis ejusmodi deliciis relevandam. Itaque et tum de hoc cum Rectore questus est serio, et postea suum hunc errorem sæpius ipsemet amicis familiariter narravit. Præterea etiam Sæcularium exemplum ante oculos ei ponit idem Asceta, quorum comparatione hæc in Religiosam vitam objiciuntur, quasi nullis ipsi molestiis premantur, nullos angores sentiant. Immo vero horum etiam, et multo majores sunt labores, sollicitudines, ærumnæ, non dico jam inopum et pauperum, aut mediocrium quoque in familia alenda, in tuendis liberis, sed eo

rum, qui vulgo beati putantur, quorum interior vita maximis, maximarum rerum angoribus referta est. Itaque tum multo majores sunt hujus vitæ dolores, tum etiam divinorum illorum solatiorum expertes, quibus qui carent, propemodum in inferno degere dixerim. Nostræ autem molestiæ, quid simile habent? Omnes ex causis levissimis, quas vel removere, vel contemnere, vel ridere, vel si ita oporteat, vel expediat, etiam amare vel complecti facillimum sit. Ergo ex una parte omnis tribulationum ac molestiarum materia in religioso statu exigua, ac fere nulla est, ex parte vero altera adeo abundant in eo consolationes Christi, ut vel si maxima, vel si gravissima esset facile tamen mitigari possit. Hortatur proin, ut Narcissus non externa incommoda tantummodo, quæ sint in Religione asperiora, intueatur, sed ut dulcedinem intus latentem perspiciat, et ad illam ipsam asperitatem leviter, ac molliter perferendam tantam sibi gratiæ copiam affuturam sciat, ut, quidquid est durum et grave, multis partibus superet, præsertim vero usu ac consuetudine adjuncta, quæ et laboris sensum tanquam callo obducto imminuit, et in ipsius virtutis disciplinam, familiaritatem inducit. Pro cujus doctrinæ confirmatione salubeirima illa, solatioque plenissima verba a Thoma Kemp. in persona Christi prolata perpendi jubet : « Etenim si vis veraciter delectari, et abundantius a me consolari, ecce in contemptu omnium mundanorum, et in abscisione omnium infirmarum delectationum erit benedictio tua,et copiosa tibi reddetur consolatio. Et quanto te plus ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto in me suaviores et potentiores consolationes invenies. Sed primo non sine quadam tristitia et labore certaminis ad has pertinges. Obsistet inolita consuetudo, sed meliore consuetudine devincetur. Remurmurabit caro, sed fervore spiritus frenabitur. Instigabit et exacerbabit te serpens antiquus, sed oratione fugabitur ; insuper et labore utili aditus ei magnus obstruetur. » Thom. Kemp. l. III, c. 12.

Quod si denique hæc minus efficacia experiantur ad asperitates leniendas illud saltem medium ut arripiat, suadet, quod Christus ipse Religioso cuipiam ob nimias Ordinis asperitates ad sæculum revertenti dedit, dum eidem apparens, latusque ex quo copiosus sanguis effluebat, discooperiens dixit : Revertere ad Monasterium et panem durum, et omnia alia onerosa Ordinis intinge in latus istud, et erit tibi totum suave.

CONSILIUM III.

Petitio. — Inter alias Ordinis asperitates specialem gravitatem expertus est Narcissus, tum in jejuniis tam frequentibus suscipiendis, tum etiam in cibis vilioribus et sæpe non bene præparatis sumendis ; cum enim teneræ complexionis , delicate in domo paterna enutritus esset, tanto graviorem sensit in jejuniis tolerandis, cibisque crassioribus decoquendis difficultatem, quanto minus ad hæc toleranda stomachum prius assuefecerat. Unde Ascetæ aperit hanc difficultatem, ab eoque consilium et medium petit ad eamdem superandam.

Responsio. — Resp. Asceta, et aptissime, quod olim Rabaudo Monacho, aliisque evenerit, narrat. Hic enim cum Religionis asperitatem, utpote lautiori vitæ assuefactus graviter ferre cœpisset, Abbas quidem, qui tum erat, nomine Porcatius , indulgentia quadam, separatos ei cibos paulo commodiores præberi jubebat, quibus tamen ille, quo magis utebatur, eo in dies tenuior graciliorque fiebat. Itaque accidit, ut quadam die dum Fratres reliqui communi mensa, arido, scilicet pane et fabis vescerentur visere sibi visus sit duos senes, alterum calvum, cui binæ claves e collo pendebant ; alterum habitu Monachum, qui cristallinam pixidem manu gestabat. Hi toto cœnaculo circumeuntes, unicuique monacho, nescio quid edulii e vase illo impertiebant, Rabaudum solum ita prætereuntes, ut etiam severo, ac potius subirato vultu eum intuerentur. Ille tamen ex ejus qui proxime assidebat portiuncula aliquid suffuratus, ut illud gustavit, visa est illi ejus suavitas omnium ciborum, quos unquam in vita sua etiam sæculari comedisset, suavitatem longe antecellere. Quod visum cum ter jam contigisset, ad Abbatem accessit, et diligenter inquisivit, quinam essent hi duo senes. Intellexit Abbas facile, alterum eorum Petrum Apostolum esse, in cujus tutela erat monasterium, alterum autem Honoratum monasterii auctorem ; causam autem, cur ipsi uni communis illa esca negaretur, esse eam, quod communem aliorum severitatem non sequeretur. Quod audiens Rabaudus animo confirmato

ad omnem ejus vitæ disciplinam perferendam, multo eam faciliorem, et leviorem reperit, quam antea putasset, ac paulo post eosdem Sanctos vidit, qui sibi quoque perinde ac aliis de illo tam suavi cibo tribuerent, quo incredibiliter ad omnem laborem ac duritiam confirmatus est. Idem pene contigit Andreæ, Virdunensi Archidiacono, diviti et valde nobili, qui in ipsis ferme Cisterciensis familiæ initiis institutum illud magno fervore suscepit. Sed tamen cum Satanas idoneam materiam nactus tentationis ex corpusculo tenui et nimis delicato, ita eum oppugnaret, ut jam vix sustineret, die quodam hanc ei divina bonitas medicinam fecit. Accumbenti in mensa apposita sunt pro more legumina, quod cibi genus ille præ cæteris maxime fastidiebat; verum fame compulsus, ut repugnanti stomacho vim faceret, sumpsit tandem aliquid, quod ubi ore attigit, tantam sentire visus est suavitatem, ut nunquam simile aliquid in vita sua expertum se esse recordaretur. Atque residuo, quod erat, avide exhausto, deinde Abbatem adit, nihil dubitans, quin suæ patenæ proprium aliquod additum esset condimentum. Ut autem comperit, plane fuisse commune ferculum, in quo videlicet nihil præter aquam, et salem ad condiendum adhiberetur, intellexit statim divinam erga se providentiam, gratias agens in Religionis proposito confirmatus est, eoque magis, quod postea etiam, ac tertia die, et deinceps multo tempore eamdem suavitatem in ejusmodi cibis persensit, ut postea dicere soleret, se jam magis delectari pisis atque oleribus, quam antea altilibus et nobilibus ejusmodi epulis. Sed hoc utrumque unius fuit, illud universæ familiæ quod in Vita S. Bernardi legimus, recenti adhuc Claræ-vallensi cœnobio, cum tam severe vita duceretur, ut non alio pane, quam fere terreo vescerentur, ac reliquus quoque victus et supellex, et domus omnino pauperrima essent, ita tamen omnes sine murmuratione, immo vero cum tanta delectatione omnia ferre solitos, ut illa ipsa delectatio non modicum eis scrupulum, dubitationemque injecerit. Nam cum jucundius (sic enim scribitur) vivere sibi viderentur in eremo, quam antea vixissent in sæculo; suspectos seipsos habere cœperunt, ne per aliam viam reducerentur in regionem suam; donec ea quæstione ad Bernardum prius, deinde ad Catalaunensem Episcopum, qui tunc apud eos hospes diversabatur, delata, longa et accurata oratione edocti sunt, esse id Dei donum ac beneficium, minimeque respuendum. Ex quo apparuit, quid possit habitus et mos, Dei præsertim gratia adjutus, quando hoc efficit, ut tam rigida vita in tanta hominum multitudine ita suavis esset, ut etiam scrupulum in eorum animis moveret, ne nimis voluptuose viverent. Hæc, inquam, exempla ob oculos haberi monebat Asceta, nec dubitari, quin si similem de se in cibis durioribus degustandis victoriam referret; similem quoque suavitatis effectum esset reportaturus. Quod si vero cibi interdum minus bene præparati offerentur, Abbatis Stephani dictum et factum imitari suadebat, de quo Dorotheus narrat, quod, cum morbus ipsum lectulo affixisset, socius parare ipsi voluerit placentulam cum optimo oleo, sed arrepto amarissimo ac pessimo, placentam sic coctam ægro porrexerit. Notavit id Stephanus, sumptoque modico tacuit. Fecit id vice altera coquus, illataque iterum ad ægrum coctura respuit eam : Comede, Pater, ait socius, bona enim res est, quam paravi. Et ut ipsum illiceret ad gustandum, gustavit ipsemet prior, et : Heu me! homicida sum, exclamat. Ad quem Stephanus : Ne turberis frater, inquit, nisi Deus voluisset, ut oleum pro oleo arriperes, non errasses. Hortatur proin Narcissum, ut, quotiescumque cibi ipsi in mensa apponuntur, ministrum mensæ velut Habacuc a Deo cum cibo missum imaginetur, dicentemque : Narcisse, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Sumat proin cum gaudio, dicatque cum Daniele : Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes te. Dan. c. xiv.

CONSILIUM IV.

Petitio. — Inter alias difficultates, quas in Religione expertus est Narcissus, non minima erat, quod varia de se a variis judicia concipi, deque defectibus suis murmurari adverteret, id quod tanto vehementius illi dolebat, quanto ardentius suam vitam omnibus probari cupiebat. Quare, quid in hoc negotio agendum sit, ab Asceta consilium petit.

Responsio. — Respondet Asceta, duplicis generis personas esse, a quibus talia judicia formari soleant. Primi generis sunt Superiores, Patres spirituales, Confessarii,

aliique viri prudentes ac Religiosi; et horum judicia utique magni æstimanda, veneranda, et quantum fieri potest, sequenda sunt, utpote ad specialem illius, de quo judicium fertur, commodum bonumque ordinata. Alterius generis sunt judicia commilitonum, aut Sæcularium libere quævis opera, etiam bona carpentium; et hæc generose contemnanda sunt, eo quod, nisi hoc fiat, nec quies animi, nec optatus in virtutum et perfectionis studio profectus sit sperandus. Hinc S. Paulus, c. I. Gal, dicebat: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Et iterum: Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Sed et antiqui Patres tanti, teste S. Hieron. faciebant hanc doctrinam, ut dicere soliti sint: Prima (id est, maxime necessaria) virtus Monachi est hominum judicia contemnere, nisi, dum cæcorum sequitur ductum, a via perfectionis aberrare, et opera undequaque imperfecte facere velit. Id quod sapienter olim Polycletes, pictor celeberrimus, ingenioso facto demonstravit; cum enim elegantem picturam ante domum suam a solis calore exsiccandam exposuisset, et varie a variis carpi advertisset, ea remota, aliam priori prorsus similem pinxit, iterumque ante domum exposuit, ita tamen ut in occulto latens, et quidquid quisque carperet, id juxta ipsius judicium corrigeret, v. g. si quis pedem nimis longum esse diceret, ipse breviorem faceret, et sic de reliquis membris loquendo. Unde post plures ejusmodi correctiones adeo corrupta est imago, ut nemo sine risu eam aspicere posset. Quare confluentibus civibus imaginem juxta dictamen artis suæ factam pone posteriorem imaginem statuit, dixitque civibus: Et cui placet hæc imago posterior? Cumque illi ineptam, et risu ac vituperio dignam unanimi voce dicerent: Atqui, subjecit Polycletes, hæc secundum vestrum judicium est depicta. Ecce ergo quale monstrum effingeret, qui vestra attenderet, et sequeretur judicia. Qualem autem, et quam elegantem imaginem pingat, qui artis suæ dictamina observat. Idem ergo ut Narcissus faciat hortatur Asceta, atque adeo sibi de imperfectorum judiciis illud pii Ascetæ dictum applicet: Fili, jacta cor tuum firmiter in Domino, et humanum ne metuas judicium, ubi te conscientia pium reddit et insontem. Bonum est et beatum taliter pati, nec hoc erit grave humili corde, et Deo magis, quam sibi confidenti Multi multa loquuntur, et ideo parva fides est adhibenda; sed et omnibus satis esse, non est possibile. Etsi Paulus omnibus studuit in Domino placere, et omnibus omnia factus est; tamen etiam pro minimo duxit, quod ab humano die judicatus fuit. Egit satis pro aliorum ædificatione et salute, quantum in se erat, et poterat; sed ne ab aliis aliquando judicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. Quis es tu, ut timeas a mortali homine? Hodie est, et cras non comparet. Deum time, et hominum terrores non expavesces. Quid potest aliquis in te verbis, aut injuriis? Sibi potius nocet, quam tibi, nec poterit judicium Dei effugere, quicumque est ille. Tu habe Deum præ oculis, et noli contendere verbis querulosis. Quod si ad præsens tu videris succumbere, et confusionem pati, quam non meruisti, ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam tuam. Sed me potius respice in cœlum, qui potens sum eripere ab omni confusione et injuria, et unicuique reddere secundum opera sua. Thomas Kemp. l. II. c. xxxvi.

CONSILIUM V.

Petitio. — Solent magistri tyronum non raro ab iis exigere, quantum sibi videantur in studio perfectionis profecisse, in qua ratione reddenda cum difficultatem non modicam experiretur Narcissus, Ascetam adiit, ab eoque, ex quibus indiciis quantitatem profectus sui cognoscere debeat, indicari sibi petiit.

Responsio.—Respondet Asceta, cum perfectio in perfecto amore Dei consistat, ex iisdem indiciis colligi debere profectus sui quantitatem, ex qua colligere solemus amoris magnitudinem. Duo autem sunt præcipua indicia, ex quibus amoris vehementiam colligimus. Primum est, maxima æstimatio de amato, per quam ipsum omnibus aliis rebus præferimus. Unde natum est proverbium: Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam: Quisquis amat cervam, cervam putat esse Minervam. Et propter eamdem causam amantes se mutuo *Thesaurum suum* vocant, ut indicent, se, sicut thesaurum omnibus nostris bonis temporalibus præferimus, ita etiam amatum omnibus aliis rebus præferre. Alterum indicium est, firma ad-

hæsio, seu unio cum amato; quo enim difficilius amans ab amato avellitur, eo firmius se illi adhærere, atque adeo et amare illum ostendit. Hinc de Sponsa dicitur: « Aquæ multæ (tribulationum) non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » CANT c. VIII. Et S. Paulus: « Quis me separabit a charitate? » ROM. c. VIII.

Simili ergo modo profectum in perfectione seu amore divino, colligere debemus. Et primo quidem ex æstimatione, quam de Deo habemus, an scilicet eum omnibus creaturis præferamus; nam, ut pius Asceta recte dixit: « Multum proficies, si te feriatum ab omni temporali cura conserves. Valde deficies, si aliquid temporale reputaveris. Nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi propter Deum, aut de Deo sit. Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de aliqua creatura. Amans Deum anima, sub Deo despicit universa. » Id quod apta similitudine quidam declararunt, dum dixerunt: Sicut is, qui ab uno loco in alium proficiscitur, si cognoscere vult, an multum progressus sit, attendit, an minus semper de loco, a quo discedit, plus vero de loco, ad quem tendit, videat; ita Religiosus, qui a creaturis discedere, et ad Deum per amoris gressus tendere decrevit, quo minus de creaturis videt, easque contemnit; et quo plus videt de Deo, eumque pluris æstimat, tanto magis se in perfectionis via progressum fuisse, credere potest. Hinc iterum S. Paulus propter Deum omnium se creaturarum detrimentum fecisse, et arbitratum esse, ut stercora, confessus est. Ad PHILIP. c. III.

Pari modo ex altero judicio profectum metiri debet, scilicet ex adhæsione et conjunctione cum Deo; si enim tam firmiter adhæreat, ut nulla quantacumque tribulatione separari se ab eo patiatur, iterum, se multum profecisse, merito sibi persuadere potest, uti pulchre Thomas Kempensis iterum ostendit dicens: « Non ergo æstimes, te veram pacem invenisse, si nullam senseris gravitatem; nec tunc totum esse bonum, si neminem pateris adversarium; nec hoc esse perfectum, si cuncta fiant secundum tuum affectum. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione atque dulcedine; quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis; nec in istis consistit profectus et perfectio hominis. In quo ergo, Domine? In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ; non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas, inter prospera et contraria; omnia æqua lance pensando.» THOM. KEMP. l. III. c. XXV.

Id quod iterum Asceta quidam apta similitudine declaravit, dum dixit: Sicut triplicis generis sunt pastilli odorati, falsi et ad vexationem facti, qui totaliter ex pulvere sunt confecti, et mox ubi igni admoveris, flammas spirare incipiunt, et ingratum odorem emittunt; alii media dumtaxat parte, scilicet superiore ex aromatibus, inferiore autem ex pulvere sunt compositi, atque ab initio quidem bonum de se odorem, et gratum splendorem emittunt, sed ubi ad medium ventum est, pariter flammas spargere, et ingratum odorem emittere incipiunt; alii denique toti ex aromatibus facti, qui, si igni admoventur, semper amabilem lucem, et suavem odorem emittunt; ita triplicis generis esse Religiosos, qui quoad externam speciem et vestitum similes sunt, sed quoad mores et perfectionem longe diversi. Nam aliqui toti ex pulvere nitrato, id est, immortificatis affectibus compositi, quamprimum ignis mortificationis admoti fuerint, flammas indignationis evomere, et mali exempli ingratum fœtorem post se relinquere solent. Alii aliquandiu patienter ferunt leviores adversitates, sed ubi graviores ingruerint, pariter indignari, et scandalizare consueverunt, qualis fuit, de quo Thoma Kempensis sic loquitur: Neque dicas: « Non valeo hæc ab homine tali pati, nec hujuscemodi mihi patienda sunt; grave enim intulit damnum, et improperat mihi, quæ nunquam cogitaveram; sed ab alio libenter patiar, et sicut patienda videro. Insipiens est talis cogitatio, quæ virtutem patientiæ non considerat, nec a quo coronanda erit, sed magis personas, et offensas, sibi illatas perpendit. Non est verus patiens, qui pati non vult, nisi quantum sibi visum fuerit, et a quo sibi placuerit. » THOM. KEMP. l. III. c. XIX. Alii denique ex meris aromatibus solidarum virtutum compositi in omnibus adversitatibus odorem et lucem boni exempli relinquunt, de quibus idem auctor dixit: « Verus patiens non attendit; a quo homine, utrum a Prælato suo, an ab aliquo æquali, aut inferiori, utrum a bono et sancto viro vel a perverso et indigno exerceatur. Sed indifferenter ab omni creatura, quantum-

cumque et quotiescumque ei aliquid adversi acciderit, totum hoc de manu Dei gratanter accipit, et ingens lucrum reputat; quia nil apud Deum quantumlibet parvum, pro Deo tamen passum, poterit sine merito transire.» Et hanc doctrinam Deus ipse percommoda ad hunc finem visione declaravit, quam Joannes Major in *Speculo magno Exemplorum* his verbis narrat: Legitur in Libro Prioris de Gruendal, Fratris Joannis de Schœnhovia, quod fuit quodam tempore quædam matrona devota, quæ cum Missam audiret, post elevationem Missæ vidit quemdam pulcherrimum puerulum super altare currentem (ut sibi apparebat) et juxta idem altare sedebant tres virgines Missam audientes. Et cucurrit puerulus de Altari, et accepit unam illarum virginum nimis amicabiliter in brachiis suis, et osculabatur eam nimis amorose. Alteram accepit, et pallium ipsius discooperuit ab oculis ejus, et inspexit in ejus faciem valde amicabiliter. Sed tertiam accepit per manum, et percussit eam cum pugno in faciem, et trusit cum pedibus, et ostendit ei magnam indignationem, et cucurrit puerulus ad Altare, et ibi perdidit eum matrona hæc. Videns autem ista admirabatur multum, quid istud portenderet, et desideravit multum scire, quidnam istud esset, sed et Dominus nostre noluit sibi hoc frustra ostendisse, et alloquebatur eam, et dixit: Prima virgo, cui me tam amicabilem exhibeo, multum est nutabunda, et imbecillis ad me, et de facili decideret, et verteret se ad sæculum, nisi essem ei amicabilis et benignus. Altera melius contenta, dummodo aliquid saporis habere poterit et dulcedinis. Sed tertia virgo est dilecta sponsa mea, et qualemcumque amaritudinem illi debeo, ipsa permanet mihi semper constans et fidelis. Igitur nota, quod major salus et sanctitas non consistunt in majori dulcedine; sed quando æquanimiter scimus tribulationes sustinere, et Deum inde laudare, et in illis gaudere, et diligere facientes nobis mala, iste est in dilectione supremus gradus. Atque hoc geminum indicium merito Asceta Narcisso pro mensura, qua profectum in perfectione mensurare, et colligere possit, offerebat, cum et antiqui Philosophi profectum discipulorum suorum ex duobus his verbis: « *Abstine, et sustine,* » colligere consueverint. Specul. Exemp. *V. Tribulatio. Exempl.* vi.

CONSILIUM VI.

De Tentationibus sustinendis.

Petitio. — Vix medium probationis suæ tempus absolverat Narcissus, cum gravibus adeo tentationibus varia in materia vexari cœpit, ut propemodum se succubiturum timuerit; quare iterum ab Asceta consilium petit, et quomodo se in ejusmodi tentationibus gerere debeat, scire cupit.

Responsio.—Respondet Asceta, sequentes ei doctrinas observandas esse. *Prima*, curandum, ut bene ponderet necessitatem et utilitatem tentationum, ut tanto alacrius earum impetum sustineat. Et necessitatem quidem Thomas Kemp. his verbis declaravit: «Quandiu in mundo vivimus, sine tribulatione et tentatione esse non possumus. Thom. Kemp. l. I, c. xiii. Utilitatem vero idem paulo post sequentibus verbis indicat: « Sunt tamen tentationes homini sæpe valde utiles, licet molestæ sint et graves, quia in illis homo humiliatur, purgatur, et eruditur. Omnes Sancti per multas tribulationes et tentationes transierunt, et profecerunt. Et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt, et defecerunt. » Hinc S. Jacobus dicebat: Omne gaudium existimate, Fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod tentatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. S. Jacob. cap. i.

Secunda doctrina est, ut firmiter credat, Deum, uti S. Paulus monet, fidelem esse, atque adeo non passurum, ut supra vires tentetur; si enim, ut recte discurrit S. Ephrem, homines, cum tam parum sciant, sciunt tamen discernere, quantum oneris singula jumenta ferre valeant, tantumque imponunt, quantum eorum vires tolerant; si etiam figulus vasa efformans novit, quanto ea tempore in igne relinqui oporteat, ne, si diutius relinquat, adurantur, si minus, dissolvantur; quanto magis Deus, cujus est infinita potentia et sapientia, novit, quibus tentationibus aut probationibus indigeant animæ ipsi placere volentes, neque majores permittet, quam ipsarum utilitati conducat?

Tertia est, ut pariter firmissime credat, non nocere sensum in tentationibus, si absit consensus; ut enim ignis sub cinere latet, etiamsi cineribus totus videatur sepultus; ita et charitas in corde esse potest, licet ob tentationum gravitatem videatur penitus extincta.

Quarta est, ut non concidat animo, si tentationum procellæ exoriantur; ut enim, si nauta semel a timore occupatus est, ad navim regendam prorsus ineptus evadit; ita animus tentati, si timori cesserit, manifesto victoriæ amittendæ periculo se exponit. Unde sapienter monet S. Gregorius : In tentatione deprehensus tenebras mœroris incide, ne qui in tanta animi tranquillitate alta de te senseras, in perturbatione quoque deterius cogitationum caligine te confundas. S. Greg. l. I, *Mor.*, c. xii.

Quinta est, ut Christi consilium sequatur dicentis : « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. » Matth. c. xvi, 38. Et vigilantiam quidem etiam S. Paulus commendans : « Vigilate, ait, state in fide, viriliter agite, et confortamini. Orationi instate, vigilantes in ea. » Qua ratione autem suscipi debeat hæc vigilantia, pulchre docuit S. Augustinus, dum sic Evangelium : *Vigilate*, clausit : « Si ergo dormituri sumus; quando vigilabimus? Corde vigila, fide vigila, charitate vigila, operibus vigila. Hodie laboramus, et lampades nostræ inter ventos sæculi hujus, tentationesque fluctuant, sed ardeat in robore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat potius, quam extinguat. » S. August. Ser. 23, *de verb. Dom.* c. x. Oratio vero quomodo practicanda sit, pulchra similitudine declarat Abbas Joannes dicens : Similis debet esse Monachus homini sedenti sub arbore grandi, qui respiciens feras diversas et serpentes venientes ad se, cum non possit eis resistere, subit in arborem, et salvatur; ita et Monachus sedens in cella, et videns pravas cogitationes, confugiat ad Deum per orationem, et salvabitur. Item similis debet esse homini habenti a sinistra ignem, et a dextra aquam, ut, quoties fuerit succensus ignis, tollat de aqua (puta oratione) et extinguat illam. Vitæ PP. lib. III, *de Patient.*

Sexta est, ut initiis tentationum fortiter invigilet, et resistat, quia, ut bene monuit pius auctor libelli de Christi Imitatione, facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus introire sinitur, sed extra limen statim, ut pulsaverit, illi obviatur Lib. I, c. xiii. E contrario vero, si tentationi in carne nascenti festine non resistitur, eadem, qua nutritur, hora roboratur, et existens foris in operibus vix prævalet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem captivam tenet, ut sapienter notavit S. Gregorius, *in Past.*

Septima est, ut non obiter et perfunctorie resistat tentationi et hosti, sed penitus, quantum fieri potest, deleatur; quod fiet, si ipsa etiam tentationum radix et occasio tollatur. Est autem hæc radix non alia, quam concupiscentia, ut clare S. Jacobus indicavit, dicens : « Unde lites et bella in vobis? Nonne hinc, ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris? » S. Jacob. c. iv. Hæc autem radix tunc tollitur, si a creaturis ad Deum transferatur, juxta doctrinam S. Davidis dicentis : « Delectare in Domino, et ipse tibi dabit petitiones cordis tui. » Et Solomonis : « Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit. »

Octava est, ut ad pugnam se variis motivis, præsertim Dei et totius Curiæ cœlestis agonem spectantis, et animo addentis, præsentia cogitata excitet; quemadmodum S. Stephanus exemplo suo docuit, cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris contemplatus, dum lapidibus impeteretur.

Nona est, ut debitæ Deo pro obtenta victoria gratiæ ferventer persolvantur, dicendo cum S. Davide : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » Aut : « Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. »

Decima est, ut non putet debellatum esse, si semel victoria obtenta est; nam, ut sapienter advertit venerabilis Beda : « Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddidit, repente rediens facilius inopinate irrumpat. » Huc etiam pertinet, ut non abjiciat animum, aut contristetur, si devictis gravioribus hostibus advertat, se adhuc a minoribus infestari, nam ut sapienter discurrit Sanctus Gregorius : « Hoc divina dispensatione agitur, ne ex omni parte virtutibus splendens in elationem sublevetur; dum ut in se parvum quid repre-

hensibile videt, et tamen hoc subjugare non valet, nequaquam sibi, sed Auctori, victoriam tribuat in his, quæ subigere fortiter valet. Quod ad hoc agitur, ut ad virtutem mens proficiens justitia sua, melius infirmitate roboretur; et inde verius in bonis luceat, unde etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. »

Undecima est, ut, si quis in tentatione occidisse, ac succubuisse se advertat, animis non concidat, sed potius salubrem Thomæ Kempensis doctrinam et consilium sequatur : « Certa tamquam miles bonus; et si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia. » L. III, c. VI. Nam ut recte S. Gregorius : Sicut dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter petit, quam illum, qui nunquam terga præbuit; sic Deus sæpe illos plus amat, qui post peccatum ferventius illi serviérunt, quam qui peccato mortali non commisso, tepidos se in ejus servitio exhibuerunt. S. Gregor. hom. XXXIV, *in Evang.* Has ergo si doctrinas accurate observaverit Narcissus, certam illi in tentationibus victoriam pollicetur Asceta.

CONSILIUM VII.

De Mortificationibus et Pœnitentiæ operibus.

Petitio. — Audiens Narcissus inter alias doctrinas Monachum a S. Climaco describi, quod sit perpetua naturæ violentia, sensuumque vigilantissima et indefessa custodia, facile advertit mortificationem sibi in Religione summe necessariam esse; quare, cum varii errores in hoc exercitio committi queant, ab Asceta petit, ut breve sibi doctrinarum ad hoc exercitium pertinentium compendium suggerere dignetur.

Responsio. — Respondet Asceta, in primis bene ipsum distinguere debere inter externam et internam mortificationem, quarum prior in castigatione corporis per jejunia, cilicia, flagellationes etc., posterior in abnegatione inordinatorum motuum animi consistit, de qua duplici mortificatione S. Richardus dixit : « Ille perfectus est, qui per gratiam S. Spiritus, omnes malos motus corporis, et animi violenter subigit. »

Secundo, bene apprehendere debet proprietates veræ mortificationis, quarum quatuor ab Ascetis numerantur. 1. Ut sit *rationabilis*, seu ad bonùm finem ordinata, quem triplicem S. Ignatius in libello Exercitiorum assignat; nimirum ut pro delictis præteritis nonnihil satisfiat; ut vincat seipsum homo, inferiorem sui partem, quæ sensualitas appellatur, superiori, hoc est rationi, magis subjiciens; ut postremo quæramus atque impetremus aliquod gratiæ donum, quod optamus, puta intimam cordis contritionem pro peccatis, et abundantiam lacrymarum, vel propter illa, vel propter pœnas et dolores passionis Christi, aut dubii alicujus, quod nos angit, resolutionem. 2. Ut sit *discreta*, ne, ut S. Bernardus notavit, per nimiam mortificationem « corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor subtrahatur; » et ut S. Hieronymus dixit : « Si animus lassus diverticula quærat.» Hinc sapienter S. Gregorius ait : « Sic necesse est, ut artem continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat; nam plerumque, dum plus nimio caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque, vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat, optimus est in omni re modus, et laudabilis ubique mensura. » S. Gregor. l. XXX, *Mor.* c. XXVIII. Inquit recte S. Hieronymus : « Corpus non frangendum, sed regendum est. » Regulam autem pro hac discretione optimam assignat S. Augustinus, dum enarràtis gravibus Sanctorum sui ævi pœnitentiis subjungit : « Charitas præcipue custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur; hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut, si hæc una absit, inania; si hæc adsit plena sint omnia. » S. August. l. *de Mor. Ecc.* c. XIII. 3. Ut sit *usitata* in illa communitate, cujus quispiam est membrum, nam insolita plerumque odium et aversionem pariunt, nisi singularis sanctitas excuset. 4. Ut *constans* sit et *perpetua*, uti iterum S. Ignatius suis Filiis imperavit dicens : « Ut melius ad hunc perfectionis gradum in spirituali vita tam pretiosum perveniatur (scilicet ut Christo similes fieri, et cum eo ludibria et infamiam cum gaudio pati optemus) majus ac impensius studium cujusque sit, quærere in Domino majorem sui abnegationem, et conti-

nuam in rebus omnibus quoad poterit, mortificationem.»

Tertio curandum est, ut fraudes diaboli in hoc studio occurrentes bene intelligat, et prudenter declinare studeat. Pro quibus dignoscendis noverit triplex esse hominum genus ejusmodi fraudibus obnoxium. Primi sunt qui natura difficili prædití gravem ad virtutes exercendas repugnantiam sentiunt, ideoque ruinæ se proximos arbitrantur. Quibus proinde sæpe illa Doctorum et SS. PP. regula : « Non nocet sensus, si desit consensus, » objicienda est. Alii sunt, qui, quia naturaliter sortiti sunt animam bonam, nullam in ulla prope re difficultatem sentiunt; qui proinde monendi, ne propterea altum sapiant, aliosve despiciant, aut socordiæ occasionem arripiant, sed potius infirmitati suæ, atque fragilitati adscribant, quod in graves tentationes cadere non sinantur. Ultimi, qui altissima pace, non propter virtutis studium, nec per naturæ bonitatem obtenta fruuntur, sed quia omnia indulgent appetitui, quibus proinde id, quod senior quidam similis genii monacho dixit, exprobrandum est : Similis es portæ, per quam quisque vult ingreditur, et egreditur absque eo, quod sciat, quid intus geratur; unde quia hostibus omnia patent, in perpetuo versantur animæ periculo, quod tunc primum intelligent, quando ut avis laqueis irretita, avolare voluerint.

CONSILIUM VIII.

De Profesione edenda

PETITIO. — Finita feliciter probatione, cum ad Professionem edendam admissus esset Narcissus, desiderat eam, cum quanto potest, maximo fructu et devotione peragere; rogat proin Ascetam, ut, sicut pro Novitiatu inchoando, et absolvendo salubria valde suggessit consilia, ita similia quoque pro Professione fructuose facienda suggerere dignetur.

RESPONSIO. — Respondet Asceta, sequentes doctrinas illi specialiter observandas esse. *Prima* est, ut meminerit se, cum per professionem verus Religiosus sit factus, modo specialiter obligari ad perfectionem omni studio sectandam; studeat proin bene cognoscere, in quo consistat vera perfectio, nimirum in eo, quod ut bene notavit prudens quidam Asceta, quotidiana et communia Religionis suæ opera perfecte perficiat; hoc enim est, quod S. Augustinus insinuavit : « Vis semper laudare Deum? Bene fac omnia, quæ facis; et semper laudasti Deum.» S. AUG. *in Psal.* CXVIII.

Secunda doctrina est, ut solitudinem et cellam specialiter sibi commendatam habeat, eumque in finem januæ suæ inscripta verba imaginetur, quæ monachus quidam actualiter inscripserat : « *Necessitas, utilitas, charitas* » ; ut iis inscriptis et lectis meminerit numquam sibi e cella egrediendum esse, nisi unus ex dictis titulis ipsum ad hoc impulerit. Quod quidem ipsi difficile non accidet, si commoda, quæ ex tali solitudine reportantur, bene perpenderit, quæ quidem præclare indicavit S. Bernardus dicens : « Cœli et cellæ, inquit, habitatio cognata ; Cella et cœlum cognationem habent nominis, sic et pietatis. Cœlum dicitur a celando, et quod celatur in cœlis, hic in cellis; quod quæritur in cœlis, hoc et in cellis, nempe vacare Deo, frui Deo. Angeli Dei cellas habent pro cœlis, et æque delectantur in cellis atque in cœlis, a cella in cœlum ascenditur. Cella terra sancta est et locus sanctus, ibi anima Deo jungitur. » Quod re ipsa expertus est S. Hieronymus dicens : « Mihi cætera carcer, et solitudo Paradisus est. » Hinc recte ad istam solitudinem amandam tuam efficacibus verbis hortatur Thomas Kempensis. « Nemo dignus est cœlesti consolatione, nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione. Si vis corde tenus compungi, intra cubile tuum, et exclude tumultus mundi, sicut scriptum est : In cubilibus vestris compungimini. In cella invenies quod de foris sæpius amittes. Cella continuata dulcessit et male custodita tædium generat. Si in principio conversionis tuæ bene eam colueris, et custodieris, erit tibi dilecta amica, et gratissimum solatium. In silentio et quiete proficit anima devota, et discit abscondita Scripturarum. Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus singulis noctibus se lavet, et mundet ; ut Conditori suo tanto familiarior fiat, quanto longius ab omni sæculari tumultu degit. Qui ergo se abstrahit a notis et amicis, approximabit illi Deus cum Angelis sanctis.» Quare audiat S. Bernardum monentem : « Esto sola, o anima, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus elegisti. Secede, sed mente, non corpore, sed intentione, sed

devotione, sed spiritu. Sola indicitur tibi mentis et spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias, quod multi suspiciunt. » Sed et præclaram famosi Anachoretæ doctrinam alte menti imprimat, qui dicere erat solitus, numquam fore hominem quietum, nec in re quapiam contentum in hac vita, nisi hoc sibi persuadeat, in mundo præter Deum et ipsum esse neminem; quo principio antiqui Patres, teste S. Dorotheo, se dirigentes, in maxima pace, animique tranquillitate, vitam in solitudine prope cœlestem traduxerunt.

Tertia, doctrina est, ut certo sibi persuadeat, tria vota substantialia esse præcipua media perfectionis consequendæ, ut S. Thomas et alii docent, ideoque singulari studio ad eorum perfectam observationem incumbat. Eum in finem sæpius monentem, S. Augustinum audiat : « Quid tibi dixit Psaltes, attende. Non dixit, nolite vovere, sed vovete, et reddite. Quia audisti, reddite, non vis vovere? Ergo vovere volebas, et non reddere? Imo utrumque fac. Unum si ex professione, aliud ex adjutorio Dei perficietur. Aspice eum, qui te ducit, et non respicias retro, unde te educit. Qui te educit, ante te ambulat; unde te ducit, post te est. Ama ducentem, et non te damnat retro aspicientem.» Sic efficiet, ut verificetur de ipso, quod S. Bernardus dixit ad Fratres suos : « Altissima vestra est Professio, cœlos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati; non enim solum novistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, et omnis consummationis finem. Aliorum est servire Deo, vestrum adhærere Deo. » Ac paulo post : « Quos, quo nomine dignius appellem, nescio, homines cœlestes; an angelos terrestres degentes in terris, sed conversationem habentes in cœlis? Non estis de mundo, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei. »

Quarta doctrina est, ut pari studio in perfectam regularum suarum observantiam incumbat, sibique dictum putet, quod S. Bernardus Fratribus suis dixit : « Rogo vos, Fratres, et multum obsecro, sic agite, et sic state in Domino, dilectissimi, solliciti semper circa custodiam Ordinis, ut Ordo custodiat vos. » S. Bern. ep. XXVII *ad FF. de S. Anas.* Certe B. Aloysius dicere solebat, eum demum esse Religiosum perfectum censendum, qui omnes Ordinis sui Regulas accurate custodierit; talis enim merito sperare poterit, copiosa sibi auxilia a Deo datum iri, ad omnes perfectionis partes adimplendas, omnigenasque virtutes acquirendas, juxta promissum Christi dicentis : « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui ; » (Matth. c. XXV) quod per perfectionem maxime acquiritur.

Quinta denique doctrina est, ut sæpius renovationem mentis et propositorum instituat; nam ut S. Gregorius sapienter advertit : « Si lassescere nolumus, valde necessarium est, ut inchoare quotidie nos credamus. Nescit enim mens semper inchoare. » S. Greg. l. XXII *Mor.* c. I.

Hinc namque per Paulum dicitur : « Renovamini spiritu mentis vestræ. » Hinc Psalmista, qui ad perfectionis culmen jam pervenerat, quasi inchoans dicebat : *Dixi, nunc cœpi.* Sed et S. Antonius jam jam moriturus ad suos dicebat : « Hoc sit primum in communi mandatum, nullum in arrepti propositi rigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere, quod cœperit. *Vita.* Hinc merito pius Asceta hortatur : « Omni die renovare debemus propositum nostrum, et ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversionem venissemus, atque dicere : Adjuva me, Domine Deus, in bono proposito et sancto servitio tuo ; et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est, quod hactenus feci. Secundum propositum nostrum, cursus profectus nostri, et multa diligentia opus est bene proficere volenti. Quod si fortiter proponens sæpe deficiet, quid illi, qui raro aut minus fixe aliquid proponit? » Et iterum : « Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia, et Sanctorum suffragia ferventius imploranda. De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de hoc sæculo migraturi, et ad æternum festum perventuri. Ideoque sollicite nos præparare debemus in devotis temporibus, et devotius conversari, atque omnem observantiam strictius custodire, tanquam in brevi præmium laboris nostri a Deo percepturi. *De Imitatione Christi*, lib. I, c. XIX.

CONSILIUM IX

Circa officii Acceptionem.

Petitio. — Post editam Professionem, cum ad varia officia paulatim applicatus fuisset Narcissus, et aliqua sibi valde molesta experiretur, Ascetam adiit, ab eoque, an non unum, alterumve recusare, aut deprecari deberet, interrogat.

Responsio. — Respondet Asceta, ante omnia meminisse, eum debere, quod, juxta D. Paulum, spectaculum facti simus mundo, Angelis, et hominibus, præcipue vero ipsi Deo, atque adeo non referre, qualem personam quis repræsentet, sed quomodo illam sustineat. Hinc merito quidam dicebat, videri sibi eo tempore quo dispositio officiorum suscipitur, evenire id, quod olim vivente Christo accidit, quando mulier concionante illo exclamavit : « Beatus venter, qui te portavit et ubera quæ suxisti. » Ipse autem Christus mox subjecit : « Quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.» Simili enim modo, quando fit distributio officiorum, et unus quidem Superioris, alter Doctoris, Concionatoris, aut aliud honoratum officium sortitus fuisse auditur, mox socii gratulabundi accedunt, dicuntque : Beatus venter, qui te portavit etc. Sed quos Christus mox corrigit dicens : Quin immo beati, qui audiunt verbum Provincialis, et custodiunt illud (cum enim tota nostra sanctitas et perfectio in impletione voluntatis divinæ consistat, hæc autem æque in infimis, quam supremis officiis impleri queat, non est, cur aliquis unum officium præ altero optare, aut sollicitare debeat. Hinc merito P. Balthasarus Alvarez, Soc. Jesu Presbyter, dicere solebat, Religiosum horrere debere mutationes officiorum, occupationum aut locorum, in quibus a S. obedientia collocatur, memorem verborum Angeli ad S. Joseph dictorum, cum mitteretur in Ægyptum : *Esto ibi, usque dum dicam tibi*; cujus rationem reddebat, quod nemo posset in altiorem locum ascendere, quam ut ab ipso Deo in eo constituatur. Unde eum, qui sub obedientia est, nolebat cogitare, quid cras de se esset facturum ; responsio enim in promptu est : Faciam, quod jubebor ; fiet, quod volet Deus. Et in hoc totum meum lucrum est, ut te Deum meum contentum habeam, tibique satisfaciam. Hinc et alias dixerat. In hoc ego meam felicitatem pono, quod Deus velit opera mea uti etiam in vilissimis totius Religiosis meæ officiis ; tanti ego hoc facio, ut nullum sit adeo abjectum officium, cui si me ille velit addicere, non priver ego quocumque meo solatio, ut illud præstem. Hortatur ergo Narcissum Asceta, ut quoties Superior officium aliquod ei offert, illa Judithæ verba erga illum usurpet : « Quis ego sum, ut contradicam Domino meo aut superiori Dei, velut supremi Domini vices agenti ; omne, quod erit in oculis ejus bonum et optimum, faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. » Judith. c. xii vita 23. Aut etiam dicat cum Christo : Ita, Pater, quoniam sic acceptum est coram te, acceptum etiam erit apud me, utinam sicut ante te !

CONSILIUM X.

Circa Favorem Superiorum non ambiendum.

Petitio. — Advertens Narcissus, commilitones suos aliquos variis artibus Superiorum favorem piscari, atque adeo ab illis passim præ aliis promoveri, aliaque favoris indicia et argumenta erga illos ostendi, se autem ab illis negligi, nec ullum paterni favoris et amoris sigum experiri, graviter dolet, atque ad invidiam concipiendam non modice impellitur. Quare auxilium et consilium petit ab Asceta ad hanc non levem utique tentationem vincendam.

Responsio. — Respondet Asceta, hanc tentationem non difficulter ipsum superaturum, si in primis prudentissimam P. Hugonis Roth. ascetæ expertissimi e Societate Jesu doctrinam ob oculos habuerit, qui *in Via Regia* sic scribit : Non decet subditum Superiorum favorem ambire, aut ab iis specialiter amari velle ; qui enim amari ab iis velit, debet etiam placere velle, et quantæ adulationes et simulationes sequentur ? Si contraria incurrant indicia, qui erit turbarum et offensionum modus ? Universorum Domino placere, et ab hoc diligi velle oportet ; hominum sensus de nobis errabunde vagantur, aliorum invidiam creant, et plurimum a profectus spiritualis libertate impediunt. Secure incedit, qui numquam sibi

amore digna adscribit. Ita illi, qui non parum confirmari possunt ex eo, quod nonnemo prudenter notavit, nimirum tales sollicitatores humanorum favorum merito timere posse, ne ipsis contingat, quod Jonæ Prophetæ olim evenerat, ut scilicet, sicut is arefacta hedera, sub qua suaviter quiescere sibi videbatur, petivit animæ suæ ut moreretur; (JONAS c. IV.) ita et hi fautore suo, velut hedera sua, per mortem aut alium casum subtracto, in gravem tristitiam incidant. Aut certe verendum est, ne eveniat illis, quod Michææ Sacerdoti veteris legis contigit, ut scilicet, si interrogentur, cur fautoribus suis subtractis tristentur et gemant, fateri et dicere cogantur : « Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et dicetis : Quid tibi est? » JUD. c. XVIII.

Hortatur itaque, dictum sibi credat a Psalmista : « Nolite confidere in Principibus, in Filiis hominum, in quibus non est salus, » utpote qui plerumque aut non sciunt, aut non possunt, aut non volunt juvare; sed potius dicat cum eodem : *Mihi autem adhærere Deo meo, bonum est, et ponere in Domino spem meam*, utpote qui solus et scit per infinitam sapientiam suam, et potest per omnipotentiam suam, et vult per summam bonitatem suam juvare. PSAL. CXLV.

CONSILIUM XI.

Circa Severitatem Superiorum tolerandam.

PETITIO.—Cum non tantum non faventem, sed etiam durum et severum experietur Narcissus Superiorem, utpote a quo frequenter sine ulla culpa, aut tempore non conveniente, aut etiam modo notabiliter excedente fuerit punitus, desperat propemodum, se jugum tam grave diutius ferre posse. Quare iterum ad Ascetam consilii causa se confert, ab eoque aut solatium, aut remedium desperationi suæ petit.

RESPONSIO. — Respondet Asceta, aitque, nullum ex allegatis severitatis casibus sufficientem esse ad talem pusillanimitatem et desperationem concipiendam. Nam quod frequenter sine culpa punitus sibi videatur, recordari debet, se, etsi hanc, quæ punitioni susceptæ prætenditur, culpam non admiserit, prius tamen forte alias occulte admisisse, ob quas proin Deus ipsum corrigi permittat; sicut Ephrem adhuc adolescens quia, ob prætensum furtum, quod non admisit, ad furcam damnatus fuerat, jussus est ad buculam pauperis seniculi petulanter prius occisam oculos reflectere. SURIUS, *in Vita.* Dicat proin cum Job : *Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi.* JOB. c. XXXIII, 27. Æque parum affligere eum debere tempus correctionis non observatum. Nam etsi tempus tale per se non sit aptum ad culpam et errorem corrigendum, est tamen aptissimum ad permissionem et ordinationem divinam æquo animo acceptandam. Si ergo medicis tantum fidimus, ut illud tempus, quod ipsi præscribunt, aptissimum ad medicinam sumendam credamus, quidni magis Deo, qui errare et fallere non potest, confidamus, et tempus ab eo præscriptum ad correctionem et emendationem nostram opportunissimum esse judicemus? Denique ut neque excessum in modo corrigendi ægre ferat, meminisse debet, quod olim Christus S. Gertrudi de severitate Superiorissæ cujusdam conquerenti dixerit : Ego in abundantia pietatis, dulcedinis, et dilectionis meæ divinæ, qua congregationem hanc elegi, permitto aliquos defectus inhærere etiam illis, qui præsunt; ut inde meritum congregationis augeatur; nam multo major est virtus, subjici ei, cujus opera per omnia probata non videntur. Ego sino superiores habere aliquos defectus, et ex diversitate curarum quandoque maculari, ut magis humilientur. Subditorum meritum crescit tam ex defectibus, quam profectibus eorum, qui præsunt. BLOSIUS, *in Monil. Spirit.*

Hæc itaque bene ut ponderet Narcissus, hortatur Asceta; sic enim non æquo dumtaxat, sed hilari etiam animo correctionem omnem accepturum, dicturumque cum Psalmista : « Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis. « Et iterum. » Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. »

CONSILIUM XII.

Circa Persecutiones tolerandas.

PETITIO. — Quod olim S. Paulus dixerat, omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur, (*Epist. ad Tim.* III.) hoc ipsum etiam non modice expertus est Narcissus noster; cum enim ferventius Deo servire incepisset, hoc tepidorum fratrum

oculos offendit, qui proin illa impiorum in libro Sapientiæ verba usurparunt : « Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris, tamquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo, si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus, quæ erunt novissima illius. Sap. c. ii. Quare graviter sentiens has persecutiones. quærit Ascetam, quomodo inter illas se gerere debeat?

Responsio. — Respondet Asceta et quærit Narcissum, an nunquam publicæ disputationi interfuerit? Affirmante illo, ulterius interrogat, an non audiverit eos, qui theses propugnant, in fine dicentes illis, qui eosdem vehementissime oppugnarunt : *Agimus gratias pro doctissimis argumentis*, cumque, et hoc audivisse se diceret Narcissus, subintulit Asceta, simili modo Deum dare dilectissimis filiis suis occasionem ad suæ virtutis profectum demonstrandum, et persecutores velut argumentantes subornare, ut jam olim Tertullianus indicavit, dum sic alloquitur Tyrannos, qui fideles persequebantur : « Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra; ideo nos hæc Deus pati patitur. » Quidni ergo avide arripiat occasionem istam, et honori sibi ducat, quod præ aliis dignus sit æstimatus, ut publicum profectus sui specimen non tam ipsi mundo, quam Deo et cœlitibus universis præbere possit? Ita sane agnovit Monachus ille, qui, ut in vitis PP. legitur, quanto plus aliquis illum injuriabat, tanto magis recurrebat dicens : Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad perfectionem nostram; qui autem beatificant nos, decipiunt nos, et semitam pedum nostrorum subvertunt. *Vitæ PP.* l. VII, c. vii, p. iv.

Hinc etiam Christus B. Baptistæ Veranæ, Ordinis S. Francisci, dixit : Cognosce te magis obligatam esse illi, qui tibi malum fecit, quam ei, qui bonum. Illæ enim personæ sunt, quæ purgant animam tuam, et pulchram faciunt, gratiosam et acceptam in conspectu meo. Et alias iterum eidem dixit : Singula detrahentium verba sume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenias ad me, et ego compassiva pietate mea compulsus benigne suscipiam te. Et quanto plus conversatio tua sine culpa reprobabitur, tanto amplius cor meum amatoria blanditate tibi condescendit, quia per hoc efficieris mihi simillima, qui in operibus meis semper habui perversores et contradictores. Chronic. S. Franc. c. ii, l. VII, c. xxiv.

Hortatur igitur Asceta, ut illa Christi solatio plenissima verba ad Apostolos prolata, sibi quoque applicet : « Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. » Joan. v. Et iterum : Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete, et exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. c. iii.

Sic sperare poterit verificatum iri quondam, quod Salomon dixit : « Cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem; » Proverb. c. xvi, 7; ita ut ii ipsi qui illum cum impiis persecuti sunt, dicturi sint cum iisdem, pœnitentiam agentes et præ angustia spiritus gementes : « Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Sap. c. ii.

CONSILIUM XIII.

Circa Pacem animi quærendam.

Petitio. — Cum sæpius Narcissus varias animi turbationes ex diversis causis exortas expertus fuisset, pertæsus vitæ tam inquietæ, statuit de medio prospicere, quo veram, et continuam animi pacem obtinere queat. Quia vero ipse sese ad tale medium inveniendum insufficientem agnovit, ideo ad Ascetam de more confugit, ab eoque medium simile intelligere cupit.

Responsio. — Respondet Asceta, varia quidem a variis media ad hunc finem præscribi, se tamen unicum, solidissimum, et ab ipso Christo dictatum suadere, nimirum ut

radicem omnis turbationis tollere studeat. Quænam autem hæc sit radix, pulchre indicavit Epictetus dicens : « Homines non perturbantur rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus v. g. mors non est malum, alioqui enim, et societati ita visum esse ; sed est opinio de morte, quæ malam eam facit. Cum igitur impedimur, aut distrahimur, non alios culpemus, sed nosmetipsos, hoc est, nostras opiniones. Alios accusare in calamitate sua, hominis est ineruditi ; seipsum, ejus qui erudiri cœpit ; nec se, nec alium, eruditi. » Epictetus, c. x. Quomodo autem hæc opinio tolli et corrigi debeat, alibi indicavit idem auctor his verbis : « Religionis erga deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones ; ut sentias, et esse eos, et bene justeque administrare universa ; parendum esse eis, et omnibus iis, quæ fiant, acquiescendum ; et sequenda ultro, ut quæ a mente præstantissima regantur. Sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab eis negligi te conquereris. » Atque hæc doctrina est ipsissima, quam Christus ipse S. Catharinæ Senensi, quando viam perveniendi ad veram pacem cupiit, præscribere dignatus est, dum dixit : Volo, ut certa fide, alta mente, ac frequenti considerationе mediteris, me Deum tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem perfruendam creavi, æternum esse, summum, omnipotentem, vobisque omnia, quæ mihi placita sunt, facere, nec esse qui vel tantillum meæ possit resistere voluntati, nec quidquam sine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil prorsus nisi me permittente provenire. *Dialog. Cath. Senens.*

Quare ad exercitium hoc amplectendum hortatur Asceta illis pii auctoris verbis. « Dixi tibi sæpissime, et nunc iterum tibi dico : Relinque te, resigna te, et frueris magna interna pace. Quanto citius hoc ages, tanto melius habebis. Et quanto plenius et sincerius, tanto mihi plus placebis, et amplius lucraberis.

CONSILIUM XIV.

Circa Renovationem Spiritus instituendam.

Petitio. — Inter alia media, quæ ad profectum in perfectionis studio faciendum, Narcisso suadebantur, non postremum erat, crebra sui ipsius renovatio, juxta monitum Apostoli : « Renovamini in spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis. » Eph. c. iv. Quare ardens concepit desiderium, similem renovationem cum fructu instituendi ; sed quia ignorat, quo potissimum in tali renovatione collimare debeat, id ipsum ab Asceta intelligere cupit.

Responsio.— Respondet Asceta, in tribus præcipue capitibus totam recollectionem consistere debere : Primo, *in seria resolutione*, quia, teste Thoma Kempensi, secundum propositum nostrum cursus profectus nostri. Hinc S. Thomas Aquinas sorori quærenti, quomodo salvari posset, respondit : Si volueris (serio nempe, et efficaciter) salvabere. Sed, et ipse Christus adolescenti interroganti, quid faciens æternam vitam possidere posset ? respondit : « Si vis perfectus esse etc. » satis ostendens seriam voluntatem, et resolutionem præcipuum esse ad perfectionem assequendam medium. Hinc quidam Doctor apud Cornelium a Lapide dicere solebat : Quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id es certissime. Et id ipsum confirmans S. Augustinus : « Hic sinus, inquit, noster est ; hic saccus, et quia angustus est, extendendo facimus capaciorem. »

Secundo, consistere debet renovatio *in strenua executione*, uti sapienter P. Claudius Aquaviva, quintus Societatis nostræ Generalis, advertit dicens : Quoniam omnis conatus non in novis ordinationibus condendis, sed in earum, quas habemus, executione, adhibendus est, necesse omnino fuerit, in hanc præ omnibus serio ac diligenter incumbi. Prorsus enim docet experientia, et incommoda, quæ inde nascuntur, liquido demonstrant, plus in hoc genere desiderari, quam aut bona tot famulorum Dei voluntas, aut prompta et simplex obedientia polliceri debere fateantur. Ut vero hæc executio tanto ardentius urgeatur, paulo post enarrat radices, ex quibus defectus executionis nascitur, videlicet quia vel ignorantur ordinationes ; aut in memoria non habentur ; vel facile nimis in iis dispensatur ; vel quia subditis repugnantibus contradicere, eosque ad disciplinam servandam urgere verentur Superiores. Quæ omnia quisque sibi merito applicare deberet ; nam si experientiam ipsam consulere, causasque neglectorum propositorum inquirere velimus, depre-

hendemus sane, et ipsi, id uno ex memoratis tribus capitibus oriri, aut quia eorum raro recordamur; aut quia facile nimis circa eorum observationem dispensamus; aut quia vim nobis ipsis inferre, atque ad executionem ob varios respectus urgere veremur. CLAUD. AQUAVIVA, *Instruct.* c. II.

Unde recte pius Asceta pronuntiavit: « Unum est, quod multos a profectu et ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis et labor certaminis. Enim vero illi maxime præ cæteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis gravia et contraria sunt, virilius vincere nituntur. Nam ibi homo plus proficit, et gratiam meretur ampliorem, ubi se magis in spiritu vincit, ac mortificat. » TH. KEM. l. III, c. XXV.

Tertio, consistere debet renovatio *in constanti prosecutione*, uti recte S. Bernardus indicavit, dicens: « Quid prodest, Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite, ut comprehendatis. Ibi tu, Christiane, fige tui cursus, profectusque metam, ubi Christus posuit suam, factus obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non cucurreris, bravium non prehendes. » S. BER. ep. CCLIII. Nam in cassum bonum agitur, ut S. Gregorius recte dixit, si ante vitæ terminum deseratur, quia frustra velociter currit, qui prius, quam ad metam venerit, deficit. » S. GREG. l. I. *Moral.*

Hinc Deus in veteri Testamento non tantum primitias, sed etiam decimas, quæ ultimum quasi sunt in messe, petiit. Voluit item, ut omnia animalia, quæ in sacrificio ipsi offerebantur, caudam haberent, ut per hoc perseverantiæ necessitatem indicaret. Unde S. Gregorius ait: « Ille bene immolat, qui sacrificium boni operis ad finem debitæ perducit actionis. » Id, *in* c. III. *Lev.*

Recte proin Seneca: « Perseverandum est, inquit, et assiduo studio addendum robur, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. » Hortatur proin Asceta Narcissum ad perseverantiam præclara S. August. sententia: « O fratres mei, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes, quod perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat purgantem, ducit ad bravium, cunctos perducit ad portum. » S. AUG. ser. VIII.

CONSILIUM XV.

Circa Recreationem instituendam.

PETITIO. — Advertens Narcissus, in recreatione sibi plerumque contingere, quod non nemo dixit: « Quoties inter homines fui, semper minor homo redii, » vehemens concepit fastidium recreationis hujusmodi; ideoque statuit, ab eadem omnino abstinere. Prius tamen hoc suum propositum Ascetæ proponit, ejusque super hoc consilium requirit.

RESPONSIO. — Respondet Asceta, se hoc ipsius decretum approbare non posse, sed potius congrua media adhibenda, ut recreatio pie ac fructuose instituatur; nam natura nostra infirma est et imbecillis, corporis nostri massa ex fragili luto coaluit, et spiritus, quem hic mortalis carnis carcer inclusum tenet, afflictatur, tantumque non suffocatur, nisi quandoque illius relaxentur vincula, solvantur compedes, remittantur nexus. Necessum est, nonnunquam feriari ab opere, respirare a laboribus, ut obtusæ, hebetatæ dura ac diuturna exercitatione vires acuantur, et instaurentur. Tale quidpiam suadebat magnus Cordubensum Philosophus Seneca, inquiens: Danda est remissio animis, meliores, acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum, cito enim exhauriet illos, nunquam intermissa fecunditas, ita animorum impetus assiduus labor frangit, etc. Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. Ut enim nunquam otio indulgeas, verum semper labores, perpetuoque defatigeris, ac desudes, fieri non potest. SENECA l. *de Tranq. animi* c. XV.

In hujus rei confirmationem affert Robertus Holkot quoddam problema Aristotelicum ubi magnus Philosophus hoc quærit: Cur locis æqualibus, quam inæqualibus, magis fatigamur? Cur majorem lassitudinem affert iter planum, quam via, quæ per acclivia et declivia, per campos, colles, ac montes ducit? Respondet ex sententia Philosophi Holkot: Quia, quando homo incedit continue, et uniformiter per viam planam, fatigat instrumenta, seu partes corporis, quibus am-

bulat, sicut genua et tibias, unde, quia in istis instrumentis ambulandi continue tenetur una figura motus in via plana, ideo contingit homini major labor et fatigatio. In processu vero non plano, ubi aliquando ascenditur, aliquando descenditur, non semper tenetur eadem figura motus instrumenti movendi; nec illæ partes vexantur uniformiter et continue, sed alternatim, quia ascendendo plus laboramus in genibus et tibiis, descendendo plus in femoribus. Alternatione ergo, et vicissitudine motus dividitur ambulationis labor, fit levius itionis pondus, et tolerabilior defatigatio. Commoda est hæc doctrina, inquit Robertus, iis, qui in cœlestem patriam contendunt. Molestum est cœlorum iter, terribile carni et sanguini, spiritui etiam grave, qui sub corporis oneroso pondere nonnunquam lassatur ac sudat. Ut vero sit minus ardua ac difficilis via, quid facto opus? Alternatim et vicissim incedendum, ut quantum possumus, fatigationem et tædium devitemus inserviendi Deo. Vicissitudine utendum, sic, ut nonnunquam in campum, vallem, prata, recreationem descendamus; si enim uno tenore semper conemur et enitamur, et ab incensa intentione nihil aliquando relaxemus, tantum concipiet animus rerum spiritualium fastidium, ut denique eas prorsum deserat et perhorrescat, quod multis accidit. Holkot in c. *Sap. lect.* LXI.

Docet hoc etiam ipse Deus per Oseam, inquiens : « Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum. » Osee. c. XI, 4. Exaltaturum se, non ablaturum jugum eorum, ait Dominus, quod tale fuerit, ac si dixisses, servos Dei sua quietis tempora habituros, quibus eorum sublevetur jugum, et oneris pondus allevietur. Nemo sempiternum ferre jugum potest, et intolerabilis est austeritas, quæ perpetua. Propterea in domibus religiosis, quarum etiam arctissima clausura, et vitæ consuetudo asperrima, habent Religiosi ascetæ suas horas, quibus animum a consuetis exercitationibus tantisper abducant, relaxent et remittant. Quomodo enim arcus semper tensus perdurare, quomodo fragilis natura unum perdiu tolerare pondus, et pari semper contentione pergere potest, nisi subinde mutet iter, et onus illius minuatur? Uti S. Antonius quondam venatori cuidam ostendit, de quo sic narrant Vitæ SS. Patrum: Supervenit quidam venationem faciens in silva agrestium animalium, et vidit Abbatem Antonium gaudentem cum Fratribus, et displicuit ei. Volens autem senex ostendere ei, quia oportet aliquando condescendere fratribus, dixit : Pone sagittam in arcum tuum, et trahe. Et fecit sic. Et dicit ei : Et iterum trahe. Et traxit. Et rursus dicit ei : Trahe adhuc. Et dicit ei venator : Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Dicit ei Abbas Antonius : Ita est in omni opere Dei, si plus a mensura tendimus vires, cito deficiunt, expedit ergo hora una relaxare rigorem eorum. Hæc audiens venator compunctus est, et multum proficiens in sermone senis discessit, et Fratres confirmati reversi sunt ad locum suum. *Vita PP.* l. *de Pat.* n. 17.

Verum quomodo recreationes tales institui debeant, Christus ipse olim indicasse videtur, dum ad Discipulos suos dixit : « In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua. » Notandum in his, quod Dominus, cum discipulos suos jubet sumere victum in domibus, ad quas diverterent; simul monet, ut recordentur, se vineæ illius operarios, scholæ alumnos, et famulos domesticos esse, dignus est enim operarius mercede sua. Sed cur voluit, ut tunc se cogitarent esse discipulos Christi, quando cibum capiebant? Respondet Euthymius, id voluisse, ut inter convivandum servarent temperantiam, moderationem, frugalitatem, quam servare debent, quotquot gloriæ ducunt, quod talis Magistri sunt discipuli, et tam regiæ domus famuli. Solet plerumque in conviviis effusius ridendi, liberius loquendi, familiariter cavillandi, jocose ac dicaciter ludendi, taliumque rerum prona se offerre occasio. Dicebat ergo Christus : Manete edentes et bibentes, qui enim laborant, et ministerio maxime tam divino et sacrosancto operam dant, jure merito cibum sumunt, et hoc tamen facere debent, tamquam in mea schola instituti, et ad ubera mea enutriti, sicut parcimoniam ac modestiam, quæ talis Magistri discipulos, talis Domini servos, talis doctrinæ prædicatores decet, per omnia observent. Edere ac bibere permisit, quæ illis porrigerentur, non simpliciter, sed sicut discipulos suos decebat. At si ad victum et potum, res summe necessarias, tantam adhiberi temperantiam ac frugalitatem Dominus voluit, quanto magis nobis commendatam habere debemus cautionem, modestiamque, quoties animum oblectation

pascimus, et relaxamus? Illæ horæ majorem requirunt attentionem, circumspectiorem moderationem, quibus a curis feriamur, et rerum gratarum jucundarumque cogitatione nos refocillamus. Id ipsum etiam Sponsus cœlestis indicasse videtur, dum de Sponsa sua dixit : « Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, » tanquam dixisset : Plenum amœnitatis, et ad omnem voluptatem comparatum nemus es, amica, columba mea Sponsa, sed validis muris incinctum, et sepimento impenetrabili communitum. Quid sibi voluit, cum de Sponsa dixit, hortum esse verum, solidissimo, fortissimoque pariete obvallatum? Respondet Simon de Cassia : Sponsum dicere voluisse, debere in Ecclesia esse hortos, hoc est, recreationes, vacationes, animi oblectationes, feriationes a laboribus, respirationes ab operosis negotiis, et curarum anxietate. Sed quales illa hortos habere et potest, et debet? Modestiæ maceria conclusos, temperantiæ pariete incinctos, frugalitatis muro vallatos. Hinc æstimabimur horti Dei, qui permisit nobis recreationes, sed moderationis dissipationem cavere præcepit. Dedit ille relevandi animi licentiam, neque dedecet, habere suas temporibus certis et occasionibus statas horas, quibus indulgeatur animo, et detur otium, sed immoderantiam vetuit, et nimis effusam licentiam. Placet plentissimæ illi Majestati, ut sit nonnunquam remissior asperioris vitæ arcus, nimiam tamen non vult relaxationem. Absque habenis enim in recreationes procurrere, incaute oblectari, et modestiæ limites palam imprudenter transilire, magis Gentilium est, quam Christianorum, magis infidelium, quam Catholicorum, et peccatorum potius, quam justorum. Quare suadet Asceta, ut, quo pie et fructuose ejusmodi recreationes instituere, quis queat, tria hæc observet. Primo, finem sibi bonum, scilicet majorem Dei gloriam et voluntatem Superiorum præfiget. Secundo, gratiam a Deo ferventer petat ad recreationem talem fructuose instituendam. Tertio, in ipso recreationis exercitio ob oculos semper habeat. S. Pauli monitum : « Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est. » PHIL. c. IV.

CONSILIUM XVI.

Circa Missionem Indicam petendam.

PETITIO. — Legerat Narcissus in libro quopiam, quam copiosos in India fructus facerent variarum Religionum missionarii; quare et ipse ardentissimum concepit desiderium illuc eundi; quia autem sciverat scriptum esse : *Probate spiritus an ex Deo sint*, pro interprete voluntatis divinæ Ascetam eligit, a quo proin dirigi in hoc tam gravis momenti negotio petit.

RESPONSIO. — Respondet Asceta, ante omnia hoc in negotio Christi consilium esse sequendum, computandosque sumptus, an habeat ad perficiendum, atque adeo vires corporis et animi considerandas, an videlicet pares sint ad onera tam arduæ missionis supportanda. Deinde audiendum consilium Thomæ Kempens. sic in persona Christi loquentis : « Desideria te sæpe accendunt, et vehementer impellunt, sed considera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis movearis. Si ego sum in causa, bene contentus eris, quomodocumque ordinavero ; si autem de proprio quæsitu aliquid latet, ecce hoc est, quod te impedit, et gravat. Cave ergo, ne nimium innitaris super desiderio præconcepto, me non consulto ; ne forte postea pœniteat, aut displiceat, quod primo placuit, et quasi pro meliore zelasti. Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, statim est sequenda : sed neque omnis contraria affectio ad primum aspectum fugienda. » TH. KEMP. l. III, c. XI.

Eumdem in finem Deus et Sancti, maxime Indiæ Patroni serio et constanter implorandi erunt, ut ne hoc in negotio decipi ipsum permittant. Tandem ubi legitimam esse vocationem, etiam Confessarii judicis accedente, constiterit, Superioribus hoc desiderium erit proponendum, et quidquid illi perpensis omnibus motivis, et circumstantiis statuerint, eidem humiliter acquiescendum; maxime si noluerint ejusmodi profectionem concedere; tunc enim, sicut Deus, licet mille mundos creare posset, in quo omnes homines perfectissime viverent, et laudarent ipsum, magis tamen delectatur decreto et voluntate sua, qua decrevit eos non creare, quam omni honore et delectatione, quos ex creatione

talium mundorum percipere posset ; ita et ipse magis quiescere debet in voluntate Dei nolentis ab ipso hanc missionem suscipi, quam in omnibus fructibus, quos in India fecere potuisset ; nam, ut recte pius auctor advertit : « Voluntas ejus et amor honoris illius omnia excedere debet, et plus eum consolari, magisque placere, quam omnia beneficia data vel danda. » L. V, c. XXII.

Addit tamen Asceta pro cautela, desiderium tale non propterea improbandum esse, quod S. Ignatius, cum P. Jacobus Lainez, unus ex sociis illius, simile desiderium illi explicasset, responderit, se, si simile desiderium in se sentiret, omni modo laboraturum, ut illo deposito ad omnimodam indifferentiam se reduceret ; nam hoc desiderio inordinato, et voluntati divinæ non perfectissime subordinato intelligendum est ; alioqui nec Superiores petere, aut permittere possent, ut ejusmodi desideria sibi manifestarentur.

III.

CONSILIA AD VITAM IN SÆCULO RECTE INSTITUENDAM.

CONSILIUM I.

Circa Perfectionem sæcularium.

Petitio. — Anastasia mulier devota et uxorata audiens in concione sententiam illam Christi : « Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est. » Matth. c. v. Ad omnes homines pertinere, desiderat vehementer, et ipsa perfecta fieri; quare ascetam rogat, ut ipsi ostendere dignetur, quomodo perfectionem statui suo convenientem consequi possit.

Responsio. — Respondet Asceta, cujuslibet rei perfectionem in assecutione sui finis consistere, atque adeo, cum finis hominis sit amare Deum et amando, quantum in hac mortali vita fas est,possidere, merito inferri, totam perfectionem in charitate divina, non affectiva dumtaxat, sed effectiva etiam, quæ prodeat in opus, et de qua S. Joannes dixit: « Charissimi, non diligamus verbo et lingua, sed opere et veritate, » (I Joan. c. II) consistere. Porro, cum amoris proprius effectus sit unire amantes moraliter, ut unum velint et nolint, recte deducitur, ad perfectionem Christianam præcipue requiri perfectam conformitatem cum voluntate divina, id est, ut semper agat, et patiatur, quæ vult Deus, et quomodo vult Deus ; et quia vult, juxta notum illud distichon :

> Omne tulit punctum, patitur qui semper agitque,
> Quæ vult, quove modo vult Deus, et quia vult.

Ex quibus sequitur, personam etiam sæcularem, et quidem conjugatam, æque in statu suo perfectam esse posse, quam quascumque Religiosas personas in claustris, cum magis Deus penset, ex quanto quis agit, quam opus quod facit. Hinc S. Bonav. quondam Fratri Ægidio ipsum, et alios Doctores beatos prædicanti dixit, rudissimum quemque æque amare posse Deum, ac doctissimum. Quo audito, F. Ægidius currens ad montem civitati imminentem clamavit sonora voce : Gaudete aviculæ, quia æque Deum amare potestis, ac Doctor Bonaventura alii viri doctrina illustres. *Chronic. S. Franc.* l. I, p. 7, c. XIV.

Sed et ipse Deus S. Marcario, post centum fere annos in summo vitæ rigore exactos, scire cupienti, ad quam mensuram perfectionis pervenisset, revelavit, eum non ultra mensuram duarum mulierum conjugatarum Alexandriæ degentium pervenisse, quæ tamen postea a S. Marcario nihil aliud egisse compertæ sunt, quam quod inter se concordes, et maritis obedientes fuerint. Unde merito exclamavit Marcarius: Nunc tandem agnosco, mi Deus, te non esse acceptatorem Personarum, sed quemvis in suo statu perfectum esse posse ; atque adeo recte perfectioni applicari posse, quod Deus de suo mandato Israelitis dici jussit : « Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum ad cœlum valet ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus ? Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas : Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, et facere, quod præceptum est ? Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. »

CONSILIUM II.

Circa Opera quotidiana rite perficienda.

Petitio. — Eadem Anastasia, cum perfectionem in quotidianis, et cuique statui con-

venientibus operibus rite obeundis consistere cognovit, vehementer scire desiderat, quid ad transactionem perfectam talium operum requiratur, quare in hac re instrui cupit ab Asceta.

Responsio. — Respondet Asceta, ut hæc instructio facilius ab ea intelligatur, sequitur, sequentes doctrinas prius supponendas, et bene capiendas esse. Prima est, sermonem hoc loco esse de operibus bonis dumtaxat, seu vitam æternam promerentibus. Secunda est, ad ejusmodi opus tres conditiones requiri, nimirum ut in se non sit malum, sed ad summum indifferens, id est, nec bonum, nec malum. Deinde ut in statu gratiæ, seu a persona nulli peccato mortali obnoxia perficiatur. Tandem ut cum bona intentione, id est, propter Deum fiat; ut enim nos remunerari non solemus eum, qui propter nos non laboravit, ita nec Deus opera et labores, qui propter ipsum suscepti non sunt, præmiare consuevit. Tertia doctrina est, quodvis tale opus quatuor in se fructus continere, quorum primus est fructus honoris et laudis, qui vel ipsi operanti, vel alteri, propter quem tale opus facit, obvenire consuevit. Secundus est fructus meritorius, quo gradus aliquis gratiæ et gloriæ cœlestis obtinetur. Tertius est satisfactorius, quo pars aliqua pœnæ peccatis nostris debitæ remittitur. Quartus est impetratorius, quo gratia, et beneficium a Deo postulatum pro se vel aliis impetratur.

His suppositis, ait Asceta, tria requiri ad perfectionem talium operum.

Primo, ut magna cum diligentia, et devotione peragantur, juxta monitum Siracidis : *In omni opere tuo excellens esto*, ut dicere quis possit cum S. Davide : « Totis viribus præparavi impensas Domus Dei (seu perfeci mea opera) non enim homini præparatur habitatio (vel perficitur hæc actio) sed Deo. » Secundo, ut fructus illius debito modo distribuantur, nempe ut sicut SS. Joachim et Anna bona sua temporalia in tres partes diviserunt, et unam quidem Deo in templo obtulerunt, alteram pro quotidianis suis necessitatibus reservarunt, tertiam pauperibus distribuerunt; ita, et hæc bona spiritualia, quoad fructum honoris et laudis Deo, et Sanctis consecrentur; quoad fructum meritorium sibi reserventur (neque enim hic fructus a puro homine aliis applicari potest) quoad fructum vero satisfactorium defunctis pauperibus, pro quibus specialiter orare tenemur, aut volumus, transcribamus ; sic enim verificabitur illud Psalmistæ; « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. » Ps. CXI. Tertio, ut ad finem usque perducantur, ut cum veritate quis cum Christo dicere queat : « Consummatum est. » Quæ omnia si diligenter observaverit Anastasia, dubitare eam non debere, aiebat Asceta, quin fructum perfectionis non trigesimum dumtaxat, sed centesimum sit reportatura, neque ipsis etiam Religiosis quoad hoc studium cessura.

CONSILIUM III.

Circa Intentionem faciendam.

Petitio. — Valde quidem recreata est et confortata Anastasia præcedentibus consiliis : sed quia inter alia dictum ei fuit : Quidquid agant homines, intentio judicat omnes; ideo desiderat, uti etiam petit fructuosam et facilem hujus intentionis praxim ab Asceta intelligere.

Responsio. — Respondet Asceta, in tribus præcipue capitibus praxim hanc consistere. 1. *In congrua electione*, qua scilicet perfectissima eligatur intentio. Pro quo sciendum est, triplicem intentionem ab Ascetis assignari, quarum prima *servilis* vocatur, quando metu pœnæ servitur. Altera *mercenaria*, quando solius mercedis intuitu obsequium præstatur. Tertia *filialis* appellatur, quando ex solo amore voluntas Dei impletur, quæ quidem intentio præ aliis utpote perfectissima eligenda est, et quidem, quantum fieri potest, in supremo gradu ; nam, et hanc filialem intentionem tres gradus habere, recte docet Rodriquez. Primus est, quando homo ita in omnibus ad unius Dei gloriam attendit, et exutus omni alio terreno, et ad rem non pertinente affectu, ipsius dumtaxat divinissimo beneplacito est intentus. *Nosse vis*, inquit S. Bernardus, *an in amore Dei arescas, et proficias? Attende, sit ne quidpiam extra Deum, cujus amore multum delecteris. Certe quamdiu possum ex aliena qualicumque re* (verba sunt Bernardi) *consolationem et jucunditatem accipere, nondum audeo dicere, dilectum nostrum intimum ardentissimi amoris sinum tenere.* Sanctus vero Augustinus : « Minus te amat, ait, Domine, qui tecum ali-

quid amat, quod non propter te amat. » Talis profecto amor sanctæ illius Reginæ fuit, quæ in medio regiæ magnificentiæ : « Tu scis, Domine, aiebat, quod nunquam læta sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham. » Secundus est, quando quis non modo rerum omnium externarum obliviscitur, sed sui etiam ipsius, ita quidem, ut neque seipsum amet, nisi in Deo, propter Deum, et ad perficiendam voluntatem Dei, ut homo neque ipsa etiam de manu Dei accepta beneficia, bonaque tam gratiæ, quam gloriæ, ob ullum suum commodum appetat, verum ea sola consideratione, ut in illis ejusdem Dei quæratur honor et gloria, ipsiusque divinum fiat beneplacitum, quemadmodum beati in cœlo ex nulla re alia percipiunt voluptatem, quam ut Dei voluntas in cujus amore ita absorbentur, vel ut rectius dicam, ita in Deum transformantur, ut gloriam ac beatitudinem, quam ipsius munere sunt consecuti, non tam velint, amentque propter se, delectationemque illam, quam ex ea hauriunt, quam quod illam ipsam Deus ipsis velit, et in ea sibimet complaceat. Ita Deum S. Rex David amabat, inquit Bernardus, cum dicebat : « Confitemini Domino, quoniam bonus est, » non dixit, quoniam mihi bonus, sed quoniam bonus ipse est ; non amabat, ut ille alius, de quo idem David : « Confitebitur tibi cum benefeceris ei. » Tertius est, quando quis operatur, non ut ipse Deo placeat, sed quia placet ei Deus, vel quia placet Deo, quod operatur ; ita ut sicut Scriptura dicit, Deum fecisse et creasse omnia in laudem gloriamque suam, ac propter semetipsum, ita et nos tunc amabimus Deum amore purissimo, hoc est, nec nos ipsos, nec aliud quidvis, nisi in ipso, et propter ipsum. RODRIQ. I, tr. III, 14.

« Delectabit sane, ait Bernardus, non tam corda vel sortita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis, et de nobis voluntas adimpleta videbitur. O amor sanctus, exclamat idem, et castus ! O dulcis et suavis affectio ! O pura et defœcata intentio voluntatis, eo certe defœcatior et purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur ; eo suavior et dulcior, quo totum divinum est, quod sentitur. Sic affici deificari est. » Ad hanc definitionem (ut cum Sancto loquamur) explorandam tres ipse similitudines adducit his verbis : « Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere a se tota videtur, dum, et saporem vini induit, et colorem ; et quomodo ferrum ignitum, et candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur. Ita, inquit, et non istic (in Sanctorum scilicet gloria collocati) deperditis qualitatibus nostris, proprietatibusque omnibus, quodammodo deificabimur, hoc est, ita in ipsum tranformabimur, ut amaturi præter Deum nihil simus, aut si quid amaturi, hoc ipsum certe propter Deum. Alioquin, quomodo erit Deus omnia in omnibus, si in homine de homine quidquam supererit ? Ac tametsi mortalitatis hac massa circumdati, ad tam sublimem perfectionis gradum ascensuri nunquam simus, erigendus nihilominus in ipsum mentis est oculus, quia quo alacrius fuerimus progressi, illique vicinius appropinquaverimus eo major erit nostra perfectio et cum summo bono unitio. » Concludit igitur totum hoc argumentum mellifluus Bernardus præclara hac seque digna sententia : « Hæc est in nobis voluntas Filii tui ; hæc pro nobis oratio ejus ad te Deum Patrem suum : Volo, ut sicut ego, et tu unum sumus, ita, et isti in nobis unum sint. Ut scilicet ament te propter te, et se nonnisi in te. Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium in Spiritu sancto, hoc est silentium in cœlo, hic demum finis, ultimaque rationalis creaturæ perfectio, ad quam consequendam omnes, omnibus una connitamur.

Secundo, consistit hæc praxis in *frequenti renovatione intentionis ;* quæ quidem in genere loquendo facienda suadetur ante singula primaria opera, uti fecit unus ex antiquis Patribus, qui, quotiescumque opus aliquod vellet inchoare, subsistebat aliquantisper contemplanti similis. Rogatus, quid ageret : Opera nostra, respondebat, ex se nulla sunt, nisi sancta mente, rectoque fine sint oblata. Sicut enim ballistam volens emittere, oculo prius ad scopum collineat; sic et ego, priusquam boni quidpiam agere incipiam, intentionem meam ad Deum, ultimum scopum et finem nostrum, dirigo, hoc, inquit, est, quod ago, dum consisto, id enim Deus a nobis exigit, ait enim : Pone me ut signaculum super cor tuum. Iterum quemadmodum sagittarius, ut a scopo minus

aberret, sinistrum oculum claudens, solo dextro utitur, ad hoc, ut visus magis firmetur, collectiorque sit; ita prorsus claudendus et nobis est sinister oculus humanorum respectuum, solusque dexter bonæ intentionis reserandus; id enim Sponso animarum nostrarum cor transverberat, vel ipso teste : « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum. » Quod ipsum Alphonsus Rodriquez similitudine artificum, præsertim fabrorum murariorum, confirmat, nam sicut his non satis est, regulam semel iterumque futuro ædificio applicuisse, sed ad idem redit identidem; sic et applicatio ista regulæ nostræ non mane solum, inque diei principio facienda est, sed et dum operamur, dicendo : Hoc opus tibi, Domine Deus meus, offero, dico, consecro, et ad tuum divinum beneplacitum totum, quantum est, libens, volens, meritoque refero. In specie vero renovanda suadetur hæc intentio. 1. Ubi primum mane e lectulo surrexerimus, offerendæ sunt ipsi totius imminentis diei cogitationes, locutiones et operationes, postulando ab ipso enixissime, ut ad divinissimi ipsius Numinis honorem gloriamque cedant; ut irruente postea titillatione aliqua inanis gloriæ dicere secure possimus : Tarde nimis venisti, o vana gloria, Dei mei mea sunt omnia. 2. Tempore Missæ, ubi quando hostia elevatur, hæc intentio, dum Sacerdos calicem consecrat, a quibusdam sic formatur : O amantissime Deus, sicuti dilectus Filius tuus modo in gratissimum holocaustum oblatus est, ita, et ego tibi offero omnia opera mea in simile holocaustum, rogoque, ut ad ea perficienda gratiam efficacem largiri digneris. 3. Ante opera indifferentia, qualia sunt labor, refectio corporis per cibum et potum, recreatio, somnus, tanto diligentius facienda est, quanto certius est periculum, ne defectu legitimæ intentionis fructu meritorio priventur, aut per captationem inordinatæ delectationis in vitium degenerent. Unde aliqui sic ante ista intentionem renovant : O mi amantissime Deus, placet, quod proposui, scilicet hoc opus, ex purissimo amore tui, proximi, et obedientia (vel alia virtute, valde enim expedit ad virtutum habitum acquirendum, etiam illas huic motivo adjungere) transigere. Confirma, quod operatus es in me; ex te enim, in te, et propter te sunt omnia, Deus meus, et omnia. 4. Aliqui etiam, dum hora auditur, intentionem sic renovant, ut post nomen Jesus subjungant hæc verba : In cujus majorem gloriam offerre digneris omnia opera a me hac hora facienda, in unione omnium operum illius, tuorum, et omnium Sanctorum, ea intentione, quam mane feci, sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc (ut omnia opera hac hora facienda perfecte absolvam) et in hora mortis meæ. Amen. Ut vero defectus in operibus talibus commissi suppleantur a Christo, prodest ea sæpius in die, præsertim sub meridiem, et noctu ante somnum, hoc vel simili modo offerre : Bone Jesu, propitius esto mihi maximo peccatori, qui tepidum et distractum servitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum ac perficiendum, tibique ipsum offero ad salutem omnium in unione illius perfectissimæ intentionis, qua tu Patrem orasti et laudasti in terris. Responde, quæso, satisfac et supple pro me plenissime. Amen. Si hic fecerit, ait Blosius, ipsa eadem opera, et exercitia sua, quæ ex se vilia, atque imperfecta sunt, nobilissima, Deoque acceptissima erunt. Nam ex operibus, et exercitiis Christi, quibus conjungentur atque unientur, ineffabilem dignitatem accipient; quemadmodum gutta aquæ missa in vinum, et vino unita excellentem ipsius vini colorem, saporemque recipit. Itidem omnia, quæ ipsum gravant, et affligunt (sive parva, sive magna, sive externa, sive interna sint) offerat Deo in laudem æternam, ad salutem omnium, in unione passionis, ac dolorum Christi, ut ex iisdem passionibus, et doloribus Domini Jesu, quibus unientur divinam claritatem assumant. Blosius, *in Reg. brev.*

Tertio, consistit hæc praxis in *digna æstimatione*, ad quam concipiendam sufficere potest, quod beneplacitum Dei, quod per talem intentionem quæritur, habeat omnes conditiones ad summum et optatissimum præmium requisitas, est enim. 1. *Maximum præmium*, utpote quod Beati in cœlis ipsi etiam gloriæ, et felicitati suæ longissime præferunt. Unde Deus ad Abrahamum dixit: Ego Protector tuus sum, et merces magna nimis. 2. *Statim*, ubi opus perfectum est, *confertur*, cum Deus non possit non in opere bono sibi complacere. 3. *Semper haberi potest*, quia sola intentio ad illud directa sufficit ad ipsum obtinendum. Unde merito S. Chrysostomus dixit : Si omnino dignus fueris aliquid agere, quod Deo placeat, aliam

adhuc, præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris? Vere ignoras quantum bonum sit placere Deo, si enim scires, nunquam aliquid aliud extrinsecus mercedis aut numeris expecteres. S. Chrys. *Lib.* II, *de Com. Pun.*

Hortatur proin Asceta, ut amorem Sponsæ imitetur Anastasia, de quo amore sic loquitur S. Bernardus : Nec is (sponsus) aliud quærit; nec illa aliud habet. Is per se placet, et propter se; ipse meritum, ipse præmium sibi est amor; præter se non quærit causam, non fructum; fructus ejus, usus ejus; amo, quia amo, amo ut amem. S. Bern. *s. de Dilect. Dei.*

CONSILIUM IV.

Circa Negotia perficienda.

Petitio. — Theophilus magni cujusdam Principis officialis, tot, tamque gravibus curis oneratus, ut prope succumberet, dum more suo libellum *de Imitatione Christi* in manus sumit, et in c. 26, l. II, hæc verba legit : « Domine hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione cœlestium animum relaxare, et inter multas curas quasi sine cura transire ; non more torpentis, sed prærogativa quadam liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo, » vehemens concepit desiderium ad hanc libertatem perveniendi ; sed quia nescit, qua ratione eam obtinere possit, consilium et instructionem ab Asceta petit.

Responsio. — Respondet Asceta , ante omnia illi saluberrimam S. Francisci Salesii doctrinam præ oculis habendam, dum ait : « Qui multis sæpe diversique generis irretiti negotiis hærent, ante omnia perexercitatos in sapientia esse oportet. Quam illis virtutem autem auctor largitorque bonorum omniunt Deus non denegabit, si eam tum serio diligenterque expetiverint, tum ad ejus exercitium sese animaverint, et singulos in dies mane præsertim generose ad omnia perpetienda comparatos, promptosque se Deo exhibuerint. Etenim, ipsam veritatem ut fatear, onus ingens est continuis negotiis, et occupationibus prægravatum, et oppressum pene jacere, et continuum quasi martyrium pati. Evenitque interdum, ut ardua momentique præcipua negotia non ita hominem conficiant, quam multitudo diversitasque occupationum exitium, si debita mentis tranquillitate non suscipiantur, rectoque ordine, suo unumquodque tempore, et successive ad finem exitumque deducantur. S. Franc. Salesius, *in Epist.*

Secundo, juxta consilium ejusdem Sancti specialiter nimiam sollicitudinem in negotiis cavendam, de qua sic ille loquitur : Cura et diligentia, quam in rebus ac negotiis nostris gerendis adhibere debemus, longe certe differunt a sollicitudine, anxietate, et turbatione. Angeli salutis nostræ curam gerunt, eamque diligenter procurant, at non propterea solliciti, anxii, et impediti sunt. Cura namque et diligentia ad ipsorum pertinent charitatem; et sollicitudo vere, anxietas, et turbatio illorum beatitudini adversarentur ; cum cura et diligentia queant cum tranquillitate et quiete spiritus consistere, non autem sollicitudo, et anxietas et multo minus impedita turbatio. In omnibus ergo rebus ac negotiis, curæ tuæ concreditis, esto diligens et sedulus; cum enim tibi Deus illa crediderit, et fisus sit, vult illa te diligenter curare, sed, si quidem fieri potest, noli propter illa nimis esse anxius et sollicitus, id est, cum inquietudine, anxietate, et ardore ea non aggrediaris, nec in iis multum turberis, ut satagas ; omnis namque turbatio rationem, et judicium perturbat, immo vero impedimento nobis est, ne rem, quam agere volumus, bene et prout oportet, exequamur. Quando Dominus Martham reprehendebat, dicebat : « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris circa frequens ministerium ; » videns, si tantum diligens, et sedula fuisset, minime se turbasset, sed quia sollicita erat, et inquieta, hinc turbatur et anxiatur. Et in hoc Dominus reprehendit eam. Flumina, quæ leniter per planitiem æquam feruntur, ingentes et vastas ferunt naves, et pretiosas merces ; pluviæ, quæ leniter, et guttatim in agrum cadunt, herbis et granis eum abundare faciunt. At torrentes et flumina, quæ impetuose aquarum vorticibus per terram abripiuntur, vicina loca destruunt, et mercibus vehendis incommoda sunt ; uti, et nimbi velut montes ac præcipites agros, et prata devastant. Nunquam aliquod negotium cum impetu, et turbatione quadam per actum, bene factum fuit. Lente (ut vetus ait proverbium) festinandum est. Qui, ut Salomon asserit, pedibus est festinus, in periculo est, ne pedem offendat. Semper satis cito facimus, si satis bene. Fuci majorem quidem

strepitum cient, et turbatiores sunt quam apes, at ceram dumtaxat, non autem mel conficiunt; sic qui sollicitudine nimia, et ardenti, et strepera anxietate negotia sua agere allaborant, vix quidqam agunt, et quod agunt, non bene. Muscæ non vi sua, et vehementia, sed confusa multitudine sua nobis admodum sunt molestæ; sic magna negotia non adeo nos perturbant, atque parva, cum nimirum ea frequentia et multa sunt. Quæ ergo curanda, et expedienda tibi advenient negotia, quiete et tranquille suscipe, et ordinatim ea unum post aliud exequere. Si enim simul omnia sine ullo ordine perficere, et aggredi volis, connisus quosdam facies, qui te oppriment, et spiritum tuum evigorabunt, tuque plurimum sub onere fatisces confecta, et vix quidquam effeceris. Idem, *Introd.* l. III, c. x.

Tertio, illam quoque dicti Sancti doctrinam sedulo observandam, quam sequentibus verbis proponit: In omnibus porro negotiis tuis divinæ providentiæ, a qua sola omnia tua molimina et opera ortum habere debent, totaliter nitere; ex parte tamen tua graviter labora, et possibilia age, quo ei cooperis; ac deinde certus esto, si quidem in Deo bene confisus fueris successum, qui inde tibi sequatur, semper tibi, et utilissimum, et optimum fore, esto is tibi pro particulari tuo judicio bonus aut malus videatur. Imitare pueros, qui manu una parentis manum tenent, et altera fraga et bacas e sepibus, et dumetis colligunt. Pari modo tu manu una bona mundi hujus colligito et tracta, altera semper Patris cœlestis manum tene, ad eum subinde revertens et recurrens, ut videas, num tua agendi ratio et occupationes tuæ ei placeant. In primis vero cave, ne manum, et protectionem ejus unquam deseras, te solo plura efficere te posse credens; si enim ipse te deserat, ne unum quidem gressum figes, quin corruas, et turpiter impingas. Quando ergo in communibus tuis negotiis et occupationibus, quæ tam vehementem et internam attentionem non requirent, versaberis, semper magis ad Deum, quam negotia respicias. Cum vero negotia tanti sint momenti ac difficultatis, ut rite peragantur, omnem tuam attentionem, et annisum requirant, subinde ad Deum animum attolles; ad exemplum eorum, qui mare navigant, qui quo ad terram, ad quam anhelant, appellant, sæpius sublime cœlum versus respiciunt, quam æquor quod navigant, sic fiet, ut Deus tecum, in te, et pro te laboraturus sit, et labor tuus aliqua consolatione dulcorandus. Ibid.

Quarto, in ipsa actuati tractatione in primis exemplum S. Ignatii Loyolæ sequendum esse, qui a cœna insequentis diei negotia disponebat, ut majori ea cum libertate eadem perageret, si sciret, quid quovis tempore esset agendum; cum autem omnia pietatis opera complecti non posset, magno delectu præferebat publica privatis; perpetua iis, quæ ad tempus fiunt; certa incertis; secura periculosis. Neque tam videbat, quantæ res ipsæ essent, quam quantum spei ad eas conficiendas ostenderetur. Hinc aiebat, non res nobis, sed nos rebus accommodari debere.

Quinto, non minus accurate observandum monitum Alphonsi Rodriquez, quo suadet, ut omnia opera, et negotia ita peragantur ac si nihil præterea peragendum haberemus. Oranti itaque de negotiis nulla sit cogitatio, nulla de re alia quæcumque. Omnia tempus habent, sufficitque diei malitia sua. Tam rationabile, et æquitatis plenum est hoc medium, ut pagani etiam, et a religione fideque Dei alieni id cum docuerint, tum observaverint in ipsis rebus, quas ad deorum suorum honorem pertinere, quoquo modo judicabant. Hinc illud veterum proverbium natum est: *Adoraturi sedeant*, hoc est, cum quiete, reverentia, attentione, non obiter, languide, perfunctorie. Refert Plutarcus, quod, dum sui temporis sacrificuli diis litabant, præco intenta altissimaque voce continuo clamavit: *Hoc age, hoc age!* quasi diceret, animo alio ne divertas, sed ad id unum, quod agis, attendas. Hoc ipsum igitur est medium, quod præscribimus; integre perfecteque rebus singulis, quas habes in manibus, te consecra; cæteris procul amandatis omnibus, et hoc pacto recte ac bene singulas perficies. Ita autem faciendum esse, Aristippus Philosophus hoc modo probabat: Sola res præsens in manu nostra est, non antegressa, non futura; quia, et illa jam præteriit, et hæc nondum est, nec an ventura sit, scimus. O beatum illum, qui tantus fieri posset sui dominus, suarumque cogitationum, et phantasiarum, nihil ut cogitaret, nisi quod re ipsa in manibus versat! Verum tanta est ex una parte cordis nostri instabilitas, et tanta ex parte altera inimici hominis astutia atque malignitas, ut id optare possimus, sperare vix unquam. Potens sane ac multum noxia est homini isthæc

tentatio, qua illud dæmon agit, et communiter obtinet, ut rem vix ullam unquam bene, numeratisque omnibus absolute faciamus. Oras? Suggerit studia, cogitationes officii proponens, et alia. Studes? Orationem, colloquium, missam, socios importune ingerit. Et quid hinc promovet? Scilicet ut neutrum, immo nihil, benefacias. Quare mecum hoc sequere consilium; (non enim ignoramus cogitationes et astutias ejus) abjice futurorum omnium cogitationem, quoniam quantumvis cæteroquin bonæ sint, sanctæque, jam certe et hac hora nec bonæ sunt, nec sanctæ, sed fructui, profectuique tuo plurimum incommodant. Quod si obrepat isthæc tibi forte cogitatio, non recordatum te amplius hujusvis illiusve rei, quæ modo menti occurrit, ex hoc ipso colligere debes et potes, non injici tibi hanc mentem a Deo, sed meram esse mali dæmonis illusionem, quod Deus, Deus confusionis perturbationisque non sit, sed Deus pacis, Deus quietis, Deus ordinis. Ergo a malo est, quidquid est, quod jam turbat. Abige ipsum igitur, proculque pelle, et confide in Domino, quod te faciente, quod in te est, ipse alio postea tempore non deerit ad suggerendum alterum, si ad ipsius gloriam, tuumque commodum ipsi videbitur futurum. Facit huc præclarum documentum S. Bonaventuræ : *Scientia*, inquit, *quæ pro virtute despicitur, per virtutem postea melius invenitur.* Noster Avila ait: Quandocumque menti extra debitum tempus impertinens aliqua cogitatio succurrerit, sic eam alloquere : Dominus meus nihil horum mihi hoc tempore præcipit. Nihil igitur est, cur multum vobiscum disputem, cum primum autem illud mihi mandaverit, multa cum promptitudine alacritateque illud amplectar. Rodriq. p. 21, tr. ii, c.

Sexto, illud quoque S. Francisci Salesii monitum non negligendum, quod his verbis proponit: Inter tractandum de negotiis; atque in conversatione, cætuque aliorum nulla te capiat Dei tui oblivio. Certum enim persuasissimumque nobis id est esse debet, nullum negotium tam arduum, tantique momenti reperiri, quod a Dei memoria impedire nos merito possit, ac debeat. Et Sancti omnes, quotquot fuerunt, in hac se semper continuo exercuerunt, atque etiamnum superstites devoti sapientesque id in more positum habent, ut cogitationes mentemque suam frequenter ad Deum elevent, sæpiusque in cœlum oculos, quam in terram terrenaque defigant; sicuti, qui vela in mari faciunt, crebriori obtutu sidera, quam ipsum æquor, quod ante se habent, et in quo circumferuntur, collustrant. Hic usus Regio Psalmistæ perfamiliaris extitit, quod variis in psalmis de se ipso testatum reddit : *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Et : *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis. Oculi mei semper ad Dominum.* Firmissime persuasum teneas, functiones laboresque tuos, si potentissimum auxiliatorem Deum suppetias hoc modo invocemus, multo feliciores successus habituros, nec solatio interno, animique tranquillitate, carituros esse S. Franc. Sales. *In Reg.* p. 5. c. ii. §. 5.

Septimo, illud nobis curæ præcipuæ esse debere, monente eodem. Sancto, ut omnia illa, ad quæ ex statu vocationeque nostra adstringimur, cum perfectione agantur et bono cum successu; quantum quidem in facultate nostra est, absolvantur, nec quidquam in viis vel per oblivionem, vel quemcumque defectum nostrum, negligatur. Quod si his rite peractis, successus aut minus exoptatus, consequatur, ferendus ille est patienter, animoque pacato, atque hilari. Quamquam enim Dei jussu ad omnia singulari cum cura perficienda obligemur, quæ ad divinum ejus honorem promovendum, nostræque vocationi satisfaciendum pertinent, non adstringimur tamen ad felicem negotiorum istorum successum, cum is in potestate nostra non sit. Recte arborem quidem plantare, atque irrigare opportune tenemur, ut vero illa excrescat, incrementumque sumat, solius Dei est efficere. Quod si autem conatus nostri sperato exitu destituerentur, vel per negligentiam etiam nostram minus votis nostris responderent, æquo animo, et suppari tranquillitate voluntati divinæ acquiescamus, persuasi, voluisse hoc pacto a nobis Deum negligentiæ nostræ pœnas sumere. Ejus te itaque pœnitudo capiat, Deum veniam humiliter posce, et tanquam promeritam vindictam, et pœnam hanc ab æterna ejus providentia libens, gratusque suscipe; veluti enim omnis culpa divinæ adversa est voluntati, ita pœna ob culpam inflicta voluntati eidem omnino consentanea est.

Octavo, denique præ omnibus aliis doctrinis hoc loco traditis, illam maximi faciendam, quam sæpius citatus S. Salesius in fine capitis de hac materia tractantis in hæc verba

subjungit : Ille enim vero negotiator, vere sapiens, et circumspectus, imo beatus est, qui occupationes, negotiaque sæcularia, quæ ex officio, vocationeque sua ipsi tractanda incumbunt, singulari cum diligentia exequitur; verum eo cum modo, ut alte defixum id mente habeat, nihil sibi magis curæ, nihil magis cordi esse debere, quam suæ salutis negotium, animæque propriæ ad æternam felicitatem provehendæ.

CONSILIUM V.

De vera Devotione procuranda.

Petitio.—Euphrosina honesta mulier nullum in Communione, aliisque exercitiis suis spiritualibus, gustum percipiens, queritur Ascetæ, se omni devotione destitutam esse, petit proin ab eodem consilium, quomodo se gerere debeat, ut amissam devotionem recuperare queat.

Responsio. — Respondet Asceta, querelam hanc ex ignorantia doctrinarum, quas Auctores de vera devotione tradunt, oriri. Quare easdem se Euphrosinæ in compendio traditurum. *Primo* itaque, sciendum illi esse, quid sit vera devotio ; quam clare præ aliis S. Franciscus Salesius explicat sequentibus verbis : Vera vivaque devotio amorem Dei præsupponit, nec quid aliud est quam verus quidam Dei amor; non tamen qualiscumque et talis qualis amor ; nam in quantum amor divinus animam nostram cohonestat et venustat, dicitur *gratia*, divinæque ejus Majestati acceptos nos reddit ; in quantum vero vires ad benefaciendum nobis confert, vocatur *charitas*. Verum cum jam ad eum perfectionis gradum pertingit, ut nos non solum benefacere, verum etiam sollicite, diligenter, frequenter, prompteque operari faciat, tum demum *devotionis* appellatur nomine. Struthiones nunquam subvolant, et gallinæ nonnisi admodum graviter, et demisse, et rarissime; sed aquilæ, columbæ, hirundines, et sæpe, et celeriter, et sublime evolant. Pari modo peccatores nunquam ad Deum sursum evolant, sed omnis eorum libratio et studium in terra, circa terram, et propter terram suscipitur. Probi vero homines, qui scilicet nondum ad devotionem pervenere, ad Deum quidem per opera sua bona subvolant, attamen raro admodum, tarde, et graviter. At qui vere devoti sunt, frequenter, expedite et sublime in Deum evolant. Ut concludam ergo, devotio aliud non est, quam quædam agilitas et vivacitas spiritualis, adminiculo cujus charitas suas in nobis actiones (aut potius nos per illam) prompte, affectuoseque exequitur, et operatur. Et sicut ad charitatem spectat, ut omnia Dei mandata in genere et universaliter nos adimplere faciat, ita ad devotionem pertinet, nos ad eadem prompte seduloque adimplenda excitare, et inducere. Quam ob rem, quisquis omnia Dei præcepta, non prout oportet, observat, nec bonus, nec devotus haberi potest. Itaque charitas et devotio non plus inter se differunt, quam ignis et flamma, quod charitas, cum spiritualis quidam ignis sit, quando vehementer inflammata et accensa est, dicatur devotio, et ad charitatis ignem aliud non addat, præter flammam, quo charitatem et alacrem, et diligentem, non modo ad divina mandata observanda, verum etiam ad consilia et inspirationes cœlestes exercendas, reddat. Devotio ergo omnium dulcedinum est dulcissima, et virtutum universarum regina. Est namque ipsa charitatis perfectio; si enim charitas lac sit, devotio est cremor ; si illa planta sit, devotio ejus est flos; si illa gemma ac lapis pretiosus, devotio ejus est fulgor et jubar ; si illa balsamum et aromata, devotio ejus est fragantia et odor suavitatis, homines confortans ac vegetans, Angelos autem lætificans. Ex qua descriptione facile colligi poterit, quæ sit falsa devotio, quam idem Sanctus sic depingit : Quascumque imagines et vultus depingeret pictor Arelius, ad similitudinem atque effigiem mulierum, quas adamabat, efformabat; sic sibi quisque devotionem pro passione et imaginatione sua depingit. Qui jejunio addictus est, valde devotum reputabit, si multum et frequenter jejunet, licet intus latet odium et malevolentia ; cumque non audeat linguam vino, ac ne quidem aquæ præ sobrietate intingere, illam sanguini proximomorum palam immergere, iis detrahendo, et calumniando, non verebitur. Alius se devotum existimabit qui plurimas quotidie preces et orationes decurrat, etsi exinde lingua illius in verba morosa, querula, arrogantia, et injurias in domesticos et vicinios suos totam sese effundat. Alius libenter admodum eleemosynas in egenos et inopes e crumena educit, benignitatem tamen et

amorem corde suo elicere ac depromere nequit, ut inimicis ignoscat. Erit et alius, qui quidem inimicis suis haud difficulter injurias omnes dimittet, sed ut creditoribus suis satisfaciat et cum iis rationes ineat quam ægerrime in animum suum inducet, et nonnisi violenter, ac judice compellente. Omnes hi vulgo devoti habentur, revera tamen devoti non sunt. Milites Saulis Davidem in domo sua quærebant, at cum Michol statuam in lecto collocasset, eamque vestibus Davidis induisset, crediderunt illi, Davidem ipsum ægrum in lecto decumbere; sic permulti actionibus et operibus quibusdam externis, ad sanctam devotionem spectantibus, sese induunt, et palliant, et credunt homines illos vere devotos et spirituales esse, cum revera, et a parte rei nonnisi simulacra quædam, et inania phantasmata devotionis sint.

Secondo, sciendum est, duplicem esse devotionem. Prima *rationalis* vocatur, quando quis quodlibet peccatum odit, et execratur, promptaque voluntate Deum colit, et ea, quæ Deo placere cognoscit, strenue amplectitur, ac peragit, ut eam Blosius describit, de qua locutus est pius Auctor dicens : « Devotus homo ubique secum fert consolatorem suum Jesum, et dicit ad eum : Adesto mihi, Domine Jesu, in omni loco, et tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas, et justa probatio pro summo solatio. Secunda *sensibilis* vocatur, est, quæ in cordis quadam motione et suavitate consistit, et externis gestibus, et lacrymis proditur, quam etiam peccatores, imo et hæretici, ac gentiles plerumque habent. Unde Blosius de ea sic loquitur : Non in ea turpiter conquiescas, sed per eam ad Deum progredere. Admodum periculosa est spiritualis ingluvies, qua quis dulcedine gratiæ ad oblectationem sui abutitur. Anima, quæ hoc vitio altius infecta est, non potest dici pudica, et fidelis famula Christi, neque enim Deo gratis obsequi vult, sed Dei donum magis, quam Deum, diligit. Servula mercenaria, non filia liberalis est. Si nimis ei abblanditur suavitas illa sensibilis, mox ipsa tota turbulenta, tota indignabunda, tota impatiens, pietatis studia deserit; et timoris pudorisque habenis excussis dat se prorsus externis consolationibus. Videlicet si Deus eam oblectare vult, Deo servit; sin minus, ab eo recedit. Anima vero quæ fidelis ancilla, vel pudica sponsa Christi appellari meretur, non in Dei donis, sed in Deo, quiescit. Sive Deus ei infundat internam suavitàtem, tranquilla permanet, hilariter suo sponso famulatur, fideliter ei adhæret, constanter eum diligit. Magis optat Dei voluntatem fieri, quam suam. Igitur cura, ut ubique casta puraque tua sit intentio, lætitiam salutaris Dei hic expecta, non tam ut delecteris, quam ut ipsi Domino placeas. Blosius, *in Canon.* c. XXVI.

Tertio, sciendum est, auream mediocritatem, sanctamque discretionem devotionis sectatorem velut matrem diligere, atque in omnibus actionibus suis observare debere; sine hac enim, quod S. Antonius monet, nulla virtus virtutis nomen meretur, non ipsa devotio quidem. Discretio autem necessario requirit, ut in exercendis virtutibus, rebusque spiritualibus, sancta quadam attemperatione utamur; eaque moderatione illa peragamus, ut ne quis eorum, quibuscum vivimus, merito offendi, aversionemque a factis nostris concipere jure possit. Vera enim devotio suavis ubique semper amœna, et nulli unquam fastidio et molestiæ est. S. Franc. Salesius, *l.* 12. ep. 2.

Quarto, sciendum est, devotioni huic duo specialiter obstare : 1. Animi levitatem et inconstantiam, quæ non raro in causa sunt, ut quæ vel bene prudenterque proposita sunt, non exequatur vel quæ incepta jam, et usitata fuerunt pristinæ devotionis exercitia, commutet; et alia, atque alia, eo prætextu, quasi meliora appareant, suscipiat; vel quod subito ita multa simul, itaque diversa exercitia adoriatur, quæ simul consistere non possunt, utque interdum ea aggrediatur etiam, quæ suas vires et facultatem transcendant, ad quorum denique consecutionem pertingere nunquam possit. Ex quo fit, ut plenus semper bonorum desideriorum existat quæ tamen in executionem suo tempore prodeant nunquam, utque tandem, dum omnes ad perfectionem tenendi vias aut curiose rimatur, aut temere ingredi parat, multis prægravatus desideriis et propositis, tum difficilibus, tum permolestis, vel succumbat penitus, vel plurimum retardetur. Illa enim animum nostrum perplexum admodum inquietumque reddunt, atque efficiunt, ut bene cœptum opus aut propter occurrentes difficultates vix superabiles, aut propter laborem nimis arduum, imperfectum, aut infectum penitus relin-

quere necesse sit. Sancta insuper cum libertate in exercitiis devotionis procedendum, est, ut neque ad sensibilia solatia, eorumque dulcedinem, neque ad certas quasdam consideratiunculas, similiaque pietatis opera, affixus sit, ita ut, vel infirmitate, vel casu improviso, vel honestis legitimisque de causis, vel proximo indulgendi placendique studio, ab iis avocatus et impeditus, idcirco mox inquietudine, animi morositate et impatientia conturbetur, sed in continua mentis tranquillitate perseveret, consuetamque illis suavitatem exhibeat, qui ab exercitiis omissis eum impediverunt. Nam neque sensibilem nimium illis in operibus esse convenit, neque in propositis nimis mollem, ut, quidquid nobis nonnulli obstaculo fuerit, id quam gravissime sentiamus. Hæc enim animi inquietudinem, et anxietates conscientiæ inducunt, superstitionisque nos periculo exponunt. Satis tibi sit arborem devotionis et bonæ voluntatis, actis profunde in corde radicibus, firmiter consistere, nec curandum magnopere, si a ventis aut folia, aut fructus, aut rami etiam agitentur, alte radicato, et inconcusso, firmiterque consistente arboris trunco. Nec est etiam, quod devotionis studiosus aut miretur, aut animum despondeat, consideratis suis tot negligentiis, miseriis, infirmitatibus, tentationibus, affectuum inordinatorum assultibus, et defectibus quotidianis. Quamdiu enim in se timorem Dei amoremque conservare laborat, quamquam hucusque partes suas non ita perfecte expleverit, non idcirco tamen conclamatum est, nec conficiendus etiam ægritudine animus, sed firmo potius proposito erigendus, illi inposterum concessis a Deo gratiis diligentius utendi, immoderatos animi affectus amplius edomandi paulatim, et ad patientiam, mansuetudinem, humilitatem, suavitatemque se inducendi, quærendique profectum suum spiritualem, hinc inde ex omnibus. Tandem si videat muneri suo a se cum diligentia satisfactum, gratias Deo, laudesque decantet. Sin contra, negligentiam in se agnoscat, si præsertim illa de industria admissa non est, ejus in se dolorem excitet, coram Deo profunde se humiliet, proponatque adhibendam a se deinceps omnem industriam, persuasumque sibi habeat, clementissimum Deum idcirco sibi auxiliis gratiaque non defuturum ut qui quassatum calamum non conterat, nec cor humiliatum despiciat, sed iis potius omnes benevolentiæ charitatisque thesauros recludat, imo suam in sublevandis eorum miseriis gloriam et honorem quærat. 2. Non minus obstare effusionem animi ad externas consolatiunculas, uti recte Thomas Kemp. advertit dicens : « Utilius est sæpe, et securius, quod homo non habeat multas consolationes in hac vita, secundum carnem præcipue ; tamen, quod divinas non habemus, aut rarius sentimus, nos in culpa sumus, quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas et externas omnino abjicimus. » Et iterum : « Si veraciter vis delectari, et abundantius a me consolari, ecce in contemptu omnium mundanorum et in abscissione omnium infirmarum delectationum erit benedictio tua, et copiosa tibi reddetur consolatio. Et quanto plus te ab omni creaturarum solatio subtraxeris, tanto suaviores et potentiores consolationes invenies. » Thom. Kemp. l. II, c. xii, et l. III, c. xii.

Quinto, sciendum, plurimum etiam ad devotionem conducere, immo necessarium esse, ut suus illi status vocatioque abunde sufficiat, nec de aliis cogitationem conatumque ullum suscipiat. Nihil enim est, quod profectum nostrum ita retardet, majoremque remoram injiciat, in consectanda assequendaque perfectione vocationis, in qua vivimus, virtutibusque, quas status noster a nobis exigit, quam cogitationes, et desideria nostra alium in scopum frustra ejaculari, pretiosumque tempus hoc modo inutiliter prodigere. Liam sponsam suam perfecto amore numquam prosequebatur Jacob, quamdiu de Rachele consequenda laborabat.

Sexto, sciendum, nihil æque conducere ad devotionem conservandam, quam si omnis curiositas circa res aut actiones aliorum ad se non pertinentes studiose vitetur ; sed judicia humana generose contemnantur; uti pius Auctor his verbis indicavit : « In omni re attende tibi, quid facias et quid dicas ; et omnem intentionem tuam ad hoc dirige, ut mihi soli placeas, et extra me nihil cupias aut quæras. Sed et de aliorum dictis et factis nil temere judices ; nec cum rebus tibi non commissis te implices, et poterit fieri, ut parum vel raro turberis. » Quare hortatur Asceta Euphrosinam, ut illa ejusdem Auctoris verba sibi dicta putet : « Dimitte vana vanis ; tu autem intende illis, quæ tibi præcepit Deus. Claude super te ostium tuum, et voca ad te Jesum, dilectum tuum. Mane

cum eo in cella, quia non invenies alibi tantam pacem. Si non exivisses, nec quidquam de rumoribus audisses, melius in bona pace permansisses. Ex quo nova delectat aliquando audire, oportet te exinde turbationem cordis tolerare. » THOM. KEMP. l. III, c. XXV, et l. III, c. XX.

Septimo, denique sciendum, ad devotionem conservandam specialiter cavere debere devotionis amatorem, ut nihil novum et insolitum, nihil singulare et inusitatum consectetur. Eadem facie, eadem charitate et gaudio internarum suavitatum solatia, et desolationum aversionumque animi fastidia, de paterna Dei acceptet manu. Eidemque non solatiolorum istorum gustus causa, quem ab ipso ejusque servitio percipit, sed pure ipsius gratia tantum propter ipsum, inquam, ejusque obsequium vivat, serviat, adhæreat, atque in hoc vasto mundi eremo, sicut olim electus ille populus, etiam necessario pane et aqua destitutus, nedum aliis, qui solatio et oblectamento esse poterant Deum sequatur. Hoc illi omnium sit loco, quod apprehensa quasi dextera a Deo juxta voluntatem ejus deducatur, de quo S. David gloriatur, ac ipsius ductu causaque perpeti aliquid possit. Hoc unici instar solatii sit, in his æternam ipsius providentiam adorare et venerari; in his ad sinum præsidiumque ejus consurgere; in his inter paterna ejus brachia se conjicere, malleque sine omni solatio omnique cordis gustu emori, quam ab illo pedem referre, et de sua in ipsum fide, spe et charitate vel latum unguem deflectere. Hoc tam devotorum et divinorum actuum studio eveniet, ut Deus in corde tuo per hanc vitam mortalem commoretur et inhabitet, tuque vicissim cum ipso in vita cœlesti et immortali æternum socieris, atque conjungaris.

CONSILIUM VI.

De Communionis Frequentia.

PETITIO. — Catharina, virgo devota, cum legisset et audisset, augustissimum Altaris Sacramentum medium esse efficacissimum, et viam securissimam perveniendi ad perfectionem, vehemens concepit desiderium quam frequentissime communicandi; quia tamen sæcularis est, et variæ sunt quoad Communionem his personis concedendam Confessariorum opiniones et praxes, ideo cupit super hoc Ascetæ judicium et consilium intelligere.

RESPONSIO. — Respondet Asceta per sequentes aphorismos. *Primus* est, non longo tempore differendam esse Communionem; uti recte S. Cyrillus indicavit dicens : « Sciant baptizati homines; si longo temporis spatio propter simulatam pietatem mystice Corpori Christi communicare recusent, ab æterna vita se procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. Quare oportet omnibus viribus a peccato mundari, et recte vivendi jactis fundamentis magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. » S. CYRILL. *in Joan.*

Quod etiam Thomas Kempensis confirmat, dicens : Quid prodest diu tardare confessionem, aut sacram differre Communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, et senties melius, quam si diu, distuleris. Si hodie propter istud dimiseris, cras forsan aliud eveniet; et sic diu posses a Communione impediri, et magis ineptus fieri. Quanto citius vales, a præsenti gravitate et inertia te excutias, quia nihil importat diu anxiari, diu cum turbatione transire, et ob quotidiana obstacula se a Divinis sequestrare. Immo plurimum nocet diu Communionem protelare; nam et gravem torporem consuevit inducere. Proh dolor! quam tepidi et dissoluti moras confitendi libenter accipiunt, et Communionem sacram idcirco differri cupiunt, ne ad majorem sui custodiam se dare teneantur. Heu! quam modicam charitatem et debilem devotionem habent, qui sacram Communionem tam faciliter postponunt! Quam felix ille, et Deo acceptus habetur, qui sic vivit, et in tali puritate conscientiam suam custodit, ut etiam omni die communicare paratus, et bene affectus esset, si ei liceret, et sine nota agere posset!

Secundus aphorismus est a S. Augustino probatus dicente : « Quotidianam Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. » S. AUG. I, *de Dogm. Eccl.* Cui etiam S. Franciscus Salesius adstipulatur dicens, se Patris spiritualis illius hominis, qui huc propendet, et si communicare volet, discretioni id relinquere; nam cum dispositio, quæ ad tam frequentem Communionem requiritur, valde exacta et eximia esse debeat, hinc eam generaliter cuilibet

consulere, consultum non est. Verum quoniam hæc ipsa dispositio, tametsi singularis, in multis sanctis animabus haberi potest et inveniri; hinc etiam non consultum est, generaliter unumquemque a tali Communione divertere et abstrahare, at juxta cujusque conscientiæ statum in particulari ea aut suadenda, aut dissuadenda. Etenim imprudentiæ specimen foret, tam frequentem Eucharistiæ usum omnibus sine ulla distinctione consulere; uti et imprudentia foret, aliquem propter eum reprehendere, maxime si boni prudentisque alicujus directoris Consilium in hoc sequeretur. Scite sane S. Catharina Senensis suam adeo frequentem Communionem reprehendentibus, eo quod S. Augustinus eam nec laudabat, nec vituperabat, respondit : Cum S. Augustinus eam non vituperet, rogo, ne et vos eam vituperetis; et hoc mihi sufficiet. Ut tamen quotidie quis sacras epulas accedat, potissimam præterea malarum suarum inclinationum partem superarit necesse est, et non nisi Patris sui spiritualis cum consensu, consilioque id aggredi debet. S. Franc. Sales. p. 3. *Introd.* cap. XXI.

Tertius aphorismus est ab eodem Salesio prolatus his verbis : Quamquam hoc certo et audacter dicere queam, eos, qui devote servire Deo volunt, non posse minus quam singulis mensibus communicare, nec diutius differre Communionem posse. Si satis prudens sis, tibi nec mater, nec uxor, nec maritus, nec pater impedimento erunt, quo minus sæpe sacram Communionem adeas. Cum enim ipsa Communionis die officii tui partes pro statu tuo convenienter expleas, et erga illos tum benignior et affabilior sis, nullumque genus obsequii eis deneges; verisimile certe non est, illos hoc in exercitio ullatenus impedire te velle, cum nullum ex hoc ipsis secuturum sit incommodum, nisi forsan admodum impertinentes, morosi, et ratione dissentanei forent. Hoc in casu, ut dixi, si director tuus ita faciendum suaserit, illorum voluntati forsan condescendendum erit. Ibidem.

Quartus aphorismus iterum a S. Augustino datus est, loc. cit. dum dixit : Omnibus tamen diebus Dominicis, ut quis communicet, suadeo et hortor, si tamen mens sine voluntate peccandi sit. Super quæ verba sic discurrit S. Franciscus Salesius : Vides, Philothea, Augustinum consule quam maxime, et neminem non exhortari, ut singulis diebus Dominicis Communionem sacram adeat, hoc ergo consilium sequere, et exequi pro viribus stude. Etenim cum nullum erga peccatum mortale affectum et propensionem (uti præsuppono) habeas, nec etiam erga aliquod veniale inclinata sis; veram illam dispositionem habes, quam S. Augustinus requirit, quin et adhuc multo excellentiorem, nam non modo non habes affectum peccando, sed ne quidem erga peccatum, adeo ut, si Pater tuus spiritualis consuleret, et expedire censeret etiam sæpius quam unaquaque Dominica, cum animæ tuæ fructu communicare posses. Nihilominus multa legitima occurrere possunt impedimenta non quidem a parte tua, sed ab iis, quibuscum agis, quæ prudenti Confessario occasionem forsan darent, tam frequentem tibi Communionem inhibendi. Si verbi gratia alicujus in subjectione agas; et si ii, quibus aut obedientiam aut reverentiam debes, ita male edocti et stupidi essent, ut toties te sacram Communionem adire videntes scandalizentur, aut se turbent. Quare, rebus omnibus consideratis, consultum forsan erit, illorum infirmitati aliquo modo in hoc acquiescere, et nonnisi decimo quinto quoque die sacram Communionem adire. At hoc intelligitur ita, si difficultatem nimirum aliter exsuperare nequeas, sed nihil certi hac in re generaliter definire et consuli potest, at faciendum, quod tibi Pater spiritualis faciendum consulet. Idem.

Quintus aphorismus est, quem iterum pius Auctor his verbis proponit : Propter aliquam parvam turbationem vel gravitatem, sacram ne dimittas Communionem, sed vade citius confiteri, et omnes offensiones aliis libenter indulge. Si vero aliquem offendisti, veniam humiliter precare, et Deus libenter indulgebit tibi; cum enim quidam sacræ Communioni se aptare disponunt, pejores Satanæ immissiones patiuntur. Ipse nequam spiritus (ut in Job scribitur) venit inter filios Dei, ut solita illos nequitia sua perturbet, aut timidos nimium reddat, et perplexos; quatenus affectum eorum minuat, vel fidem impugnando auferat; si forte aut omnino Communionem relinquant, aut cum tepore accedant. Sed non est quidquam curandum de versutiis et phantasiis illius, quantumlibet turpibus et horridis; sed cuncta phantasmata in caput ejus sunt retorquenda. Contemnendus est miser, et deridendus; nec propter insultus ejus et commotiones, quas

suscitat, sacra est omittenda Communio. THOM. KEMP. l. IV.

Nam sic fertur Mithridates, Ponti rex, cum mithridatium medicamentum invenisset, ita suum per hoc ipsum corpus corroborasse et armasse, ut cum postea, quo Romana vincula et captivitatem evitaret, veneno sibi vitam vellet abrumpere, nequaquam potuerit. Ita Redemptor noster Christus augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod Carnem ejus et Sanguinem realiter continet, instituit, ut, qui ipsum comedit, in æternum vivat. Unde qui ipsum crebro cum devotione suscipit, ita animæ suæ vitam et sanitatem confirmat, ut ipsum propemodum impossibile sit ab aliquo sinistro affectu vitiosaque inclinatione intoxicari. Nemo Carnem hanc vitæ potest comedere, eaque nutriri, et mortis affectibus exinde vivere. Adeo, ut, quemadmodum homines in paradiso terresti agentes secundum corpus mori non poterant, idque vi et efficacia ligni illius vitæ, quod in ejus medio Dominus plantarat; sic spiritualiter et secundum spiritum iidem mori non possunt virtute Sacramenti hujus vitæ. Si enim fructus molliores, et corruptioni præ aliis obnoxii (puta cerasa, poma annenia, et fraga) facili negotio per totum annum integri conservantur, si quando saccharo aut melle condiuntur; mirum sane non est, corda nostra, tametsi fragilia et imbecillia, a peccati corruptione integra conservari, quando ab incorruptibili Carne et Sanguine Filii Dei saccharata et mellita sunt. Quicumque Christiani, Philothea, damnationi addicentur, nihil habebunt certe, quod in suam defensionem et excusationem adferant tum, cum Judex justissimus illis ostendet, quam immerito spiritualiter mori voluerint, cum tam facile et sanitate corporis sui, quod de hac causa illis relictum et datum erat, manducatione conservare potuerint. Illis miseris dicet: Cur, quæso, mortui estis, cum fructum et cibum vitæ in manibus vestris habueritis, et potestate? Quæ omnia de matrimonii etiam usu observanda esse, notat Salesius, dum sic loquitur: Pro conjugatis aliquid hic addam oportet. In veteri lege vetuerat Deus, ne creditores diebus festis debitum a debitoribus suis exposcerent, at non damnabat, si debitores eis diebus ea, quæ debebant, exigentibus solverent. Indecens est, quamquam non magnum peccatum, matrimoniale debitum ea die exigere, qua sacram quis adiit Communionem; at indecens non est, immo vero meritorium, ipsum reddere. Non ergo ob debiti illius redditionem Communione quis privandus est, si alioquin devotio ad ipsam adeundam feratur. Certe in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, esto essent conjugati et prolibus operam darent. Atque ideo dixi, frequentem Communionem nullum omnino incommodum aut parentibus, aut uxoribus, aut maritis dare consuevisse, dummodo is, qui eam adit, prudens sit et discretus. S. FRANC. SALES. *Introd.* c. XX.

Sextus aphorismus est, quotiescumque Communio peragitur, magis attendendum est, quomodo, quam quoties peragatur, ut recte monet Auctor libelli *de Imitatione* dicens: Super omnia cum summa humilitate cordis, et supplici reverentia, cum plena fide, et pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum, et sumendum, oportet Dei accedere Sacerdotem. THOMAS KEMPENSIS, L. IV. *de Imit.* c. VI. Quod idem etiam de communicantibus dicendum, qui proin cum eodem Asceta dicere deberent ad Christum: Cum summa devotione et ardenti amore, cum toto cordis affectu et fervore desidero te, Domine, suscipere, quemadmodum multi Sancti et devotæ personæ in communicando te desideraverunt, qui tibi maxime in sanctitate vitæ placuerunt, et in ardentissima devotione fuerunt. O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis; cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio, et dignissima reverentia, quam aliquis Sanctorum unquam habuit, et sentire potuit. Et licet indignus sum omnia illa sentimenta devotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem. Sed et quæcumque potest pia mens concipere et desiderare, hæc omnia tibi cum summa veneratione et intimo fervore præbeo et offero. Ibid. c. XVII.

Speciatim vero utilem modum communicandi suggerit Sanctus Salesius his verbis: Jam inde a præcedente vespere ad sanctam Communionem te præparare incipe; idque per multas aspirationes, et amatorias animi elibrationes, paulo citius dormitum concedes, ut etiam citius et tempestivius possis surgere. Si forte ea nocte expergisceris, statim spiritum et os tuum verbis quibusdam devotis ac odoriferis adimple, quibus anima tua eu odoramentis quibusdam perfundatur, ad

Sponsum suum admittendum; qui te dormiente vigilans, sexcentas tibi gratias et chrismata dare paratus est, dummodo tu a parte tua ad easdem recipiendas disposita sis. Mane summa cum animi hilaritate et gaudio surgito, quod maximum bonum et beneficium hodie sis acceptura, et sacra confessione præmissa, magna quadam fiducia simul et magna cum animi humilitate ad cœlestem hunc cibum, qui ad immortalitatem te nutrit sumendum accede. Et, postquam jam sacra illa verba: *Domine, non sum dignus*, dixeris, caput aut labia, vel ad orandum, vel ad suspiria ducenda, amplius non movebis; sed ore modeste ac modice deducto, et capite tantum, quantum necesse est elevato, ut sacerdos commode videat, quid agat, plena fide, spe et charitate recipe illum, quem, in quem, et propter quem credis, speras, et diligis. Considera, Philothea, sicut apis, postquam rorem cœlestem et præstantissmum terræ succum jam e floribus collegit, et in mel redegit, ipsum in alveare suum invehit; ita sacerdotem postquam mundi Salvatorem, verum Dei Filium, qui instar roris e cœlo descendit, et verum Virginis Filium, qui floris in morem ex humanitatis nostræ terra prodiit, ex altari accepit illum velut cibum suavissimum in os et intra corpus tuum inducere. Postquam illum jam recepisti, cor tuum ad Regi huic salutare obsequium deferendum excita et cum illo de rebus ad animam tuam spectantibus tracta, eumque intra te ipsam considera, quo, ut tibi benefaceret, sese recepit. Denique quam poteris intime et amicissime eum excipe, et tracta; itaque te gere, ut ex omnibus actionibus tuis evidenter appareat, et cognoscatur, Deum cœli in te commorari. S. Franc. Sales. p. II. *Introd.* c. xxi.

Septimus aphorismus est: Oportet, ut non solum te pares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio, ad majorem gratiam consequendam. Ex quo quippe quis valde indispositus redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Cave a multiloquio, mane in secreto, et fruere Deo tuo; ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum, cui te totum dare debes; ita ut jam ultra non in te, sed in me, absque omni sollicitudine vives. Thom. Kemp. l. IV. c. xii. § 4.

Octavus et ultimus aphorismus est: Qui legitime præparatus est, habebit semper bonam voluntatem et piam intentionem communicandi, et sic non carebit fructu Sacramenti. Potest enim quilibet devotus omni die, et omni hora ad spiritualem Christi Communionem salubriter et sine prohibitione accedere. Porro hæc Communio spiritualis sic commode peragi posset: O mi amantissime Jesu, credo firmissime te in hoc Sacramento, quoad corpus et animam, quoad divinitatem et humanitatem, latere; atque adeo omni possibili affectu submissionis et reverentiæ adoro et veneror te. Spero quoque in infinita misericordia tua, quod, sicut hoc Sacramentum cum charitate instituisti, ita ad fructum quoque illius participandum me benignissime sis admissurus. Diligo quoque te ex toto corde meo, et ardentius diligere desidero, ideoque summe doleo de omnibus peccatis meis, et me tibi corporaliter unire in hoc Sacramento impense cupio, sed quia non sum dignus, ut intres realiter sub tectum meum, humillime rogo, ut saltem spiritualiter per os Sacerdotis in pectus meum descendas, eosque effectus opereris, quos realiter sumptus operari consuevisti. Et ecce jam sentio præsentiam tuam. Tenui te, nec dimittam, donec benedixeris mihi. O Anima Christi etc. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo tuo. O Domine, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Laudate Dominum omnes Gentes.

CONSILIUM VII.

De Confessione generali facienda.

Petitio. — Juliana matrona novum Confessarium nacta vehementer desiderat confessionem generalem facere; tum ut meliorem ipsius notitiam acquirat Confessarius, tum ut anxietatem, scrupulos de peccatis prioribus non rite, ut timet, explicatis tollat, petit proin consilium ab Asceta, an scilicet suadeat ejusmodi confessionem, et posito quod eam judicet faciendam, ulterius scire petit, quid pro ea fructuose facienda observare specialiter debeat.

Responsio. — Respondet Asceta, ut consilium suum facilius intelligatur, sequentes doctrinas bene observandas esse. *Prima* est,

ut finis generalium confessionum bene intelligatur, qui quidem triplex est potissimum : Primus est, ut si quid in superioribus confessionibus, vel circa dolorem, vel ipsam accusationem, vel propositum omissum non accurate satis peractum est, per ejusmodi confessionem compensetur. Secundus est, ut per accuratiorem ejusmodi discussionem conscientiæ plenior certiorque sui ipsius, ac status animæ suæ notitia acquiratur. Tertius et præcipuus est, ut, dum universa peccata in uno quasi cumulo conspiciuntur, pœnitens ad majorem dolorem, confusionem, satisfaciendi studium, fervorem ac amorem stimuletur, sicque et ipse, cum S. Maria Magdalena, advertens tam multa peccata sibi remissa esse, incipiat diligere multum.

Secunda doctrina est, ut utilitas quoque generalium confessionum recte cognoscatur, quam quidem tantam esse, ait P. Paulus Barry, ut fatetur, se pro usu, quem earum habuit, testari posse, se animas reperisse post confessionem talem tam quietas ac contentas, et in talibus vitæ melioris decretis ut ipsi lacrymas elicerent solatii testes, tacitumque sensum ingererent, fore se felicissimum, si vel semel talem confessionem pari fructu similibusque affectibus peragere posset. Addit præterea se novisse virum, qui posteaquam similem de tota vita, non optime traducta, confessionem instituisset, ad quam se magno studio diligentiaque (uti rei momentum exigit) præparaverat, dicere erat solitus : Montem videri sibi suis ab humeris semotum, neque quinquaginta annorum spatio, quos in omni deliciarum genere transegerat, se tanta voluptate, atque animi lætitia fuisse perfusum, quantam illi ista suorum peccatorum exoneratio attulisset. PAUL. BARRY, *in Hagioph. dis. mat.* 2 *die.*

Hanc autem spiritus tranquillitatem illico consequuntur ferventia desideria Deum amandi, et aliam melioremque vitæ rationem instituendi. B. Maria Veneta puella nobilis fuerat, ut quæ maxime, tum ante, tum in matrimonio dedida vanitati. Accidit, ut marito absente, et bellis detento, statuerit audiendis concionibus temperare tædium et mœrorem suum; quod ipsi plurimum, imo summum profuit. Nam ita tactus est illius animus, ut omnino decreverit vanitati suæ valedicere, seque seria confessione generali expiare, quod et fecit tam generose, talique proposito, ut a confessione domum regressa, conscenderit in superiorem ædium partem, ubi uniones, catenulas, annulos, specula, cæteraque vanitatis et superbiæ instrumenta ita diffregit, ut usui amplius esse non possent; cumque mater, quæ fortuito accesserat, eum mundum muliebrem sororibus, donec adolescerent, servandum fuisse, affirmaret : Ah ! inquit, sorores plus nimio iis affluent ! Quod egi, feci eo instituto, ut mihi omnem occasionem præscinderem repetendarum mearum vanitatum, et primum gradum seriæ conversionis meæ et sanctitatis, ad quam contendo, solidarem.

Tertia doctrina est, similem confessionem generalem a tota vita non esse faciendam nisi ratio Congregationis, aut Religiosi status initi, vel specialis quidam internus instinctus, vel tempus aliquod speciale v. g. singulare jubilæum aut fatalis morbus id requirat. Postea vero ubi semel ejusmodi generalem confessionem accurate fecerint, eorumdem peccatorum memoriam deponentes, annuam vel semestrem ab ultima confessione faciunt. Imo duobus generibus omnino non suadendas esse confessiones hujusmodi. Primum est scrupulosorum, utpote quibus ejusmodi confessio adeo non medetur, ut potius sit tormentum, periculosumque præcipitium. Alterum genus eorum est, qui turpem et fœdam inter libidines vitam traxere; nam his quoque commemoratio ac recordatio vitæ præteritæ valde periculosa est; timendum quippe, ne sub specie pietatis ac devotionis Dæmon eos in veteres impudicitiæ laqueos involvat, ita ut communiter satius sit, ut peracta semel seria harum rerum confessione, non amplius meminerint, neque loquantur de illis, nisi generatim et cum horrore detestationeque, ut a movendis abstinemus.

Quarta doctrina est, ut, siquidem confessionem vel a tota vita vel saltem ab ultima generali facere a Confessario permittatur, modum, quem citatus Barry suadet, observes. Primo, itaque confessionis exordio accusa te de iis, quæ ab ultima particulari commisisti, tum ad confusionem peculiarem, tum ad evitandam aliquorum astutiam, qui sub terminis generalibus peccatorum auribus confessorum suaviter insinuant ea, quæ paucis ante diebus patravere, quodammodo Confessariis occasionem præscindunt, numerum et speciem indagandi, quod tamen forsitan res exigeret. Secundo, dic deinde ea, quæ

potissimum conscientiam tuam cruciant; quæ te in divino servitio maxime præpediunt et morantur; quæ in opinione tua est vitiorum tuorum origo. Ita sufficientem accipiet tui notitiam Pater spiritualis, maxime si eo ordinarie uteris, ut nulla futura sit necessitas aperiendi peccata, quæ confessione generali aliquando expiasti. Tertio, si aliquid occurrit, quod nunquam es confessa id ipsum Confessario significa, ut te circa id interroget si opus est. Quarto, multo magis mature declarandum est, si forte in confessione particulari peccatum aliquod silentio pressisses, sive ex verecundia, sive alia quacumque ratione id accidisset. Hoc enim casu Confessarius attentior fit ad singula, ut te juvet, et satisfacis confessionibus, quæ potuerunt esse vitiosæ et inutiles. Quinto, si Confessario nondum innotuisti, conditio et status vitæ tuæ manifestandus est. Si enim in sæculo es, unde sciet te esse matrimonio copulatam, aut adhuc liberam? Si in ordine Religioso, unde conjectabit, professane sis, an non? Vis istud onus illi incumbere ut, quotiescumque aperis peccatum aliquod contra Votum admissum, te continuo percunctetur, an novitia sis, an vero feceris professionem? Quod fieri etiam necesse foret in quibusdam aliis peccatis, quæ specie differunt, gravioraque sunt in uno aliquo, quam in alio, ob adjunctam obligationem. Sexto, peccatis tuis etiam venialibus adjice numerum, quantum fieri potest, ut tanto magis erubescas, si modo numerus frequens est. Septimo, explica te in omni materia verbis decentibus, honestisque, ut castæ aures Confessarii offendi non possint, aut suggeri imaginationes impuræ; utere tamen talibus, ut perfecte intelligat. Octavo, perfice denique tanta animi tui satisfactione hanc confessionem, ut post absolutionem paratissimam esses mortem subire, si Deus ita statueret. Verbo ita perage omnia, quasi postremum in vita tua confitereris.

Quinta doctrina est, ut post confessionem talem semel factam, peccatorum, quantum fieri potest, obliviscatur, et si non meminerit se omnes circumstantias accurate explicasse, nam non meminisse, non est rationabilis causa dubitandi, ut doctissimi Theologi sentiunt, cum nec aliorum nostrorum factorum omnium semper meminerimus. Ne etiam ob facultatem hanc negatam angatur, ostendat eidem, quam secure possit omittere talium peccatorum confessionem, cum in primis Auctores probatissimi, in specie vero Layman, Navarrus, Medina, Sa, Henriquez, Coninck doceant id facere eam posse, et debere. Deinde vero dubium in conscientia scrupulosa fit apud alios certitudo moralis. Et tandem etiamsi aliquam circumstantiam non fuisset confessa, non teneatur cum tanto suo damno omnimodam confessionis integritatem procurare, utpote a qua minores sæpe difficultates excusant, uti Coninck II. 2. p. 2. d. 7. n. 68. cum aliis notat. Imo doctrinam Tauleri semper ob oculos habeat dicentis: Eorum, qui confessiones audiunt, potestati et auctoritati fides adhibenda est, sicut et verbis Dominicis, quibus ait: « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis. » In veritate dico, charissimi, ubi qui peccata sua rite confessus, adhuc remorsum ex iisdem in conscientia patitur, multo melius fecerit, si hac in parte Deo confidendo, et fidem virtuti confessionis adhibendo, eadem denuo non confiteatur, quam si iteret confessionem, oportet enim divinæ pollicitationi, et ipsi Deo, confidere. Quod dum facit homo, habet illum veracem, credens haud dubie servaturum, quod ei in absolutione promisit.

His suppositis, suadet Asceta, ut Catharina quoad hanc materiam sibi adhortationem S. Francisci Salesii applicet sic loquentis; Hoc unum porro, charissima Philothea, hic te rogo, ne ullo inani timore turberis aut anxieris. Scorpio, qui nos ferit, dum ferit, venenatus est; at in oleum liquatus, præstans est adversus proprium virus, et aculeum antidotum ac remedium. Peccatum non aliter probrosum ac infame est, nisi dum admittitur; at in confessionem ac pœnitentiam jam conversum honorabile ac salutare est. Contritio quippe ac confessio tam sunt salutares, tamque bene redolentes, ut peccati turpitudinem eradant, et illius fœtorem tollant. Simon leprosus Mariam Magdalenam dicebat esse peccatricem; at non sic Salvator, nec jam de commissis peccatis, sed tantum de unguento, quod effudit, deque magnitudine charitatis ejus loquitur. Si vere humiles simus, Philothea, infinite nobis peccatum displicebit, quod Deus per ipsum offendatur; at ejusdem accusatio suavis nobis erit ac jucunda, quod per ipsam Deus honoretur. Alleviamentum quoddam in morbo est, malum, quo premeris, medico minutim detegere et aperire. Cum ergo ante Patrem tuum spiri-

tualem veneris, in monte te Calvariæ agere, et sub Jesu Christi crucifixi pedibus consistere, fingito, cujus pretiosus sanguis undequaque effluit, et exuberat, ut te ab omnibus iniquitatibus tuis emundet ac lavet. Nam tametsi ipsissimus Salvatoris Jesu sanguis non sit, est tamen sanguinis ejus effusi meritum, qui pœnitentes circum confessionalia abundantissime irrigat, lavat et respergit. Bene igitur ac sincere cor tuum aperi, ut sic peccata per confessionem eodem egredi facias; nam quantum illa egredientur, tantum pretiosum passionis divinæ meritum illuc subingredietur, quo benedictione id repleat.

CONSILIUM VIII.

Circa Congregationes ineundas.

Petitio. — Christina audiens, multas ex coætanenis suis in sex, septem, aut plures Congregationes inscriptas fuisse, desiderat quidem earum exemplum imitari, sed, quia difficulter tot, tamque diversas leges observare videtur posse, consilium petit ab Asceta, scireque cupit, an et quibus Congregationibus nomen dare suadeat?

Responsio.— Respondet Asceta, antequam consilium suum et judicium circa hanc materiam ei manifestet, tria prius bene apprehendenda esse. Primum est triplicem ob finem præcipue Congregationes institui, nempe ut sub certi Patroni tutela ac Patrocinio securiores sint a temporali et æterno interitu; deinde ut per certas leges et varia pietatis officia in iisdem præscripta ad vitam melius instituendam Sodales inducantur, et tandem mutuis exemplis et auxiliis dilectionem mutuam demonstrent.

Secundum est, omnes fere Congregationes in hoc convenire, quod indulgentiam plenariam in ingressu et morte, et primario seu titulari Festo Sodalitatis habeant; in hoc tamen differre, quod speciales quandoque fines (v. g. impetrationem felicis mortis, aut celerem liberationem e Purgatorio) adjunctos, et varias ad hoc indulgentias concessas, habeant.

Tertium est, quod sicut per idem jejunium triplici obligationi (v. g. jejunandi propter votum, vigiliam, quatuor tempora) satisfacere possunt; ita per easdem preces (si non pro certis personis vivis aut defunctis offerri ex legum præscripto debeant) satisfieri queant pluribus obligationibus variarum Congregationum similes preces exigentium; hinc si quis Rosarium quotidie recitare solitus sit, poterit per hoc satisfacere omnibus Congregationibus non plus, quam septem vel quinque *Pater* et *Ave* quotidie recitatis exigentibus, cum totidiem preces in Rosario contineantur. Quod si vero ejusmodi preces etiam ob justum impedimentum recitari non queant, poterit iisdem per alia opera, quæ tunc ex obedientia et voluntate Dei præ manibus habentur, maxime per dolores et molestias morborum, precum loco oblata, satisfieri; cum enim melior gratiorque Deo sit obedientia, quam victimæ et orationes, dubitari non debet, quin per ejusmodi obedientiam precum loco oblatam abunde Congregationibus certas preces præscribentibus satisfiant.

His suppositis suadet Asceta, ut cum primum et secundum finem, ob quos Congregationes institutas esse ut supra dictum est, scilicet cultum Sanctorum et piorum operum exercitium, etiam extra Congregationes obtinere queat, in eas potissimum Congregationes inscribi se curet, in quibus tertium finem, scilicet auxilia ad felicem mortem et celeram liberationem e Purgatorio, facilius assequi queat, quales v. g. sunt, Congregatio *Horaria*, ut vocant, pro morientibus, et alia novissime pro defunctis instituta, in qua qui horam designatam orationi impendit, animam ea hora mortuam liberare queat. Item quæ duo Sacra quotannis legenda, aut procuranda præscribit. Item Congregatio Jesu, Mariæ et Josephi, Monachi, in Hospitali S. Josephi instituta, in qua omnes Sodales, quamprimum aliquis ex Sodalibus moritur, ab eo momento omnia opera bona per viginti quatuor sequentes horas facienda pro defuncto orare, et, ut fructuosa illi fiant, has ternas precatiunculas quotidie mane et vesperi recitare jubentur: « Benedicti sint Jesus, Maria, Joseph, quibus summas pro acceptis hac nocte (aut die) beneficiis gratias ago. Benedicti etc. quorum amore vehementer doleo de peccatis meis, eaque firmiter devitare propono. Benedicti sint etc. ad quorum honorem omnia opera hac die facienda offero, ut defunctis quidem requiem, vivis vero gratiam bene vivendi et moriendi impetrem. » Præterea etiam ad initium cujusque mensis indulgentiam aliquam defunctis applicabilem pro Sodalibus priori mense defunctis transcribere jubentur. Præter has

Congregationes, quæ facile omnes suscipi poterunt, una vel altera eligi poterit, quæ plures indulgentias, aut alia similia privilegia concessa habet, quales sunt Congregatio Rosarii, S. Francisci, S. Monicæ, Carmelitarum seu Scapularis, vel in subsidium Defunctorum, vel Christi agonizantis, institutæ, modo non plures eligantur, quam ut earum leges, perpensa virium et negotiorum quantitate observari facile queant; cum enim plerisque enumeratis his Congregationibus multa et efficacia ad salutem assecurandam media habeantur, præstat unam vel alteram dumtaxat eligere, et legum illius accurata observatione tantorum favorum participem se facere, quam multas assumendo, leges simul et favores negligere.

CONSILIUM IX.

Circa Tribulationes perferendas.

Petitio. — Achatius in medio tribulationum mari sese deprehendens, ita ut vindictæ stimulis agitetur, vel pusillanimitatis, si non desperationis fluctibus obruatur; totus anxius Ascetam accedit, tum pro consilio, tum pro consolatione, ut omnia pro gloria Dei, animæque suæ salute, nec non cum meritorum cumulo supportare valeat.

Responsio. — Asceta antequam Achatio consilium suum impertiatur, eidem in memoriam revocat duo esse mala; malum nimirum culpæ, et malum pœnæ. Malum culpæ peccatum est, et hoc nullo modo Deo attribui potest; quippe qui *intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, etc. Jac. i. 13. Malum pœna oritur a malo culpæ, et hoc infligitur a Deo, tum in pœna peccati, tum in probationem justorum. Hinc per Amos testatur : « Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? » Amos. iii, 6.

His positis et bene intellectis suadeo, ut de peccatis quidem serio doleas, propter immissas tam a Domino in peccati pœnam plagas neutiquam desperes, qui in omni adversitate totus in Dei voluntatem sis resignatus, ab ipso omnia patienter suscipiens, et dicens cum Job : « Manus Domini tetigit me. Job. xix, 21. Vel cum ipso Salvatore nostro : « Si possibile est, transeat a me calix iste, verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. » Matth. xxvi, In quo docet, juxta S. Aug., voluntatem humanam voluntati divinæ subjici debere. S. Aug *de Consen. Evang. l.* III, c. iv. Quod si Christus dixit : « Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. » Joan. vi. Quanto æquiori jure homo divinæ voluntati et ordinationi sese subjicere debet? Est autem Dei voluntas, ut homo per varias tribulationes ingrediatur in regnum Dei. Act. xiv, 21. Christiani sunt cruciati, non propter hanc vitam vocati, sed futuram. Ne itaque a via declinemus, frenum immittit Deus, ne vero recto tramite currere desinamus, calcar addit, tribulationes, flagellans omnem filium, quem recipit Prov. iii. Et quantum quæso? (S. Leonis Papæ hæc verba sunt.) Quantum nos humiles, quantum oportet esse patientes, qui si quid laboris incidimus, numquam nisi nostro merito sustinemus! S. Leo. *s.*7, *de Eph. Dom.* Nunc sicut filius flagellanti patri ob delictum, aut cædenti ferulæ non irascitur, non conqueritur de illata injuria, bene conscius se tale quod promeruisse, nec desperat de paterna gratia in posterum, cui reconciliando manus exosculatur, et veniam petit; ita et nos dum vapulamur a Domino, ex ejus gratia nos penitus excidisse neutiquam putemus, quin gratias pro paterna correctione humilissimas agamus; non Deum injuria afficiamus, dum nobis damna inferuntur, non irascamur, non vindictam animo concipiamus, nec homines quasi auctores respiciamus, sed Dei justissimo judicio has nobis afflictiones immitti credamus, qui hujusmodi hominibus, seu instrumentis utitur. Quod si omnino in ipsis aliqua esset malitia, magis eorum condolentes nequitiæ, quam nostræ injuriæ, ad exemplum Christi, ingemiscamus : « Pater, ignosce illis. » Quod Christi exemplum admirans S. Anselmus inter alia tandem in hæc verba erumpit : « O verbum magnæ patientiæ, magnæ lenitatis, magnæ dulcedinis, magni amoris, et indicibilis charitatis! Ecce enim, non suam reputat injuriam, non sentit contumelias, non obliviscitur misereri, sed ipsis potius, a quibus patitur, compatitur ; a quibus vulneratur, ipse mederetur, vitam procurat, et a quibus occiditur, orat pro eis, et non petit ultionem etc. » S. Ans. *s. de Pass. Dom.* Memores pro nostra interim consolatione tot Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum et aliorum SS. virorum, qui omnes, quo chariores Deo, eo magis in tribulationum et afflictionum

pistrino exerciti. Nonne Jacob suas passus est miserias? Nonne David vexationum cribro hinc inde agitatus ad frugem rediit? Nimirum Propheta dicente : « Vexatio dat intellectum. » Nonne Isaias, Jeremias, sub jugo hoc sudarunt? Quid dicam amplius? Quotquot Christi vestigia in novo Testamento unquam pressius institere, hi omnes misere afflicti, tribulati, pressi, persecuti, contemptui habiti, verberati, relegati, occisi, nec fuit qui, nisi certando, coronam deportaverit. Cum autem,

Solamen miseris, socios habuisse malorum,

miror, et vere miror, te crucem tuam ægre adeo ferre. Cum tamen, D. Paulo affirmante : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » ROM., *c.* VIII. Audi sapientissimum Regem, ita te hortantem : « Disciplinam Domini, fili mi, ne adjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit et quasi pater in filio complacet sibi. » PROV. V, 11. Apprime et ad rem plane est, quod nescio quis Sanctus vir olim scripto reliquit : « Quid times tollere crucem, per quam itur ad Regnum? In cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus, in cruce infusio supernæ suavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus, in cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis. Non est salus animæ, nec spes vitæ æternæ, nisi in cruce. Tolle ergo crucem tuam, et sequere Jesum, et ibis in vitam æternam. Præcessit ipse bajulans sibi crucem, et mortuus est pro te in cruce, ut et tu tuam portes crucem, et mori effectus in cruce. Quia si commortuus fueris, etiam cum illo pariter vives. Et si socius fueris pœnæ, eris et gloriæ.

Quia tamen non prohibitum est, licitis mediis uti, ad tribulationes tales vel omnino avertendas, vel certe levius ferendas, ideo hortatur Asceta, ut Achatius domicellas imitetur, quæ assiduo secum myrothecia portant, quibus in deliquio se, aut alios ungant et confortent; ita ipse de spirituali myrothecio, sex cistulas, in se motiva ad patientiam excitantia continentes provideat ; in quarum prima cistula *memoria Inferni* contineatur, quo balsamo se S. Franc. Borgia ad omnia itinerum incommoda et molestias patienter ferenda, animavit. In secunda cistula *memoria cœlestium gaudiorum*, quo balsamo mater Machabæorum filium suum roboravit dicens : « Peto, nate, ut adspicias ad cœlum etc., ita fiet, ut non timeas carnificem istum. » In tertia, *memoria tribulationum*, *quas sæculares ex necessitate*, *vel spe lucri terreni patiuntur*, sic enim dicere sibi poterit : « Potuerunt isti et istæ (et quidem ex necessitate, vel exigui præmii spe) *et tu non poteris* cum auxilio devino, et ob inexplicabile præmium cœlestis, et æternæ gloriæ? » In quarta *memoria eorum*, *quæ Martyres passi sunt*, quod balsamum obtulit Thom. Kemp. in persona Christi sic loquens : « Quid est, quod loqueris, fili? Cessa conqueri considerata mea, et aliorum Sanctorum passione. Nondum usque ad sanguinem restitisti. Parum est, quod tu pateris in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam graviter tribulati, tam multipliciter probati et exercitati. Oportet te igitur aliorum graviora ad menten reducere, ut levius feras tua minima. » In quinta reperitur *memoria Passionis Christi*, de quo balsamo dixit S. Aug. : « In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax medium, quam vulnera et passionem Christi. » Imo et ipse Christus discipulos suos hoc balsamo unxit, quando dixit : « Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. JOAN. XXV, 15. » In sexta, *memoria beneplaciti et voluntatis divinæ*, quod balsamum S. David usurpavit, dum dixit « Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est. Ps. CXVIII. » Unde hortatur Asceta, ut prompta, hilarique mente omnes semper animi molestias et anxietates, omnes corporis labores et incommoditates haud aliter a clementissimo Deo acceptet, quam si de paterna manu ipsius suas in manus eas collocari, propriis oculis cerneret. Offerat se insuper generoso animo ad plura, gravioraque pro eo toleranda. Eidemque divinæ clementiæ supplicet humillime, ut exilem ac indignam tolerantiam suam, cum acerbissima pretiosissimaque sua passione unitam, ratam, gratamque habere dignetur. Imploret etiam illorum Divinorum ad hoc subsidium, qui cruciatus ærumnasque in vita perpessi sunt maximas; atque ut hæc omnia facilius exequatur, indubitatum sit ipsi, quod durantibus afflictionibus, desolationibus, et cæteris animi fastidiis, a divina gratia, ejusque confortatione nunquam destituamur, prout earum temporisque ra-

tio exigit; neque opera nostra, in quibus pie tunc exercemur, minus divinæ bonitati grata accidant, etsi magna animi cum repugnantia, ariditate, tarditateque peragantur.

Denique ut modum perfectissimum patiendi etiam sciat Achatius, narrat idem Asceta, quod olim S. Henrico Susoni Christus crucifixus apparuerit cum sex alis, quarum duæ tegentes pedes habebant inscriptionem : « Fer tribulationes patienter. » Duæ manus tegentes : « Fer crucem libenter. » Duæ ad volandum expansæ cum inscriptione : « Fer crucem sicut Christus, » id est, hilariter et constanter. Quibus sat clare tres gradus perfectæ patientiæ expressit; quos si observare studuerit Achatius, non modicum ei robur et solatium spondet Asceta.

CONSOLATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est medium quoddam ad suum vel alterius animum excitandum vel recreandum a consolatione ordinatum. Neque enim aliqui recte doloris levamen definierunt, cum sæpe aliquæ consolationes imittantur a Deo, nulla tristitia vel doloribus suppositis.

Divisio. — Dividitur 1. in *propriam*, et *alienam;* illa est, qua quis seipsum; hæc, qua quis alium consolatur.

Dividitur in *internam* et *externam ;* illa est, quæ a propria conscientia, et virtutibus ac meritis percipitur; ista est, quæ extra se ex rebus creatis emendicatur.

Dividitur quoque in *spiritualem* et *corporalem;* illa est, quæ ex objectis spiritualibus hauritur; ista, quæ ex rebus appetitui sensitivo gratis colligitur. S. Ignatius Loyola in regula tertia ad spiritus cognoscendos ait, quod spiritualis consolatio tunc esse noscitur, quando per internam quamdam monitionem anima exardescit in amorem sui Creatoris, nec jam creaturam ullam, nisi propter ipsum potest diligere. Item lætitia omnis ad studium salutis, quietem et pacem cum Deo habendam incitare solita.

Dividitur denique in *rationalem* et *sensibilem;* illa est, quæ tota intra rationem consistit; ista, quæ etiam in ipso corpore sensibiliter percipitur.

EX S. SCRIPTURA.

Consolationes cœlestes. — Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. II, Cor. 3.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ps. xciii. 19.

Convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo a dolore suo. Jer. xxxi. 13.

Ab ubera mea potabimini, et super genua blandientur vobis; quomodo sicuti mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Is. lxvi. 1

Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Osee. ii. 14.

Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Ps. cxxv. 6.

Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. Is. liv. 7.

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Ps. lxv. 12.

In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Ps. lvi. 1.

Quoniam sicut abundant passionnes Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra ; sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. II. Cor. i. 5 et 7.

Consolationes humanæ. — Date siceram mœrentibus, et vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius. Prov. xxxi. 6.

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus , idipsum invicem sentientes. Rom. xii. 15.

EX. SS. PATRIBUS.

Qualitas. Consolatio mitis debet esse, non aspera, quæ magis dolorem leniat, et furorem mitiget, quam commotionem excitet. S. Ambr. *in lib. de Joseph,*

Cum volumus afflictum quempiam a mœrore suspendere, ordo consolationis est, ut studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui

non concordat dolori; quia eo ipso, quod a mœrentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur. S. Greg. *in Moral.*

Facilior erit consolatio, si inter flagella, quæ patimur, ad memoriam delicta quæ fecimus, revocemus, atque hæc non jam flagella, sed dona esse conspicimus, si, quæ carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus. Idem, *in Registro.*

Magna consolatio tribulationum est, Auctoris nostri dona ad memoriam revocare. Greg. V. *Mor.*

Consolatio amplior est quam afflictio. Idem, *in Epist. ad Corinth.*

Festina consolatio bonorum est consideratus finis malorum, dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt; quod evadunt, leve æstimant quidquid in hac vita adversum patiuntur. Idem, xxi, *Moral.*

Facilis est consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæ fecimus delicta ad memoriam revocemus. Idem, *in Registro.*

Non est probus consolator, quem prævii vincunt gemitibus. Hieron.

EX LIBELLO. DE IMITATIONE CHRISTI.

Non est grave, humanum contemnere solatium, cum adest divinum. Magnum est, et valde magnum; tam humano, quam divino posse carere solatio, et pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere. L. II. c. ii. § 1.

Verus amator Christi, et studiosus sectator virtutum, non cadit super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines, sed magis fortes exercitationes, et pro Christo duros sustinere labores. Ib. § 3.

Cum igitur spiritualis a Deo consolatio datur, cum gratiarum actione accipe eam, sed Dei munus intellige esse, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimium gaudere, nec inaniter præsumere, sed esto humilior ex dono, cautior quoque et timoratior in cunctis actibus tuis, quoniam transibit hora illa, et sequetur tentatio. Ib. § 4.

Cum ablata fuerit consolatio, non statim desperes, sed cum humilitate et patientia expecta cœlestem visitationem, quoniam potens est Deus ampliorem tibi redonare consolationem. Ibid.

Solet sequentis consolationis tentatio præcedens esse signum. Ib. § 7.

Datur consolatio divina, ut homo fortior sit ad sustinendum adversa. Sequitur etiam tentatio, ne se elevet de bono. Ib. § 8.

Excedunt spirituales consolationes omnes mundi delicias, et carnis voluptates; nam omnes deliciæ mundanæ aut vanæ sunt, aut turpes; spirituales vero deliciæ solæ jucundæ et honestæ, ex virtutibus progenitæ, et a Deo puris mentibus infusæ. L. I. c x. § 1.

Deus benefacit consolationis gratiam dando; sed homo male agit, non totum Deo cum gratiarum actione retribuendo. Ib. § 2.

Utilius est sæpe et securius, quod homo non habeat multas consolationes in hac vita, secundum carnem præcipue. Tamen quod divinas non habemus, aut rarius sentimus, nos in culpa sumus, quia conpunctionem cordis non quærimus, nec vanas et externas omnino abjicimus. L. I. c. xxi. § 3.

Cognosce te indignum divina consolatione, sed magis dignum multa tribulatione. Ibid.

Non est in eo tantum vitæ spiritualis profectus, cum consolationis habueris gratiam; sed cum humiliter et abnegate, patienterque tuleris ejus substractionem. L. III. c. vii. § 1.

Quidquid desiderare possum, vel cogitare ad solatium meum, non hic expecto, sed in posterum. L. III. c. xvi. § 1.

Non poteris, anima mea, plene consolari, nec perfecte recreari, nisi in Deo Consolatore pauperum, ac Susceptore humilium. Ibid.

Vanum est et breve omne humanum solatium; beatum et verum solatium, quod intus a veritate percipitur. Ib. § 2.

Devotus homo ubique secum fert consolatorem suum Jesum, et dicit ad eum: Adesto mihi, Domine Jesu, in omni loco et tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio, Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas et justa probatio pro summo solatio. Ibid.

Fili, ego Dominus confortans in die tribulationis. Venias ad me, cum tibi non fuerit bene. L. III. c. xxx. § 1.

Hoc est, quod maxime consolationem impedit cœlestem, quia tardius te convertis ad orationem; nam antequam me intente roges, multa interim solatia quæris, et recreas te in externis.

Putas tu, quod semper habebis pro tua

voluntate consolationes spirituales? Sancti mei non semper habuerunt tales, sed multas gravitates, et tentationes varias, magnasque desolationes. Vis tu statim habere, quod multi post multas lacrymas, et magnos labores vix obtinuerunt? Lib. III. c. xxxii. § 5.

Si bene scirem omnem humanam consolationem abjicere, sive propter devotionem adipiscendam, sive propter necessitatem, qua compellor te quærere, quia non est homo, qui me consoletur, tunc possem merito de gratia tua sperare, et de dono novæ consolationis exultare. L. III c. lxix. § 4.

Consolatio tibi interdum dabitur, sed copiosa satietas non concedetur. Confortare igitur, et esto robustus tam in agendo, quam in patiendo contraria. L. III c. ii. § 3.

Domine, non sum dignus consolatione tua nec aliqua spirituali visitatione, et ideo juste mecum agis, quando me inopem et desolatum relinquis. Si enim ad instar maris lacrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. L. III. c. xxxii. § 3.

Natura libenter aliquod solatium habet externum, in quo delectetur ad sensum; sed gratia in solo Deo quærit consolari, et in summo bono super omnia visibilia delectari. L. III. c. liv. § 4.

EXEMPLA.

Quod Christus ipse consolationem admiserit, testatur S. Lucas Evangelista, dicens: Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Luc. xxii. 43.

S. Paulus de seipso fassus est: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. II. Cor. vii, 4.

S. Magdalena de Pazzis fel purum sitiebat, nullo medicatum gustu spiritus, aut ulla etiam cœlesti dulcedine temperatum. Hinc et voti compos facta, per quinque annos ab inferis et superis sic cruciata est, ut in frusta discerpi videretur. Cumque Confessarius ei solatium aliquod polliceretur, aut præsagiret, id longius a se removebat, de quo Deo querebatur, quod a pactis inter se conventis discederet. Eug. *in Dom.* iv, *post Pasc.* § 2.

Quidam famulus Dei, revelationibus et visionibus admirandus, cum crebris consolationibus etiam a Deo recrearetur, indignum se illis arbitratus, rogavit Deum, ut auferret illas; quod per quinque annos ita factum est, ut vix jam respirare, et quietem animi tenere posset. Quare Deus ipsius misertus, duos Angelos eum consolaturos misit, quorum tamen ille solatium respuens dixit: Non peto, Domine, ullum solatium, sed satis mihi est, custodire locum, ubi in eum præter se nihil introeat. Qui affectus adeo Deo placuit; ut ad eum illas voces dixerit: Tu es Filius meus, in quo mihi complacui. Nierenb. c. xxvi, *Vit. divin.*

Alius quidam eximius Dei servus dicere de seipso solebat: Quadraginta jam annis servio Deo in multa oratione sine ulla interna consolatione, eo tamen die, quo eam facio, suave mihi esse experior et expeditum virtutum exercitum; hocque sibi unicum solatium esse, quod propriis expensis Deo serviret, sciens scilicet quod olim Deus S. Gertrudi dixerit: Vellem electis meis persuasum esse quod eorum bona exercitia placeant, quando serviunt propriis expensis. Drex. 1, I. c. vi. *Rhet cœl.* § 2.

Paula, sanctissima matrona romana, in mœrore cantabat: Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus. Moxque consolatam se sensit. S. Hier. *In Epitaph.*

S. Lydwina Batava tanto consolationum cumulo recreabatur a Deo, ut earum pondere se opprimendam diceret, nisi etiam aliquando a Domino humiliaretur: Hinc bona, inquiebat, est consolatio, quam non tumor inflat, sed timor consolidat. *Vit. ejus.*

Thomas Morus carceri mancipatus nullum mœrori locum dabat, sed alios potius ad se accedentes etiam solabatur, dicens: Hunc mundum carceri similem esse, ex quo ad causam dicendam sui singulis diebus evocantur. Quod autem meus carcer aliorum carcere sit minor, beneficii loco habeo, cum e malis minimum sit eligendum. Sanderus, *in Vit.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius adeo effluebat consolationibus spiritualibus, Psalmodiæ maxime tempore, ut præ copia lacrymarum, quas illæ exprimebant, oculos propemodum perdiderit. *Vita*, l. XXX c. i.

S. Franciscus adeo obruebatur cœlestibus consolationibus, ut in has voces : Satis est, Domine, satis est ! non semel erumpere coactus sit. *Vita.*

B. Stanislaus Kostka usque adeo amore divino et consolationibus eum comitantibus incaluerat, ut strophiolis aqua madefactis ardorem pectoris temperare necesse fuerit. *Vita.*

Petrus Faber cum toto plus anno in præcipuis festivitatibus mire aridus fuisset, tandem hæc incidit consolatio, id singulari Dei dispositione et bonitate evenire, ut Cœlites, quorum festa celebrantur, perspecta ipsius miseria vehementius pro ipso orarent. Idem nunquam in majore aliqua molestia fuit, quam non continuo sequeretur Dei lætificans consolatio. Semel tristitia oppletus cum illud sibi mœrens occineret : Quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? audivit interius vocem, nihil esse causæ, cur tristis incederet, cum se affligeret inimicus ; lætandum esse potius, nam hoc significabat, nostram voluntatem esse contrariam voluntati illius ; tum autem mœrendum si affligeret nos Deus, cum causa hujus possit esse voluntas nostra, non obsequens voluntati divinæ. *Vita*, l. II. c. IX.

P. Balthasar Alvarez secum ipso sic statuebat : Inquietudinem quamcumque animo occurentem in oratione martyrium reputabo, et ut talem fortiter sustinebo ; id quod reipsa sexdecim annis præstitit, quibus tamen finitis consolationes et illustrationes sequentes abunde præcedentem sterilitatem compensarunt.

Joannes Berckmannus, licet plerumque spiritualibus visitationibus et suavitatibus abundaret, subinde tamen totus aridus erat, ubi tamen ille nec animum demittebat, sed frequenter Deum interpellans : Redde mihi, aiebat, lætitiam salutaris tui ! sicque magnam animi quietem sentiebat. Rogatus, quibus remediis adversus ariditates animi uteretur ? respondit : Orare, occupare me, patientia, et sinus B. Virginis. *Vita*, pag. 154, p. 2.

EXEMPLA PROFANA.

Quidam Princeps Saracenus quosdam Franciæ Proceres captivos visitans cum quæsivisset, utrum et ipsi Dei Filium ex Virgine natum, crucifixum, mortuum crederent? Illis affirmantibus dixit : Macte animo itaque estote, nam parum pro ipso sustinetis qui tanta pro vobis passus est. Etsi seipsum ex sepulchro suscitare potuit, poterit et vos ex vestra captivitate liberare. Seriam, veramque fuisse consolationem, eventus probavit. Beirl. V. *Consolatio.*

Solon Atheniensis, cum quemdam ex amicis valde mœrentem vidisset, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subjectorum ædificiorum partes oculos circumferret. Quod ut factum advertit : Cogita nunc, inquit, quam multi luctus sub his tectis olim fuerint, hodieque versentur, et sequentibus sæculis sint habituri ; et mille mortalium incommoda tamquam propria deflere. Qua consolatione demonstravit, urbes nihil esse aliud, quam humanarum cladium consepta miseranda. Val. Max. l. VII, c. II.

Diogenes, amicum ægrotantem invisens, dixit : Numquid amico opus est? significans, in rebus afflictis potissimum amicorum solatio utendum. Laert. l. VI, *Apoph.*

Democritus exul cum a Crate philosopho visitatus, et ad exilium fortiter ferendum animatus esset : Male sit, inquiebat, negotiis et occupationibus, per quas hactenus talem virum cognoscere non licuit ! Idem, l. 5, c. IV.

Lucius Paulus Æmilius amissis duobus filiis optimæ indolis, tempore triumphi Macedonici in concionem progressus, gravissima oratione populum infortunium suum dolentem consolatus est. Plutarc. *in Vit.*

Æneas naufragos socios suos consolans dixit :

O Socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora ! dabit Deus his quoque finem.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt, illic fas regna resurgere Trojæ,
Durate, et rebus vosmet servate secundis.

Virg. i. *Æneid.*

Philo, Judæorum Legatus, apud Caium Caligulam Imperatorem, cum non repulsam tantum passus esset, sed etiam contumeliose et acerbe rejectus, dixit ad socios : Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius, nunc enim Deus nobis contra illum aderit. Quod factum eventus monstravit. Joseph. l. XVIII, c. x.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut, qui saccharum in ore

habet, dicere nequit os suum dulce esse, sed saccharum; ita, esto consolatio divina valde bona sit, et Deus eam dans optimus, inde tamen non sequitur, eum, qui ipsam sentit, bonum esse. S. Franc. Sales. p. 4, *Introd.* c. xiii.

Sicut in operibus naturæ Providentiam suam Dominus declaravit, non morborum genera tollendo, sed omnibus morbis appositissima remedia procurando; sic in operibus gratiæ ab electis non sustulit tribulationes, nec ab omni tristitia vacuos nos esse voluit, sed contra omnes tribulationes, omnemque tristitiam fortissimum robur dedit, futuræ gloriæ certam expectationem, dicens: Tristitia vestra vertetur in gaudium. Stapl. *text.* 3. *in Dom.* 3. *post Pasch.*

Sicut æger, qui abhorret a cibo, quo eget, gaudet se reperire aliquem in eo saporem, non propter ipsum saporem, sed quia excitat ipsum ad comedendum, et vitam conservandam; sic verus Dei servus non quærit consolationem spiritualem propter consolationem, sed quia anima hac illecebra illecta libentius se postea fatigat in via virtutis, in eaque se stabilit, et firmat. Rodriq. p. 1. *tr.* 8, c. xxiv.

Sicut medici vetant admoveri pharmaca, cum morbus in accessu est, et sævit; ita ad primos iræ ac doloris motus non est adhibenda consolatio, sed ubi post tempus cœperint esse leviores. Seneca. *apud. Lang. in Polyant.*

Utilitas. — Sicut pluvia semper bona est, sed maxime tempore siccitatis gratissima accidit; sic consolatio amicorum semper suavis est, sed maxime tempore luctus. S. Chrys. *in Matth.* 24, h. 50.

Sicut qui herbam Scythicam ore continent, tam singularem ex ea dulcedinem sentiunt, ut nullam famem aut sitim sentiant; sic ii, quibus Deus cœlestes consolationes gustandas offert, nullas mundi hujus consolationes admittere volunt. S. Franc. Sal. p. 4, *Introd.* c. 12.

Sicut ursi alvearia invadentes, favorum dulcedine allecti, facile apum aculeos et vulnera patiuntur; sic sancti viri cœlestis dulcedinis certa expectatione roborati, nihil non ferendum sibi putant, ut ea potiantur. Stapl. *text.* 3 *in Dom.* 3 *post. Pascha.*

MEDIA.

Patientia in tribulationibus, quia secundum multitudinem dolorum consolationes lætificant animas servorum Dei, teste S. David. Ps. xciii, 19.

Luctus et dolor de peccatis. Beati enim, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Matth. v, 5.

Alienarum miseriarum consideratio; nam solatium est miseris socios habere, uti habet commune proverbium.

Bonorum a Deo acceptorum memoria; nam, ut ait S. Gregorius, magna consolatio est, Auctoris nostri dona ad memoriam revocare. Hinc et Job solabatur se, dicens: Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? Job. ii, 10.

Finis celeriter secuturi cogitatio; festina enim consolatio bonorum, teste S. Gregorio, est consideratus finis malorum, dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt; quod evadunt, leve æstimant, quidquid adversum in hac vita patiuntur. S. Greg. *in Mor.*

Præmeditatio malorum; quoniam multum potest provisio et præparatio ad minuendum dolorem, teste Cicerone, hinc semper omnia humana homini præmeditata vult esse. Cicero, iii, *Tuscul.*

Dispositionis divinæ ponderatio; magna enim est consolatio in eo, quod displicet, quod ordinante illo erga nos agitur, cui non nisi justum placet; ut sapienter pronuntiavit S. Gregorius, *in Moral.*

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ de hac materia bene nosse debet Asceta. Primum est, ut bene addiscat, ubi vera consolatio quærenda sit, qua quidem in re facem prætulit S. Augustinus, dum dixit: Hoc est, quod nos et lætificat in omnibus laboribus et periculis vitæ hujus, amor noster in Deum, et pium studium, et certa spes, et fervor spiritus. S. August. *super Joan.* Et brevius S. Bernardus: Illud verum ac solidum gaudium est, quod non a creaturis sed a Creatore, percipitur. S. Bern. *apud Engelgrav. in Dom.* iv, *post. Pas.* §. 2.

Alterum est, ut bene norit, ad quem finem a Deo dentur consolationes, scilicet ut sint ei instar alarum, quæ ipsum subvehant ad viam mandatorum alacriter currendam, promoveantque ad contemptum voluntatis propriæ, et appetituum male ordinatorum, carnisque mortificationem. Hinc David di-

cebat : Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti (per consolationes) cor meum. *Ps.* 118, 22. Unde sedulo cavendum, ne ejusmodi consolationes propter se dumtaxat appetantur, sed potius curandum, ut ad prædictum semper finem referantur, ideo que tantum acceptentur, ut animus alacrior expeditiorque reddatur ad vocationem suam perfectius adimplendam.

Tertium est, ut sciat, quomodo tempore consolationum sese gerere debeat, quod quidem præ aliis copiose ac præclare docuit S. Franciscus Salesius, qui sequentes fere doctrinas suggerit. 1. Ut, quando sentiuntur ejusmodi consolationes, insigniter se quis coram Deo humiliet, caveatque, ne propter eas valde perfectum aut specialiter Deo dilectum existimet, cum non in illis, sed in perfecta charitate, vera solidaque perfectio consistat. 2. Ut agnoscat, se adhuc infantem esse in perfectione, qui lacte opus habeat, saccharoque, quo ad Deum amandum alliciatur. 3. Ut easdem consolationes magni faciat, et cum humilitate recipiat, non tam ob id, quod in se sunt, quam quod a manu Dei nobis suppeditentur. 4. Ut hoc tempore in bonis operibus faciendis, virtutibusque exercendis, solito sit diligentior et excitatior. 5. Ut cor suum ab illis avocet, quantum est in se, iis renuntiando, ut tanto plenius omnem affectum suum in Deum transferat. 6. Ut, si quid extraordinarium hac in re accidat, fideliter id Directori suo aperiat. Hucusque S. Francisc. Salesius. Quibus ex Regulis S. Ignatii addi potest. 7. Ut, dum fruitur consolatione, prospiciat, quo pacto se gerere velit desolatione deinceps irruente, ut jam inde acrimoniam et robur animi mature comparet, ad ejus impetum reprimendum. Reg. x, *de Disc. Spir.*

MISCELLANEA.

Qualitas. — Hæc officia consolantium, tollere ægritudinem funditus, aut sedare, nec pati manere longius, aut ad alium traducere. Cicero iii, *Tuscul.*

Noli mala tua facere graviora, recte monet consolans Seneca, et te querelis onerare. Levis est dolor, si nihil illi opinio adjecerit : e contra si te exhortari cœperit, ac dicere ; Nihil est, aut certe exiguum est, duremus, jam desinet ; levem illum, dum putas, facies ; omnia ex opinione suspensa sunt; tam miser est quisque, quam credit. Seneca, *ep.* 88.

Quod allatura est diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præripere consilio, prudentiaque debemus, nec expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possumus. Cicero, *Fam.* v.

Alvilda, puella regia, cum ob patris negatum consensum sponso potiri non posset, virum mentita myoparonem conscendit, et fugit. Ubi vero hostilem navim conspicata, ducis munere functa est, hostesque oppugnavit, casu ei cassis excussa est, sicque a sponso agnita in ejus complexus ruit. Eodem modo se abscondit nonnumquam Deus sub desolationum galea, ut ea remota tanto suavior accidat ejus agnitio et fruitio. Eng. §. 2 *in Dom.* iv *post Pasch.*

AUCTORES.

S. Franciscus Salesius, p. 4. *Introductionis ad vitam devotam*, a c. xiii. usque ad finem.

Alphonsus Rodriquez, p. 1. de *Exercitio perfectionis* tr. VIII. c. xxiv. et seq.

Henricus Engelgrave, p. 4. *Lucis Evang.* in Dom. 4. post Pacha.

Thomas Stapletonus, text. V. in Dom. 4. post Epiph. et text. III. in Dom. 3. post Pascha.

S. Ignatius Loyola, in libello *Exercitiorum, de Regulis spirituum dignoscendorum.*

Ludovicus Granatensis, in *Loc. Com.* f. 367.

Laurentius Beyrlinck, in *theatro vit. hum.* V. eod.

Severinus Boetius, *de Consolatione.*

Josephus Langius in *Polyanth.* V. eod.

CONSUETUDO

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est habitus seu qualitas reddens facilitatem operandi. Hinc a S. Augustino quasi secunda et quasi affabricata natura dicitur. S. Aug. *de Mus.*

Divisio. — Dividitur in *Bonam* et *Malam* ; illa est, quæ ex actibus virtutis generatur ; hæc, quæ a vitiosis actibus progignitur.

Gradus. — Indicantur a Davide, dum ait : Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum (acquirendo consuetudinem) et in via peccatorum non stetit (perseverando in consuetudine) et in cathedra pestilentiæ non sedit, (etiam alios ad similem consuetudinem inducendo). Ps. I, 1.

Paulo aliter hos gradus assignavit S. Augustinus, dum dixit : Ligatus eram non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me ; quippe ex voluntate perversa facta est *Libido*. Et dum servitur libidini, facta est consuetudo ; et cum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. S. Aug. l. VIII, *Conf.* c. v.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis facere bene, cum didiceritis malum. Jer. XIII, 23.

Eripe me de luto ut non infigar ; libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum. Ps. LXV, 25.

Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. XXII, 6.

Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. Eccl. XXI, 17.

Attendi, et auscultavi : Nemo, quod bonum est, loquitur ; nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens : Quid feci ? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Jer. VIII, 6.

Utilitas. — Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Thren. III.

Damnum. — Languor prolixior gravat medicum ; brevem languorem præcidit medicus. Eccl. X, 11.

Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum ! Is. v, 18.

Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur ; et homines ergo similiter perdes.

EX SS. PATRIBUS.

Qualitas. — Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Recens testa diu et saporem retinet et odorem, quo primum imbuta est. S. Hier. I, ep. VII.

Permolestum est, et vix toleratu possibile vel ipsis brutis, amoveri a consuetudine. S. Basilius, *hom.* v.

Vincere consuetudinem, dura est pugna. S. Aug. in Ps. XXX.

Moles imposita sepulchro, ipsa vis est dura consuetudinis, qua premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Idem, *sup. Matth.* hom. XLV.

Nihil tam firmum est in rebus humanis, quam veteris consuetudinis tyrannis. Ethnici consuetudinem alteram naturam dixerunt. S. Chrys. *apud Langium, in Polyant.* v. *eod.*

Consuetudo quasi secunda, et quasi affabricata natura est. S. Aug. l. VI, *de Music.*

Consuetudo est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, et tenetur, cum ea deficit. S. Isid. l. II, *Æth.*

Nihil firmius si consuetudini veritas suffragetur. S. Aug. l. IV, *de Baptis.*

Consuetudo auctoritati cedat, pravum usum lex et ratio vincat, cum vero nec sacris canonibus nec humanis legibus consuetudo obviare monstratur, inconcussa servanda est. S. Isid. *in Synon.* l. II, *apud Canonist.*

Consuetudo quæ sine peccato servari non postest, non valet. S. Greg. *sup.* VI, *Regist.*

Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat. S. Aug. *in Ench.* s. VIII.

Damnum. — Peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva esse, aut nulla creduntur usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda, diffamandaque videantur. S. Greg. IV, *Mor.*

Cum culpa in usum venerit, ei jam animus, etiamsi appetat, debilius resistit, quia quot vicibus pravæ frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Idem. hom. 31, *super Evang.*

Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem, conatur, et labitur ; quia ubi diu sponte perstitit, et ibi, cum noluerit, coacta cedit. Idem. l. XV, *Mor.*

Tenent pravæ consuetudines, quem semel ceperunt, atque quotidie duriores existunt ; et non nisi cum peccatoris vita finiuntur. S. Greg. l. XVI, *Mor.* c. XXXI.

Quædam angustia est, a mala consuetudine exurgere velle, nec posse ; jam desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere ; præire corde, nec sequi opere, atque a semetipso contradictionem perpeti. Idem.

Jucunditas. — In dolore paries filios. Verum est sacramentum hujus sententiæ, quod nulla abstinentia fit a voluptate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur; quo cum pervenerit, quasi natus est filius, id est, ad bonum opus paratus affectus per consuetudinem bonam. S. Aug. *de Gen. contr. Manich.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Grave est assueta dimittere, sed gravius est contra propriam voluntatem ire. L. I, c. ii, §. 4.

Resiste in principio inclinationi tuæ, et malam dedisce consuetudinem, ne forte paulatim ad majorem te ducat difficultatem. Ibid.

Quanto diutius ad resistendum quis torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, et hostis contra eum potentior. L. I, c. xiii, § 5.

Antiqua consuetudo difficulter relinquitur, et ultra proprium videre nemo libenter ducitur. L. I, c. xiv, § 3.

Duo specialiter juvant ad magnam emendationem : videlicet subtrahere se violenter, ad quod natura vitiose inclinatur; et ferventer instare pro bono, quo amplius quis indiget. L. I, c. xv, §. 4.

Obsistet inolita consuetudo, sed meliori consuetudine devincetur. Remurmurabit caro, sed fervore spiritus frenabitur. Instigabit et exacerbabit te serpens antiquus, sed oratione fugabitur. L. III, c. v.

Hinc accidit, quod viam perfectionis agnosco, et clare satis video, qualiter agere debeam ; sed propriæ corruptionis pondere pressus, ad perfectiora non assurgo. L. III, c. xv, § 3.

EXEMPLA CATHOLICA.

Filii Israel, cum captivi et inviti Babylonem ducti essent, postea consuetudine vitæ exilium in patriam, et captivitatem in voluntariam servitutem commutaverunt. Granat. *in Loc. Com.* f. 795.

S. Petrus in prima negatione tantum negavit simpliciter Christum dicens : *Nescio quid dicis*. In secunda, *negavit cum juramento*. In tertia vero *cœpit detestari et jurare, quia non novisset hominem*. Matth. xxvi.

S. Augustinus de seipso fatetur : Plus valebat in me deterius inolitum, quam melius insolitum. Et alibi : Ecce vobiscum vivimus. Quis nos audivit aliquando jurantes ? Numquid non consueveram quotidie jurare ? At ubi legi, timui, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum Adjutorem. Præstitit mihi Dominus adjutorium non jurandi. Nihil mihi facilius, quam non jurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis : Quis potest? S. Aug. l. VIII, *Conf.* c. xiii, et s. *de Sanct.*

Nicolaus, senex, cum septuaginta annis libidini vacasset, tandem ad S. Andream accessit, et sanari petiit. S. Andreas igitur orans pro eo, et quinque diebus jejunans impetravit quidem eidem veniam et emendationem, sed non alia conditione, quam ut ipse quoque jejuniis se affligeret; quare cum sex mensibus in pane et aqua jejunasset, postmodum plenus bonis operibus decessit, et vox S. Andreæ dixit : Per orationem tuam Nicolaum, quem perdideram, acquisivi. Abdias l. II, *Histor. Apost.*

Discipulus quidam S. Dorothei, cum furari esculenta cœpisset tempore, quo non satis dabantur, furatus est etiam tunc quando abundanter dabantur, ut sub lecto abscondens, ac computrescere sinens, asino tandem ea porrigebat. S. Doroth. s. xi, *ad Monachos.*

Sartor Parisiis erat Joannes Vamorin, vir in sua arte tota urbe celebris, quia a fure capitis damnato proditus, velut socius furti fuisset, quo in magnatis domo argentea vasa sustulisset, jam capitis reus erat et condemnatus, cum magnatum precibus ad triremes mittitur. Adit igitur primo Marsilianos, relicto filiolo Michaele duorum annorum ; ubi cum navi, quam Henricus II, Duci Sabaudiæ donavit, Nizam venit ; cum vero illam navim Sabaudus Hispano tribuno venderet, Neapolim abducitur. Interea filius de patre velut mortuo, a matre nihil ultra edoctus jam viginti duorum annorum erat, ubi Romam veniens ob peritiam musicæ Cardinali servit; inde Neapolim venit, ubi visa urbe portum dum lustrat, in illa navi senem totum canum videt, salutat gallice, et vicissim salutatur; senex interea plorans, de causa lacrymarum quæsitus respondet, se viginti annis exulem filium Parisiis reliquisse, qui ei

persimilis, lacrymas eliceret. Michael animi dubius, nondum se seni credit, sed post exactam his curis cogitationem mane redit, et quia matris silentio credebat patris infortunium se ignorasse, jam vix dubitabat; at senex viso illo tanto plus plorat ob filii similitudinem. Filius patris collo insertus osculatur, seque Michaelem dicit. Senex ait, se demum libenter moriturum. Certant in navi, pater cupit Parisios redire, sed durior tribunus negat abitum. Filius ergo Taurini a Duce Sabaudiæ litteras commendatitias, et quinquaginta coronatos, ut et a conjuge Ducis totidem, et alios viginti a familiaribus Romæ impetrat, quibus redempturus patrem (quia tribunus prius centum petebat) viginti tantum jubetur pendere, sociis navis seni liberationis lytrum remittentibus. Pater liber in hospitio ebrius cum hospite utroque ita petulanter se gerit, ut pene iterum triremem meruerit, sed a filio liberatus est; inde discedunt. Pater sartorum more filii saccis insidiatur, cujus rei conscius ad explorandam fidem studio paucos nummos in sacco relinquit. At senex in Deum blasphemans, et filium damnabat, quod triremi liberum ad difficile iter induxerit, filio interim patienter patrem solante. Jam Parisiis vicinus filius patri narrat matrem vivam, eo, quod putasset maritum mortuum, scribæ nupsisse. Proinde pater ad urbis portas exspectet, dum matrem edoceat. Pater iratus jurat, se uxorem occisurum, properatque per portam ad templum S. Victoris, quod est Carmelitarum, in quo filius vix tantam moram impetrat; mater viso filio gaudet, at maritum adesse miratur. Supervenit senex, et mulierem aspere allocutus, eam graviter verberat, ut ægre eam filius defenderet, accurreretque alter maritus, qui in ignotum senem invectus tam acriter cum eo pugnis certat, ut ægre a vicinis accurrentibus dirimentur. Cumque essent separati, scriba querebatur pulsatam sibi uxorem, alter ablatam. Capitur a Magistratu uterque, sed ad causam coram Judice agendam dimittuntur liberi; appellant illi a Judice ad Magistratum Regium, qui decernit, uxorem quidem senis sartoris, fortunas vero sub scriba partas scribæ esse, facto sartor acum et opificium repetiit, quod oblitus interea erat, accedebant novæ vestium formæ, et visus fractior, manus stupidiores ad laborem, sed non ad furta. Nam vix annum domi erat, cum iterum furti reus. Invitatus ad nuptias, dum mensa deponitur, scyphum argenteum surripuit, quem hospes a sponso repetebat; at a sartore quærendi facto initio penes illum scyphus inveniebatur; a judicio ergo ad carcerem subtrahitur, desperataque emendatione inolitæ consuetudinis suspenditur. Franc. Losel. *in Hist.* IX.

Correcta. — Fuit quidam notabilis Cardinalis, quem B. Bernardus rogavit, ut pœnitentiam ageret. Qui non acquiescebat ei. Cui B. Bernardus ait: Si non vis facere pacem cum Deo, saltem facias treguam. Ait ille: Quam? Respondit: Abstine tribus diebus ab omni opere illicito ob amorem Dei. Et sic fecit. His completis dixit B. Bernardus: Modo aliis tribus diebus abstineas amore B. Virginis Mariæ. Quod etiam fecit. Post hoc aliis tribus diebus abstinuit pro amore Apostolorum. Et iterum post tres ob amorem Martyrum. Et tunc tribus ob amorem Confessorum. Deinde ob amorem Virginum. Et post amore Angelorum. Et omnibus his factis Cardinalis dixit B. Bernardo: Nolo modo treguam facere, sed pacem. Leve enim mihi est de cætero abstinere; et sic malam consuetudinem post posuit, et postmodum vitam in bono finivit. *Discipl. Prompt. ser.* 131, lit. H.

Quidam consuevit adeo inebriari, quod quasi insensibilis videbatur, et odiosus factus est uxori in tantum, quod eo relicto alteri adhærebat. Sed quod eo ad nutum uti non poterat; mole viri oppressa cogitavit, quomodo a se eum repelleret. Et cum una vice sic inebriatus fuisset, ut omnino insensibilis videretur et animo alienatus, ipsa vocans monachos, dixit eum laborare in extremis, et quod vestirent eum habitu religioso, et facerent eum monachum; quod ipse petierat, cum esset sanæ mentis. Quod etiam ipsi monachi amore pecuniæ libenter fecerunt; quem tonsum et vestitum portaverunt ad Abbatiam. Ipse autem de mane vino digesto invenit se monachum. Et audiens ab uxore et monachis, quod fuisset in extremis, et fecisset votum Deo, et B. Mariæ Virgini, et omnibus Sanctis; præ verecundia mansit in ordine, et amplius melius vixit.

Miles ante urbem Ostendanam, assuetus blasphemiis, eas ad singula verba repetebat. Sæpe monitus, consuetudinem objecit. Demum ad inopiam redactus, cum ab uno e Societate, qui in castris erat, stipem peteret, negavit ille se homini blasphemo quidquam daturum. Respondit miles dolere se, sed emendare non posse. Quod ut Sacerdos

ei ostenderet falso ab eo dici, nummum aureum illi exhibuit, promittens ei se daturum, si per horam se sequatur, castra lustrando, sine juramento; condicit miles. In via miles varie lacessitur, Sacerdos præit, et aureum ei nummum ad hos insultus ostendit. Silet miles, ac nummum promeritus exin malam consuetudinem omnino exuit. ENGELGR. *Dom.* III, *Quad.* § 4.

POENA. — Anno 1622, in regno Toletano, loco non ignobili, quidam e primoribus B. Virginis a teneris devotus intepuit et libidini se dedit. Adiit Sodalitatem et festos B. Virginis dies colebat sedulo. Ad hæc templum B. Virginis quoddam restituit, et ejus imaginem exornavit. Sed abreptus fœdo amore in consanguineam, eam domi pro concubina habuit publice matris loco receptam. In eo oppido piæ cœlibi virgini, multis adversis afflictæ, et cœlestibus revelationibus illustratæ noctu in extasi Christus apparuit, cum B. Virgine et Angelis plurimis oppidum ingressus, et inde virginis illius cubiculum, ibi pro tribunali considens, cum publicis loci istius vitiis, tum incestui (qui hactenus virgini erat ignotus) remedium facturus, visaque est tanta criminis hujus fœditas, ut sine mora de capite rei sententia ferretur. Sed B. Virgo illi ad pœnitentiam triginta dies impetravit; si interea non resipisceret, tum demum repentina morte periret, jaculo in cor emisso. Virgini autem imperavit Christus, ut primo mane ad templum nostrum se conferret, et Sacerdoti e Societate nostra, quem repertura esset, visum indicaret suis verbis, moneretque ut miserum hominem de pœna illi decreta admoneret. Virgo ad se reversa, multis cum lacrymis pro miseri salute rogavit Deum. Mane in templo nostro Concionatorem nostrum tunc confessionibus audiendis intentum reperit, cui Dei nomine rem exponit, et jubet hominem commonere. Sacerdos, qui ante virginem non norat, nec ejus virtutem, parum ei fidem habuit, aitque se rem velle maturius expendere. Illa mœsta domum ad Deum revertitur, quæ iterum ac tertium docet, perditum juvenem Religiosi illius voce ad salutem revocandum esse. Dicenti virgini, eum sibi fidem non habuisse. Christus: *Abi,* inquit, *et iterum Sacerdoti hæc significa et arcana mentis ejus consilia detege, quæ recens pertractavit, et credet tibi.* Ita monitus Sacerdos fidem habuit, et juvenem adiit, peracto prius Sacro, et ad frugem hortatus est. Juvenis miratus peccatum detectum, quod nunquam fuerat confessus, ad Patris pedes cecidit, et confitetur magno cum dolore. Sacerdos ei suadet loci mutationem. Sed qui ob nimiam sanguinis propinquitatem excedere statim ædibus non potuit, cubile mutat, et cubiculum, quibus diligenter obseratis, infelix concubina, qua lacrymis, qua vi, qua blanditiis ingressum frustra tentat, juvene constanter obsordescente. Postridie illa curat clavem fieri, et nocte ad eum penetrat, et vincit. Deceptus mox ad Patrem advolat, suum lapsum detestatur, et consilium a Confessario accipit, ut janua etiam intus obserata, eam excludat. Quod etsi factum, aliis tamen artibus aditum illa sibi aperuit; peccatis igitur peccata cumulantur. Redit ad Patrem, a quo nihil omittitur ad evitanda pericula. Sed miser juvenis amore victus et pertæsus monitorum, Confessarium deserit, minisque spretis res suas sibi habere jubet; suam sibi salutem curæ fore. Restabant quatuor ad interitum dies. Pater omni ratione studet illi Deum placare; sed omnia frustra fuere. Ad extremum, cum decima aut undecima noctis hora esset, ad eum Pater accurrit; respondetur, abesse herum; quo responso mœstus Pater domum redux famulis injungit ut, si quid hero humani accidat, confestim se vocent. Tum ecce, hora duodecima noctis cursus et clamor: Repentino aliquo malo expirare dominum cum concubina in lecto decumbentem! Adest Sacerdos. Spirabat miser etiamnum, et spumabat vultu horrendum in modum distorto, demum in hanc vocem erumpit: « Væ mihi! jaculo transfixus emorior! » Quam vocem tantus dolor, et tanta mortis præcipitatio excepit, ut etsi Pater omni sedulitate eum ad contritionem excitare conaretur, nullum tamen doloris signum, nullam absolutionis materiam præbuerit, omni salutis via præclusa. Interea Dei famula orationi intenta, vidit Christum, ut ante, ad dijudicanda illius oppidi peccata revertentem. Accusabatur, ea spectante, impœnitentis ejus pessima vita; proferebantur occasiones ad emendationem, monita, minæ, et salubre consilium a Religioso ei datum, et alia salutis adjumenta; quæ quod neglexisset, tam corporis, quam animæ morte damnatus est, ipso judice fatale telum in eum immitente. ALPH. ANDRADA, l. II, *de Imit. B. Virg.* c. I, § 1.

EXEMPLA PROFANA:

Græca narrat historia, Alexandrum in moribus et in incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit imbutus. S. Hier. ep. vii. *ad Latam.*

Diogenes, dum improbum inveteratæ consuetudinis hominem admoneret, interrogatus, quid ageret? Æthiopem lavo, respondit; addiditque, senem admonere, et mortuum lavare, idem esse. Engelgrav. *Dom.* III. *Quadr.* p. 2. *Lucis. Evang.*

Mithridates Rex tam frequenter biberat venenum, ut denique sine noxa biberet, et cum etiam vellet, veneno occidere se non posset. Unde Martialis:

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.

SIMILITUDINES.

Sicut morbi corporis inveterati non nisi longa et acri curatione sanantur; sic peccata inveterata, diuturna patientia, assidua oratione, et acerrima animi contentione curari oportet. S. Basil. *in Reg.* q. 55.

Sicut gravi somno sopiti, si excitentur, surgere quidem volunt, sed superati soporis altitudine remerguntur; ita ii, qui gravi consuetudine sunt immersi, audito Dei verbo emendare quidem se statuunt, sed a consuetudine victi iterum relabuntur. S. Aug. l. VIII. *Conf.* c. v.

Sicut id, quod repetitis vicibus ac multo labore tinctum est, tincturam accipit pressius inhærentem, et quæ vix elui queat: sic anima sanie peccatorum superata et in habitu constituta malitiæ, vix ac multo negotio elui potest. S. Basil. *in cap.* 2. *Isaiæ.*

Sicut cadente pluvia lapides quidem madescunt, intus vero suam siccitatem cum duritie servant; sic dura corda imbrem eloquii divini foris accipiunt, et aliquo modo compluuntur, quia cum gaudio suscipiunt verbum, sed intus sicca et arida manent, mala consuetudine aditum gratiæ violenter prohibente. Stapl. t. v. *in Dom. Sexag.*

Sicut ad loca Nili, Catadupas appellata, habitantes prorsus nihil audiunt, quia nimio fluvii fragore ab altissimis montibus labentis surditatem nativam contrahunt; sic qui cupiditatum suarum tumultibus diu assueverunt, surditatem spiritualem contraxerunt, ut sonum quidem confusum verbi divini audiant, clarum autem et intus penetrantem non admittant. Ibid.

Sicut puer avis pedem filo annexum tenens, aliquando longius avolare permittit, sed mox retrahit captivam, eoque ludo mire delectatur; ita diabolus homines peccati consuetudine irretitos tenens, aliquando cessare a peccato permittit, sed mox per vinculum consuetudinis ad se retrahit, non sine grandi voluptate. Ibid.

Sicut qui cerasa manducat, ab initio duo vel tria dumtaxat comedere statuit, sed postea eorum dulcedine allectus viginti aut centum sumit, et valetudinem graviter lædit; ita peccatum unum contractum in aliud sua dulcedine trahit. Idem, them. II. *in Dom.* ii. *post Pent.*

Sicut is, qui iter facit, et rivulum, quem facile transcendere posset, negligit, postea tam magnum reperit, ut omnino transvadere non queat; sic qui peccata prima negligit, ea in consuetudinem tracta vix amplius emendare poterit. Ibid.

Sicut ii, qui hectica febri laborant, si acuta superveniat, hanc facile curant, non autem illam, quia tenacius inhæret; sic actus peccati unicus facile emendatur, non item si in consuetudinem evaserit. Idem, th. VII. *in Dom. post Pent.*

Sicut maximum saxum in montis cacumine nullo negotio sistitur; ubi autem in vallem præcipitatur, nulla arte retineri potest; ita maxima justorum peccata facile sanantur; impiorum autem in scelera ruentium etiam mediocria nisi difficillime curari possunt. Ibid.

Sicut ii, qui assueverunt, etiam in loco pestilenti durant; ita incommoda parum lædunt assuetos. Plin. l. xviii. c. v.

Sicut callus successu temporis factus adimit sensum; ita consuetudo facit, ut diutina mala levius feramus. Idem, l. xv, c. ii.

Sicut qui diu in vinculis fuerunt, cum ex illis solvuntur, tamen adhuc claudicant, nec gradi possunt; ita diu vitiis assueti, etiam cum ea deserunt, quædam eorum retinent vestigia. Plut. *in Moral.*

Sicut viridia ligna subjecto etiam igne usque adeo non accenduntur, ut sæpius ipsum ignem extinguant; sic humore vitiorum occupata pectora, non admittunt Spiritum

Sanctum, sed potius a se repellunt. STAPL. tom. II. *in Dom. post Pent.*

Sicut ii, qui natura surdi sunt, plerumque etiam muti sunt, quia instrumentum, quo loqui discimus, auditus est; sic qui spiritualiter surdi sunt, nec audiunt quid loquatur Dominus, etiam de Deo et divinis loqui non possunt. Ibid.

MOTIVA.

Ad consuetudinem malam tollendam.

Quia consuetudo mala est continuatum *odium et inimicitia cum Deo.* Si ergo Regem aut Principem suum nemo diu offensum habere cupit; quanto magis odium et inimicitia cum Deo diu et sponte fovenda non erit? Sed illud Christi potius ob oculos habendum : Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. MATTH. V, 26.

Quia consuetudo mala est *gladius anceps,* quo duplicantur et renovantur vulnera Christi Servatoris nostri, ut adeo is merito illis S. Bernardi verbis queratur : Nonne satis propter te vulneratus sum? Numquid satis pro iniquitate tua afflictus sum? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei. S. BERN. *in quod serm.*

Quia consuetudo mala est *catena,* per quam quis in captivitate dæmonis detinetur; si ergo captivi hominum tantopere laborant, ut vincula et catenas rumpant, sicque e captivitate corporali se liberent, cum tamen ad hoc tantus labor et conatus, et pœnæ gravioris periculum requiratur; quanto magis rumpenda erit consuetudinis pravæ catena, ut ab ipsius diaboli captivitate liberemur, et morti æternæ eripiamur, maxime cum hoc in nostra sit potestate, et id faciendo tantorum bonorum participes efficiamur?

Quia consuetudo mala est gravis *lethargus animæ* in manifestum salutis periculum eam conjiciens. Quis ergo non mature salubribus hunc morbum remediis depellere statuat?

Quia consuetudo mala est continuata *afflictio et inquietudo animæ,* utpote a fine suo recedentis, atque adeo ita Jeremiæ verba audire merentis : Scito, et vide, qui malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem Dei apud te, dicit Dominus exercituum. JER. II, 19.

Quia consuetudò mala, omnia illa damna, creat, quæ præcedente § per similitudines sunt ostensa.

MEDIA.

Oratio, uti S. Aug. exemplo suo docuit, qui, ubi amarissima contritione cordis statum suum deflevit, et a Deo auxilium expetit, vocem audivit dicentem : Tolle, lege; tolle, lege ! Eaque lectione finita, quia luce securitatis infusa cordi, omnes dubitationis tenebras diffugere sensit. S. AUG. l. VIII, *Conf.* c. XXII.

Contrariæ consuetudinis procuratio; ita Deus ipse per Prophetam Baruch suasit : Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertens requiretis eum. BARUCH. IV, 28. Sed et S. Hieronymus hoc ipsum medium Celantiæ suasit his verbis : Asperam nobis et insuavem virtutum viam facit nimia vitiorum consuetudo, quæ, si in alteram partem transferatur, invenitur semita justitiæ levis. S. HIER. *in ep. ad Celant.* Rationem vero hujus medii tam necessarii ulteriorem reddens Chæremon Abbas, apud Cassianum, sic loquitur : Non possunt desideria præsentium rerum reprimi vel avelli, nisi pro istis affectibus noxiis, quos cupimus amputari, alii salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet vivacitas mentis absque alicujus desiderii, vel timoris, vel gaudii, vel mœroris affectione sustinere, nisi hæc eadem in partem bonam fuerint immutata. Idcirco si carnales cupimus concupiscentias de cordibus nostris extrudere, spirituales earum locis protinus plantemus voluptates, ut his semper animus noster innexi habeat, quibus jugiter immoretur, ac illecebras præsentium ac temporalium respuat gaudiorum. CASSIAN. *Coll.* 12, c. V.

Generosa victoria sui. Sicut enim agricola, cum evellit silvestre germen, valido impacto ligone subvertit radicem; sic peccata inveterata rudius exagitari, et fortius eradicari convenit. STAPL. tom. 3, *in Septuagesima.* Unde merito hic locum habet illud pii Ascetæ : Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Lib. I, c. XXV. *de Imitat.*

Amor Dei; cujus efficaciam S. Augustinus exclamavit : Quam suave mihi

subito factum est, carere suavitatibus nugarum; et quas dimittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas; ejiciebas eas, et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini; omni luce clarior, sed homini secreto et inferiori; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. S. Aug. l. IX, *Conf.* c. iv.

Sincera confessio. Sicut enim cibum noxium ac pestilentem jam bili permixtum non aliter, quam per violentum vomitum ejicere possumus; ita inveteratum peccatum, si ab eo interfici non volumus, non nisi per confessionem sinceram ejici potest.

Consilium et auxilium viri prudentis; uti S. Bernardus his verbis suasit: Est consuetudo hæc gravis et perniciosa quædam catena, solvenda utique facilius, quam rumpenda; ut hic maxime vulgare illud videatur usurpandum proverbium, *industriam violentia potiorum*; ut, quemadmodum vis vi repellitur, et fervore spiritus fervor extinguatur desideriorum, ut maligni artem arte deludas, et consuetudini consilium opponas, necessarium itaque est consilium, vel ab ipso magni consilii Angelo ministratum, vel ab homine aliquo spirituali, qui cogitationes Satanæ, spiritualiaque remedia non ignoret. S. Bern. *in* s. *de* 7 *Donis.*

Recta opinio de falsitate objecti, tantopere concupiti; nam ut S. Aug. dixit: Solet recta opinio pravam corrigere consuetudinem, et prava consuetudo rectam depravare naturam. S. Aug. l. *de Doct. Christ.*

ASCETICA.

Tria præcipue circa consuetudinem ab Asceta specialiter sunt scienda et observanda. Primum est, ut bene cognoscat astum Dæmonis, quo homines in consuetudinem solet inducere, quem quidem astum S. Gregorius sequentibus verbis indicat: Antiquus hostis prius quasi consulens, blanda ad animum loquitur. Sed cum semel dentem delectationis infixerit, violentia post consuetudinem pene insolubiliter innodatur. S. Greg. l. XV *Mor.*

Alterum est, ut solidum sciat modum, ejusmodi pravas consuetudines curandi, qui quidem in duabus præcipue industriis consistit. Prior est, ut difficultatis opinionem tollat, eumque in finem doctrinam S. Chrystostomi proponat dicentis: Quamdiu in fornace voluptatum consistit, etiamsi exemplis abundet infinitis, ipsi res esse supra vires apparet; cæterum si vel leviter illinc cœperit egredi, identidem procedens vim ignis a tergo relinquit, videtque ante se, et ad pedes propemodum viam voscidam, atque eximiæ facilitatis. S. Chrys. *in Parenes. ad Theod.*

Posterior est, ut S. Augustini monitum observet, sic ad Aurelium scribentis de ebrietatis consuetudine tollenda: Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo impetuoso ista tollantur; magis docendo, quam jubendo; magis monendo, quam minando; sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. S. Aug. ep. lxiv, *ad Aurel.*

Sic S. Bernardus grandi peccatori suadens, ut primum ad honorem SS. Trinitatis per triduum abstineret, post unum diem ad honorem B. V. adjiceret, effecit, ut ultro diceret: Nolo amplius diuturnas, sed perennes cum Deo inducias inire. Engelgr. *Dom.* iii, *Quadr.* p. 2.

Tertium est, ut indicia emendatæ consuetudinis cognoscere studeat, quorum primum est, minorem inclinationem sentire ad objectum consuetudinis, juxta illud Psalmistæ: Exercitatus sum, et defecit paulisper spiritus meus. In quæ verba S. Gregorius commentans sic loquitur: Quid est spiritus meus, nisi spiritus hominis, videlicet spiritus electionis, et quia per occultam gratiam ad Dei amorem, desuper temperata mensura proficimus, quanto nobis quotidie de Dei Spiritu virtus crescit, tanto spiritus noster deficit. Qui spiritus erroris, quia non subito penitus a nobis amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. S. Greg. l. xxii, *Mor.* c. xiv. Secundum signum est, positivam ad illud objectum difficultatem sentire, nam teste S. Macario, affectuum carentia paratus est status animæ, secundum quem difficulter movetur anima erga malitiam. Cassian. 6, c. x. Tertium, tentationibus facile resistere; hoc enim proprium est perfectorum, ut ab omni diabolica impugnatione securi, absque ullo labore et difficultate vitia carnis vel respuant, vel abscindant. Quartum, naturalem quamdam nauseam et horrorem erga illa objecta experiri; quemadmodum enim solis lumen sanum oculum ad seipsum pertrahit, sic Dei cognitio puram mentem, per chari-

tatem naturaliter ad se ipsum allicit, teste S. Maximo, *Charit.* c. v, n. 32.

Quintum, moralem quamdam impossibilitatem sentire, et dicere posse cum S. Paulo: Certus sum, quia neque mors, neque vita etc. neque alia creatura poterit nos separare a charitate Dei. Rom. viii, 38.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Funes peccatorum circumplexi sunt me. » Ps. cxviii, 61.

Potest consuetudo Dalilæ, peccator Samsoni comparari, et per historiæ illius narrationem ostendi, quomodo peccator per eam ab initio funibus Consuetudinis constringatur, dein tradatur inimicis, seu dæmonibus, tum ab his excæcetur, et in molendino malitiæ circumagatur ab uno peccato in aliud deductus, sicque gaudium inimicis fiat.

Ex occasione thematis : « Funiculus triplex difficile rumpitur. » Eccles. iv, 12.

Potest consuetudo funiculo tali comparari, propter actus frequentatos, simulque ostendi, quam merito detestandus sit, sive dæmonem, qui per eum nos captivos tenet, sive periculum damnationis æternæ, ad quam ea captivitas tendit; sive difficultatem solutionis consideremus. Quia tamen nihil impossibile est apud Deum, excitentur auditores ad auxilium a cœlo petendum, gladiumque generosæ resolutionis in manus sumendum, funiculumque hunc ad modum Alexandri, nodum Gordium solventis, resecandum.

Ex occasione thematis : « Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.» I. Reg. xviii, 43.

Poterit consuetudo Goliatho comparari, et ostendi, quam grandis et difficilis superatu peccatori videatur! Possit tamen superari, si in nomine et auxilio Dei speret, et per fundam generosæ resolutionis aliquot lapides contrariorum actuum in eum conjiciat. Quem in finem narrari poterit historia de adolescente, cui gigas terribilis apparuit, quem, cum fugere vellet, ab Angelo adstante aggredi potius jussus, mox, ubi eum invasit, secundante Angelo feliciter superavit.

Ex occasione thematis ; « Lazare, veni foras! » Joan. xi, 43.

Potest consuetudinarius peccator Lazaro comparari. Et 1. dici, quod vere sit mortuus quoad animam. 2. Quod lapis consuetudinis sit impositus sepulchro. 3. Quod quatriduanus sit propter perseverantiam in peccato ideoque jam fœtere coram Deo et Angelis incipiat. 4. Quod non nisi a Christo excitari possit per gratiam, ita tamen ut ipse etiam veniat foras, et sepulchrum malæ vitæ et occasionum, remoto saxo malæ consuetudinis, relinquat. Vide de hac materia fusius Henricum Engelgr. in Dom. 3. Quadrages.

MISCELLANEA.

Qualitas.

Fac tibi consuesat. Nil consuetudine majus,
Quam tu, dum capias, tædia nulla fuge.
Ovid. *art.* 2.

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu
Et territur pressa vomer aduncus humo.
Ovid. L. IV, *de Pont. el.* i.

Polyænus dicebat, initium capere exiguum consuetudinem, neglectam autem vires maximas sumere. Max. *de Consuet.*

Vulpes, cum nunquam leonem vidisset, et ei primo occurrisset, ita fertur exterrita, ut pene mortua conciderit. Eumdem iterum conspicata, extimuit quidem, sed non ut prius. Tertio autem occurrentem usque adeo non timuit, ut etiam accedere, et colloqui auderet. Lang. *in Polyant.*

Recte Poeta Ovidius cecinit :

Principiis obsta. Sero medicina paratur,
Dum mala per longas invaluere moras.
Ovid. i. *Remed.*

Et alibi :

Ars fit, ut a teneris crimen condiscitur annis.
Idem.

Habet hoc infelix consuetudo peccandi inquit Emyssenus, ut, quanto amplius quis peccaverit, tanto minus se peccasse intelligat. Emiss. *apud. Engelg.* p. 2, *Dom.* 3. *Quad.*

Damnum. — Desinit remedio esse locus, quæ fuerint vitia, mores fiunt. Plin. l. xxv, c. ii.

Consuetudo novis Principum tributis similis est, quæ urgente necessitate imponuntur, sed postea etiam cessante ea, continuantur. Granat. *in Loc. Com.* f. 795.

AXIOMATA.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.
HORAT. l. II, *epist.* 2.

Qui non assuescit virtuti, dum juvenescit, a vitiis nescit discedere, quando senescit. MAX. *in. s. de S. Joan. Baptis.*

Nemo repente fuit turpissimus.
JUV. *Satyr.* II.

Gravissimum est imperium consuetudinis. SEN. *in Prov.*

Non erit illusus, qui sic facit, ut tenet usus.

Cui puer assuescit, major dimittere nescit.
Florileg.

AUCTORES.

Joannes Busæus, in *Panario.*

Ludovicus Granatensis, in *Locis Communibus* f. 795.

Joannes Langius, in *Polyanthœa.* V. eod.

Joannes Major, in *speculo Exemplorum.* V. eodem.

Henricus Engelgr. p. II. *Lucis Evang. Dom.* III. *Quadr.*

Thomas Stapletonus, tex. 5. in *Domin. Sexag.* et text. II. *Dom.* XI. *Post Pent.* et text. 7. *Dom.* XXV. *post. Pent.*

CONTRITIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. CONCIL. TRID. sess. 14.

Pro cujus intelligentia S. Thomas Villan. notat, quod duplex est dolor : Quidam, qui est actus voluntatis, et ille est odium et displicentia, et detestatio, et abominatio peccati, nolle peccasse, et iste actus est liber et in nostra potestate. Alius est dolor sensitivus, qui est passio et tristitia quædam in sensualitate, quæ aliquando prorumpit in lacrymas. Primus dolor est contritio, non secundus, sed est effectus contritionis. Nam ex displicentia et odio peccati commissi nascitur insensibiliter illa tristitia, et non est sic in nostra potestate. Nam quidam sunt duriores ad lacrymas, alii teneriores, ut mulieres. Rationem autem, cur Deus dolori huic non in sensu, sed in voluntate locum assignavit, dat sequentem, quia nimirum tantum bonum et tam magnum commodum peccatorum debuit esse liberum, et in nostra potestate cum Dei gratia. S. THOM. VILLAN. *Conc. in Dom. Pass.*

DIVISIO. — Dividitur in *imperfectam*, et *perfectam.* Illa est, quæ ex motivo supernaturali spei vel timoris elicitur, et hæc *Attritio* vocatur, de qua Ricardus de Mediavilla sic loquitur : Conteritur cor duplici mola; prima divinæ spei, secunda timoris Dei. Hæ duæ molæ, duo sunt pedes, quos posuit Angelus super mare et super terram. Quid per Angelum, nisi angelica contritionis gratia, a Deo per Angelum missa, qui pedem providentiæ seu voluntatis Dei, ponit super mare mentis amaricatæ, ne de justitia Dei desperet; et sinistrum super terram mundialis et criminosæ mentis, ne de misericordia Dei præsumat; quasi calcando mare mentis contritæ dextro pede, illud Psalmi dicat : *Spera in Deo* ; et sinistro calcando terram, ne præsumat, addat : *Et fac bonitatem!* Horum enim duorum alterum sine altero ad ruinam, non ad salutem est. Perfecta contritio est actus voluntarius conjunctus cum summo dolore de peccatis, elicitus ob amorem Dei super omnia dilecti, cum spe veniæ, et firmo proposito confitendi peccata commissa, nova non perpetrandi, ac pœnitentiam adimplendi, et hæc speciali nomine *Contritio* appellatur, de qua potissimum hoc loco sermo erit. RICHARD, in IV dist, XX q. I.

Hujus porro Contritionis eliciendæ triplex modus est, juxta Philippum Hartunck, et alios. Primus est, si doleas de peccatis ex motivo divinarum perfectionum ; vel omnium simul, vel unius in particulari, ut si dicas : Amo te, Deus meus, super omnia propter id ipsum, quod es ; quia infinite bonus es (infinite pulcher, sapiens, justus, perfectus, benignus, immensus, æternus, omnipotens) et quia sic amo te, detestor ex animo, abominor annulloque, quantum in me est, omnia peccata, quæ ego vilissimus contra te, supremum Dominum et Deum meum, commisi, ideo præcise, quia te offendunt, tibique displicent, et propono firmiter non amplius in posterum peccare. Secundus modus est, si doleas ex motivo beneficiorum, quæ amabilis Deus ex infinito et gratuito amore tibi conferre plura in æter-

num desiderat; ut si dicas: Domine Deus meus, amasti me ab æterno, in tempore creasti me, et cum reus mortis æternæ essem, redemisti me innumeris beneficiis ex puro amore affecisti me, et plura ac majora conferre cupis Ah! doleo, quod te, tantum meum benefactorem offenderim, idque ideo præcise, quia peccatum tibi displicet, et, tu qui infinite bonus es, omni amore et honore es dignissimus. Doleo et offero tibi propositum, numquam te amplius offendendi. Tertius est, si ex motivo omnium et singulorum, quæ incarnatus Deus pro te egit, dixit, tulitque doleas; ut si dicas: Fili Dei, ita me amasti, ut pro me homo factus sis; ex amore tui doleo quod te offenderim, propono emendationem vitæ. Ita me amasti, ut pro me in stabulo natus, circumcisus, etc. Domine Jesu, ita me amasti, ut primo momento, quo conceptus es in utero Matris tuæ, posueris totam Patris tui æterni legem in medio cordis tui, et ad eam adimplendam te obtuleris, ut ego salvus essem, ego te toto corde redamo, ob hanc tuam dilectionem, toto corde doleo, quod te Deum meum Salvatorem unquam peccato offenderim. Offer hanc tuam obedientiam æterno Patri pro me, ut condonet mihi peccata mea. O Pater æterne, respice in faciem Filii tui dilecti Jesu Christi, et miserere, ah! miserere mei! PHILIPH. HARTUNCK. *in Dom. Palm. Conc. civ.* n. 8.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. ISAIÆ c. XXXVIII.

Convertimini ad me in fletu, et planctu, et scindite corda vestra. JOEL. cap. II.

Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, confusus sum, et erubui. JER. c. XXXI.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Ps. L.

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Cui exæquabo te, et consolabor te, Virgo filia Sion? Magna enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui? THREN. c. II.

UTILITAS. — Sanabo contritiones eorum, diligam eos, quia aversus est furor meus ab eis. OSEE. c. XIV.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo. LUC. XVIII.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Tanta est pœnitentia tua, quanta est contritio tua, quanta est devotio tua; contritio pro malo quod fecisti, devotio pro bono recuperando, quod amisisti. HUG. VICT. *ap Mansi*, disc. XIII.

Dolor cordis triplex, acer, acrior, acerrimus. Acer quia Creatorem offendisti, cujus legem cum cœlestia, terrestria conservent, in tanta Republica Dei, tu solus peregrinus es, Imperatoriæ Majestatis dexteram contemnens. Acrior, quia cum Creatore Patrem etiam ad iram provocasti; qui tibi ministrat siderum cursus, et fructuum ubertatem. Acerrimus, qui pertranseat animam, quod beneficium contempseris ejus, qui dolorem crucis sustinuit, ne dolorem amplius sustineres inferni. Ib. n. 8.

Contritionis principalia sunt: Timor et Amor. S. GREG. l. III. *Dial.*

Alia est contritio quæ per amorem nascitur, alia quæ per timorem, quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. Id. lib. VIII.

NECESSITAS. — Tribulatio spiritus linguam commovet; ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet; nam qui mala quidem, quæ perpetravit, insinuat, sed flere, quæ insinuaverit, recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpenti mente medicamentum vulneri non apponit.

UTILITAS. — Contritio apostema pungit, confessio aperit et saniem emittit, satisfactio cataplasmata apponit; per hanc igitur punctionem conteritur cor humanum, et tunc peccati delectatio totaliter effunditur. S. BERN. SEN. tom. V. s. XII. a. 1.

Tanto amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. S, GREG. hom. XXXIII.

Contritio expellit peccatum de anima. In peccatum autem tria sunt mala: Macula, offensa, reatus. Per peccatum anima sordidatur, Deus irritatur; debitum æternæ mortis meretur; in contritione autem contra maculam est expiatio, contra offensam est propitiatio, contra reatum afflictio. S. BONAV. 2. *in Dom. in. oct. Ep.*

Absolvi vis? Ama. Charitas (quæ est virtualis contritio) cooperit multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid pejus? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere,

probante Domino, cum dicit : « Petre, amas me ? » S. CHRYSOLOGUS, s. XCIV.

Contritio est unguentum, sua fragrantia totam domum Ecclesiæ replens. BERN. *sup. Cantic.* serm. X.

Quo uberius culpa fletur, eo altius cognitio veritatis attingitur. GREG. lib. XXVII. *Mor.*

Dominus nescit deserere quem contrito corde senserit supplicare. CASSIOD. *sup. Ps.*

Pungeris bene si compungeris. BERNARD. *sup. Cant.*

FACILITAS. — Facile est ex parte nostra contritionem habere, quia ex libera voluntate procedit, qua voluntate quilibet libere uti potest. S. BERN. SEN. tom. I. s. 12. a. 2.

O magnam et potentissimam medicinam, et quæ ad manum sit, neque opus sit, eam exterius perquirere, sed in pectoris officina redundet, si eam quæramus ibi ; et ratio hujus est, quia peccatum in ratione superiore est, et in consensu voluntatis consistit, nam non consentiente voluntate non potest esse peccatum, oportet ergo, ut ibi quæratur peccati satisfactio, ubi fuit culpa. Voluntas, quæ peccavit, ipsa satisfaciat. In quo autem alio potest voluntas satisfacere Deo, nisi ut doleat de illo, in quo male delectata est, et bene detestatur, quod male complacuit. S. TH. VILLAN. *in Dom. Pas.*

Intus habeo victimam, quam immolem ; intus habeo thus, quod imponam ; intus habeo sacrificium, quo flectam Deum meum : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » S. AUG. in Ps. XLI.

Tanta Domini misericordia est, ut stupa aliqua sive linum in immenso igne positum non tam cito incendi possit quam ipse peccatori vere dolenti peccata omnia condonare paratus est. TAULER. *ap. Blos. in Consol. pusil.*

Nunquam ulla quamlibet fidelissima mater proprio filio suo, quem sub corde suo gestaverit, tam desideranter ac libenter in mediis flammis jacenti manum porrigeret adjutricem, sicut Deus homini contrito, etiamsi possibile foret, eum omnia totius mundi peccata, vel millenis vicibus quotidie perpetrasse. S. HENR. SUSO. Ib.

EXEMPLA SACRA.

QUALITAS. — Mimus quidam erat in Tharso Ciliciæ, nomine Babylas. Erant autem illi duæ concubinæ ; nomen uni Cometa, nomen alteri Nicosa. Vivebat autem luxuriose, agens omnia, quæ illi dæmon suggessisset. Die vero quadam ingressus Ecclesiam audivit per dispensationem Dei sanctum Evangelium legi. Erat autem ista lectio : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum. Compunctusque cœpit cum lacrymis horrere, ac se miserum dicere pro his, quæ peccaverat. Confestim igitur egressus extra Ecclesiam vocavit duas amicas suas, dixitque illis : Scitis, quomodo vobiscum luxuriose vixerim, utque nunquam alteram plus, quam alteram dilexerim. Itaque vestra sunt omnia, quæcumque ego acquisivi. Accipite ea, et dividite inter vos. Ego enim ex nunc abrenuntio sæculo, et efficior monachus. Illæ autem ex uno ore responderunt ei cum lacrymis : Ad luxuriam, et animarum nostrarum interitum communicavimus tibi ; nunc vero, quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, et id solus facis ; profecto non ita erit, sed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita mimus quidem inclusit se in una turrium civitatis ; illæ vero venditis omnibus suis erogatisque pauperibus, accipientes et ipsæ religiosum habitum fecerunt sibi prope turrim cellulam, et seipsas pariter incluserunt. Hunc et ego vidi, et ab eo valde ædificatus sum ; est enim vir valde humilis, et clemens, atque misericors. SOPHRON. *in Prat. Spir.* c. XXXII.

Philippus, Comes Namurcensis, filius Balduini Comitis Flandriæ, antequam moreretur, tantam ei Dominus contulit in infirmitate contritionem, quanta non fuerit visa nostro tempore in aliquo. Quatuor Abbatibus nostri Ordinis solebat sæpe confiteri, et cum tanto lacrymarum imbre, ut omnes ad lacrymas provocaret. Nec ista ei sufficiebant, quin laqueum collo suo injiceret, rogaretque Confessarios suos, ut se traherent in plateam dicens : Sicut canis vixi, dignum est ut moriar sicut canis. Filias fratris sui Balduini Comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Franciæ, cujus filiam duxerat uxorem. Quidam dicebant, quod eas vendidisset, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se jussit in pauperimam domum suæ civitatis, in qua pauper spiritu migravit ad Dominum. Volens autem prius Dominus tantam ejus remunerari contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum Confessorem. Sepultus est in Ecclesia S. Albani Martyris, in qua ipse instituerat Collegium Canonicorum, sed suis

reditibus justa stipendia adhuc sanus ordinans. Tantis usque hodie signis coruscat, ut de remotis regionibus infirmi ad ejus tumbam confluerint, sanitatem recepturi, ipsamque terram circa sepulchrum effodientes secum pro benedictione deportarent. Natura sat mansuetus erat et humilis, tamen gratia miraculorum extremæ ejus contritioni, quæ maxima fuit, potius adscribenda est, quam pristinæ conversationi. CÆSAR. l. III, *Mir.* c. XVIII.

NECESSITAS. — Parisiis in Ecclesia S. Dei Genitricis Canonicus obiit, qui multa habens stipendia delicatissime vixerat, et quia ex deliciis maxime, et de his, quæ ad gulam pertinent, libido nascitur, nata nutritur, et quotidanis ejus incitamentis augmentatur, idem juvenis valde tunicam carnis suæ maculavit, et tam illo, quam aliis suis peccatis, iram Dei in se provocavit. Tandem per infirmitatem tactus timore mortis Confessionem fecit, peccata deflevit, et emendationem promisit, Viaticum accepit, inunctus est, et hominem deposuit; cujus corpus, utpote viri nobilis divitisque cum magna pompa sæcularis gloriæ tumulatum est; et erat in illa die tanta serenitas, ut ipse aer ejus obsequiis famulari videretur. Dixerunt homines ad invicem : Multa bona præstitit Deus homini isti, nihil enim ei defuit horum, quæ homo Christianus habere debuit; Dominicis Sacramentis munitus est, cum magna gloria sepultus est. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Post paucos dies cuidam sibi valde familiari apparens, dicebat se esse damnatum. Cumque miraretur ille, et expavesceret, pœnitentiam ejus et confessionem, sacram etiam Communionem, et inunctionem commemorans, respondit defunctus: Unum bonum mihi defuit, sine quo nullum horum, quæ enumerata sunt, mihi prodesse potuit. Quid est illud? inquit. Respondit mortuus : Vera contritio. Licet enim Deo promiserim consilio Confessoris continentiam, sive alia, quæ salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia, quia si convalueris, observare non poteris. Et quia cor magis declinabat ad transgressionem, quam ad voti observationem, nullius peccati merui remissionem. Deus requirit fixum propositum pœnitendi. CÆSAR, l. II, c,XXI.

UTILITAS. — Fuit quidam homo in quadam famosa civitate, qui prædicationi verbi Dei nullo tempore voluit interesse. Quadam autem die contigit, quod quidam famosus Prædicator in illa civitate prædicaret, et cum magna populi multitudo conflueret, ille ab aliis tractus quasi invitus ad sermonem venit. Quem venientem intuens Prædicator vidit diabolum retrahentem eum cum catena; cujus circuli ex peccatis singulis texebantur, et intuens circulos, cum in singulis peccata singula cognovisset, de peccatis egregie prædicavit, et quomodo propter peccatum habet diabolus in homine dominium in tantum, quod non permittit eum facere bonum, nec audire Dei verbum. Salomon inquit : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur peccator.* Tunc ille universa peccata, de quibus ille prædicaverat, veraciter in se recognoscens, cum postea audisset ab eo, omni vere pœnitenti, quantumcumque peccatori, veniam a Domino repromitti, contritus valde cœpit flere amarissime. Tunc Prædicator vidit unam lacrymam ab oculis ejus cadere super catenam, quæ lacryma catenam dirupit. *Spec. Ex. v. Eodem, ex* I.

In civitate quadam Brabantiæ, prout in Teutonicali quodam libro scriptum inveni, adolescens quidam erat honestis natus parentibus; sed is, ut plerumque contingit, parentelam suam luxuria, furtis, ebrietatibus, litibus, aliisque vitiis defœdabat, taliter se in omnibus agebat, ut etiam homines sanguinis sui, imo et ipsi parentes sui, vel rotandum eum, vel confusibilis patibuli trabe in generis totius sui dedecus suspendendum timerent. Quapropter satius arbitrantes, ut nullo sciente vel admodum paucis, improbitatis suæ pœnas exsolveret, quam totam progeniem macularet. Captum igitur occulte judici tradiderunt : Sume, inquiunt, o judex, hunc filium perditionis improbitatis auctorem, fornicarium, ignavum, furem taxillis assuetum, et temulentiæ deditum, et clam aquis injectum merge. Melius est enim, ut clandestine, amicis tantum scientibus, pereat, quam ut mundo præsente, sciente atque intuente, aut rotetur, aut pendeat. Judex impietatis ejus famæ non ignarus, cum ligatum manibus et pedibus in saccum submergendum mitteret, prostratus in terram, ait : Dimitte mihi pro Domino, quod te, justitia agente (nam sceleribus mortem meruisti) submergam. Compatior enim, et Domino teste, ad acerbos tuos eventus con tristor. Adolescens vero, etsi cerneret se mortis imperia evadere non posse, parentibus suis, cognatis et proprio sanguine contra

se vehementer appellantibus, obstinato animo ingemuit, et lacrymis infusus judici dixit : Etiamsi ob id perenniter damnari debeam, nec tibi tamen, nec me accusantibus, atque tradentibus veniam dono. Quibus dictis sacco immittitur obstinatus ad veniam, aquis moriturus injicitur, mortuus rursum, aquis extractus, secretius sepelitur. Eadem nocte, cum judex obstinatum animum juvenis miraretur, et eum damnatum esse pro tot sceleribus pro rato haberet, subito rescipiens, ad lectuli sui latus, eum quem occiderat, ante se positum vehementer expavit, et quamprimum animo resumpto loqui potuit : Damnatus, inquit, ne es, o adolescens, justitia Dei, aut misericordia Domini reservatus ad gratiam? Respondit ille : Quamvis actu acerbissimis pœnarum agar procellis, et supra quam lingua effari potest, justis sceleribus meis tormentis fatiger, in gratia tamen mortuus sum, et æternæ quietis sedes expecto. Et judex : Miror, si vera fateris, præsertim cum totus mundus te dignum gehenna decernat, et maxime ego, amicique tui, qui te in tanta obstinatione, ira et odio spiritum efflare conspeximus. Cum, inquit adolescens, submersus in aquam palpitarem, et mortis me inciperent angustiæ commovere, divinæ gratiæ lumine irradiatus, plus cœpi dolere me, quod obstinatione, ira, luxuria, cæterisque vitiis divinam clementiam offendissem , quam quod submersus vitæ dispendia sustinerem. Unde alto clamore cordis mei inter acerbas mortis angustias, hanc orationem Domino fudi : O pietatis fons indeficiens, et sceleribus mortalium bonitas invincibilis, pone crucem et mortem tuam inter peccata mea, et justitiam tuam. Indulge mihi quæso, offensam, quia nunc pro amore tuo, omnibus, qui me offenderunt, libens offensas dimitto. Expande nunc brachia tua, amor æterne, et peccatricem animam meam in sinum tuæ vastissimæ pietatis recollige, quæ si in posterum vita daretur, non te amodo tantis, ut hactenus feci, sceleribus lacerarem. Et inter hæc verba spiritum emittens, pietatis divinæ januas aliquando mihi aperiendas agnovi. Audiens hæc judex attonitus stabat, et ad tam ineffabilem pietatem stupefactus aiebat : Tibine Deus veniam dedit? Tibine æternum Regnum spopondit? Tibi, inquam, lubrico, tibi improbo, tibi non gratia, sed supplicio digno? At juvenis : Ita fecit, inquit. Tunc Judex totus infusus lacrymis : Nunc, ait, infelix desperatio vale ! Siquidem si Deus tam pius est, ad ejus misericordiam penitus pergo, et peccatorum licet me gravissimi fasces premant, qui huic quondam scelestissimo juveni veniam dedit, mihi quoque pœnitenti veniam non negabit. Disparuit interim adolescens submersus, et judex post hæc tribunalibus valedicens, mundanos omnes fastus deposuit, sæculum cum suis delictis dereliquit, et Carthusiensium ordinem pœnitentiam acturus intravit. Ubi cum quadam vice cum alio monacho sermonem misceret, et cum multis lacrymis causaretur, quod sæcularis judex existens nonnullos insontes homines, favore, prece, vel pretio victus, vita privaverit, in fletus vehementissimos commotus aiebat : O me miserum hominem, quo me vertam in illa die tremenda, cum ante Judicem justum judex ipse injustus astabo, qui insontium cruorem scelestior ipse damnavi ! At monachus, ut eum altius suspirantem, atque amarius lacrymantem audivit : Quid tu, inquit, Frater, turbaris? Cessent nunc tuæ querelæ, me fundere lacrymas sine. Porro tu, ut sæcularis judex, corpora aliquando moritura peremisti; sed heu! ego indignus pastor animarum, in sæculo existens, malo meo exemplo atque improba vita animas per æva victuras sævus parricida jugulavi. Quo sermone animæquior factus, se divinæ misericordiæ commendavit, et Domino in magna compunctione usque ad mortem servivit. Ibid. ex. XXIII.

Ad S. Vincentii Ferrerii, in Francia prædicantis, pedes quidam se advolvit impiissimus multorum temporum homicida, qui divino aspirante lumine pœnitens, dum post Confessionem a Sancto pœnitentiam accepisset septennii, petiit, utrum in exilis adeo pœnitentiæ virtute salvari posset. Sanctus intentionem advertens compunctionis, totam pœnitentiam ad tres, in pane et aqua, jejunii dies restrinxit. Tunc equidem pœnitens, præ cordis angustia in amarissimos sese diffundere singultus cœpit, quod ut Sanctus observavit, unicum dumtaxat *Pater noster* et *Ave Maria* ei in pœnitentiam injunxit. Vix debito satisfecerat pœnitens, cum ecce subito ad Sancti pedes, quasi intensissimæ contritionis ferro confossus, corruit victima (*Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, vere utique cor contritum Deus non despexit.) atque indilate rectissima ad Paradisi transiit gloriam, prout ipsemet nocte sequenti

S. Vincentio apparens revelavit, cum dicto: Tantus potest esse dolor, ut etiam omnem pœnam Purgatorii tollat. Mansi, *disc.* xxii, n. 4.

Annales Ecclesiastici ex Cæsario de juvene tradunt Parisiensi, qui gravissima admiserat scelera, quæ obstante erubescentia nemini hominum confiteri potuit. Intus torquebatur morsu conscientiæ, et foris tabescebat in corpore. Quid plura? Tandem miserante Deo, timor ille servilis verecundiam vicit, qui sicut seta filum, charitatem inducere consuevit. Vocato itaque ad S. Victorem Monasterii Priore, sua ei peccata confiteri cœpit, tantamque Deus cordi ejus contulit contritionem, ut, quoties confessionem exigeret, toties singultibus intercepta vox deficeret; in oculis lacrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Quo viso discretus Sacerdos pœnitentem jubet, ut peccata sibi deferat scripta. Paret hic, dieque sequenti redux, iterumque tentavit utrum quid lingua exprimere posset, sed mutus substitit, ut pridie, præ nimiis singultibus; Confessario itaque chartam consignavit, qui viso criminum horrore atque enormitate, dum propriis diffidit viribus, cum pœnitentis licentia Abbatem adiit consulturus. Quid deinde (prosequitur historicus) gestum sit, audiant peccatores, et consolentur desperati, et recreentur. Mox enim, ut Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam ejus continentiam deletam invenit; impletumque est in eo, quod Dominus per Isaiam dixit: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.* Vix hoc inaudiit pœnitens, tantumque mentem ejus erexit gaudium, quantus ante depresserat mœror; dimissusque fuit sine ulteriori satisfactione et pœnitentia, quoniam sacrificium Deo spiritus contribulatus etc. Rayn. *an.* 1199, *n.* 45.

Vidit aliquando S. Brigitta dæmones triumphare, quod animam peccatis obsitam jamjam sui juris futuram crederent; sed cum B. Virgo minimam contritionem illi impetrasset, magno cum ejulatu aufugientes adversarios conspicata, admirabilem mutationem Deo animæque illi congratulata est. *Vita*, l. IV, c. vii.

Ribadeneira, 5 Aprilis, quemdam Sancto Vincentio singulare cum ardore confessum narrat, cui cum septenne jejunium pro pœna dedisset Sanctus, ob atrocitatem culpæ cujusdam, dixit pœnitens: O mi Pater! credisne me re tam parva salvandum? Animadvertit ardorem hominis, vir Dei, et: Eia fili, inquit, tantummodo triduum, frigida et pane contentus, jejuna. Effusus in peccatorum detestationem et lacrymas pœnitens, non capiebat quomodo tantillum pœnæ, culpæ tantæ eluendæ sufficeret. Quare Vincentius tantam contriti cordis vehementiam arbitratus: Abi, inquit, et, recitata tertium precatiuncula Dominica et Salutatione Angelica, quiesce. Vir ille, inquit auctor, precatiunculam præceptam semel finivit, cum subito ad pedes illius collapsus nimiaque pœnitudinis vi suffocatus expiravit, qui postea viro Dei apparuit, et quemadmodum cœlesti gloria, sine piacularis ignis pœna, potitus esset, enarravit. Ribadeneira, *in Flor. Sanct.* 5 *April.*

Canonicus quidam in Anglia, et consanguineus Episcopi, quamdam puellam speciosam, Judæi filiam, ad amorem suum inclinavit. Ad cujus amplexus dum aspiraret, et nimis æstuans eam quotidie ad commixtionem sollicitaret, respondit illa: Patri meo multum sum dilecta, qui tantum me custodit, ut neque ego ad te, neque tu ad me venire possis, nisi in nocte sextæ feriæ, quæ Pascha vestrum præcedit. Tunc enim Judæi laborare dicuntur quadam infirmitate, qui fluxus sanguinis dicitur, circa quam occupati aliis tunc minus intendere possunt. Juvenis hoc audiens et ob amoris nimietatem Christianæ religionis pene oblitus, et immemor Dominicæ Passionis, eadem nocte ad virginem venit, et usque ad matutinum cum illa dormivit. Judæus vero pater puellæ, ante lucem cum lumine cubiculum intrans, venit ad lectum filiæ, volens videre quomodo jaceret, vel si forte operiri necesse haberet. Videns autem ad latus ejus jam dictum juvenem cubantem, expavit et fremuit, occidere utrumque cogitans. Cognoscens tamen, quod esset cognatus Episcopi, timor illius manum cohibuit, et cum multa ira exclamavit: Quid facis, homo, male Christiane, ubi est fides tua? Ubi est religio tua? Traditus es justo judicio Dei in manus meas; et si non timerem dominum meum Episcopum, modo occiderem te. Ille timens et veniam postulans, cum maxima confusione, ut dignum fuerat, ejectus est. Die igitur eadem, cum Episcopus solemne officium ad nonam esset celebraturus, et juvenis idem utpote hebdomadarius Epistolam esset lecturus, timuit cum tam immunda

conscientia ad sacrum ministerium accede re timuit propter notam vicem suam alteri committere; timuit tam turpe peccatum tam recenter peractum confiteri. Victus proinde erubescentia, sacris vestibus inductus, cum coram Episcopo staret in loco suo, tunc supradictus Judæus, cum multitudine Judæorum stipatus, cum magno strepitu intravit Ecclesiam, Episcopo de cognato volens facere querimoniam. Quem ut juvenis vidit, et bene intelligeret, ad quid veniret, cœpit timere, pallere, tremere et dicere Deo in corde suo : Domine Deus, libera me in hac hora, et ego tibi promitto, quod de cætero te non offendam; imo de hoc peccato tibi satisfaciam. Creator piissimus, qui odit culpam et diligit justitiam, mox ut hominem contritum vidit, confusionem, quam timuit, in caput Judæorum infidelium convertit. Mirante Episcopo quid quærerent Judæi in Ecclesia, maxime tali die, quando Christiani Domini sui repræsentant passionem, innuit, ut starent. Illis vero ejus præsentiæ ingerentibus, statim ut ora ad Clerici accusationem aperuerunt, privati sunt suis vocibus, et obmutuerunt. Videns Episcopus ora Judæorum hiantia, et nulla verba ex eis resonantia, putans quod ad hoc venissent, ut divinis mysteriis illuderent, cum indignatione omnes de atrio Ecclesiæ expelli præcipit. Clericus vero divinam in se expertus clementiam, statim expleto officio accessit ad Pontificem. Confessus culpam, suscepit pœnitentiam. Episcopus Domini misericordiam admirans, et glorificans tanti pro magnitudine miraculi, tamen pœnitentia eidem cognato persuasit, ut puellam a se defloratam per baptismi gratiam renovatam legitime duceret; malens illum, sicut vir pius et justus, Ecclesiasticis carere beneficiis, quam illam multis expositis periculis in paternis manere delictis. Clericus ergo non ingratus divinis beneficiis satisfacere cupiens Deo pro peccato commisso conversus est, et postea, in ordine nostro, similiter et ejus instinctu puella vitam duxerunt. *Discipul. Prompt. lit. C. ex* XXXV.

Peccator quidam, qui propriam filiam violenter oppresserat, ad venerabilem virum Petrum de Corboel, Senonensem Archiepiscopum, confessionis gratia venit. Confessus igitur in maxima et mirabili contritione, et lacrymis, quæsivit : Si unquam posset, absque ullo dolore vel pœna, a Domino veniam impetrare. Cui Præsul : Ita, inquit, indubitanter, si tanti mali pœnitentiam subire volueris. At ille vehementer exclamans : Volo, inquit, etiamsi mille mortes me sustinere volueris. Collacrymatus ergo infelici, imo jam felicissimo peccatori : Et ego, inquit, septennem tantum tibi pœnitentiæ pœnam impono. Tum ille : Quid est, aut quam pœnitentiam mihi flagitiosissimo septennem tantum injungis, qui si viverem usque ad finem mundi, tantum facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem. Cui præsul : Vade, inquit, et tres dies tantum, in pane et aqua, jejuna. Tum amplius ille plorans et contundens se, rogabat ut pœnitentiam injungeret salutarem. Supra modum ergo admiratus et exhilaratus Antistes, tandem definitive præcepit homini, ut abiret et unum tantum *Pater noster* diceret, sciretque pro certo peccatum sibi esse remissum. Nec mora dirum ille emittens ejulatum, et in terram procidens, expiravit. Nec dubia fides, sicut Deo dignus Episcopus postea prædicavit, quia idem pœnitens, sine ulla alia Purgatorii pœna, validissima tantum contritione purgatus ad gloriam volaverit. THOM. CANT. lib. II, *de Universa*. c. LI, p. 7.

Senex quidam, Pardus nomine, genere Romanus, dum esset junior mulio fuerat. Die quodam igitur abiit Hierico cum mulis, et cum esset in xenodochio, inventus est illic puer parvulus, quem agente diabolo mulus calce percussit et occidit, ignorante hoc Pardo. Afflictus vero multum super hoc Pardus, abiit in Arnonem, et effectus est anachoreta, lugens semper, et dicens : Ego feci homicidium, et ut homicida in judicio damnatus sum. Erat autem illic prope torrentem leo, diebusque singulis ibat Abbas Pardus ad cubile leonis stimulans et provocans leonem ut exurgeret et devoraret eum. Leo autem nihil omnino eum lædebat. Videns autem senex, quia nihil prodens proficeret, ait in seipso : Dormiam in via per quam leo pergit ad fluvium, nam cum transibit, ut eat ad bibendum, devorabit me. Cum ergo jaceret, ecce leo post paululum venit, et quasi ratione præditus esset cum omni quiete transilivit senem, neque omnino eum tetigit. Tunc senior certior factus est, quod Deus illi remisisset peccatum et veniens rursus in Monasterium suum vixit magna continentia, ædificans omnes vitæ suæ exemplo usque ad diem obitus sui. *Ex Sophr. Spirit.* c. CI.

Cum Beroldus, ex ordine Franciscanorum, inter prædicandum Dei verbum acrius in vitium quoddam invectus esset, mulier, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentiæ ac contritionis vi in media concione mortua concidit. Verum cum omnibus in preces procumbentibus, paulo post revixisset narravit mortis causam, jussamque se ad corpus redire, ut peccatum illud confessione expiaret. HIER. PL. lib. II, *de Bon. Stat. Relig.*

MOTIVA.

Quia tanto apud supremam Sacrosanctæ Triadis Majestatem in pretio atque valore habetur cor veraciter pœnitens, ut vel ad unius actus contritionis comparationem omnes flocci æstimet terræ thesauros ; si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Contritio est ferventissimus charitatis et amoris actus. Faciat anima quidquid poterit, et noverit in debitorum suorum satisfactionem, instituat et multiplicet jejunia, eleemosynas, peregrinationes, extases, animarum conversiones, opera omnia misericordiæ etc. quasi nihil despiciet in comparatione vel unius contritionis actus; sicuti minimus gratiæ sanctificantis gradus abunde sufficit ad integram etiam abolendam peccatorum infinitatem, ita, et solus veræ contritionis gradus vel unicus sufficiet ad eumdem præstandum effectum. MANSI, disc. XXII, n. 1.

Quia Deus tam patienter expectat contritionem nostram. Hinc S. Th. Vill : Considera, inquit, quomodo te sustinuit, et expectavit cum multa patientia, quomodo pro offensis multa bona dedit, offensus rogat ut redeas ad illum ; et considera tuam duritiam, pertinaciam, ingratitudinem et pravitatem; quam male respondisti tam bono Patri; quomodo contemnis monentem, despicis vocantem ; sine timore ac verecundia pro nihilo habes illum offendere, et mille injurias facere. S. THOM. VILLAN. *in Dom. Pass.*

Quia in morbo corporali et periculoso tutius et securius remedium quærimus, cur efficaciorem medelam morbo animæ nostræ non providemus? S. THOM. VILLAN. *in Dom.* III, *Quadr.*

MEDIA.

Gratia divina sedulo implorata ; nam contritio est specialissimum Dei donum, nostras excedens vires; cœlesti itaque nos Samaritano jugiter supplicemus oportet, certi, quod bona, imo optima alligatura, quæ fracta animæ nostræ ossa connectat, et soliditate reparata, in pristinas vires reformet. S. AMBR. ar. 21, *in Ps.* CXVIII.

Peccati magnitudo demonstrata; nam ut S. Gregorius ait, compunctionis gratia menti non infunditur, nisi prius ipsaei pecca magnitudo demonstratur. S. GREG. hom. V, *in* II *Reg.* Hanc autem magnitudinem perquam apte Petrus Pennequin duobus emblematis ostendit. Demus, inquit, regem aliquem optimum munificentissimum et amantissimum alicui ex aulicis in dilectionis suæ argumentum gemmam donasse ingentis pretii, ea conditione, ut illam diligenter servaret, nec negligentia, aut incuria, perderet, multo minus vili pretio distraheret; hic nihilominus vino capet regiæ voluntatis aut oblitus, aut contemptor gemmam illam cum re vilissima commutat, et alieni juris facit. Quomodo regem id ferre existimas, et quo animo aulicum esse, dum ejus impudentiæ plenum facinus ad aures Regis pervenisse intelligit, ejusque se offensionem incurrisse, et jam se ab illo proscriptum, et ab aula ejectum, et suppliciis obnoxium agnoscit? Quantus inde dolor, quanta pœnitudo hominem incessit? Quid non agit et molitur, ut gemmam recuperet, et cum rege amicitiam resarciat! Et iterum : Filius aliquis temulentus, dum noctu fuste armatus plateas obambulat, et obvios quosque male mulctat, forte Patrem suum foris cœnatum amico domum redeuntem incognitum pessime excipit, et verberibus onerat, vulneribusque deformem ac semiluxatum ibi relinquit ; postridie mane ubi vina decoxit intelligit, quanto furore in Patrem, a quo amabatur, sit debacchatus, quis tum illi animi sensus? Quæ perturbatio, ubi injuriæ magnitudinem, parentis dolorem, suam effrenem impudentiam propius aspicit? Tum vix sui compos, et seipsum non ferens, Patrem in lectulo ex membrorum contusione jacentem adit, et pudore simul ac dolore oppressus ad ejus pedes prostratus, verbis, quibus potest, seipsum accusat, culpam exaggerat, et fustem quo facinus admisit, Patri repræsentans, rogat cum lacrymis, ut cum illo pœnas criminis a se repetat, et tantam injuriam, quibus volet modis, ulciscatur; modo veniam donet, et in gratiam recipiat, cætera omnia se flocci facere.

ASCETICA.

In primis nosse debet, *in quo proprie contritio consistat*, id quod S. Thom. Vill. apte ostendit dicens: Vera contritio ex amore debet procedere, non ex timore aut amore sui. Quo et fine Sanctus hunc D. Augustini citat textum : Oportet pœnitentem non solum Deum timere Judicem, sed et Justum diligere, et hoc valde advertere debet peccator; nam Deus magis respicit, de quo doles, quam quantum doles; et plus curandum est, ut dolor sit perfectus, quam ut sit intensus. Ad cujus probationem exemplum adducit damnatorum, qui de suis quidem dolent peccatis, juxta illud Sapientiæ: « Pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes, sed pro tormento, non pro peccato. » Solus dolor ille Contritio est, qui est propter Deum; unde Attritio et Contritio non tantum differunt, quod Contritio est intensus dolor et Attritio est dolor remissus; sed magis, quia Contritio est dolor perfectus propter Deum, et Attritio est dolor imperfectus, mixtus cum aliis respectibus. Qui idipsum clarius explicat sequentibus verbis: Sit maximus (contritionis actus) appretiative scilicet, non intensive, ut plus dolens de peccato, quam de quodlibet infortunio; non intensive, quia sensibilia mala magis movent nos, sed appretiative, et in æstimatione, quia, si daretur optio plus eligeres pati quodcumque infortunium, et mortem filiorum, et tuam, imo et infernum quam eligere peccatum.

Nosse debet, *unde oriatur Contritio;* id quod Pennequin sic ostendit : Contritio est Amoris sancti soboles; ut enim amor omne bonum amato vult, ita ab illo omne malum propulsare nititur, et cum illud accidit, dolet, si id sua culpa evenerit, mœrore doloreque conteritur, atque conficitur, et remedium adferre, ac restaurare damnum et cum amico redire in gratiam omni contentione enititur. Ita fit, ut anima per peccatum Dei Majestatem violatam, bonitatem contemptui habitam, sanctitatem turpiter fœdatam bene apprehendat, et hæc omnia Deo ipso spectante, prohibente, et facti punitionem, inimicitiamque minitante. Petrus Penneq. p.3. *Is.* q. c. xvi. n. 1.

Nosse debet, *unde oriatur difficultas veræ Contritionis eliciendæ;* id quod S. Bernardinus clare ostendit, dum ait : Magna atque difficilis res est, habere contritionem; licet enim in voluntatis libertate, et rationis electione contritio consistat ; tamen ex altera parte difficillimum est habere veracem contritionem. S.Bern. Sen. t. I, s. xii, a. 2, c. i. Nam, secundum S. Bonaventuram, in 4. dist. 16. art. 2 : Dolor, in quantum est displicentia rationis, in vera contritione mensuratur secundum qualitatem charitatis. Ad hoc, quod habeat charitatem, necesse est, quod super omnia diligat Deum, etiam supra seipsum. Hoc autem fit, cum pro nullo commodo, vel incommodo Deum offendere velit, et hoc intelligendum est de displicentia rationis; unde tantum debet peccatum displicere rationi, quod nullo commodo vel incommodo velit consensisse in ipsum.

MISCELLANEA.

Qualitas. — *Manus meæ stillaverunt myrrham,* inquit sacra in canticis Sponsa, *et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Quæ conventio amaræ myrrhæ ad sponsaliorum delicias? Respondet Lyranus : Dilectam Sponsam significare velle, se rigoribus pœnitentiæ totaliter applicuisse; id est, applicavi me ad opera pœnitentiæ, quæ designantur per amaritudinem myrrhæ. Mysterium, quod ego in præsenti indago, in eo latet, cur myrrha appelletur perfectissima? Pro cujus notitia sciendum, illam esse myrrham perfectiorem, quæ ultronee egreditur ex arbore, absque incisione ; sicuti e contra illa est imperfectior, quam cum ferro et violentia ex arbore educere oportet. Ecce nobis differentia inter Attritionem et Contritionem, illa non ex amore, sed ex timore oritur; hæc autem e contra, utpote immediatus charitatis divinique amoris affectus; ideoque Poeta cecinit :

Oderunt peccare boni, virtutis amore;
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Mansi, disc. xiii, n. 8.

Æquitas. — Sicut in naturalibus aliquid conteri dicitur, quando totaliter in minimas partes reducitur ; ita cor hominis conteri dicitur, quando affectus peccati secundum omnem sui partem in eo totaliter confringitur, et perfecte a peccato resilit. Moxque in capitulo sequenti subjungit : Duo conteri debent, cor et culpæ; conteri debet cor, quod, ad litteram, in vera contritione totum

teritur præ nimia angustia, et dolore, et indignatione, quam contra peccata sua concepit. Juxta illud Joelis consilium : « Scindite corda vestra; » conteri debent culpæ; hoc perfecte fit, cum peccata totaliter abjiciuntur a corde ; unde Psalmus : « Effundite coram illo corda vestra.»

Erat Principi Tirolensi cum finitimis bellum, dumque jam collecto exercitu in illos movet, parens adhuc vegetus comitem se dare vult, et renitente licet filio, impetrat. Dum fervet prælium, et miscentur arma, filius separatur a patre, et pulvere ac fumo confundentibus omnia, et amicorum inimicorumque notitiam eripientibus, parentem ignotum hasta transverberat, ejusque frustum relinquit in pectore. Finito prælio victor filius patrem requiri jubet ; is inter mortuos jacens reperitur. Quod cum audisset filius, ad cadaver deduci voluit, cumque illud fixus et immobilis intuetur, et hastæ frustum examinat, patrem a se peremptum agnoscit, et doloris magnitudine obrigescens, hastæ semifractæ innixus, moritur, quod OEniponti statuis ex ære fusis expressum etiamnum visitur. Amabat scilicet et reverebatur impensissime parentem suum, unde amori par dolor succedens attonitum, deque injuriæ magnitudine pœnitentem oppressit. PENNEQ. p. 3. c. XVI, n. 5.

UTILITAS. — Inter alias Ægypto inflictas pœnas et flagella, fuit et locustarum, dicente textu sacro : « Flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, et arreptam locustam projecit in mare rubrum, non remansit ne una quidem in omnibus finibus Ægypti. » Diversa hoc in textu ad intentum nostrum recluduntur mysteria. Ventus, qui locustas abstulit, ab Occidente spiravit, suam in mari bestiolæ offenderunt sepulturam nulla superstite, ecce vobis delineatos Contritionis effectus. Culpa illi assimilatur animali ; sicut enim hoc nascitur ex terra, ita et illa ex carnis nostræ humo derivatur. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia, fornicatio, etc. Ex superabundanti calore nascitur locusta (concupiscentia parit peccatum), bestiola hæc totum camporum destruit virorem, culpa quoque omnia tollit bonorum operum merita. Sed quod remedium hujusmodi poterit extirpare locustas? Flatus venti ab Occidente. Non modo vitæ nostræ consideremus terminum, nullo non momento nobis imminentem, sed, et finem creationis nostræ, inque veritatis hujus agnitione, internæ compunctionis et divini amoris actus excitemus. Ita namque omnia peccata nostra in rubrum demergentur Sanguinis Christi mare, vel in dolorosæ Contritionis pelagus : *Velut mare contritio tua;* omnia penitus suffocabuntur delicta, projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Ecce vobis eximiæ hujus virtutis effectum. MANSI, *disc.* XXII. n. 5,

Accommoda proposito deservit illa Apostoli sententia : Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur. Mortuum plangis patrem tuum, neque eum ad vitam revocas; bonorum te affligit jactura, nec recuperas; injuria tibi illata te conturbat, non tamen eam excutis; ast qui gravis contra Deum offensæ, qui peccati mortalis reus, in corde suo veræ excitat Contritionis actus, omnem abolet non modo reatum, sed et memoriam culpæ : Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Audite Sanctum Chrysostomum : Peccavit quis? Tristatus est? Peccatum doluit? Dissolvit debitum. Similitudinem capite in verme, qui lignum, ex quo nascitur, consumit. Ita nimirum et dolor, ex peccato ortus, ipsum in cineres redigit et annihilat, S. CHRYS. hom. V, *ad Populum.*

Statua Nabuchodonosori ostensa habebat caput ex auro optimo, pectus autem et brachia de argento, ventrem et femora ex ære, tibias autem ferreas, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis ; motu autem proprio descendens e monte parvum aliquod saxum, quod in debiliores immensi hujus colossi partes impingens, ipsum minutissima in frusta dissipavit. Abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos ; tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis. Ecce vobis spiritualem historiæ illius sensum nostro accommodum proposito. Peccator in corde suo erexit idolum Babyloniæ, illud adorans, illi obsequia præstans. In auro divitiis, in argento honoribus, in ære voluptatibus, in ferro cultum et venerationem præstat odiis, rancoribus, vindictis ; exile saxum, unica inspiratio cœlestis, unicum prædicatoris verbum ad pœnitentiam cor inducit, infirmiores percutit Babylonicæ statuæ partes, ipsum consideratione fragili-

tatis mortalis naturæ, identidem subjectæ morti conterendo. Motiva timoris in corde actus diversos excitant amoris et doloris, conteritur idolum, omnia perimuntur peccata. Lapis itaque sine manibus abscissus, inquit Richardus a S. Victore, timor Domini divinitus inspiratus; in ictu hujus lapidis statua dejicitur. Et quid est hujusmodi percussio, nisi interna compunctio? Quid autem percussæ statuæ comminutio, nisi compunctio cordis, contritio et humiliatio, unicus divini amoris actus profanum conterit altaris cordis nostri idolum ? Et quemadmodum parvus iste lapis in ingentem excrevit montem, ita vel unicus contritionis actus titio nem inferni, in momento in Paradisi Seraphinum transmutare potest. MANSI, disc. XXII. n. 9.

Hæc est illa aquæ vivæ piscina, quam movet Angelus in corde per dolorem, in quam, qui intrat, per hujusmodi aquæ motum sanatur, et mundatur ab omnibus infirmitatibus suis. Hæc est illa virga Moysis, qua percussum mare concupiscentiarum exæstuans, dividitur in divisiones, ut electi Dei sicco pede promissionis in terram pertranseant. S. THOM. VILLAN. *in Dom. 4. Quadrag.*

Juvenis erat Ferrariæ, robustæ, ut apparebat, valetudinis, qui tamen inopinata morte corruit. Medici corpus aperiunt, rimantur jecur, pulmones, splenem, nihil uspiam vitii deprehendunt. Tandem ubi cor scrutari cœperunt, vermem in eo conspiciunt fœda laniena grassari. Mergitur is variis liquoribus, nec submergitur, donec in succum amarum, e cepis alliisque expressum, conjectus est, ubi expiravit. Peccata nostra, et obsoleta flagitia cepæ sunt, et allia, quæ vel conspectu suo succum illum lacrymarum pœnitentium oculis exprimunt. His vermis conscientiæ immergendus est, et invenietis requiem animabus vestris, et quisque de se dicere poterit : Ecce in tranquillitate, et in pace erit amaritudo mea amarissima. SAVONAROLA, cap. VI in *Michæam*.

CRUX.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Prout hic accipitur, est afflictio seu tribulatio propter Christum tolerata. Uti clare indicavit S. Maximus dicens : Crux non solum dicitur, quæ tempore passionis ligni afflictione conficitur, sed quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur, ut non solum intelligatur Crux ligni patibulum, sed piæ vitæ virtutisque propositum. Unde omnis Christiani vita, qui secundum Evangelium vixerit, Crux est atque Martyrium. S. MAX. *in ser. de Matth.*

DIVISIO. — Dividitur præcipue in *corporalem* et *spiritualem* ; illa est, qua corpus affligitur ; hæc, qua spiritus cruciatur : utramque vero subdividi potest in eam, quæ in *abstinendo* et *sustinendo* suscipitur.

ACTUS. — Primus est *magni æstimare ;* uti Moyses fecit, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. HEB. XI, 26.

Secundus, *ardenter considerare ;* uti S. Theresia desideravit, assiduo in ore habens : Aut pati, aut mori. SURIUS, *in Vita.*

Tertius, *prompte acceptare*, ad exemplum S. Lupi, Attilam hostem his verbis excipientis Salve, flagellum Dei ! Aut S. Andreæ sic Crucem eminus conspectam salutantis : Salve, Crux pretiosa, suscipe Discipulum ejus, qui pependit in te Magister meus Christus. Et iterum : O bona Crux, diu desiderata, et jam concupiscenti animo præparata ! Securus et gaudens venio ad te; ita et tu exultans suscipias me Discipulum ejus, qui pependit in te.

Quartus est *patienter sufferre ;* quemadmodum S. Job docuit, in omnibus calamitatibus, non peccans labiis suis. JOB. I.

Quintus est, *gaudere in tribulationibus*, uti SS. Apostoli ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. ACT. V, 4.

Sextus est, *gloriari ob Crucem;* uti S. Paulus fecit dicens : Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini mei Jesu Christi. GAL. VI, 14.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — In omnibus exibeamus

nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus. I. I. COR. VI, 4.

Nemo moveatur in tribulationibus istis; ipsi enim scitis, quod in hoc positi simus. I. THESS. I, 3.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum. HABAC. III, 14.

NECESSITAS. — Nonne hæc oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam? LUC. XXIV, 26.

Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. 2. TIM. III, 2.

Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non Filii estis. HEB. XII, 8.

Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei. ACT. XIV, 21.

Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. MATTH. X, 38.

Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse Discipulus. LUC. XIV, 26.

Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam, et improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, et a serpentibus perierunt. JUDITH. VIII, 23.

ÆQUITAS. — Merito hæc patimur, quia peccavimus in Fratrem nostrum (Christum) idcirco venit super nos hæc afflictio. GEN. XLII, 21.

Non ulciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem evenisse credamus. JUDITH. VIII, 26.

Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? JOB. II, 10.

Utinam intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. JOB. XI, 6.

Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi. JOB. XXXIII, 27.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio, complacet sibi. PROV. III, 11.

UTILITAS.— Benedictum est nomen tuum, Deus Patrum nostrorum, qui, cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. TOB. III, 13.

Hoc habet pro certo omnis, qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur. IB. 21.

Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. PS. XXXIII, 19.

Infirmitas gravis sobriam facit animam. ECCL. LI, 2.

Speciosa Dei misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluvia in tempore siccitatis. ECCL. XXXV, 26.

Excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. ISAIAS, I, 25.

Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. ROM. I, 18.

Id, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. COR. IV, 17.

Si commortui sumus, et convivemus, si sufficiemus, et conregnabimus. 2. TIM. II, 12.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. MATTH. V, 10.

Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. IB. 11.

In die tribulationis commemorabitur tui, et sicut in sereno glacies, solventur peccata tua. ECCL. III, 17.

Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis reddet justitiæ. HEBR. XII, 11.

Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. PSAL. LXXVII, 34.

DIGNITAS. — Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio, complacet sibi. PROV, III, 11.

In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos et invenit eos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et in tempore erit respectus illorum. SAP. I, 5.

Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut

ut fur, aut maledicus, aut alienarum rerum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. I. PET. IV, 15.

Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patienter sustinens. I. PET. II, 19.

JUCUNDITAS. — Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Ps. XXII, 4.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ps. XXIX, 19.

Omne gaudium existimate, Fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur ; patientia vero opus perfectum habeat. JAC. I, 2.

Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 2. COR. VII, 4.

Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. I. COR. I, 5.

Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. I. PET. IV, 13.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Nemo poterit nos separare a charitate Dei, etiam mortem minando, quia Deum non amare, vera mors est ; nec vitam promittendo, quia eum amare, vita est. Nec Angeli nos separabunt, quia uniti cum Deo Angelis fortiores erimus. Nec Virtutes, quæ in hunc mundum potestatem habent, quia Deum amando mundo superiores sumus. Non molestiæ præsentes, quia Dei amor eas leviores facit. Non spes futurorum, quia qui Deum amant, jam omnia possident præsentia. Non altum, nec profundum. Quid enim potest cœlum mihi offerre, ut eum deseram, qui ipsum condidit cœlum? Et quid mihi potest minari infernus, quo amorem Dei deseram, quem si non deseruissem, quid infernus est, ignorarem ? S. AUG. *sup. verb. Quis nos separabit.*

Ne in immensum volumen extendam, quære et invenies singulos (Sanctos) adversa perpessos ; solus in deliciis Salomon fuit, et forsitan ideo corruit. S. HIER. *de Custod. Virg.* ep. XXII.

Flagellat Deus omnem Filium, quem recipit, et tu forte exceptus eris? Si exceptus es a passione Flagellorum, exceptus es a numero Filiorum. S. AUG. l. *de Past.*

Crux non solum dicitur quæ tempore passionis ligni afflixione conficitur, sed quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur, ut non solum intelligatur Crux, ligni patibulum, sed piæ vitæ virtutisque propositum, unde omnis Christiani vita, qui secundum Evangelium vixerit, Crux est atque Martyrium. S. MAX. *de Martyr.*

NECESSITAS. — Auctor pietatis in Cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens : Apostolis persecutionem, Judæis corpus, Patri Spiritum, Paranymphum Virgini, Latroni Paradisum, Peccatori Infernum, Christianis vere pœnitentibus Crucem commendavit. Id. *in ser. de Pass.*

Nullus servus Christi sine tribulatione est ; si putas te nondum habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus. Id. *in Ps.*

Unusquisque nostrum cum nascitur et hospitio hujus mundi excipitur, initium sumit a lacrymis, et quamvis adhuc omnium ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate, quam flere. S. CYPR. *de bono Pat.*

Vox est Apostoli : Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur ; si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Christo pie vivere. S. AUG. *in Ps.* 55.

UTILITAS. — In fornace ardet palea, et purgatur aurum ; illa in cinerem vertitur et illud sordibus exuitur. Fornax mundus, aurum justi, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo artifex, facio ; ubi ponit me artifex tolero. Jubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me et ad consumendum me, illa quasi in cinerem vertitur, ut ego sordibus caream. S. AUG. *sup.* Ps. 60.

Tanto spes in Deo solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit, quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. S. GREG. *in Mor.*

Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpe prosperitas hujus mundi claudit. Idem.

Electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne, dum quisque præsentis vitæ requie, quasi viæ amœnitate pascitur, magis eum diu pergere quam citius pervenire delectet, ne, dum

oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in Patria. Idem.

Sanctorum mentes æternitatis præmia præstolantes, vires ex adversitatibus sumunt quia crescente pugna gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Electorum desideria, dum premuntur adversitate, proficiunt, sicut ignis flatu premitur, ut crescat, et, unde quasi extingui cernitur, inde roboratur. Idem.

Afflicti terrena perdimus, sed afflictionem humiliter sustinentes cœlestia multiplicamus. Idem,

Hodie Crux fixa est, et sæculum sanctificatum est; hodie Crux fixa, et dæmones dispersi sunt; hodie Crux fixa est, et mors subversa est; hodie Crux vicit, et mors vita est; hodie diabolus vinctus est, et homo solutus est, et Deus glorificatus est. S. AUG. *in ser. de Parasceve.*

Nemo, quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit; quia unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit; sed quantum perceperit, in adversitate perturbationis ostendit. S. GREG. *in Moral.*

Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Bene confixus, quia conversus exinde est. Bene pungeris, si compungeris. Multi, cum sentiunt pœnam, corrigunt culpam. Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filios. S. BERN. § 48, *in Cant.*

Quid non misericorditer præstatur hominibus a Domino Deo, a quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est admonentis Dei. S. AUG. ep. LXXXVII.

Magnum bonum tribulatio, et hoc ex nostris discimus filiis, nam absque tribulatione nihil utile discerent, nos autem plus illis afflictione indigemus, a puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, a nobis magna nimis. Pædagogus autem noster tribulatio. S. CHRYS. hom. LXII, *ad Pop.*

Electi pressuris tribulationum constringuntur, ut his admoniti arctius ad invicem mutua charitate nectantur et adunati per manus Redemptoris in perpetuum conserventur. Reprobi, quanto latius voluptatibus suis dimittuntur, tanto longius a divinæ visionis gloria projiciuntur. GLOSSA, *in* VII, *Reg.* 25

Fastum contrahit, et omnem excutit torporem et ad patientiam ungit, et humanarum rerum vilitatem revelat tribulatio. S. CHRYS. hom. LXVI, *ad Pop.*

Crux Christi clavis est Paradisi, hæc infirmorum baculus, Pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix. DAMASC. lib. IV.

Crux Christi nobis est multorum bonorum causa. S. AUG. s. XXIX.

Crux Christi contra vitiorum impugnationes est adjutorium. S. AUG. ep. IV.

Crux est fons vitæ. S. CHRYS. *ad Pop. Antiochenum.*

ÆQUITAS. — Ne indignemini, si mali in hoc mundo florant, et vos patimini; quia non est Christianæ Religionis in mundo exaltari, sed deprimi; mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo, sed spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contigerit, gaudere debetis. VEN. BEDA, II *sup. illud Jac. Omne gaudium.*

Hæc omnia operatur Dominus, ut det nobis vexatio intellectum. Trituratur granum, tu reponatur in horreo; quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in ædificio templi collocetur; movetur turbo, ut Elias rapiatur in cœlum. Maximum est remedium interioris hominis, si in hac area mundi variis passionum flagellis trituretur exterior. S. PETRUS CHRYS. *in ep.*

Parva toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cœlum. CASSIOD. *sup. Ps.*

Delicatus es, Frater carissime, si hic vis gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Christo. S. HIER. *in Reg. Mon.* c. XIX.

DIGNITAS. — Magna dignitas, regnoque et consulatu, et omnibus honoribus major, pro Christo ligari; nihil enim tam clarum est, quam pro Christo vinctum esse, ita ut catenæ circumdatæ S. Pauli manibus, Apostolatu ejus et doctoratu multo sint illustriores, majorique veneratione dignæ. Si quis flagrat amore Christi, vincit potentiam vinculorum, malit fortasse vinctus esse pro Christo, quam cœlos inhabitare. Si quis me cœlo donet omni, vel ea, qua manus Pauli vinciebantur, catena, illam ego honori præponerem. Si quis me cum Angelis statuat, aut cum Paulo vincto, vincula eligerem; etenim nihil melius, quam mala pati pro Christo. S. CHRYS. hom. V. *de Patient. Job.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI

Qualitas. — Habet Jesus nunc multos amatores Regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ crucis. Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis. L. II. c. xi.

Durus multis videtur hic sermo : Abnega temetipsum, tolle crucem tuam, et sequere Jesum. Sed multo durius erit audire illud extremum verbum : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. L. II, c. xxii, § 1.

Necessitas. — Ecce in Cruce totum constat, et in moriendo totum jacet, et non est alia via ad vitam et ad veram internam pacem, nisi via Sanctæ Crucis. Ib. § 1.

Dispone et ordina omnia secundum tuum velle et videre, et non invenies, nisi semper aliquid pati debere aut sponte aut invite, et ita Crucem semper invenies. Ibid.

Non potes effugere, quocumque cucurreris; quia quocumque ieris, teipsum tecum portas, et semper teipsum invenies. Ibid. § 4.

Converte te supra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, et in his omnibus invenies Crucem. Ibid.

Æquitas. — Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? Quis Sanctorum in mundo sine Cruce et tribulatione fuit? Nec enim Jesus Christus Dominus noster una hora sine dolore passionis fuit. Et quomodo tu aliam viam quæris, quam hanc regiam viam, quæ est via Sanctæ Crucis? § 6.

Tota vita Christi Crux fuit et Martyrium, et tu quæris requiem et gaudium? § 7.

Vere vita boni monachi Crux est, et dux Paradisi. Inceptum est, retro abire non licet nec relinquere oportet. L. III, c. lvi, § 4.

Utilitas. — Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quam libenter pati pro Christo. L. II, c. xii, § 14.

Si libenter Crucem portas, portabit te, et ducet te ad desideratum finem, ubi scilicet finis patiendi erit. Ibid. § 5.

In Cruce salus, in Cruce vita, in Cruce protectio ab hostibus, in Cruce infusio supernæ suavitatis, in Cruce robur mentis, in Cruce gaudium spiritus, in Cruce summa virtutis, in Cruce perfectio sanctitatis. Ibid. § 2.

Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes servi Crucis, qui se Crucifixo conformaverunt in via, accedent ad Christum Judicem cum magna fiducia. Ibid. § 1.

Dignitas. — Ambula, ubi vis; quære, quodcunque volueris, et non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra, nisi viam Sanctæ Crucis. Ibid. § 3.

Utinam dignus esses aliquid pro nomine Jesu pati; quam magna gloria remaneret tibi! Quanta exultatio omnibus Sanctis Dei; quanta quoque ædificatio esset proximi! Ib. § 13.

Jucunditas. — Quando ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis est, et sapit pro Christo, tunc bene tecum esse existima, quia invenisti Paradisum in terra. Ib. § 11.

Si ponis te, ad quod esse debes, videlicet ad patiendum et moriendum, fiet cito melius, et pacem invenies. Ib. § 12.

EXEMPLA.

Qualitas. — Sancti Martyres, teste Apostolo, alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hebr. xi.

Jeremias, Prophetiæ Spiritu plenus et in utero sanctificatus, dicebat de se, quod fuerit vir rixæ et discordiæ in universa terra, et quod omnes maledicebant ei. Jer. i, 15.

S. Paulus erat in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, et tamen dicebat : Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. II Cor. xv.

S. Gertrudis adeo didicerat tribulationes de manu Dei accipere, ut nulla res adversa, ne peccatum quidem aut imperfectio ab ipsa commissa, fiduciam illius in Deum concutere aut imminuere posset. Blosius, c. xi, *Monil.* n. 5.

S. Theresia dicere solebat : Nolim tribulationes cum omnibus mundi thesauris commutare. *Pædagog. Christ.* t. II, c. xv, sect. 6.

S. Franciscus Seraph. morbos ac dolores *Fratres suos* appellabat, ideoque fratrem quemdam hortantem, ut a Deo sublevationem peteret, graviter increpuit, moxque in terram se abjiciens dicebat : Gratias tibi ago,

Domine Deus, pro dolore, quem patior, et supplex oro, ut eum in centuplum augeas, si tibi ita placet. Quid enim mihi gratius esse possit, aut debeat, quam ut affligendo mihi nullo modo parcas siquidem voluntate tua nihil habeam antiquius. S. Bonav. *In vit.* c. xiv.

S. Thecla, post superatas fidei causa bestias, ignem, carceres, animo plus heroico ita Deum affata est : Ecce me, o Christe, ecce paratam me omnibus vitæ diebus, quævis incendia et carceres pro nomine tuo sustinere, et pro majori semper gratia ac favore habebo talia perpeti, quam si quibuscumque mundi thesauris et deliciis daretur perfrui. Hanc unam a te, mi Deus, gratiam postulo, ut tormenta liceat et multa, et continua, pro nominis tui gloria perferre. *Pæd.* l. c. xv.

Æquitas. — Ad Proceres Francos, in Ægypto captivos, *Belli Sacri* temporibus, accessit Princeps Saracenus, et quæsivit, num crederent in unum Deum, qui pro ipsis in Cruce mortuus est? Illis affirmantibus, addidit, eos mœstos aut pusillanimes esse non debere, si tantulam calamitatem subirent ejus nomine, qui extrema supplicia pro ipsis exantlasset, eosque nondum ad mortem pro ipso certasse. Quod si tantæ potestatis fuit, ut triumphata morte seipsum a sepulcro excitarit, certo in animum inducere oportere, fore ut etiam ipsos brevi calamitatibus tantis eximeret. Seriam veramque fuisse consolationem, secuta brevi libertas probavit. Daurolt. c. i, t. xlv, *ex.* 5.

Lambertus, consul Harlemensis, cum a tumultuantibns Calvinistis, ob Ecclesiæ auctoritatem defensam, patibulo adjudicatus, illud eminus videret, dixit : Quid extimescimus lignum? Etenim si olim gloriæ Dominum crucifixerunt, quid nobis ejus servis expectandum? Anne major servus Domino suo? Fab. *canc.* v, *In festo Invent. S. Crucis.*

Utilitas. — Ad S. Mechtildem morbo afflictam accessit aliquando Sponsus illius Jesus, eamque a sinistro latere amplexus asseruit; cum afflictus est quispiam, et gravius excruciatur, tum se læva illum sua amplecti, ut suum cordi ipsius tanto propius viciniusque conjungat. Eusebius Nieremb. *de Amore Jesu.* c. xxxii.

Cum Græcus quidam adolescens in Ægypti cœnobio graviter a fornicatione impugnaretur, nulloque medio illam expugnare posset, Abbas monasterii domesticis præcepit, ut eum assiduis jurgiis, convitiisque insectarentur, quo facto, paulo post interrogatus, num adhuc carnis stimulos sentiret, respondit : Vivere mihi fastidiosum est, et quomodo fornicari libeat? *Spec. Ex.* V. *Amor Illicitus, ex.* 3.

S. Franciscus cum aliquando gravissimo oculorum dolore vexatus, robur a Deo peteret, audivit a Christo inexplicabile sibi in cœlis præmium pro illis parari, et ad hoc se per hos dolores investiri. Ib. tit. *Cœl. Glor.* ex. 4.

Wenceslaus, Bohemiæ Rex, cum toto exercitu profligato captivus teneretur, rogatus, quo animo esset, respondit : Numquam meliori; cum enim omnibus præsidiis humanis vallatus essem, vix de Deo cogitandi spatium dabatur; nunc illis omnibus exutus Deum solum cogito, et in eo spem meam colloco, qui me, sat scio, non deseret, sed invocantem exaudiet. Daurolt. c. ii, xxxiii. ex. 4

Taulerus, Doctor ex S. Dominici Ordine, cum non diu ab obitu viro cuidam, qui jussu Dei illum ad insignem vitæ sanctimoniam adduxerat, et eidem morienti adstiterat, apparuisset, roganti, quæ causa fuisset, cur post longam viginti septimanarum ingenti cum dolore toleratam paralysim, vitam tam horribili fine clausisset, qui multos de salute ipsius anxios, dubiosque fecisset, respondit id ideo factum, ut ab igne Purgatorio liber in cœlum evaderet : Cæterum, aiebat, se in mortis agone a dæmonibus in eas fuisse conjectum angustias, ut prope desperarit, tandem tamen bonitate Dei factum, ut in ipso mortis articulo, adfuerint Angeli, ac in cœli atrium deportarint, jussum ibi dies quinque expectare, non alio doloris sensu, quam qui ex desiderio videndi Dei oriebatur. *In vita, operibus præfixa.*

Anno 1606, dum unus in oppido quodam Sinensi concionatur, eique adolescens quispiam blasphemo ore insultat, mox Dei vindicta sic adolescentem hunc secuta est, ut, si oculos deorsum flecteret, nihil videret, omnia vero, si sursum cor converteret, intueri posset. Quare unicum malo huic remedium Baptismum ratus, hunc proxime suscipere proponit, et illico visum recipit. Sed cum propositum exequi diutius differret, eodem malo redeunte castigatus resipuit tandem, et Baptismum suscepit. Jarric. l. VI. *hist. Orient.*

Josephus exilii ærumnas tolerat, ut servus Putipharo venditur, præter meritum carcerem et vincula sustinet, interim ad majores multos evehitur honores, quam si domi apud patrem et fratres expers tantarum calamitatum vixisset. Genes. c. xxxi.

Cum aliquando S. Antonius cum dæmonibus colluctaretur, ei Christus Dominus protector factus est, tunc enim elevans oculos, vidit desuper culmen aperiri, et depulsis tenebris radium lucis ad se influere, post ejus splendoris adventum, nec dæmon aliquis apparuit, et corporis dolor extemplo deletus est. Ædificium quoque quod paulo ante dissolutum fuerat, instauratum est, illico præsentiam Domini intellexit Antonius, et ex intimo pectore trahens longa suspiria ad visionem, quæ ei apparuerat, loquebatur, dicens : Ubi eras, bone Jesu! ubi eras? Quare a principio non adfuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens : Antoni, hic eram. Sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, et faciam te in orbe nominari. His auditis multum fuit roboratus. D. Athanas. *in vita D. Antonii.*

S. Paulus et Barnabas, viva capitis Christi membra, lapidibus a Judæis impetiti et extra civitatem ejecti confirmabant discipulorum animas in fide, his verbis : Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Act. xiv.

Dignitas. — Cum aliquando matrona quædam Missam audiret, post elevationem vidit tres moniales ad altare flectentes et ad eas pulcherrimum puerulum de altari currentem, qui primam quidem amorose amplexus est, et desuaviavit; secundam blandis oculis remoto velo aspexit; tertiam vero pugnis percussit, et pedibus trusit, iterumque ad altare abiit. Cum vero matrona factum hoc summopere mirata, causam illius rogasset, audit primam monialem valde nutare in proposito, statimque ad sæculum redituram, nisi consolationibus cœlestibus in proposito firmaretur. Alteram constantiorem esse, et contentam, modo aliquid saporis cœlestis interdum degustare daretur. Tertiam vero adeo in amore Dei firmam esse, ut nullis se adversitatibus ab eo separari sinat, et hanc sibi ex omnibus illis tribus gratissimam esse. *Spec. Ex.* tit. trib. ex. 6.

Jucunditas. — S. Paulus de seipso dixit : Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 2. Cor. vii, 4.

S. Job quoque dixit : Qui cœpit, ipse me conterat; solvat manum suam, et succidat me, et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. Job. vi, 9.

S. Procopius Martyr judici tormenta augenti dixit : Falleris, o Judex, si me tuis tormentis ad negandum Christum inducere speras ; quin crede potius, nihil illis gratius, jucundiusque existere posse. Quid enim ei, qui Christum amat, jucundius esse potest, quam pati propter Christum? Quæ gazæ opulentiores esse possunt? Næ, si tu nosses, quantum emolumenti mihi tormentis tuis accedat, non patereris inde me, quem odisti, tam locupletem et beatum fieri. Surius, 8 *Julii.*

S. Jonas, natione Persa, noctem, quam nudus totoque corpore laceratus in summo frigore exegerat, tam suavem sibi ac jucundam fuisse dixit, ut similem tota vita non sit expertus, rationemque addidit : Consolatio enim mihi præsto fuit ex sancto illo ligno, cui Dominus meus Jesus affixus erat.

SS. Marcus et Marcellianus ad palum ferreis clavis affixi dixerunt Tyranno : Nunquam tam jucunde epulati sumus, quam hæc libenter Jesu Christi causa perferimus. Brev. Rom. 18 *Junii.*

De S. Agatha quoque scribitur, quod lætissime et glorianter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata, agonem suum Domino commendarit. Ib. 3 *Februarii.*

EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas. — S. Ignatius tanti æstimabat carceres, probra, persecutiones, ut aperte, diceret, si hæc una in parte stateræ collocarentur, et in altera, quidquid a Deo creatum est appenderetur, vix hoc omne præ prioribus momentum aliquod apud se habiturum. Hinc procul dubio contigit, ut cum absens esset Ignatius, quietissime socii viverent, cum ad eos rediret, statim persecutio aliqua in omnes oriretur. Ribad. l. V, c. x.

S. Franciscus Xaverius et P. Simon Rodericus, dum Olyssipone cernunt sibi omnia ad votum fluere, angebantur, quod nullis persecutionibus exercerentur, quibus, si diu careret, dicebat Xaverius, videri sibi nequaquam fideliter militare. *Hist. Soc.* p. 1, l. V, 105.

P. Petrus Faber, dum anno 1545, Vallisoleti præclare laborat, fructu ad votum respondente, sine ulla persecutione, dicere solebat, nisi olim S. Ignatius in Hispania tam multa passus fuisset, merito se potuisse tam secundum Hispaniensis rei cursum habere suspectum, ut qui jam usu didicerat, quod B. Marcus Anachoreta prodidit, Deum explorata indignitatis nostræ ratione, pleraque hominibus auxilia consuevisse prævia calamitate conferre. *Hist Soc.* p. I, l. V, n, 773.

P. Gonzalvus Silveria quocumque in cubiculo habitaret, in quatuor parietis partibus cruces formabat, aut affigi curabat, ut semper illa imago Christum crucifixum in memoriam revocaret et insuper moveret, a domando corpore et comprimendis animi affectionibus nullo sibi loco aut tempore esse cessandum. *Vita* l. III, c. 25.

P. Petrus de Anasco adhuc adolescens tanto flagrabat patiendi desiderio, ut servo flexis genibus, et muneribus etiam ad se cædendum alliceret. *Annuæ Peruan.* 1601.

Utilitas. — S. Ignatius a quodam Patre interrogatus, quæ compendiosissima ad perfectionem via esset? respondit: Si multa et magna adversa pro Christi amore patiare. Pete hanc gratiam a Deo, nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit; hoc enim uno beneficio multa continentur, et magna beneficia. Rib. l. V, c. x.

S. Franciscus Borgia dicebat, tamdiu Societatem in flore suo permansuram, quamdiu adversis exercetur; his deficientibus timendum esse, ne etiam ipsa deficiat. *Vita.*

P. Petrus Faber dicebat, Deum interdum permittere, ut homines divina gratia indigentes justis molesti essent, ut ab eis tum exempla humilitatis, tum precum auxilia reciperent, per quæ descenderent in seipsos, et ad meliora converterentur. *Vita* l. 1, c. xi.

Jucunditas. — S. Ignatius dicere solebat, a nulla re creata animam ita exhilarari posse, sicut a Spiritu Sancto exhilarantur ii, qui multa magnaque pro Deo patiuntur. Rib. l. V. c. x.

P. Joan Baptista Machado, captus in Japonia, sic scripsit ad amicum : Affirmo Reverentiæ vestræ, et ipsissimam scribo veritatem, me præsentem rerum statum cum totius orbis Imperiis non permutaturum. Nunquam vixi mea sorte æque contentus, nunquam æque hilarem me sensi, nunquam æque sine cura ac sollicitudine me reperi. Accepto mortis nuntio, dixit, tres dies sibi in vita jucundissimos accidisse, nempe cum Societatem ingressus, cum captus esset, cum mortis nuntium accepisset, de quo sic ad superiorem scripsit : Hac ipsa hora laureatus ad me Martyrii nuntius advenit. Morior solatio plenus, quia pro bono Jesu morior. Trigaut. l. V, c. vi.

P. Carolus Spinola ex carcere scripsit : Non capit animus gaudia, quibus jam diffluo. Tantum veræ voluptatis nunquam expertus sum. O quam dulce est pro Christo pati ! Id jam experientia his carceris latebris conclusus disco. *Vit.* c. xv.

Camillus Constantius, anno 1622, Firandi flammis exustus, assiduo Deum laudavit, et ad adstantes dixit : O quam mihi bene! quam bene! quam bene! donec tandem totus ambustus, cum mortuus crederetur quinquies *Sanctus* mirabili vocis suavitate cantavit, et expiravit. P. Franc. Solier, *Hist. Jap.* l. XIX, c. xxi.

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cum incenduntur, expandunt; ita sancti viri omne, quod virtutibus redolet, in tribulationibus innotescit. S. Greg. *in Mor.*

Sicut stellæ de die latent, de nocte lucent; sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, in adversis eminet; illud sane cautelæ est, hoc necessitatis. S. Bern. *sup. Cant.*

Sic sunt boni et mali, quomodo si duo vasa sint plena, et unum habet putredinem, et aliud aromata pretiosa, cum uno ventilabro ventilata. Illud vas, ubi fuerint aromata, odorem desiderabilem, aliud autem, fœtorem intolerabilem reddit; ita simul boni ac mali discrete quidem turbati, sed alto Dei judicio separati. Quoties aliqua in mundum tribulatio venerit, qui boni sunt, velut sancta vasa gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur; illi vero superbi, luxuriosi, cupidi blasphemant, et murmurant contra Deum dicentes: O Deus, quid tanti mali fecimus, ut talia patiamur? S. Aug. ser. iii, *de Temp.*

Sicut aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit; sic Deus tribulationis nubem non obducit, donec

nos penitus emendaverit. S. CHRYS. hom. IV, *ad Pop.*

Sicut vitulus ad laboris usum victurus sub jugo retinetur, mactandus autem in liberis pastibus saginatur; et sicut arbores fructiferæ in colligendis fructibus vexantur, lacerantur, spoliantur, diutissime tamen vivere permittuntur, infrugiferæ vero intactæ stant, sed citius exciduntur, ut in ignem mittantur; et sicut ægris desperatis omnia conceduntur, iis vero, quibus spes salutis subet, amara medicamenta applicantur; sic reprobi bonis hujus mundi saginantur, et a tribulationibus immunes, aut minus saltem obnoxii manent, electi vero laboribus et ærumnis exercentur. S. GREG. l. XXXI, *Mor*. c. 4.

Sicut præceptores ab iis discipulis plus pensi exigunt et eos acrius examinant, de quorum profectu majorem spem concipiunt; sic Deus per tribulationes magis exercet eos, quos in virtute magis proficere advertit. STAPL. t. I, *in Dom.* 3. *post Pasch.*

Sicut falco, dum vivit, manu aucupis gestatur, delicate nutritur, et in summo otio perpetuam voluptatem capît, mortuus autem in sterquilinium abjicitur; gallina vero vivens in sterquilinio pascitur, et in angulis domus delitescere cogitur, occisa vero purgatur, apponitur in argentea patina, et a Principibus in ventre sepelitur; ita mali in hac vita honorantur, et electi despiciuntur, post mortem vero diversa utrorumque est ratio. Ib. text. 3.

Sicut granum plenum mox, ut leviter percussum fuerit, de palea sua exilit foras; si autem subtile fuerit, tardius egreditur, si vacuum, numquam egreditur, sed in palea manet, et cum eam foras jactatur; sic omnes homines in rebus carnalibus delectantur velut grana in palea, sed qui fidelis est et boni cordis habet medullam, mox ut leviter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum; si autem modice infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, et vadit ad Deum; qui autem infidelis est et vacuus, non egreditur, sed in malis constitutus conteritur, et in infernum projicitur. S. CHRYS. in cap. III. *Matth.*

Sicut botrus multa in se grana ligno mediante suspendit; sic et Christus multos sibi fideles per lignum Crucis adjungit. Id. in c. VII; *Matth.* hom. XIX.

NECESSITAS. — Sicut corpus non potest constare citra exercitium; ita nec anima aut mens diu potest valere citra vexationem. LANG. *in Polyanth. V. Crux.*

Sicut cera, nisi recalescat, aut præmolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem; ita et homo, nisi laborum et multivariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam sinet insigniri se signaculo divinæ gratiæ.

ÆQUITAS. — Sicut filii plerumque valde amant locum, in quo nati sunt; ita quivis Christianus merito amat Crucem, utpote in qua et ipse et Ecclesia nata est.

Sicut si Rex aliquis poculum in alicujus sanitatem ebibisset, non posset quis recusare, si vicissim in sanitatem Regis poculum illud degustandum dumtaxat offeretur; ita cum Christus in nostram sanitatem totum calicem passionis exhauserit, merito indecorum videtur, ut nos poculum tribulationum non gustare saltem velimus.

Sicut si quis particulam de materiali Christi cruce donaret, magna cum voluptate gratique animi significatione acciperemus; ita si quis de cruce spiritualem ejusdem Christi particulam nobis donet, tanto majori pro beneficio agnoscere debemus, quanto ista præstantior est cruce materiali. NIERENB. in I, *de Adorat.*

Sicut is, qui in mare se præcipitare volentem sisteret, si aliqua in parte corporis vulneraret, non nocuisse, sed singulare beneficium contulisse diceretur; ita peccatorem in tartara ruentem percutiens Deus, maximo afficere beneficio censendus est, atque adeo tribulatio æquo animo accipienda est. STAP. t. VI, *in Dom* XV, *post Pent.*

UTILITAS. — Sicut is, quem audire præsentes non volunt, percussione alicujus rei aut sono edito silentium et audientiam sibi conciliat; sic Deus, quando homines eum audire nolunt, percussione, id est, tribulationibus eos attentos reddit. NIERENB. *de Ador.*

Sicut Absalon Joab a se vocatum, et venire recusantem, incensione messis compulit; sic Deus homines obstinatos per tribulationes ad se venire compellit. GRANAT. *in Loc. Com.* f. 520.

Sicut pia mater nunquam magis ad consolandum et fovendum filium accurrit, quam cum vehementer plorantem cernit; ita Deus nullibi propior est servis suis, quam cum in tribulatione gemunt. Idem.

Sicut ignis flatu premitur, ut crescat, et unde quasi extingui cernitur inde roboratur; ita electorum desideria dum premuntur adversitate, proficiunt. S. GREG. *in Mor.*

Sicut sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, et frumenta purgantur, et uno motu exagitatur cœnum, et suaviter fragrat unguentum; ita una tribulatio irruens bonos probat, purgat, et eligit; malos reprobat, exterminat et annihilat. S. Aug. *in Ps.*

Sicut equus toto impetu currens freno constringitur, et cursum sistere cogitur; ita Dei manus impios tangens camo ac freno maxillas constringit eorum, qui non approximant ad eum. *Ps.* xxxi, 9.

Sicut ericius quantumcumque se spinis suis involvat, tamen si calida aqua perfundatur, se aperit; ita peccatores, licet alta consuetudine vallati, si tribulatio acris superveniat, resipiscunt, et ad Deum se convertunt. Stapl. t. VI. *in Dom.* xv, *post Pent.*

Sicut cervus, dum nimis urgetur a canibus, ad hominem sponte fugit; sic tribulationes peccatorem quasi canem persequentes, ad Dominum redire compellunt. Ibid.

Sicut equorum domitor, cum alia ratione equum frænare nequit, pinguiori pabulo privat et paleas offert; ita Deus refractarios homines calamitatibus immissis ad frugem revocat. Id. t. I. *in Dom.* xx. *post Pent.*

Sicut mortuæ carnes in aqua dulci corrumpuntur, in salsa conservantur, et a navigantibus ad extremos usque mundi fines incorruptæ deferuntur; sic humanus animus laboribus perficitur ac roboratur, deliciis vero diffluit, et dissolvitur. Ibid.

Sicut sagitta corpori affixa dolorem affert, et remedium quærere compellit; sic tribulatio dolorem cordi affert, et ut in cogitatione æterni boni solatium quæramus, facit. Ibidem.

Sicut, qui vineam putant, adstringunt ejus vites, et interne continent, ut majore cum temperamento procedat ad proferendos utiles fructus; ad eumdem modum contingit animæ assiduitate afflictionum incurvatæ. Quodammodo in se contrahitur, seque humiliter dimittit, atque humiliat, atque ad sui diligentem custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter ac remisse vivere sinitur, perinde atque vinea quæpiam neglecta luxuriat et silvescit sarmentis, seque effundet circa incommoda, nec ullam afferentia frugem, nativo succo exhauritur. S. Basil. in c. v. *Is.*

Sicut pluvia in terram cadens erigit semina; sic tribulatio animum ingressa erigit desiderium. S. Chrys. h. xiv, *in Matth.*

Sicut viator cautius ambulat quando vel densæ silvæ aut loco periculoso appropinquat, aut transitum difficiliorem invenit; ita tribulatione gravi oborta actionum nostrarum vestigia cautius ponimus. Stapl. t. I. *in Dom.* iv, *post Epiph.*

Sicut virga Moysis abjecta in serpentem, noxium animal, conversa est; assumpta vero mira patravit et viam per mare ad terram lacte et melle manantem aperuit; ita tribulatio abjecta in majus damnum cedit: patienter vero tolerata viam ad cœlum reserat, aliosque admirandos fructus parit. *Pædagog. Chr.* t. VII, p. 1, c. v. sect.6.

Dignitas. — Sicut lana et linum, antequam illa pannus bonus, hoc tela subtilis fiat, tundi, neri, texi, et pecti debent, variamque fortunam subire; sic ut vasa in honorem fiamus, multa pati, variis ærumnis disponi, et exerceri prius nos oportet. Stapl. l. c.

Sicut ferrum, quod in optimam et artificiosissimam figuram paratur, sæpius ad incudem repetitur; ita quo quisque majoribus destinatur, eo pluribus hic malis affligitur. Lang. *in Polyant. Eod.*

Jucunditas. — Sicut alciones hyeme media summa fruuntur tranquillitate, et hanc etiam aliis communicant; ita cum maxime sævit fortuna, maxima animi tranquillitate fruuntur pii et hanc in alios quoque transfundunt. Ibid.

Sicut medicamentum a principio amarum fastidio est, ubi vero concoctum fuerit, dulcescit; ita tribulatio et anxietas manifestam consolationem parit. Ibid.

Sicut faber, ubi ferrum in fornace mollivit, mox aqua aspergit, ut temperet; sic tribulationis ignis aqua semper divinæ consolationis temperatur. Stapl. t. I. *in Dom.* iii. *post Pasch.*

Sicut strenuo militi ipsæ cicatrices, et vulnera in bello accepta, materia voluptatis sunt; sic ipsa tristitia justorum gaudio illis est. Ibid.

MOTIVA

Ad Crucem patienter ferendam.

Necessitas. — Nam ut bene nonnemo advertit, omnia fere, quæ ad humanæ vitæ usum pertinent, longa contritione et labore ad hoc præparantur. Ager ut fructum ferat, proscinditur. Frumentum ut panis fiat, in pistrino et clibano conteritur et coquitur.

Uva quoque, et olea in torculari exprimuntur, ut suo liquore alant. Linum vero quam multa patitur, ut linteum ex eo conficiatur? Sunt, et animalia, quæ cæsa flagellis odorem suavissimum emittunt. Quid ergo mirum, si homo quoque flagellis et pressuris eruditur? Granat. *in Loc. Com.* f. 516.

Æquitas. — Cum enim Christus, velut caput nostrum per tribulationum et crucis januam in gloriam intraverit, an non æquissimum, ut per eamdem etiam membra ingrediantur? Adde quod, ut bene advertit Lipsius, origo crucis a Deo sit, id est. non ab ipso summo bono solum sed bonorum omnium auctore, capite, fonte, a quo non magis alienum est, ut malum aliquod emanet, quam ut ipse sit malus. Si ergo bona de manu illius grato, hilarique animo suscipimus, cur non mala seu adversa pari æquanimitate hilaritateque suscipiamus?

Utilitas. — Sive ad *purgandam* animam; nam teste S. Greg., ab electis suis iniquitatum maculas studet Deus temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare. Sive ad *illuminandam*; nam autem cordis tribulatio aperit, quam sæpe hujus mundi prosperitas claudit, ut idem Sanctus ait. S. Greg. l. IX, *Mor.* c. xxvii. Sive ad *uniendam*. Hinc S. Augustinus ad Deum suspirans : Unco, inquit, crucis retrahe me ab hoc pelago ad te, solamen unicum, quem a longe, quasi stellam matutinam, et solem justitiæ, vix lacrymantibus oculis in littore cœlestis patriæ me expectantem video! *In Soliloq.*

Dignitas. — Quæ enim major esse potest dignitas quam Christo, Filio Dei similem fieri, qui, quia humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem crucis, accepit nomen super omne nomen? Philip. II.

Jucunditas. — Nam tribulatio est jugum illud suave, et onus leve, ad quod tollendum jam olim tam amice Christus invitavit. Matth. xi.

Securitas. — De hac enim tribulatione, seu cruce, usurpari potest illud Ecclesiæ : Ecce signum Crucis; fugite partes adversæ. Et iterum : In hoc signo vinces. *In fest. Invent.*

MEDIA.

Ad Crucem levius ferendam.

Præmeditatio. Minus enim, inquit sanctus Greg. feriunt jacula, quæ prævidentur, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per patentiæ clypeum munimur. Hinc Christus ad suos Apostolos dixit : Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini. S. Greg. h. xxxi, *in Ev.* Vere enim, quæ alii diu patiendo levia faciunt, vir sapiens levia facit diu cogitando. Joan. xvi, 14.

Oratio; sic enim Deus ipse per Davidem suavit dicens : Invoca me in die tribulationis; eruam te et honorificabis me. Ps. xlix, 15. Et iterum : Clamabit ad me, et ego exaudiam eum ; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Ps. xc, 15. Et sane non minus eum id præstitisse, quam promisisse, idem Propheta testatur : Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Ps. cvi, 13. Unde merito S. Paulinus orationem *Naufragorum tabulam* vocavit.

Communio Sacra; hæc enim est mensa, de qua S. David dixit : Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Ps. xxii, 5. Cujus necessitatem adeo apprehendit S. Cyprianus, ut dicere non dubitarit : Idoneum non posse esse ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; et mentem deficere, quam, non recepta Eucharistia, erigit et accendit. S. Cypr. l. I. ep. 1.

Consideratio Providentiæ Divinæ, qua ejusmodi tribulationes permittit, uti sapienter monet S. Greg. dum ait : Quisquis adversitate et tribulatione frangitur, a quo factus est, minime contemplatur; nam qui, quod non erat, fecit, factum sine gubernatione non deserit; et qui benigne hominem condidit, nequaquam injuste cruciari permittit, nec sinit neglecte perire, quod est, qui hoc etiam, quod non fuit, creavit ut esset. S. Greg. *in Mor.*

Consideratio peccatorum suorum; quemadmodum S. Aug. suasit his verbis, Intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem

medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. S. AUG. *super* Ps. XXI.

Consideratio Passionis Christi; parva enim toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cœlum, ait recte Cassiodorus, nec sentit sua vulnera miles, qui Ducis sui vulnera intuetur. CASSIOD. *super Psalm.*

Consideratio præmii; nam ut sapienter S. Greg. dixit: Quisquis in solo desiderio æternitatis figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur; dum nihil habet in mundo, quod appetat, nihil est, quod in mundo pertimescat. Sicut ergo ursi, alvearia invadentes, favorum dulcedine allecti, facile apum aculeos et vulnera contemnunt; sic sancti viri cœlestis dulcedinis certa expectatione roborati, nihil non ferendum sibi putant, ut ea potiantur. S. GREG. *Mor.* Vere enim non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. ROM. c. XXVIII.

Consideratio pœnæ infernalis; hæc enim efficiet, ut fateri cogamur, non esse condignas passiones hujus temporis ad æterna supplicia, quæ damnati patiuntur, atque adeo ultro cum Sanctus Augustinus exclamemus, et dicamus: Hic ure, hic seca, hic non parcas, modo parcas in æternum. Vere enim maximum amoris argumentum est, inquit Concilium Tridentinum, quod Divinæ munificentiæ largitas non solum pœnis sponte a nobis, pie vindicando peccata susceptis, aut Sacerdotis arbitrio, pro mensura delicti impositis, sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, et nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Jesum Christum satisfacere valeamus. SESS. XIV, c. IX, *can.* 35.

Consideratio amoris, quo Deus immittit tribulationes, de quo Christus olim S. Theresiæ dixit: Crede, Filia mea, quanto quis a Patre meo plus diligitur, tanto plus ab eo afflictionis illi infligitur. Nosti, quale inter nos Matrimonium intercedat, per quod fit, ut omnia mea tua sint, adeoque dolores, laboresque omnes, quos unquam perpessus sum, ad te pertinere existima. L. IV, *vita*, c. XVII.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ Asceta de Cruce specialiter observare debet. Primum est, ut bene cognoscat fines, ob quos a Deo ejusmodi tribulationes immitti solent, qui quidem ad tres ferme revocari possunt, videlicet 1. *Ad correptionem*; quem finem Salomon indicavit, dum dixit: O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis, et, de quibus peccant, admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine. SAP. XII, 1. Et idipsum confirmans scriptor libri Machabæorum ait: Propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amovet; corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit. II MACH. VI, 16.

2. *Ad probationem*; quem finem iterum Salomon indicavit, dum dixit: Sicut igne probatur argentum, et aurum camino; ita corda probat Dominus. PROV. XVII, 16. Et iterum: Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. ECCL. XXVII, 6. Hinc Tobiæ cœcitate percusso dixit Angelus: Quia acceptus eras Deo, necesse erat, ut tentatio probaret te. TOB. XXII, 13.

3. *Ad dilectionis offensionem;* ut ipse non semel suis amicis indicavit, præcipue dum B. Baptistæ Veranæ dixit: Recordare, magis me tibi ostendisse signum amoris, dum te afflixi, quam dum tenerem in dulcissimis brachiis meis. Tom. II, *Chron S. Fran.* p. 4, l. VII, c. XXIV, et l. III, *Insinuat.* c. LXIII. Et iterum S. Gertrudi, dum eam vehementer turbatam his verbis consolatus est: Ne contristare; delector enim tua cohabitatione, ideo ut mecum maneas, mitto tibi amicos contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras. Cujus causam alibi reddens eidem dixit: Singula detrahentium verba sume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenies ad me, et ego compassiva pietate mea compulsus benigne suscipiam te. Et quanto plus conversatio tua sine culpa reprobatur, eo amplius cor meum amatoria blanditate tibi condescendit, quia per hoc efficeris mihi simillima, qui in operibus meis semper habui perversores. L. IV, *Insinuat.* c. LX. Præ cæteris vero hoc ipsum confirmat,

quod quondam Christus per Catharinam, quamdam Ordinis Carmelitarum monialem, vitæ sanctitate celebrem, ad venerabilem Annam a S. Bartholomæo ejusdem Ordinis, gravissimos dolores magna constantia patientem, scribi jussit, ubi post alia sic loquitur : Quo quisque de meis unquam mihi fuit gratior, amiciorque, hoc majorem crucis meæ partem singulari ex favore imposui ferendam. Ita Apostoli mei, ita ipsa Mater mea experta est, cujus animam doloris gladius in tantum pertransivit, ut merito suo Martyrum Martyr et Regina nuncupetur. *Pædagog. Chr.* t. II, p. I, c. v, sect. VII.

Alterum est, ut bene sciant artem, qua tribulationes et Crucem hujusmodi portare, solidumque ex iis fructum reportare debeat, nimirum. 1. *Ardenter desiderando Crucem*, quod facile obtinebit, si non ad dolorem aut molestiam exterius apparentem, sed fructum intus latentem attendat. Certe B. Angela de Fulginio dixit : Scio, Filioli mei, quod nobilitas et valor, qui exit de tribulatione, non est nobis cognitus, alioqui esset de illo magna rapina, et quilibet raperet ab alio de quo tribulari posset. *Vita*, c. XX. 2. *Alacriter et cum gaudio suscipiendo ac portando Crucem;* amantium more, qui dum mutuo sibi manus etiam cum dolore comprimunt, gaudent potius, complacentque sibi in tali dolore, quam tristantur, eo quod sciant, ipsum ardentissimi amoris argumentum esse. 3. *Constanter eam usque ad finem portando;* exemplo Christi, descendere ex ea nolentis, etiamsi a Judæis ad id incitatus fuerit.

Tertium est, ut efficax sibi remedium procuret, quo animus ad crucem explicato modo portandam animetur, ac roboretur, quale quidem præ reliquis respectu hominis ad perfectionem tendentis, censeri debet Amor; nam hic, pio Asceta teste, onus non sentit, laborem non respuit, plus affectat quam valet; de impossibilitate non causatur, quia omnia sibi posse et licere arbitratur. THOM. KEMP. l. III, c. V, § 4.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Qui non bajulat Crucem suam, et venit post me, non potest meus esse Discipulus*, LUC. XIV, 26, potest tribulatio consuetudini quarumdam Academiarum, seu, ut vocari solet, *Depositioni* comparari, qua omnes juvenes prius, quam ad scholas admittantur, et in discipulorum numerum adoptentur, variis vexationibus exerceri, et probari solent. Ostendatur proinde. 1. Quam præclara sit schola Christi, ob sapientiam cœlestem, quæ ibi addiscitur. 2. Qualia privilegia participent Discipuli illius scholæ, nimirum, ut sint omnes nobiles, et quidem vera nobilitate, quæ ex virtute oritur. Deinde ut immunes sint a tributo tristitiæ, quod plerumque homines pati nolentes pendere debent; item ut singularem habeant præcedentiam ante alios homines extra hanc scholam constitutos. Et tandem, ut, ubi ex hac vita ad patriam proficisci voluerint, vectigal in Purgatorio pendere non cogantur. 3. Inferatur, quam æquum sit, ut quisque hanc *despositionem* libenter sustineat, maxime cum omnes alios ejusdem scholæ discipulos eamdem tam fortiter sustinuisse advertat. Videri potest de hac materia fusius discurrens Faber, Conc. 4, *in festo SS. Simonis et Judæ.*

Ex occasione thematis : *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi;* COL. VI, 14, potest ostendi, quam merito S. Paulus gloriatus sit, et etiam nunc quivis Christianus cum ipso glorietur in Cruce seu tribulationibus; cum per has multo verius possideat titulos, ob quos plerumque homines gloriari solent, quod ipsum fusius ostendet, titulos hos sigillatim explicando. Et 1. quidem, si alii ob divitias gloriantur, quæ majores reperiri possunt, quam eæ, quæ in Cruce reperiuntur, cum juxta illas ipsa felicitas in altera vita distribuatur, ut adeo merito Moyses improperium Christi majores divitias æstimarit, quam thesaurum Ægyptiorum? 2. Si alii ob nobilitatem et dignitatem gloriantur, quæ major dignitas et nobilitas obtingere potest homini, quam si ipsi Dei Filio similior fiat, et cum eo per gloriosa facta nomen super omne nomen sibi comparet? 3. Si alii ob pulchritudinem gloriantur, quid pulchrius esse potest homine justo, multa propter Christum patiente? De quo merito dicat Sponsa : Dilectus meus candidus (propter innocentiam) et rubicundus (propter invictam patientiam) electus ex millibus. 4. Si alii ob robur corporis gloriantur, quanto æquius gloriabitur Christianus ob animi robur, quod in adversitatibus ostendit, quoque ipsis etiam Dæmonibus terribilis evadit? 5. Si alii gloriantur ob scientias, quæ altior, utilior, et dignior scientia ad-

disci potest, quam scire Jesum Christum, et hunc crucifixum? Quæ omnia facile fusius ex dictis amplificari possunt.

Ex occasione thematis : *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus;* CANT. VII, 8, potest Crux palmæ comparari, tum ob illius proprietates, scilicet radicis profunditatem, stipitis firmitatem, viroris perpetuitatem, culminis sublimitatem, quæ omnia in Cruce nobiliori longe modo reperiuntur; tum ob fructuum fertilitatem, nempe vim purgandi a peccatis et pœnis, vim illuminandi (nam oculos, quos culpa claudit, pœna aperit, teste S. Gregorio) et vim perficiendi seu perducendi ad ultimum finem et perfectionem per variarum virtutum exercitium, quæ omnia fusius probata apud Fabrum videri possunt, conc. I, *in Dom.* 20, *post Pent.* et conc. III et VII, *in festo Inventionis S. Crucis.*

Ex occasione thematis : *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, et latitudo, et sublimitas, et profundum;* EPH. III, 14, possunt quatuor dimensiones Crucis explicari, ita ut per longitudinem duratio temporis, seu constantia; per latitudinem extensio ad omnis generis tribulationes, seu patientia; per altitudinem sublimitas motivi, seu charitas; per profunditatem sui ipsius depressio, seu humilitas indicetur; pro quibus fusius explicandis non parum serviet conc. 7. Fabri, *in festo Inventionis S. Crucis.*

Ex occasione thematis: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum;* GEN. XXVIII, 12, potest Crux huic scalæ comparari, et 1. Ostendi, quomodo illa ad cœlos usque pertingat, cum sit unicum remedium ad beatitudinem obtinendam. Unde merito exclamat S. Augustinus: O quales scalas, quarum caput in cœlum positum, per quas ipse (Christus) et ascendit et descendit, et propter confirmationem super eas incumbit! Ascende securus, si desideras cœlum; non te terreat nec angustia, nec longitudo, nec altitudo; nihil timeas, non nutant gradus ejus, quos ipse architectus sic confirmavit, ut in ejus ligno manus suas affigi voluerit. S. AUG. tom. IX, *in Cataclysmo.* 2. Ostendatur, quomodo in hac scala Angeli descendant ad roborandos illos, qui per eam ascendunt; et ascendant, eorum tribulationes ante conspectum Dei offerendo. 3. Ostendatur, quomodo Deus, in summitate hujus scalæ appareat, ut fatigatis manum præbeat, suaque præsentia et aspectu ascendentes animet. 4. Denique ostendatur, quomodo gradus sibi in hac scala facere, et per eos ascendere debeant, scilicet ad eum modum, quem S. Salvianus indicat dicens: Sancti Martyres ad cœlestis patriæ januam gradibus pœnarum suarum ascendentes, scalas sibi quodammodo de equuleis, catastis et crucibus fecerunt. SALVIAN. lib. III, *de Gub. Dei.*

Ex occasione thematis : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* LUC. XXIV, 16; potest ostendi, quomodo via crucis habeat omnes conditiones ad optatam viam requisitas, nempe. 1. Quod sit via *rectissima* et *brevissima*; utpote quam ipse Christus Dux peritissimus ambulavit. 2. *Tritissima*; utpote per quam omnes Sancti ad cœlum pervenerint. 3. *Certissima*; cum nullum sit certius prædestinationis signum, quam multa pro Deo pati; hæc enim est angusta porta, per quam ad vitam nos tendere Christus jussit. 4. *Securissima*; utpote in qua Christus pro comite et protectore habetur. 5. *Jucundissima*; utpote, quia secundum multitudinem dolorum abundant consolationes animam lætificantes, uti facile ex prioribus §§. fusius ostendi potest.

Ex occasione thematis : *Et cœperunt se omnes excusare.* LUC. XIV, 18, possunt proponi et refutari frivolæ causæ, ob quas aliqui conantur a se tribulationum jugum excutere. Nimirum I. Quia non commeritos se putant. Refutentur, ostendendo nullum absque peccato esse, atque adeo nec sine flagello esse debere. 2. Quia putant, sibi solis immitti ejusmodi tribulationes. Refutentur ostendendo quod omnes per multas tribulationes oporteat introire in Regnum Dei. 3. Quia existimant nimis graves esse. Refutentur ostendendo quam leves sint, sive in comparatione pœnarum alterius vitæ, quas per peccata sua sunt meriti; sive in comparatione tribulationum, quas alii homines passi sunt, et quotidie patiuntur. 4. Quia aiunt se a certis personis eas sustinere non posse. Refutentur, ostendendo omnium tribulationum primarium auctorem Deum esse, homines vero manum dumtaxat, aut instrumentum esse Dei, quos proinde exosculari potius et venerari, quam odisse et execrari deceat. 5. Quia arbitrantur eas nimis diu durare. Refutentur, ostendendo potius mo-

mentaneum dumtaxat esse, quod cruciat, æternum vero, quod delectat. Videri possunt hæc fusius apud Fabrum, conc. III, *in festo S. Jacobi Apostoli.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Olim ad expianda populi peccata jubebatur summus Sacerdos duos hircos accipere, et super utrumque sortem mittere, ita ut is, quem sors Deo designarit, statim pro peccato populi mactetur, alter vero liber in solitudinem dimittatur. LEV. XVI, 5. Per quorum priorem Electi significantur, utpote qui hoc ipso, quod in sortem Domino obtigerint, in sacrificium mactandi sunt; per posteriorem vero Reprobi indicantur, qui in desertum mundi abire, ibique libere vagari sinuntur.

Quemadmodum Joseph, fratres suos durius loquebatur, quos tamen intime diligebat; ita Deus quoque frequenter consolationis gratiam electis subtrahit, cum tamen certum sit, eos ab ipso præ omnibus aliis diligi.

Recte Minutius Felix de Christianis pro fide certantibus dixit : Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversus minas et supplicia, et tormenta componitur ! MINUT. FELIX, *in Octavio.*

Cum aliquando pia virgo ardenti desiderio teneretur B. Henrici Susonis videndi, Angelus Custos eum ostendit in medio Fratrum rosis candidis et rubris coronatum, ut ex candidis quidem corporis, animique puritatem, ex rubris vero constantem patientiam intelligeret. SURIUS, c. XXIV. *Vita.*

NECESSITAS. — Solebat olim S. Joannes Abbas monachis suis de tribulationibus dicere : Hæc est porta Dei, per quam Patres nostri per multas tribulationes et injurias gaudentes ingressi sunt civitatem Dei. Eum in finem illis exemplum de juvene philosopho narrabat, qui, quia magistrum offenderat, ab eo jussus erat primo triennio metalla cum aliis fodere, altero vero triennio mercedem offerre iis, qui eum injuria affecturi essent. Quod cum non segniter fuisset executus, et postea a magistro Athenas deductus, injurias a sene ad portam sedente illatas ridenti ore excepisset, eo quod gratis ab illo acciperet, pro quo hactenus mercedem offerre jubebatur, audiit ab illo sene : Euge, jam urbem ingredere, quia dignus es, qui inter sapientes numereris. *Vita PP.* l. III, n. 84.

ÆQUITAS. — S. Gertrudi quondam dixit Christus, se omnibus hominibus tantum offerre gratiæ, quantum cuique ad superandam pusillanimitatem satis esse potest, atque adeo merito quemvis magna cum fiducia de Dei auxilio tribulationem acceptare debere. Lib. III, *Insinuat.* c. VII.

S. Hieronymus Blesillam ad tribulationes patienter ferendas sic allocutus est : E duobus elige quod voles, aut sancta es, et probaris ; aut peccatrix, et injuste quereris, minora sustinens, quam merearis. S. HIER. *ad Blesil.*

Hierocles, Pythagoræ discipulus, dicere solebat : Tibi et culpæ tuæ indignare, non Deo. Culpam tolle, et infortunium auferet Deus. FAB. con. XIII, *in Fer. Rog.*

UTILITAS. — S. Theresia, post obitum cuipiam magna illustris gloria apparens, testata est, nulla re magis quam afflictionibus, doloribus, aliisque perpessionibus sibi eam, qua jam frueretur, gloriam, partam esse, ac, si liceret ad mortales redire, nihil potius habituram, quam ut pro Deo suo gravissima quæque pati posset. *Vita,* l. V, c. IV.

Recte ethnicus quidam philosophus dicebat : Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris : Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges, infelicissimos esse felices. SENECA, l. I, *de Prov.* cap. III.

Apposite S. Augustinus de peccato Davidis sic loquitur : Hoc peccatum non fecit David, cum persecutorem Saulem pateretur quando per diversa loca fugiebat, ne in manus ejus incideret. Erat in infirmitate tribulationis suæ tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Utile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum tanquam contra diaboli tentamentum. Factus est postea securus, devictis hostibus, pressura caruit, tumor excrevit. S. AUG. *in Ps.* L.

Zeno Cittius philosophus dicebat nunquam se commodius navigasse quam cum navi fracta, et amplissimis opibus naufragio amissis enatavit; tunc enim Philosophiæ operam dare se cœpisse. LAERT. l. VII.

S. Hieronymus de S. Pauli tentatione discurrens sic loquitur : Ad revelationum humiliandam superbiam, monitor quidam humanæ imbecillitatis Apostolo apponitur, ni similitudinem triumphantium, quibus in cur-

ru retro comes adhærebat per singulas acclamationes civium dicens : *Hominem te esse memento!* S. Hier. *in Ep. ad Paulam.*

Dignitas. — Rodericus de Vivar in domo sua mensam fortium constituerat, in qua tantum strenui sedebant milites, qui egregia facinora in bello commisissent. Cumque in ea mensa aliquando sedere voluisset vir quidam illustris, Martinus Pelaez, id ei non concessit, donec etiam ipse talia patrasset facinora. Osorius, conc. i, *in Dom. inf. oct. Ascens.* Ejusmodi Beatorum in cœlis est mensa, de qua Christus ad Apostolos dixit : Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis et bibatis super mensam in Regno meo. Luc XIV, 18.

Paternum, inquit Seneca, Deus habet adversus bonos viros animum, et illos fortius amat, et operibus ac doloribus et damnis exagitat, ut verius colligant robur. Non est arbor solida ac fortis, nisi quam frequens ventus incursat; ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. Marcet sine adversario virtus; tunc apparet, quanta sit, quantumque valeat, polleatque, cum, quid possit, patientia ostendit. Seneca, l. *de Provid.*

Hanc rationem, inquit idem, in suis electis sequitur Deus, quam in discipulis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Ipsi patres illos adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, et laceratos ac semianimes rogant, ut perseverent vulnera præbere vulneribus. Idem.

Prospera in plebem et vilia ingenia deveniunt; at calamitates, terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Idem, t. IV.

Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Vide quam alte ascendere debeat virtus. Scias illi non per secura vadendum esse. Humilis et inertis est, tuta sectari. Idem, t. V.

Militares viri gloriantur vulneribus. Gubernatorem in tempestate, militem in acie intelligas; calamitas virtutis occasio est. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, nemo eorum, qui exeunt, dicit : Male de me imperator meruit, sed bene judicavit. Cic. c. iv.

AXIOMATA.

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara. Buchlerus.

Vexatio dabit intellectum auditui. Isaiæ, xxxviii, 19.

Occasio et tribulatio hominem fragilem non facit, sed qualis sit, ostendit. Thom. Kemp. l. I, c. xvi.

Fidem secunda poscunt, adversa exigunt, Seneca, *in Agamem.*

Quod durum fuit pati, meminisse dulce est. Idem, *in Herc.*

Lætius est, quoties magno sibi constat honestum. Lucan. l. ix.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario. V. Impatientiâ in adversis.*

Philippus D'Outreman, *in Pædagogo Christiano*, tom. II, p. 1, a c. v, usque ad finem.

Josephus Langius, *in Polyanth.* V. Adversitas, Afflictio, Crux, Tribulatio.

Franciscus Ribera, *de Bono Tribulationis.*

Ludovicus Granateusis, *in Loc. Comm.* f. 510.

Hadrianus Lyræus, *in Apophthegmatis S. Ignatii*, l. I, apoph. 3.

Matthias Faber, in omnibus tomis, præcipue *in Festo Inventionis S. Crucis.*

Thomas Stapletonus, t. VI, *Dom.* xv, et t. I. *Dom.* xx, ac. xxiv, *post Pent.* Item, t. I. *Dom.* iv, *post Epiph.* et t. III, *Dom.* iii, *post. Pascha.*

Joannes Major, *in Spec. magno Exempl.* V. Tribulatio.

DÆMON.

QUOAD ESSENTIAM

Definitio. — Dæmones sunt spiritus impuri, humani generis inimici, mente rationales, in nequitia subtiles, cupidi nocendi, per superbiam tumidi, semper in fraude novi, immutant sensus, inquinant affectus, vigilantes turbant, dormientes per somnia inquietant, morbos inferunt, tempestates concitant, in lucis Angelum se transformant,

semper infernum secum portant, in idolis sibi cultum divinum usurpant, super malos dominari appetunt, bonis ad exercitium dantur, semper fini hominis insidiantur. S. Bonav. *in Comp. Theol.* 1, II, c. 26.

Verumtamen, juxta ethymon nominis Græci, *dæmon* idem est, quod *sapiens*, *expertus*, quia licet rebellis hic spiritus gratiam amiserit, nullam tamen passus est jacturam in donis naturalibus, scientiæ videlicet, quia ingenium ejus est acutissimum : *Serpens erat callidor cunctis animantibus terræ. Satanas*, id est, *adversarius*, idcirco dicitur, quia sic quoque de cœlo lapsus, Deo Creatori adversari non desinit ; adhuc enim tamquam parum sit, aut fuerit, quod dixit, *Similis ero Altissimo*, altius per tumorem extollitur, testante Apostolo, cum de illo perditionis filio, in quo iste *diabolus* erit, ita loquitur : « Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Rupertus Abbas, c. xxv, *Med.*

Divisio.—Dividunt aliqui, teste Beyrlinck, in novem choros, eo quod ex singulis choris aliqui cecidisse credantur, alii dividunt in igneos, aereos, terreos, aquatiles, subterraneos, tenebrosos, eo quod in his locis commorari, et nocere putentur. Cassianus juxta peccata, ad quæ alliciunt, dividit, sic enim ait : Hoc nosse debemus, non omnes dæmones universas hominibus inurere passiones, sed unicuique vitio certos spiritus incubare, et alios quidem immunditiis ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ, furorique peculiarius imminere, alios pasci tristitia, alios cœnodoxia superbiaque mulceri, et unumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere. Cass. *Collat.* 1, c. xvii.

Gradus. — S. Bernardinus hos assignat, dum ait : Septem gradibus animæ a diabolo expugnantur. Primo, insultat in suggestione. Secundo, luctatur in delectatione. Tertio, percutit in consensu. Quarto, spoliat in actu. Quinto, præcipitat in consuetudine. Sexto, hilarescit sibi in gloriatione. Septimo, prævalet in morte. S. Bern. Sen. t. III, ser. iv, *in Domin.* 4, *post Pent.*

Paulo alios actus assignat Beatus Albertus Magnus, dum ait : Dentes diaboli sunt gradus tentationum, scilicet primus motus, cogitatio, delectatio morosa, consensus, voluntas plena, impetus, operatio, iterata consuetudo, defensio peccati, gloriatio in peccato, inverecundia, impœnitentia, desperatio. B. Alb. M. in c. xiv, *Marci.*

EX S. SCRIPTURA.

Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, et Satanas. Apoc. x, 2.

Et consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab eo usque ad tempus. Luc, c. iv, 13.

Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. I Cor. c. ii, 14.

Nolite locum dare Diabolo. Eph. c. iv, 27.

Venit Princeps Mundi hujus, et in me non habet quidquam. Joan. c. xiv, 30.

Adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide. I. Petr. f. v, 8.

Tu credis, quoniam unus est Deus, bene facis ; et Dæmones credunt, et contremiscunt. Jac. c. ii, 19.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli ; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus Principes et Potestates, adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Eph. c. vi, 11.

Væ terræ et mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet. Apoc. c. xii, 12.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Tortuosus ille serpens, cui nullum aliud est desiderium, nullum negotium, nullum studium, nisi perdere animas nostras. Hic est, qui jugiter malum machinatur, argute loquitur, artificiose suggerit, callide decipit, illicitos motus insufflat, et venenatas cogitationes inflammat, movet bella, nutrit odia, incitat gulam, movet libidinem, desideria carnis instigat, et peccati occasiones parat, et mille nocendi artibus corda hominum pulsare non cessat. S. Bern. xv, *Med.*

Diabolus non quærit hominem, sed hominis interitum quærit, ille malis nostris gaudet, surgit e ruinis nostris, nostris vulneribus convalescit, nostrum sanguinem sitit, nostra saturatur ex carne. Diabolus hominem vult habere, sed perdere. Quare ? Quia

ad cœlum, unde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur, quantum in se est, hominem pervenire. S. Chrys. hom. x.

Est insita malevolentia quædam, et pernicies nocendi istis malis spiritibus, gaudent de malo hominum, et de fallacia nostra, si nos fefellerint, pascuntur. S. Aug. in Ps. 96.

Adsunt invisibiles inimici, qui adversum te numquam desinunt ferociter dimicare; illi sane poterant tecum sopitis querelis facili reconciliatione componi; isti nesciunt quandoque homini pace composita confœderari. S. Petrus Dam. l. VI, ep. viii.

Incautos decipit, et in via hujus vitæ gradientibus laqueos tendit; ideo Propheta ait: « In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. » Rursus de eo scriptum est: « Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula ejus super semitas; » dum enim humanæ saluti invidens, perdere innocentem appetit, prius ei aliquid, quod libeat, ostendit, quod dum appetere incautus nititur, occulto peccati mucrone transverberatur. S. Greg. in Ps. 142.

Ubique ad decipiendas animas retiacula tendunt, in divitiis et paupertate, in sublimitate honoris et in Mundi contemptu, in voluptatibus carnis et austeritate pœnitentiæ, in crapula et sobrietate, in rerum affluentia et parcitate victus, in loquacitate et silentio, in nitore et sordibus, in lætitia et fletu, in administratione temporalium et remotione quieta, in libertate et subjectione, in labore et otio, in occulto et publico, in solitudinibus et civitate, in debilitate et corporis sospitate, in vigiliis et torpore, in gloria et ignobililate, in infamia et favoribus humanis, et, ut paucis universa comprehendam, nullus est locus, nulla actio, nullaque personna, quæ ab ipsorum deceptionibus libera existat, quoniam nequeunt excludi parietibus, nec placari precibus, neque terroribus coerceri. S. Laur. Justinan. *de Contemptu mundi*, c. xviii.

Amplius tentat diabolus hominem ex parte illa, qua eum videt per excrescentem humorem facile inclinare ad vitia, ut secundum humoris conspersionem adhibeat et tentationem, sicut ille, qui aquam deducit, non eam per aliam partem mittit, nisi ubi eam melius currere cognoscit. S. Isidor. *ap. Mansi*, dist. iii, n. 7.

Intuetur inimicus generis humani uniuscujusque mores, cui vitio sint propinqui, et illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem, ut blandis ac lætis humoribus sæpe luxuriam, nonnumquam vanam gloriam, asperis vero mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponat, ibi ergo decipulam ponit, ubi esse semitam mentis conspicit, quia illic periculum deceptionis inserit, ubi viam esse invenit propinquæ cogitationis. S. Greg. hom. xxiv, *Mor.*

Mira calliditate omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi semper quærit causas nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. S. Bonav. tom. II, *In Soliloq.*

Nonnumquam ipsi callidi insidiatores fugam se arripuisse simulant, et de cætero nullam bellatori Christi molestiam se illaturos fatentur. Discedunt quippe ad tempus, quatenus animus a sui custodia remissior factus, gravius sua securitate sternatur. Prudens vero Christi servus, intelligens se in medio positum laqueorum, eo suspectior erit, quo quietiores contra se sentiet inimicos, ubi namque latenter pugnatur, ibi omnis vigilantia adhibenda est; nam manifestus adversarius facile vincitur, occultus autem insidiator vix a quoquam superari potest. S. Laur. Just. c. iii, *de Interior. Conflit.*

Non solummodo intuetur hostis, quid faciat, sed etiam quando faciat, nam quamvis potestatem acceperit, aptum tamen ad subversionem tempus exquisivit. S. Greg. l. II, *Mor.* c. viii.

Sub specie boni diabolus abscondit nobis laqueos (Abscondita est in via pedica ejus, et decipula illius super semitam. Job. xviii, 10,) hypocrisis in via continentiæ, inanis gloriæ in via macerationis carnis, severitatis in via justitiæ, falsæ pietatis in via misericordiæ, prodigalitatis in via largitatis, carnalis affectionis in via charitatis, præsumptionis in via spei, et desperationis in via timoris, furoris in via zeli, præcipitationis in via audaciæ, astutiæ in via prudentiæ, pigritiæ in via consilii, obstinationis in via constantiæ, curiosæ perscrutationis in via sapientiæ. Hugo Card. in Ps. iv.

Hoc tamen scitote, fratres, quia diabolus non persequitur nisi bonos; malos enim, luxurios, superbos, et avaros diabolus persequi non consuevit; amici enim sunt sui, et voluntatem ejus semper faciunt. S. Aug. *Serm. de Temp.*

Alligatus est, tamquam innexus canis cate-

nis, et neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit; latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet a nobis consensum, sed petit. Idem, ser. CLXVII, *de Temp.*

Juste disposuit Deus, ut non nisi consentientibus nobis laqueos pedibus nostris injicere queant, nam spirituales pedes nostræ animæ affectus sunt; hos compedibus suis irretire contendunt; quam ob rem rerum visibilium amorem nostris affectibus conantur innectere, quatenus abdicato a nobis nostro affectu, nullum gratum habitaculum, receptaculumque habitandi in nobis Deus noster inveniat, qui per dilectionem et fidem in cordibus nostris commorari dignatur. S. Laur. Just. c. III. *de Cont. mundi.*

Quoties tentationibus inimici resistimus, eumque confutamus, tam e Scripturis edocti, quam a Deo adjuti, toties eum percutimus et vulneramus, et retorquetur in eum pœna, quæ nobis infligeretur, si ab eo vinceremur. Hugo de S. Vict. *ap. Mansi,* d. XV, n. 7.

Dæmonia in cordibus reproborum tot requiescunt, quot desideria immunda. S. Greg. *hom. in Reg.*

Diabolus sub virtutum specie iniqua nobis opponit. Idem, hom. XXXI, *Mor.*

Diabolus non solum per seipsum, sed et per eos qui nobiscum sunt, nos tentat. Idem, hom. IV, *Mor.*

Diabolus, quo valentius vincitur eo adhuc ad insidias ardentius instigatur. Idem, ibid.

Diabolus otiosæ menti caute insidiatur. Idem, *in Reg.* l. V.

Dæmones indefessi nos assidue oppugnant, modo aperte, modo fraudulenter, quos ne videre quidem possumus, quanto minus cavere. S. Bern. *sup. Ev. ser. sept.*

Dæmones voluntatem nocendi habent, sed non potestatem. S. Aug. l. II. *de Tr.* cap. VII.

Fuga. — Pessima insania nostra, qui, cum continue videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus, et lascivimus in pigritiis nostris, tamquam securi ante eum, qui nihil aliud desiderat, quam ut nos perdat. Inimicus ut occidat, semper vigilat sine somno, et nos, ut custodiamus nos, nolumus evigilare a somno. S. Aug. c. XVI, *Sol.*

In ipsis mentis tuæ mœnibus impie sæviunt, in ipsa tui pectoris urbe confligunt, et ut ista congressio periculosior videatur, in ipsa carne tua quædam quasi perfidos sibi commilitones inveniunt, quos in augmentum partis adsciscunt. S. Petrus Dam. l. VI, ep. VIII.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas. — Quadraginta diebus tentatur Jesus, et quæ fuerint tentamenta, nescimus, quæ ideo forsan prætermissa sunt, quia majora erant, quam ut litteris crederentur; et si sic oportet dicere, sicut Mundus capere non poterat omnes libros, si scripta fuissent, quæ fecit et docuit Jesus; sic quadraginta dierum tentationes, quibus tentatus fuerat Dominus Jesus a diabolo, Mundus ferre non poterat, si Scriptura docuisset; sufficit nobis hoc tantum scire quod quadraginta diebus in deserto fuerit, et tentabatur a diabolo. Origen. *hom.* XXVI, *in Luc.*.

Celebris est S. Macarii visio, qui, cum dæmonem multis vasis vitreis onustum ante cellam suam obvium, quidnam cum illa vasorum multitudine facturus esset, interrogasset, is, in procinctu se esse respondit, ut vasa illa Monachorum suorum congregationi adferret, ut pro cujusque gustu singulis offerret singulas peccati illecebras. *Vita PP.* l. III, n. 61.

S. Thomas refert Monachi cujusdam exemplum, qui firmum sibi e cella non egrediendi propositum fecerat, cui paulatim astutus ille serpens suggessit, ut saltem ad Communionem sacram recipiendam illinc egrederetur, cui suggestioni Monachus acquiescens, propositum antea factum rumpere cœpit; cumque tandem dæmonis illud consilium fuisse agnovisset, vanæ gloriæ motu in semetipso agitari cœpit, eo quod per illum ad nihil mali patrandum inductus fuisset, quin potius ad bonum invitasset, ac proinde mire sibi in eo complacuit. Quia vero fraudulentus inimicus videbat, quod per hoc Monachi lucratus fuisset consensum, progressus est ulterius suggerendo illi quod propter mortem patris et relictas ab eo multas facultates, inter pauperes dispertiendas, necessum esset, ut hujus boni operis exequendi causa ad domum se paternam reciperet, cellæque suæ tantisper valediceret; cui etiam consilio protinus acquievit. Subdit vero Angelicus Doctor : Ad quam cum iret, num-

quam rediit ad cellam, et mortuus est in peccato. S. THOM. in c. XIV, *Prov.* n. 15.

In Vitis Patrum de magno quodam Dei servo scribitur, quod, licet per integrum triennium manu Angelica cibatus fuisset, attamen antiquus adversarius nec cum illo certamen inire formidaverit, suas enim dæmonum phalangas, veluti totidem Angelicos exercitus congregavit,interque illas in varias cohortes distributas, in curru igneo, velut alter quidam Elias ei apparens, se illum ad cœlum transferre velle simulavit ; at vero quia superbus hic Spiritus dicebat : *Adores me* ! sanctus vir Dei detectam fraudem a se generose depulit, et in fugam se recipere coegit, dicendo : Quotidie Salvatorem, qui est Rex meus, adoro ; sic, si esset ille quomodo hoc a me hodie exposceret ? MANSI, disc. VII, n. 3.

In Vita S. Vincentii Ferrerii scribitur quod, dum librum de Virginitate Matris Dei legendo, magno accensus doni illius desiderio, illud a Deo instantissime sibi concedi peteret, vocem quamdam audierit dicentem sibi: Non omnes possumus esse *virgines*, nec deinceps patiar, ut tam honorato nomine gaudeas. Ad quorum verborum auditum, sanctus vir Dei ob inexspectatam petitionis suæ repulsam graviter conturbatus et afflictus fuit ; mox vero velocissime a B. Virgine summa fuit consolatione perfusus, quæ hisce eum affata est verbis« Verba illa paulo ante ad te facta, diaboli fuerunt, qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, ut territus ab incepta virtute desistas. *In Vita*, l. I, c. IX.

B. Petrus Damianus de quodam Monacho refert, qui in cella sua assiduus existens, quantum exterius apparebat, vir magnæ simplicitatis erat, nomine Martinus. Hunc vix dies aliquis præteribat, quin dæmon illi vel appareret visibiliter, vel illum nocturno tempore in somno audiret loquentem, qui una cum ipso Psalterium aliasque preces recitabat. Aliquando vero, inquit S. Pater, tenebrarum auctor se transfiguravit in Angelum lucis, eique quasi legem dictando mandavit : Cave, quia Angelum Dei et aspicere, et alloqui meruisti ; indignum est, ut de cætero cum hominibus loquaris. Protinus ille, tamquam mandatum divinitus accipisset, a fratrum se funditus collocutione removit, seque sub rigida silentii censura constrinxit. Cumque tam Abbas Monasterii, quam alius quidam Monachus, nomine Romanus, vehementer illum, ut loqueretur, urgeret, ipse vero Abbati respondere pertinaciter abnueret ; hic portas cellæ ejus a cardinibus dejici imperans obstinatum hunc silentiarium virgis cædi jussit, donec obstinati et indiscreti silentii sui redderet rationem. Tandem vero, cum nec hac via quidquam ab illo obtinere potuisset, his eum verbis Abbas est allocutus : Idcirco antiquus adversarius bonorum semper operum inimicus silentium tibi tentavit imponere, ut et fructum fraternæ ædificationis amitteres, et illi, qui a te sublevandi erant, tuæ consolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater, concludit S. Petrus Damianus, quia non ex malitia, sed ex simplicitate peccaverat, ad mentem quantocius rediit, et contempta suggestione diaboli, admonitionibus pii Patris acquievit. S. PETRUS DAM. l. VI, ep. XVIII.

In Vitis Patrum de Monacho quodam qui quondam idolorum sacrificuli filius fuerat, scribitur, quod, dum etiamnum juvenis esset, in quodam idolorum fano dormiens sequentem habuerit visionem. Vidit enim Luciferum velut in throno sedentem, et ante eum dæmonem quemdam stantem, qui, unde veniret, interrogatus, se ex tali certa Provincia venire, respondit, in qua varias seditiones, bella, revolutiones, et horrendos rebellionum motus excitasset ; qui, cum, quanto ad hæc mala procuranda tempore usus fuisset, interrogaretur, se id intra triginta dierum spatium perfecisse, respondit ; quem proinde, quod nimium hac in re tardasset, graviter vapulare præcepit. Mox vero alius dæmon coram eodem Lucifero comparuit, qui se intra viginti dies gravem in mari tempestatem, in qua multæ naves submersæ perierant, excitasse gloriabatur ; qui pariter multis ab eo plagis mulctatus fuit. Huic successit tertius, qui se intra decem dierum decursum in diversis nuptiis varias rixas, discordias, et inimicitias excitasse, multorumque homicidiorum auctorem fuisse, glorianter affirmavit; quem pariter sicut priores diris verberibus castigari jussit. Tandem vero alius quidam comparuit, qui se quadraginta annis continuis Monachum quemdam ad impudicitiam sollicitatum,tandem post tot annos evolutos vicisse, et ut in fornicationis peccatum turpiter et ignominiose laberetur, procurasse jactavit. Cui e throno suo consurgens Satan, post multos amplexus, acceptum e capite suo diadema capiti ejus imposuit, atque ad dexteram suam considere jus-

sit, generositatemque ejus variis encomiis prædicavit. MANSI, d. X, n. 3.

In opusculis S. Francisci de Religioso quodam sui Ordinis, cui nomen Angelus erat, legitur, eum magnopere dæmonem formidasse, eo quod asperrime illum a longo tempore molestasset. Qui proinde a S. Patriarcha socium sibi dari expetiit, qui ad ejus defensionem in ejus cella dormiret. At vero Sanctus vir Dei acriter eum objurgans, sine ulla justa causa eum timere dixit, eo quod vires dæmonis in manibus Dei ligatæ essent. Simulque, ut hujus rei sequenti nocte experientiam caperet, jussit illum in montis ibi vicini verticem conscendere,sonoraque voce clamare : Superbi dæmones,omnes venite ad me modo, et quidquid poteritis, mihi facite, et in me vestrum exercete furorem. Cumque bonus ille Religiosus prompte obedisset, nullus malignorum Spirituum se quidquam movere ausus fuit; hacque ratione deinceps absque ullo dæmonis timore vixit, et liber permansit; et merito, quia ut S. Augustinus ait : Non possunt, quod non sinuntur, efficere; sinuntur autem alto Dei summique justique judicio, pro merito eorum, quos ab eis vel affligi tantum, vel etiam subjici, ac decipi, justum est. OPUSC. S. FRANÇ. *Coll.* III.

S. Hieronymus in Vita S.Hilarionis refert, quod, cum dæmon ad metum et horrorem illi incutiendum in specie horrendi cameli ei apparuisset, Sanctus vir Dei imperturbato animo eidem dixerit : Non me terres, diabole, tanta mole corporis ; et in vulpecula, et in camelo, unus atque idem es. S. HIER. *in Vita S. Hilar.*

In Vita Sancti Norberti legitur, quod dæmon quemdam Religiosorum suorum ob fidei suæ debilitatem adeo contempserit, et flocci fecerit, ut ad quemlibet fere gressum in peregrinis admodum horrendisque speciebus ei apparere præsumpserit. Cujus proinde Religiosi pusillanimitatem Sanctus Patriarcha reprehendit; eumque generoso deinceps animo esse, et nihil timere jussit. Religiosus hic igitur optimis Fundatoris sui monitis obediens, cum aliquando pro nonnullis negotiis domesticis expediendis e Monasterio egrederetur, dæmonemque in figura gigantea sibi obvium, et expansis brachiis quasi conterere volentem conspiceret, moniti Sancti Patris sui memor, imperterritoque animo perseverans, dæmonem salutari Crucis signo coram ipso formato in fugam abegit, qui et deinceps numquam ei amplius apparuit. *Vita S. Norberti.*

In Vitis Patrum legimus, quod, cum S.Pachomius dæmonem in specie valde lasciva ei apparentem reprehendisset, quæsivissetque, cur tot fraudibus et artibus ad procurandum infelicem animarum lapsum uteretur, dæmon in sui excusationem responderit: Quam primum vos aliquem suggestioni nostræ aditum dare incipitis, subito nos majoribus vos incentivis provocamus; at vero dum vos in principio suggestioni nostræ resistere, et primos motus nequaquam admittere, sed primas imaginationes animose repellere videmus, erubescentes et confusi a vobis recedimus. MANSI, disc. XVI, n. VIII.

Filia Deo devota cum a duodecimo ætatis anno in hortum in dies secederet oratura, dæmon quodam Sabbato illi apparuit specie B. Virginis, cum duobus aliis Catharinam Senensem et S. Dominicum referentibus. Hortatur puellam ad austeram vitam, pro lino lanam indueret, feria quarta, sexta et Sabbato jejunaret, quotidie Rosarium diceret ; quæ omnia faciebat ; omnia tamen egit conscio Confessario. Qui fraudem veritus, jussit, ut in faciem Deiparæ exspueret, si rediret. Fecit, nec indignationem B. Virgo ostendit, sed magnos favores rependit, prædicens parentum infortunia, monetque ut eos soletur. Unde cœpit pro vate haberi. Confessarius tamen adhuc sollicitus, scribit epistolam contumeliis in eos tres divos plenam; eam ubi puella B. Virgini dedit, ad lectionem ejus nil mota, restituit, jussitque custodire eam epistolam, suo attactu sacram, et mira patraturam, ut factum est. Unde securior reddebatur Confessarius. Puella vero a B. V. petivit aliquod donum cœleste, cui illa dixit, ut Rosarium suum ei daret, quod acceptum in cœlum secum abstulit, et post paucos dies restituit, monens, ut Confessario suo aliquot ex eo grana communicaret, fore contra morbos potentia; et re ipsa multi sanati sunt. Voluit tamen Confessarius ultimum documentum de rei veritate capere. Puellæ veras sacras reliquias tradit, quas jubet e collo B. Virginis suspendi. At dæmon renitens, acerrime filiam perstrinxit; ac ubi omnes ejus pœnitentias et orationes, quas prius inculcarat, missas facere jussisset, cum aliis duobus spectris evanuit, aculeo carnis non levi relicto in animo filiæ. ENGELGR. *Dom.* V. *Pent.* § 2.

Virduni a duobus fratribus dissidentibus

cum assiduo diabolus citaretur, ille morem gerens vocantibus, familiæ unius agnos universos, et mox boves, anseres, gallinasque mactavit; omniumque et crura confregit, domique miscuit, et turbavit omnia; alterumque e fratribus formidolosis imaginibus terruit, donec illi cum domesticis confessione expiati, dæmonis vim infregerunt. In alia villa repente magnus armentorum numerus interiit, causam interitus auspicati fuerunt, quod in ore omnium diabolus assiduo foret. Itaque a nostro expiati et consuetudinem dedocti, cladem averterunt.

Puella formosa et casta, ut procerum evitaret insidias, domicilium vertit et urbem. Cui alio peregre abeunti dæmon assumpta honesti viri specie occurrit, monuitque, pagum animo destinatum non adiret, adesse ibi petulcos famulos, a quibus plus passura, quam a leonibus urbanis. Perrexit nihilominus puella, millies potius mori et orbe exulare toto parata, quam castitatis facere jacturam. Sed contrarium post tempus non longum accidit, cecidit misera casumque prodente uteri tumore jussa est sibi res suas habere, et pago exesse. Quæ dum priorem viam relegit, urbemque repetit, obvium, quem prius, habet dæmonem, reditus causam non difficulter impetrantem. Fassa delictum, quod utero prodente negare non poterat mulier, culpa cum prima mulierum dæmoni adscripsit: Serpens decepit me, nequam diabolus hanc mihi persuasit profectionem, et scelus. Iratus ea voce dæmon, excussissima impudentem alapa signavit, et addidit: Mentiris, ego enim ille sum, qui iter hoc tibi nuper dissuasi, de periculo præmonui, a scelere præcavi. Sed nimirum genius iste vester, et pervetus mos est, ut lapsuum vestrorum culpam nobis impingatis, cum ultro a vobis ad tentandum sæpenumero irritemur. MANSINUS, *de Pass. fol.* 802.

Cum Joannes Parmensis, Minister Generalis Ordinis, visitaret ultramontanas Provincias, contigit brumali tempore, ut itineris errore per totum diem deviaret, atque in deserto, mediisque in silvis ingruentem noctem sustineret. Hic socii eum de periculo et labore admonuerunt, seu potius amice interrogarunt, quid esset faciendum? Respondit securus, ad Divinum auxilium esse recurrendum; confiderent, Deum numquam, in se confidentibus deesse, implorandam esse Deiparam Virginem, ac B. Patrem Franciscum. Cœpit is preces, et ad illam, et ad hunc fundere. Quibus dictis, audierunt pulsari campanam, cujus excitati sonitu perrexerunt via lutulenta et difficili, donec ad vicinam Abbatiam pervenirent, ostio pulsato procurrunt obviam quasi condicto expectantes monachi complures, qui prompte receperunt hospites. Ducunt ad ignem, lavant pedes, exsiccant vestimenta, apponunt cœnam, sternunt lectos, omnia ministrant necessaria, ut videbatur, alacritate magna. Post primam vigiliam surrexit Generalis ad orationem, et audita campana, quia noctu ad laudes Divinas convocantur Monachi, ad chorum cum ipsis pergit, relictis sociis, qui somno et fatigatione opprimebantur. Officium inchoaturus Hebdomadarius, nec consueta usus est cæremonia, nec ordine, nec versiculo: «Domine, labia mea aperies, etc.,» sed abruptim, et cum turbatione incepit ab illo versu Psalmi 35. « Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; » respondit Chorus: « expulsi sunt, nec potuerunt stare. » Tertio id ipsum repetitum fuit, quod movit Generalis suspicionem. Præcepit igitur in virtute Passionis Christi, et SS. Nominis ejus, ut ocius edicerent, quinam essent? Respondit, qui Abbatis loco videbatur præesse, omnes esse Angelos tenebrarum, cœlo pulsos, qui ex divino præcepto inviti missi sint ad ministrandum ea nocte ipsi et sociis, *precibus*, inquit, *Matris Dei, et illius vexilliferi Patris vestri.* His dictis, totum evanuit, quod ibi videbatur esse extructum monasterium. Ipse vero nemoroso in antro constitit. Generalis socios excitavit, et per reliquam noctem, usque ad auroram in Divinis laudibus perseveravit. WADING. c. x, *Annal. Ord. Min.* an. 1248.

S. Ignatius, litteris operam daturus, Complutum ad Calendas Aug. venit, anno 1526, atque in hospitium pauperum divertit, cui ab Antezana vocabulum; ubi promptius cubiculum nactus fuit, quod illic unum pridem vacabat, nimirum spectris umbrarum et horribili strepitu infestum. Nescivit id Ignatius, unde visis prima nocte formidandis simulacris, et audito immani fragore totus inhorruit. Verum statim se recolligens resumptis animis in genua assurrexit, ac locutus est: « Si vobis aliquid in me datum est, en adsum paratus; agite in me, quodcumque Deus probaverit, cujuscumque id manu fieri jusserit; neque in vobis est, nocendi metam vel puncto transgredi, quam

ipse vobis præfixerit. Sin autem vobis nocendi facultas non est; quo tot vestrum simul ignavi, tot strepitus ad interpellandam unius homuli quietem? » Hic se Deo integre committens quidquid essent ausuri, fortiter experiebatur. Sed nihil in eum tentatum, et ex eo quies cubiculo reddita est. BERTOLUS l. I, n. 23.

Dæmon aliquando in specie viri tristis ad impiam vetulam venit, questus jam diu se frustra laborare, ut duos conjuges ad divortium impellat; quod si ipsa ut harum artium perita id efficeret, junctaque opera id possent, magna præmia pollicetur. Ipsa annuit, et statim ad maritum, qui mercator erat, et ejus tabernam festinat, ibi præsenti argento pannum emit, et interim eum admonet, uxori cum sacerdote commercium suspectum esse. Postridie tempore Sacri posse eum id in templo deprehendere. Tum abit, et data opera materiam in taberna relinquit, curaturam se, ut auferretur in tempore. Interea et uxorem adit, et ait, marito furtivos cum puella quadam amores esse, promissam ei, et cras dandam a marito pro veste materiam. Ita excitatis utrinque suspicionibus, ipsa puellam, quam ignaram doli ei facinori parabat, mittit, ut a mercatore pannum auferat, quæ res uxorem confirmavit in suspicione, quod materiam absque numerata pecunia auferret. Vetula subinde sacerdotem adit, monet uxorem ob suspicionem tristem esse, velit illam mane post rem divinam consolari. Sacerdos mane uxori locutus, auget ignarus zelotypiam mariti, qui tamen, etsi ægre dissimulat, donec venefica illa pondus addit rebus. Nam uxorem adiens suadet, ut ab aliarum amoribus maritum abducat, aliquos e barba pilos ei dormienti radat, et minutim sectos cibo incoquat, et simul in eam rem novaculam offert. Mox recta ad maritum reversa monet, a conjuge præcidendam ei gulam sequenti nocte. Maritus noctu somnum simulat, et uxore cum novacula capiti suo imminente exclamat, domesticos vocat, ostendit novaculam, et mane innocentem conjugem male habitam expellit, quæ ad parentes reversa est. At dæmon pactam daturus vetulæ mercedem, laudatam de opera præstita, cum corpore et anima eam abripit. Eo cognito evoluta tandem rei totius serie, conjuges data acceptaque erroris venia ad veterem concordiam rediere. DOGNOM. tr. 3, c. II, § 18.

Sub Bernardo Abbate, quidam nobili familia ortus, cum se Monachum fecisset, in tantum mentis tædium lapsus est, ut palam diceret, nunquam se hilari sedatoque animo futurum; frustra illum fratres, ut in Domino consolaretur, et spe præmii cœlestis mœstitiam deponeret, hortabantur, frustra hoc ipsum Abbas admonendo exaggerabat. At vero ubi idem Abbas pro eo orationem fecit, ita immutatus est, ut e contrario exultaret, ac se jam deinceps perpetuo contentum victurum affirmaret. Quippe diabolus orantis Abbatis virtutem sustinere non valens, ab impugnatione fratris illico desiit, et ipse spiritualis gratiæ luce perfusus causam agnovit, ob quam gaudere jucunditateque affici deberet. MARULL. lib. VI.

Macarius, Alexandrinus Abbas, multum a dæmonibus infestatus, parem autem eorum terrori extitisse inde constat, quod in gentilium sepulchro nocte quadam amoto cippo decubare ausus sit, cumque ossa super quæ jacebat, in vocem prorupissent, mansit immotus, vox autem erat alteri respondentis, venire se nunc posse, quia ejus quem super se habebat pondere gravatus esset, ad quem Macarius: Exi, atque abi, si potes, inquit, ego hic pernoctabo. Dæmones igitur tantam hominis audaciam perstupentes, obmutuere, ne si plura in eum conati pergerent, victi magis erubescerent. MARULL. Ibidem.

Ad Evagrium presbyterum, amborum quondam Macariorum discipulum dum solitarius eremum incoleret, tres dæmones clericali habitu venisse constat, qui se diversarum hæresum esse simulantes suum quisque dogma probare nitebatur, ut illum aliquo eorum perverterent; cæterum Evagrius cum fidem Catholicam adversus quemlibet eorum acerrime tueretur ac defenderet, Deo adjuvante, omnes facile superavit, ita ut confusi repente evanescerent, nihil aliud moliri in eum ausi, quem in fide tam firmum cognoverant. MARULL. Ibidem.

Dæmon sanctitati atque virtutibus Martini, Turonensis Episcopi, livens, ipsum ludificare ausus est. Aureo enim diademate et purpureo superbus indumento ei occurrens, Regem se Christum esse et ad judicandum mundum descendisse asseverabat. At vero Martinus et diabolicæ artis gnarus, et mansuetudinis Domini memor: Haud talem inquit, venturum se pollicitus est Christus, sed cum omnibus Passionis (quam pro nobis sustinuit) signis, cum corona spinea, vulneratumque cicatricibus, et ipso victoriæ

suæ tropheo cruce, cum talis apparuerit, eum advenisse credam, alioquin hoc ab eo præceptum observabo : Si quis vobis dixerit : *Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.* Immundus ergo Spiritus verbis veritatis victus disparuit, nihil ibi suum relinquens, præter sui indicem fœtorem. Sulpitius Sever. *in Vita S. Martini.*

Idem omnis mortiferæ fraudis artifex, Pacomio, Ægyptio Abbati, apparuit, pulcherrimæ feminæ formam præseferens, sed qui libidinis ardorem jejuniorum frigore jam extinxerat, nulla carnis concupiscentia intellectum occupante, facile perspexit inimici insidias, et fronte cruce signato, ipsum signo crucis fugavit. **Marull. Ibidem.**

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut taurus in sui agitatione graviter se vulneratum esse animadvertens, vidensque, quod furorem suum adversus eum, a quo percussus est, exercere non possit, confictum ex vetustis pannis lineis, vel stramine, hominem, ad aves abigendas in agro positum, aggreditur, illumque cornibus, dentibus, pedibusque in millenas partes ferociter discerpit, suas se vindictas hoc modo aliqualiter exercere posse, sibi imaginans ; ita quoque Princeps tenebrarum videns quod de Deo, qui ipsum e cœlo in profundum abyssi præcipitavit, vindicare se nequeat, hominem ad imaginem et similitudinem Dei creatum, Deoque unice charum, plurimisque favoribus adauctum aggreditur, suamque rabiem in eum, in Dei ignominiam, quantum potest, eique permittitur furibundus exserit. Mansi, disc. ii, n. 3.

Sicut, si quis stellas cœli, aut pluviæ guttas, seu arenam maris dinumerare voluerit, casso consumitur labore ; ita et quicumque varias dæmonum fraudes ad plenum reserare conatus fuerit, supervacue desudabit. S. Laur. Justin. c. xii, *de Discipl. Mon.*

Sicut in cribro multa foramina sunt ; ita diabolus cum multiformis sit, se homini applicando, mille modos tentandi habet, quia quot sunt vitia, tot utitur variis modis ad tentandum. Unde, secundum Sanctum Augustinum, diabolus plenus est incentivis vitiorum, ideo toto conamine se applicando, nititur animas suis incendiis inflammare. S. Bern. Sen. t. III, c. ii, a. 1.

Sicut novacula apprime exacuta, ita comam abscindit, ut, qui raditur, nihil sentiat ; sic etiam diabolus, qua est calliditate atque versutia, dolos ita machinatur, ut animæ gratiam, hoc est, virtutem et scientiam detondeat, ut ea sibi hæc ornamenta detrahi non sentiat. Nicet. *in Orat.* xl, *Nazianz.*

Sicut homo silvam exscindere volens, si solum securis ferrum sine manubrio habeat, nihil efficere prævalet, quantumvis sit sagacissimus ; at vero si vel modicum silvæ illius lignum ad faciendum securi suæ manubrium obtineat, hoc unicum ei sufficit, et desiderabatur, ut totam silvam paulatim exscindere possit ; eodem prorsus modo dæmon, quantumvis sit Spiritus sagacissimus, sola tamen perversæ, nobisque continuo insidiantis voluntatis suæ malitia, quæ est veluti quoddam securis ferrum sine manubrio, virtutum nostrarum silvam exscindendo nobis nequidquam nocere poterit ; at vero si astutus hic serpens ab anima vel corde nostro vel minimum affectum inordinatum obtinuerit, ex hoc securis suæ ferro manubrium fabricabit, quo utendo affectum hunc paulatim sic adaugebit, ut animam nostram sui juris faciens, quidquid in illa virtutum, gratiarum, donorumque cœlestium repererit, facili negotio extirpare, et totaliter succidere possit. Mansi, disc. iv, n. 2.

Sicut in corpore nostro semper humor aliquis præsto est, qui in illo quatuor elementorum mixto prædominans, aliquam in eo causat indispositionem ; sic quoque in inferiori animæ portione semper est aliqua inclinatio vel appetitus incompositus, quo Angelus ille insidiosus familiariter uti novit. Unde S. Joannes Climacus, de gradibus Paradisi tractans, ita loquitur : Quales nos dæmones deprehendunt, tales et ipsi erga nos se gerunt ; et quales in nobis cogitationes reperiunt, tales ipsi nobis imagines et formas subjiciunt. S. Clim. gr. xix.

Sicut dux belli ad eum præcipue locum castra sua figit, quem debiliorem, et minus munitis mœnibus, aut fortificationibus cinctum esse cernit ; ita quoque stygius noster inimicus in illa parte vel maxime in civitatem irrumpere solet, ubi minorem resistentiam invenit, quamque minus munitam, et consequenter debiliorem esse deprehendit. S. Greg. hom. xii *in Ezech.*

Sicut cancer marinus, ubi concham apertam conspicit, lapillum quemdam in eam

conjicit, vel modicum lignum, ut inde impedita claudi non possit; hæc enim modica apertura sufficit ei, ut eam ingredi paulatim, et devorare possit; pari quoque sagacitate dæmon utitur, quia serpens erat callidior cunctis; mox enim ut cor hominis bonis hisce temporalibus capiendis patere conspicit, lapillum quemdam, id est, inordinatum erga certam quamdam personam ingerit amorem, idque sub specie boni ut scilicet ejus procuret salutem; ubi vero per hunc affectum minimum aliquem in cor illud aditum sibi patefecerit, sensim et paulatim Spiritus immundus cum omni malitia sua in illud se insinuat. MANSI, disc. VIII, n. 2.

Sicut fures, ubi violenter domum ingredi nequeunt, ne fores domus dejiciendo, vel muros et parietes perfringendo strepitum aliquem excitent, ex quo domestici a somno excitentur, si parvam quamdam fenestram apertam inveniant, puerum aliquem sagacem, ab eis in furtis committendis eruditum, per illam immittunt, qui caute fores domus, vel fenestras majores aperiat, per quas ipsi ingredientes pro libito suo quævis obvia rapiunt, et furantur; ita hæc eadem est latronis infernalis in deprædandis animabus vulgaris sagacitas; ne enim in animas cum strepitu, id est, per instigationem ad peccata enormia committenda irrepat, prius suggestionem vel imaginationem immundam ejus animo immittit, vel ad aspectus oculorum incautos, ad complacentiam sensualem, vel periculosam aliquam familiaritatem exstimulat, etc. *Cum diabolus jam misisset in cor*, etc. *Veniam ad te tamquam fur in nocte.* Idem, n. IV, l. V.

Sicut avis in laqueum incidens, minima capitur unguicula, et alarum vires franguntur, et debilitantur ob unguem vilem, et, cum totum corpus sit extra laqueum, totum tamen retinetur; ita multi sunt viri exemplares, qui in novem præceptis sunt irreprehensibiles, et in unius præcepti unguicula capiuntur. S. EPREM. tr. I *de Morbo linguæ.*

Sicut latrones, non ubi fœnum et paleæ, et calamus, sed ubi aurum et argentum est, fodiunt, et continuo vigilant; sic et diabolus his maxime instat, qui spiritualia attingunt. S. CHRYS. hom. I *ad Pop.*

Sicut hostis plus ducem, quam milites petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes; sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subjugatos, sed ut justos capiat, sic laborat. S. CHRYS. *ser.* 96.

Sicut filii Jacob Josephum, fratrem suum fatali semper odio prosequebantur, ut quia illum a patre suo tenerrime amari videbant, utpote qui illum in peculiaris dilectionis signum, pulcherrima illa veste, quæ *polymita* vocabatur, induerat; eodem prorsus modo invidus ille serpens tolerare nequit, quod communis Creator majori nos dilectione, quam ipsum, prosequatur; siquidem, ut nos Sanguine suo pretiosissimo redimeret, corpus sibi mortale pro nobis assumpsit, quod in Angelorum obsequium numquam fecit. Præ nimia invidia in rabiem agi videntur, dum nos cœlestibus virtutum, gratiarum, et donorum infusorum thesauris locupletari vident, ac proinde omni conatu nos hisce thesauris spoliare contendunt; nam ut Cassiodorus ait : Graviores insidias adversarii tunc subimus, quando Dei dona suscipimus. MANSI, disc. IX, n. 2.

Sicut leonem naturalistæ animalia mortua nequaquam manducare, sed vivis tantum insidiari asserunt; sic quoque diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, non animas in peccato jam mortuas, utpote quæ jam de facto ejus sunt, sed in gratia Dei viventes, devorare conatur, quia, ut vetustissimus Tertullianus ait : Diabolus ad hoc se regnare putat, ut Sanctos de religione Dei perturbet. Idem, n. X.

Sicut piscator avidus et peritus, grandiores pisces, minoribus contemptis, attentius inescat; ita diabolus perfectis quibusque avidius insidiatur, ut pereant. S. THOM. VILL. *ser. de SS. Cosma et Dam.*

Sicut inter alias fulminis conditiones, una hæc est, quod majorem semper in iis corporibus vim exserat, in quibus majorem invenit resistentiam ; idem quoque est dæmonis genius, nam adversus eximios Dei servos, qui sanctitate præfulgentes eidem omni virium suarum conatu resistunt, magis et crudelius sævire, majoresque ac periculosiores insidiarum machinas iisdem struere consuevit. Præterea fulmina loca eminentiora ut plurimum feriunt : Feriunt altos, inquit Poeta, fulmina montes. Eumdem quoque stylum dæmon observat, dum illos quam maxime impugnat, qui dignitate, exemplaritate, et virtute sublimiores existunt. MANSI, disc. X, n. XXI.

Sicut qui Barbarorum incursionibus se opponunt, iisque obsistere, quantum licet, egregie volunt, incitant quidem sese vicissim ad audendum, seque sedulo hortantur,

promant jam vires et artem, tempus belli advenisse affirmantes, itaque vehementes et invicti in adversarios incurrunt, ac superata quodammodo segnitie ac pavore, strenuos se in gravioribus periculis, cum casus tulerit, præbent; eodem modo oportere assero, quicumque sunt sanctitatis amatores, diaboli fraudibus perquam impigre obviam ire, tantaque se illi contentione virium opponere, ut illud ipsum haud immerito usurpare possint: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? An angustia? S. CYRILL. ALEX. *de Fest. Pasch.* c. V, p. 2.

Sicut, si furem aliquem in domo tua videns, eumdem clamoribus et vociferationibus in fugam agere posses, et tamen id ipsum facere negligeres, none tunc facultatum tuarum jactura tibi ipsi imputanda foret? Eodem modo, cum ad tentationem superandam per orationem ardentem Deo te recommendare possis, si id non facias, culpa tua est. MANSI, disc. XVIII, n. 2.

DAMNUM. — Sicut dum leo famelicus animal quoddam obvium habet, illud protinus invadit, illudque tanta cum aviditate discerpit, dilaniat, et devorat, ut etiam ossa, pellem, et omnia animalis istius interiora per fauces in stomachum suum trajiciat; eodem quoque modo rabida illa fames, quæ dæmonem adversum nos extimulat, adeo est ingens, ut non solum in animam nostram ferociat, verum etiam in corpus et bona fortunæ debacchetur, dummodo id illi Deus permittat. Corpus et animam perdit. Idem, disc. II, n. 13.

Sicut in antiquis historiis de Carthaginensi quodam belli Duce legitur, quod de quibusdam militibus Africanis, qui ei rebelles facti, obedientiæ jugum, quo ei obstringebantur, excusserant, sequenti stratagemate gloriosam reportarit victoriam. Etenim, quia illos vini avidos esse probe noverat, multa vasa vino adimpleri, eique herbæ cujusdam, quæ somni est conciliativa, succum admisceri, ac demum castris suis in magna quantitate inferri jussit; cunctisque rite dispositis in apertum campum egressus, se cum illis pugnam adoriri velle, callide simulavit; cumque in primo congressu studiose fugientem per longum terræ spatium insectati fuissent, tandem retrogressi hostilia castra occuparunt, et inventa ingenti vini annona, tamquam de obtenta victoria lætantes, vino liberalissime indulserunt, ac demum profundissimo somno sepulti, posito omni metu fessa membra refocillarunt; cum ecce dictus belli Dux, qui una cum exercitu suo fugam simularat, cum eodem reversus, omnesque profunde dormientes reperiens, membratim ac minutim illos conscidit; simili quoque stratagemate juratus inimicus noster utitur, sciens namque, quod vinum lætificat cor hominis, quodque bonorum temporalium, honorum, voluptatum, divitiarum, aliarumque rerum similium avidissimi simus, in præsenti delectationis occasione huic vino herbam venenosam, id est, suggestionem ad peccatum, vehementer sollicitantem immiscet, hacque ratione victoriam adversum nos facillime obtinet. Idem, disc. III, n. 3.

MOTIVA.

Ad Dæmonem odio habendum.

Quia astutissimus est, uti S. Bernardus testatur, dicens: A versutiis et astutiis vobis timeo, in quibus partim subtilitate naturæ, partim experientia temporum, sub tot annorum millibus eruditus, fragilitates humanæ naturæ, quaquaversum se verterit, non ignorat. S. BERN. *de Quadr. debit.*

Quia occultissimus est, teste S. Gregorio, dicente: Quis hujus hostis versutias non metuat, qui tanto est perniciosior, quanto occultior? Non enim quæ extra nos sunt, auferre nititur, sed diripere thesauros interiores conatur. Nulla sibi temporalium bonorum cupiditas, nulla divitiarum ambitio, nullum dignitatis desiderium, sola interiora appetit, solas virtutes diripit, solam animam occidit; quod si aliquando exteriora tetigit, non ea aufert, ut habeat, sed ut ea auferendo animam evertat. S. GREG. *in Ps.* CXLII.

Quia terribilissimus est, saltem respectu malorum hominum, uti Ruppertus Abbas illa verba, I Reg. c. 5. *Et ebullierunt villæ et agri, in medio regionis illius, et nati sunt mures*, explicans indicavit, dum per mures hos intelligit infernales spiritus, aitque: Qui sunt isti, qui ebullierunt, et terram demoliti sunt mures, nisi maligni spiritus, justis quidem contemptibiles, ut mures, peccatoribus autem terribiles ut leones? Id idpsum confirmat S. Isidorus, dum ait: In oculis carnalium diabolus terribilis est; in electorum oculis terror ejus vilis est; ab incredulis ut leo timetur; a fortibus in fide ut vermis contemnitur. RUPERTUS ABB. l. I, c. XIV.

Quia superbissimus est, ut S. Basilius insinuavit dicens : Dæmon, capitalis noster hostis, solet nostram Domino exprobare negligentiam, et super inobedientia nostra superbe gloriari; qui, cum neque finxerit nos, nec mortem pro nobis oppetierit, habet nos tamen (proh dolor!) et inobedientiæ suæ, et negligentiæ, qua in præceptis Dei tenendis sumus, imitatores sedulos; hoc equidem opprobrium est contra Majestatem Domini, et hæc jactantia pœnis gehennæ longe mihi gravior esse videtur, quod nimirum inimicis Christi materiam et ansam præbemus jactantiæ contra eum ipsum, qui pro nobis morti se objecit, atque ab inferis sese revocavit. S. BASIL. MAGN. orat. II, *Erga Deum.*

Quia furiosissimus est, uti S. Chrysologus notavit, dicens : Putredine satiantur, deliciantur fœtore, quibus tota voluptas est, homines interire. Attendite, quæ sævitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus; contenti non sunt, mori homines, sed vivos homines gestiunt sepelire; se sepulchris mandant, ut homines recidant in sepulchrum. S. CHRYS. or. XVI.

Quia invidiosissimus est, tanta enim illius est invidia impietasque, ut Dionysius Carthusianus inquit, ut perdi se reputet, si ab hominibus expellatur. Hinc et S. Hieronymus verba illa Jobi : *Sternutatio ejus splendor ignis*, explicans : Alii, inquit, transtulerunt : *In sternutamento ejus illucessit sol.* Sternutatio sordes cerebri egerit, diabolus ergo, qui totus sordidus et fœtidus est, malitiæ suæ sordes in perniciem hominum cum delectatione operatur, et effundit, transfigurans se in Angelum lucis, et de invidia, id est, de malorum omnium capite, venena sua commovet, et producit. DIONYS. CARTH. *apud Mansi*, disc. II, n. 4.

MEDIA.

Ad Dæmonis insidias cavendas.

Oratio, uti S. Gregorius monuit dicens : Sit mens vigilans, sit undique circumspecta, sit ubique sollicita, ut insidiantis possit semper laqueos præcavere; sed quia, quanto hostis noster cautum contra se unumquemque cognoscit, tanto corda sibi resistentium subtiliori molitur arte subvertere, omnipotentem Dominum assiduis lacrymis et deprecatione poscamus, ut nos veneni ejus non sinat infectione corrumpi. S. GREG. l. VI, *in Reg. dict.* XV, ep. XXXIII. Hinc merito dicere possumus cum Rege Josaphat : In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere; sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. II PAR. c. XX, 3.

Christi præsentia cogitata; nam adjuvat certamen, teste S. Augustino, qui certamen indixit : Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam; clamare enim novit, adjuvare non novit, coronæ veniam parare potest, vires subministrare non potest, homo enim et non Deus; et forte dum spectat, plus laborat sedendo, quam ille luctando. Deus quando spectat certatores suos, adjuvat eos invocantes, nam vos athletæ illius estis. Psal. 95. 18. seq. « Dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me. » Et alibi : « Ad agonem perduceris, contra diabolum, vitiorum principem, dimicabis in arena hujus mundi. » S. AUG. ser. CXV, *de Temp.* Utræque partes, Christi scilicet et Diaboli, infinita populi multitudo te spectat luctantem, et quisnam vincat, vide omnem turbam nimia intentione pendentem. Non de te triumphat pars diaboli; si vis vincere, noli de te præsumere, sed illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat, ut victoriæ feras palmam. Vis vincere? Caput prius contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? Manus tuæ fortes inveniantur in bono opere. Vis vincere? Fige pedes, non nutent vestigia tua. Item, *de Catech.* tr. IV.

Charitas fraterna; uti S. Bernardus indicavit dicens : Dic mihi, si aliquid timet diabolus? Frater amabilis, nihil est quod tantum timeat, quantum concordiam et charitatem; nam si totum, quod habemus, damus, propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipse nihil habet; si jejunamus, hoc diabolus non timet, quia ipse numquam comedit; si vigilamus, hoc diabolus non timet, quia ipse numquam dormit; sed si charitatem et concordiam tenemus, hoc diabolus vehementer timet. Quare? Quia hoc tenemus in terra, quod ipse in cœlo tenere noluit. S. BERN. ser. XLI, *de Modo bene vivendi.*

Subjectio; nam, teste Cassiano, nullatenus decipi poterit, quisquis non suo judicio sed majorum vivat exemplo; nec valebit ignorationem ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes

perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum reprobat, vel admittit. Hinc et Siracides : Sapiens non odit mandata et justitias. Sed quemnam inde reportabit fructum ? Et non illidetur quasi in procella navis. CASSIAN. *Coll.* II, c. XVII. Ubi Hugo Cardinalis ait : Id est, illusionibus dæmon non obstruetur, quasi dicat : Navis, quæ habet bonum rectorem, non obruitur in procella ; ita justus non obruitur tentationum turbine. HUGO CARD. in c. XXXIII. *Eccl.* 2.

Vigilantia ; ut S. Petrus monuit dicens : Fratres, sobrii estote, et vigilate. I PETR. V, 8. Hinc S. Chrysostomus : Si serpentem, inquit, ad lectum nostrum latitare sciremus, hic magno admodum studio ad illum perimendum ferremur; Diabolo autem in nostris ipsorum animis latitante, nihil adversi nos pati arbitramur, sed supini ac desides, animisque concidentes malis nostris indormimus. S. CHRYS. hom. X, *ad Rom.* Cujus rei causam hanc esse arbitror, quod illum corporeis oculis non contuemur, quamquam hoc potissimum nomine vigilantes nos ac sobrios esse oportebat ; nam sensibilem quidem hostem facile declinas, at invisibilem, nisi undique armati fuerimus, difficile evitare possumus. Idem, hom. X, *ad Pop.* Et confirmans idipsum S. Cyprianus : Si imparatum, inquit, invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum, ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. S.CYPR. *ad Portu.*

Compunctio; nam ut S. Antonius Paduanus ait : Sicut fumus expellit apes, sic amara et lacrymosa compunctio expellit dæmones, qui circumdant animam, sicut apes favum. S. ANT. PAD. *Dom. inf. Nat. oct.*

Confidentiæ propriæ abjectio, uti S. Laurent. Justin. monuit dicens : In omnibus insultibus spirituum immundorum, in cunctis tentationibus, quibus Christi servi impugnantur, abjicere conentur propriam confidentiam, et divinum non cessent efflagitare auxilium. S. LAUR. JUST. c. XII, *de disc.*

Verbum Dei ; hinc in *Collationibus* Cassiani ad nostram eruditionem scribitur, quod sicut Christus per adducta Scripturæ loca Luciferum fugavit; ita quoque nobis exemplum dederit; quo doceamur, ut in conflictu cum dæmone scutum quoque verbi Dei amplectamur. His testimoniis edocemur, ut fraudulentis suggestionibus inimici nos quoque similiter debeamus obsistere, et ideo, juxta monitum Apostoli ad Ephes. 6. « Galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei. » CASSIAN. *Coll.* XX, c. II. Nam ut S. Gregorius ait : Resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit. S. GREG. l. XII, *Mor. c. ult.*

Terrenarum rerum contemptus ; uti S. Ambrosius hortatus est dicens : Denique servatum est serpenti, ut calcaneum mulieris et seminis ejus observet, quo noceat, et venenum suum diffundat. Non ergo ambulemus in terrenis, et serpens nobis nocere non poterit. S. AMB. l. *de Fuga Sæc.* Sed et Venantius Fortunatus considerat, quod Christus Redemptor noster nos in oratione Dominica Regnum cœlorum a Deo petere docuerit : *Ad veniat Regnum tuum* ; postea autem a nobis subjungi voluerit : *Et ne nos inducas in tentationem*; quasi dicturi essemus : Veniat in corde nostro Regni tui innocens desiderium, ut possimus diaboli vincere blandimentum ; tunc enim in nobis hostis non prævalet, quando respexit nos constanter diviniRegni desideria concepisse. VENANT. *apud Mansi*, disc. XVII, n. 2.

In principio fortiter resistere ; uti S. Isidorus suasit dicens : Qui suggestiones diaboli non recipit, in ejus insidias nimime transit. Moxque modum nobis tradit, quo efficere possimus, ne astutus hic serpens nos supplantare usquequaque possit : Facile, inquit, in consequenti opere repellitur, si prima oblectamenta respuantur. Diabolus enim est serpens lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in interna cordis, dum non sentitur, illabitur. S. ISID. l. III, *Sentent.* c. V. Hinc et S. Gregorius : Si tentationi, inquit, in corde nostro nascenti festine non resistitur, hac eadem qua nutritur, mora roboratur. Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus, ubi nascitur, extinguatur. S. GREG, l. XII, *Mor.* c. VII. Id ipsum David indicavit, dum dixit : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Ps. C, 8. Super quæ verba S. Athanasius sic loquitur : Sicut matutinum tempus diei est initium ; sic omnis peccati initium est inimici fraudulenta suggestio, ideo inquit, *mane interficiebam*, hoc est, respiciebam ad principia cogitationum, et investigabam eorum intentiones, atque adeo peccatores omnes, utpote dæmones, qui faciunt me peccatum ad perdendum omnes ex civitate Domini, hoc est,

ex anima (anima namque Domin civitas est); persequebar enim, inquit, et abscindebam illorum capita, tam quam principia, ne operarentur omnem iniquitatem et peccatum. S. ATHANAS. q. x, *ex Parab.*

ASCETICA:

In primis nosse debet Asceta, *cur Dæmon tantopere homines oderit, et persequatur*, id quod ex Didaco Stella cognoscere poterit, hoc motivum afferente, ob quod hic adversarius in nostram perniciem implacabilis esse perseveret, scilicet propter odium Dei; nam peccans induratus mansit in odio Dei, scit, quod voluntas Dei est, nos beatos efficere, et quod nos summo amore et charitate prosequatur; ne autem voluntas Dei in nobis adimpleatur curat nostram justificationem impedire, propter odium, quod in Deum habet, ratione justitiæ punitivæ secundaria. DID. STELLA in c. X. *Luc.*

Nosse debet *varios modos, quibus homines impugnare solet*, quos breviter indicavit S. Gregorius, dum dixit: Aut enim opprimendo rapit, aut insidiando circumvolat, aut suadendo blanditur, aut minando terret, aut desperando frangit, aut promittendo decipit. S. GREG. XXXII, *Mor.* c. VIII.

Richardus de S. Victore brevius duos assignat, dicens, eum contra militem Christi nunc pugnare ex pharetra per insidias, nunc ante faciem ejus arma vibrare; quia alia vitia sub specie virtutum contegit, et alia, ut sunt aperta, ejus oculis objicit. RICH. VICT. p. II, *in Cant.*

S. Antonius de Padua ad id se reflectens, quod Salvator noster de dæmone dicit, videlicet : *Ambulat per loca inaquosa*, ait Diaboli ambulatio nihil aliud est, quam ipsius tentatio, juxta illud, quod ipsemet diabolus apud Jobum ait : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Qua vero ratione id ipsum in sensu spirituali intelligendum sit, sequentibus verbis declarat, dum ait : Diabolus primo terram, id est, mentem hominis circumit, id est, subtiliter disquirit, cui vitio magis sit applicabilis, et postea eam perambulat, quia secumdum quod viderit vincibilem, quemlibet tentat. S. ANTON. PAD. ser. II, *in Dom.* III, *Quadr.*

S. Bonaventura fusius de hac materia sic discurrit : In primis potest ex divina permissione corporibus nostris gravia mala infligere, prout eum Jobo intulisse constat. Organa quoque corporea turbare potest et impedire, prout facit in obsessis. Imagines denique, et phantasmata nobis imprimere potest, vel etiam per sanguinis commotionem ad peccatum stimulare. Quod vero deceptiones et stratagemata attinet, decipit præcipue quatuor modis: *Primo*, suadendo bonum, et hoc propter malum; sic v. g. hominem, quem instabilem esse cognoscit, ad Religionem ingrediendam exstimulat sperans, quod progressu temporis miser futurus sit apostata. *Secundo*, suadendo malum, sed hoc sub specie boni, v. g. dum urget ad committendum perjurium, ad retinemdum bona aliorum. *Tertio*, dissuadendo bonum tamquam nocivum; ut cum dissuadet bono viro ingressum Religionis, ne de hoc pœniteat, et egrediens confundatur, vel quando dissuadet alicui eleemosynam et orationem, ne per hoc incurrat vanam gloriam. *Quarto*, dissuadendo malum, ut ducat ad pejus; ut quando dissuadet temperantiam in victu et somno, ut per hoc inducat ad indiscretam abstinentiam, quod pejus est. S. BONAV., l. II, *Compend*, c. XXVII.

Denique notanda quoque est doctrina, quam S. Gregorius alio loco proponit dicens : Leviathan iste aliter religiosas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat; nam pravis mala, quæ desiderant, aperte objicit, bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit, illis velut familiaribus suis, iniquum se manifestius insinuat, istis vero velut extraneis, cujusdam quasi honestatis prætextu se palliat, ut mala, quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat. S. GREG., l. XXXII, *Mor.*, c. XXII.

Nosse debet *modum vincendi Diabolum*, de quo S. Augustinus sic discurrit : Multi dicunt, quomodo possumus vincere Diabolum, quem non videmus? Sed habemus magistrum qui nobis demonstrare dignatus est, quomodo, a nobis invisibiles hostes vincantur, qui a Sancto Paulo, ad Colossenses c. II, 15, dicitur : *Exspolians Principatus et Potestates.* Demum vero modum nos docet idem Sanctus, quo insultus dæmonis vincere ejusque insidias et technas deridere valeamus; consistitque hic modus in eo præcipue ut vincamus nosmetipsos. Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis invisibiles Potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates, et ideo,

qui in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est, ut in nobis ipsis vincamus et illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. S. Aug. c. i, *de Agone Christ.*

Idem alibi de tentatione dæmonis disserens, in tantum illam contra nos prævalere posse dicit, in quantum effrenes concupiscentiæ prævalent et prædominantur in nobis ; quibus tamen, inquit, nisi ille, qui tentatur, dederit locum, inanis tentatio et irridenda repellitur. Unde Apostolus monet dicens : « Nolite locum dare Diabolo. « Quonam vero modo ei locus detur, aut recipiatur, mox explicat, dum ait : Dant autem homines locum Diabolo ex concupiscentiis suis. Non enim vident homines Diabolum, cum quo pugnant, sed facile habent remedium : seipsos interius vincant, et de illo foris triumphant. Idem, s. lxxii, *de Temp.*

Nosse debet, quod S. Bruno sapienter advertit, dicens : « Diabolus nullum jus habet in humana natura ; Deus, et non Diabolus, hominem fecit. » Dei itaque juris est homo, ipse debet regnare in nobis, ipse debet possidere membra nostra. Verumtamen quænam est causa, quod monstrum illud infernale, hoc non obstante, toties adversum nos prævaleat ? Audite ad hoc respondentem eumdem Sanctum, dicit enim : Apostolus ait : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. » Dum enim nos propriæ concupiscentiæ nostræ subjicimur, nostrisque sensibus prompte obedimus, quid aliud facimus, quam quod Dæmoni, ut adversum nos prævalere possit, arma offensiva validissima subministremus ? Et quidem notandum est, quod S. Paulus, postquam dixisset : « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus ; » statim immediate subjungat : « Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. » S. Bruno, c. iv, *de Orn. Eccl.*

Circa quem textum S. Ambros. ait : Ostendit Diabolum nostris nos jaculis impugnare; occasio datur illi per peccata nostra, ut, deserente nos Deo, accepta potestate illudat et mortificet nos. Ideo membra nostra ab omni opere iniquitatis continere debemus, ut inimicus noster inermis inventus subjiciatur. S. Ambr. c. v *ad Gal.*

Nosse debet quod S. Augustinus docuit, nempe *internas animi cogitationes Diabolum non videre*, certi sumus, sed ex motibus eas corporis, ab illo, et affectionum indiciis colligi, experimento didicimus ; secreta autem cordis solus ille novit, ad quem dicitur : Tu solus nosti corda filiorum hominum. Non omnes malæ cogitationes nostræ semper Diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motibus emergunt. S. Aug. l. *de Eccl. Dogm.*

Quod etiam confirmat Didacus Stella dicens : Observa, Diabolum nihil penitus ab intellectu, aut voluntate nostra eripere posse, quia operatio Dæmonis non potest pertingere directe usque ad substantiam animæ nostræ ; solus Deus, qui animæ nostræ illabitur, et in illa vere est, potest in ea operari. Et ideo, etiamsi Deus permitteret Diabolo facere, quod posset, tollere aliquid de intellectu nostro, aut voluntate nostra non potest, potest tamen operari circa phantasmata, indirecte et mediate, immitens impias cogitationes. Did. stella c. viii *Luc.*

Nosse debet doctrinam pernecessariam a V. Beda traditam, dum ait : « Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddidit, repente rediens inopinato irrumpat. » V. Beda in c. xi *Luc.*

Nunquam enim, teste S. Climaco, Dæmones nobiscum belli faciunt inducias ; quando enim relaxatio fuerit, remittunt, seu dimittunt (in speciem), pugnam, ut contempto periculo, tamquam in securo jam tranquillitatis portu constituti, idem quovis tempore audeamus. S. Clim. grad. xv.

Id quod Didacus Stella similitudine navis confirmat, dicens : Majus periculum patitur navis eo tempore, quo mare est tranquillum, quam tempore tempestatis. Assignatque rationem, quæ idipsum evidenter convincit : Nam tempestatis tempore, inquit, multa sunt remedia, nullum autem tempore tranquillitatis. Maxima omnium tentationum est, nullam pati tentationem. Concludit proinde salutari documento : Quando viceris, tunc timidior debes esse et expergefactus; nam iterum redit Dæmon præliaturus ; tecum multoties contingit (utpote sagacissimus est) ut se sinat vinci, ut postea melius vincat, ut facere solent, qui alearum et taxillorum ludum exercent ; qui fingunt se perdere et parvam pecuniæ quantitatem amittunt, ut postea majori lucro adversarium capiant. Did. stella in c. iv *Luc.*

Hinc recte S. Ecclesia de S. Antonio ait : Nec vero frequens de Satana triumphus securum reddebat Antonium, qui Diaboli innumerabiles artes nocendi noverat. Eccl. *in Lect. de S. Anton.* Et S. Athanasius ait : Sed neque Antonio securitatem dedit hic triumphus, nec Diabolo semel fracto defecere vires. S. Ath. *in Vita.* Quia, ut S. Gregorius ait, antiquus hostis, quo valentius vincitur, eo ad insidias ardentius instigatur. Et quidem notandum est, quod tam Ecclesia in Lectionibus de S. Antonio, quam S. Athanasius in vita ejus, de triumpho ejus loquantur, non de victoria, quia hæc est inter hanc et illum differentia, quod triumphus inimicum adeo prostratum et dejectum esse supponat, ut jam deinceps resurgere amplius nequeat ; ac proinde, tametsi S. Antonius moraliter quasi certus esset, quod per efficacissimum, quod ei semper præsto erat divinum auxilium Diabolo superior futurus esset, numquam exinde sibi securitatem omnimodam promisit, sed in continuo timore vixit. S. Greg. l. V, *Mor.* c. viii.

Nosse debet *illusiones Dæmonis*, de quibus Richardus a S. Victore sic loquitur : Illud omnes in communi cognovimus, quod unum sit omnium Dæmonum, assiduumque negotium, famulos Dei infestare, eorumque impugnationi insistere, subversionique continuo invigilare. Quis illud nesciat, quod in hora meridiana esse solet et claritas major, et calor ferventior ? Quasi ergo cum summa luce et fervore Dæmones ad nos veniunt, quando fraudis suæ nequitiam dissimulantes, sub sanctitatis specie ad perversitatem nos pertrahere student et satagunt. Lux ad discretionem, et calor pertinet ad devotionem. Cum luce ergo et claritate ad nos veniunt Dæmones, quando in eo, quod fraudulenter suggerunt, non modo discrete, verum etiam devote acturos nos esse promittunt, et persuadere contendunt.

Nosse debet, *quomodo malus Spiritus a bono discerni queat;* quod S. Thomas sequentibus verbis docet : In hoc cognosci potest, quod Diabolus sit, quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, et perseverat in eis, sed malus in principio quidem prætendit bona, sed postmodum volens explere desiderium suum, et quod intendit, scilicet decipere, inducit et instigat ad mala. Aliud etiam signum est quod bonus Angelus, etsi terreat in principio, tamen statim consolatur, et confortat. S. Thom. *in* II *Cor.* c. xii.

Nosse debet *non plus posse Dæmonem quam Deus permittat*, uti recte S. Augustinus notavit dicens : Multi dicunt : Quare tantam potestatem Diabolus accepit, ut dominaretur in hoc sæculo, et tantum valeat, et tantum possit? Sed respondet S. Augustinus. Quantum valeat? Quantum potest? Nisi permissus, nihil potest. Tu sic age, ne permittatur in te, aut si permissus fuerit ad tentandum, victus abscedat, et non possideat. Idem quoque alibi de ejus potentia disserens ait : Habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non, nisi quæ datur, vel ad subvertenda ac perdenda vasa iræ, vel ad humilianda sive probanda vasa misericordiæ. S. Aug. *in Ps.* 103.

Et confirmans idipsum Sanctus Bonaventura : Diabolus, ait, habet semper voluntatem nocendi, quia hanc habet a semetipso, sed potestatem nocendi non semper, nisi quantum, et quando permittitur a Deo justo modo ; unde non est potestas, nisi a Deo. S. Bonav. *in* c. iv. *Luc.*

Et ideo Sanctus Petrus ait : « Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ? » I. Pet. iii. 13.

Sed et Sanctus Isidorus calculo suo hanc doctrinam firmans : Non amplius, ait, tentat electos Diabolus, quam Dei voluntas permittit ; tentando autem, Sanctorum profectibus servit. Etsi nolens, utilitati tamen Sanctorum servit diabolus, quando eos tentationibus suis non dejicit, sed potius erudit ; nam tentationes, quas ille ad humanum interitum movet, interdum Spiritus Sanctus ad exercitium virtutum salubri utilitate convertit. S. Isid. l. III. *Sent.* t. V.

Nosse debet, *cur bonis potius, quam malis hominibus insidietur Dæmon ;* cujus rationem apta similitudine ostendit. S. Chrysostomus dicens : Quemadmodum piratæ qui mare navigiis infestant, non tum ubi conspexerint naves e portu exeuntes, invadunt. Quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent ? Sed ubi redierit onusta, tunc omnes expediunt artes ; ita sceleratus ille Dæmon simul atque videt aliquos multa collegisse, videlicet jejunia, preces, eleemosynas, castitatem, reliquasque virtutes omnes, ubi videt, navigium nostrum esse plenum pretiosis pietatis lapidibus, tum irrumpit, undique thesaurum perfodiens, ut in ipsis portus ostiis

scapham demergat. Mansi aliam similitudinem ex stellis adducit; sicut enim stella eclipseos deliquium patiens, exiguum quidem damnum adfert, attamen dum sol obscuratur, omnes quoque alii planetæ obtenebrantur, et universa terra velut obscura quadam nocte obducitur; ita quoque, dum homo aliquis mediocris conditionis in peccata labitur, casus illius tanti non estimatur; at vero si homo aliquis exemplaris, v. g. Religiosus in peccata corruat (*Vos estis lux mundi*) scandalum inde publicum protinus consurgit. S. Chrys. tom. III. *de Verb. Isaiæ.*

Hinc S. Gregorius ait. Quisquis accingi in divino servitio properat, quid aliud quam se contra antiqui adversarii certamen parat, ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyranno in captivitate serviebat? S. Greg. l. IV, *Mor.* c. xxi.

Similiter Rupertus, Abbas Tuitiensis, nos monet, ut, dum in servitio Dei majori quiete fruimur, majus ab inimico prælium, certamen crudelius præstolemur. Ubi serviendi Deo major quies, ibi major exhibeatur necesse est virium colluctatio; quia et ibi nusquam deerit fraudulenta oblectamentorum persuasio. Idipsum ex exemplo Israelitarum colligere licet, quos Ægyptii tunc dure tractare cœperunt, quando suum ex Ægypto meditabantur discessum; ut hinc disceremus (siquidem omnia in figura contingebant) quod quando de mundo deserendo deliberamus, tunc Dæmones in perniciem nostram vel maxime conjurent, ne ex Ægypto sæculi hujus recedamus, ne per amicam Deo quietem terram Ægyptiacam deserentes, ad eremum virtutum salubriter transeamus. Rupert. l. III *in Matth.* c. iv.

Nosse debet, *Diabolum per solum peccatum nocere hominibus posse*, uti recte S. Augustinus notavit dicens: Quadam justitia Dei in potestatem Diaboli traditum est genus humanum, peccato primi hominis, in omnes utriusque sexus commixtione nascentes originaliter transeunte, et parentum primorum debito universos posteros obligante. Hinc tam charum habet Diabolus thesaurum conscientiæ malæ, ut omnia quæcumque in mundo sunt, præter illud pro nihilo spernat. S. Aug. l. xiii, *de SS. Trin.* c. x.

Nosse debet, quod Josephus Mansi prudenter monuit dicens: Porro, *ut nos in tentationibus patrocinio et defensione Dei dignos et capaces reddamus, necessum est, ut ex parte nostra vitiis et malis inclinationibus nostris resistamus, refrenemus sensus nostros, et peccata execremur.* In *Vitis Patrum* de quodam legimus, qui, cum a carnali concupiscentia vehementer tentaretur, cuidam sancto Eremitæ se recommendavit, rogando eum, ut suas ad Deum efficaces pro salute animæ ejus preces effunderet; id quod præfatus Eremita cum omni animi ardore sæpius præstitit, sed absque ullo viri tentati profectu; cumque hic Dei servus cassum precum suarum eventum vehementer admiraretur, revelatum ei fuit, illum, pro quo Deum rogaverat, divinam assistentiam minime mereri, eo quod tentationis occasiones non submoveret, sed potius per continuas cogitationes malas foveret, magisque solidaret. Quam revelationem tentato aperuit, qui sublatis omnibus peccandi periculis, macerationi corporis et sensuum assiduæ custodiæ totus deditus esse cœpit, et tentatio cessavit.

« Non ergo regnet peccatum, inquit Apostolus, in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. » *Rom.* vi, 12.

Circa quæ verba S. Chrysologus ait: Non dixit: non provocet, non titillet; sed, non regnet, non dominetur, confligat ad vincentis gloriam, dimicet et decidat ad triumphum victoris, et tandem se doleat impio peccati dominatu a servis quondam suis tota securitate calcari. S. Chrys. ser. cxiii.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — In S. Matthæo duo leguntur a Dæmone fuisse obsessi, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Sed quænam aut qualis hæc via erat? Quantum ad mysterium, via hæc alia esse non poterat, quam illa, de qua Filius Dei Salvator noster ait: « *Ego sum via, veritas et vita.* » Dæmones enim viam hanc multifariam impediunt, et difficilem ac arduam esse, vel apparere faciunt. Unde D. Chrysol. ait: Videtis, quia Dæmones venientibus ad Christum præcluserant, viam. Est Dæmonum ista cura, ne ad Deum possint homines reditum invenire, non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab Auctoris sui societate subducant.

Hinc est, quod Christus factus est via, ut ad viam per viam, ad Deum per Deum venientibus obsistere vis Dæmonum non valeret. S. Chrys. ser. vi.

Deus quidem ad Paradisi terrestris custodiam Cherubinum statuit, qui gladio igneo versatili protoparentes nostros ab illius ingressu arceret, sed non ille solus est, qui nos a Paradisi aditu impedit. Quis enim non videt, et in se experitur, quod et alius quidem Angelus, pariter Cherubinus, sed rebellis Deo et refractarius, odio et invidia armatus, ad fores Paradisi cœlestis consistat, ut nobis omnibus, quoad potest, aditum regni cœlestis impediat? Id quod Amos forsitan indicare voluit, dum ait : « Conteret vos, ab introitu Emat ; » ubi Sanctus Hieronymus ait : Septuaginta transtulerunt : « Conteret vos, ut non introeatis in Emath, » hoc est, muratam, quæ cœlestis est Jerusalem, in modum flammeæ illius rhomphææ, quæ ad custodiam Paradisi vertetur. A primis namque natalium nostrorum diebus, usque ad finem, nulli rei adeo studuit, nec aliud deinceps molietur, quam ut cœli aditum nobis intercludat. S. Hier. *in* c. vii *Amos.*

Apud S. Matthæum, cap. viii, duo dæmonaici e sepulchris egressi Salvatori nostro occurrunt, vociferantes : « Venisti huc, ante tempus, torquere nos? » Spiritus autem maligni suam e corporibus illis ejectionem prævidentes, petierunt a Christo, ut sibi porcorum corpora ingredi permitteret, quod et confestim obtinuerunt, qui proinde porcos in mare præcipiti cursu agentes submerserunt. Quod si ex me quæsieritis, cur Dæmones, cum sint Spiritus superbissimi, utpote qui e cœlis suam deducunt originem, in hæc spurcissima, fœtida et immunda animalia ingredi petierunt? Respondeo, quod ut anatomistæ referunt, inter omnia animalia nullum est homini, maxime quoad interiora, similius porco; ac proinde Dæmones ex quo ipsis a duobus hisce hominibus egrediendum esse noverant, hanc sejunctionem æquanimius ferre posse videbantur, si illis permitteretur intrare in porcos, ut illos submergerent; sic enim se aliquale solatium habituros esse arbitrabantur, submergendo et suffocando illa animalia, quæ aliqua saltem ex parte similia homini esse noscuntur. Mansi, dis. ii, n. 3.

Apud Jobum, Spiritus Sanctus Dæmonem terram pedestri itinere circuire, non vero in equo eam obequitare asserit; ita enim Satanam loquentem introducit : « Circuivi terram, et perambulavi eam » At vero scitisne causam, cur Diabolus iter suum pedes, non vero eques perficere dicatur? Nimirum quia, sicut Christus ideo semper pedes itinera sua confecit, ut ad quemlibet gressum beneficentiæ suæ vestigia terris, quas circuibat, imprimeret, *pertransiit benefaciendo et sanando omnes;* ita quoque implacabilis hic inimicus noster, quacumque gradiebatur, in nostram perniciem, odii, malignitatis, fraudis, veneni, omniumque malorum vestigia post se impressa reliquit. Ubique relinquamus signa lætitiæ, dicebant mundani a dissoluti juvenes illi ; quod idem de Dæmone quoque dicere possumus, ubique relinquit signa malignitatis suæ. Ibid. n. 7.

Ex Evangelio S. Matthæi constat, quod, postquam seminato in agrum tritico, zizania demum superseminata fuere, dominus agri non sine causa dixerit : « Inimicus homo hoc fecit. » Quia vero per hunc perversum agricolam, qui zizania sic superseminavit tritico, Dæmon intelligitur, merito quærendum venit, cur Dæmon hominis nomine hoc loco exprimatur? Albertus Magnus ait : Dicitur inimicus homo hoc facere, quia Diabolus non facit, nisi in homine, et cum homine. Hugo Card. dicit, quod, sicut Scipio ob devictam et subjugatam sibi et Romano Imperio Africam *Africanus* appellatus fuit ; ita quoque Dæmon hominis nomen usurpare sibi possit, eo quod hominem devicerit, sibique subegerit; dicitur homo ab homine devicto, sicut Scipio Africanus ab Africa devicta. Ib. n. 11.

Quodnam, obsecro, in eo latet mysterium, quod Dæmon, versipellis ille omnigenarum fraudum artifex, Adamum, qui prima totius humani generis radix erat, præcipitare volens, non ipsum directe et immediate aggressus fuerit, sed prius tentaverit Evam? Pro resolutione sciendum est, quod, dum Adamus Evam juxta se positam primitus cerneret, hoc eam nomine appellaverit : « *Caro de carne mea; erunt duo in carne una.* » Ecce igitur tibi tunc patefactum mysterium. Nimirum ut exinde disceremus, quod Dæmon, ut per pravas suggestiones aliquem in animam nostram aditum habere possit, carnis nostræ subsidio semper uti soleat : *Nonne ex concupiscentiis vestris?* Quamobrem Evam tentaturus, illam non est aggressus per suggestionem internam, sed per tentationem exteriorem, serpentis sibi figuram assumendo, et familiares cum illa miscendo sermones; cum tamen, ut unusquisque in seipso

quotidie experitur, nobis numquam exterius per species visibiles appareat, sed interiori semper tentatione utatur. Idem, l. c. n. 8.

Salvator noster pulchre Satanæ fulguris nomen attribuit, dicens : « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. » Etenim, ipsamet experientia teste, videmus, quanto terrore fulgura fulminea viros fortissimos percellere soleant, quantaque damna terræ inferant, dum etiam turres munitissimas sæpe evertunt. Et quidem tametsi etiam terra de maximis ruinis, quas a fulgure recipit, lamentari vellet, fulgur utique in sui defensionem ipsammet terram, unicam sui causam esse, jure merito respondere posset; quia revera terra est, quæ vapores et exhalationes suas in mediam aeris regionem transmisit, quæ ibidem a frigore condensatæ, et intra nubes constrictæ, ac demum ex continuo motu accensæ, nubes disrumpunt, iisque ruptis natum inde fulgur cum ingenti fragore et strepitu, in eamdem terram, unde natum est, violentissime recidit. Et profecto idem quoque Dæmon jure merito dicere posset animæ, si contra ipsum lamentari vellet, quod ab ipso concussa, et ad ipsum usque perditionis barathrum protracta fuisset. Unde bella ? Nonne ex conpiscentiis vestris ? Hæ enim ei in cor ejus liberum patefecerunt aditum; hæ arma aliaque opportuna subsidia illi subministrarunt, adhærendo voluptatibus, lucris, et gloriæ mundanæ, quam is ei liberali manu offerebat, utpote quam omnium illorum avidam esse præcognoscebat. Dæmon quidem ante nos ligat, sibique adstringit, sed ligaminibus et vinculis talibus, quæ mire nobis placent, quæque in nobismetipsis invenit, aut vero a nobis accipit. Nam funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Et, ut S. Ephrem ait, ut, cum vinculis propriis oblectetur, perpetuo maneat in servitute, quamobrem jucunda cuique injicit vincula, ut in iis libentius conquiescat. Et ideo Sanctus Augustinus ait : Quis effugiet ? Laqueos posuit in divitiis, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno ; quæ omnia mire nobis placent, magnoque studio a nobis procurantur. Idem, dis. IV, n. 4.

Inclytus ille Hebræi exercitus dux Josue, civitatem Haï armis suis subjicere meditans, fugam simulavit, seque hostilis exercitus metu perculsum esse finxit, sed merum stratagema erat. Fugiemus et terga vertemus, donec persequentes ab urbe longius prorahantur ; putabunt nos fugere, sicut prius. Nobis fugientibus et illis persequentibus, consurgetis ex insidiis, et vastabitis civitatem. Quam historiam Didacus Stella ad propositum nostrum his verbis adaptat : Diabolus non recedit usque in finem non reversurus, sed usque ad certum tempus; fingit enim se fugere, sicut Josue, cum cepit civitatem Haï, sed revertitur ad tempus, ut fortius et aptius vincat. S. Fulgentius de hujus antiqui hostis militaribus machinis disserens ait: Tamquam diversis machinis, sic innumeris utitur argumentis, et cum certamine manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, ut vincat, ad hoc fugam simulat, ut persequentem missis post tergum sagittis occidat. DID. STELLA cap. IV *Luc.*

Regius Propheta David, qui in detegendis versipellis Dæmonis fraudibus magna experientia præditus fuit, specialiter a Deo se a Dæmonis meridiani fraudibus liberari postulavit : *Ab incursu et Dæmonio meridiano.* Verumtamen potius eum a Dæmonio nocturno timere debuisse videbatur, quia qui male agit, odit lucem, et peccata, quæ Dæmonis partus sunt, opera tenebrarum appellantur ; nec tamen verisimile est, Davidem hanc postulationem sine mysterio Deo proposuisse. Quapropter S. Bernardus in sermone quodam super Cantica ad verba hæc Psalmistæ congrue intelligenda sufficiens nobis lumen ministrat, dum ait : Tunc meridies, id est, major claritas apparet, cum quasi boni majoris imaginem præfert. Quoties, v. gr. suggessit anticipare vigilias, quo ad solemnia fratrum illuderet dormitanti ? Quoties producit jejunia, ut divinis officiis co inutilem redderet, quo imbecillem ?

In cap. II, libri primi Regum legitur, quod, cum Naas Ammonites adversum Jabes Galaad bellum instituisset, hic vero populus ab eo in fœdus admitti suppliciter postularet, Naas superbo elatoque animo ei responderit : In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. Ex qua historia S. Petrus Damianus aptissimum proposito nostro eruit mysterium. Etenim Naas, utpote filius Dæmonis, qui Creatori suo factus est rebellis, Galaaditis nequaquam ambos oculos erui postulat, sed ut est sagacissimus, sufficere sibi dicit, si unus dumtaxat, isque dexter eruatur singulis ; at vero qua de causa id eum petivisse existimatis ? Quia sæpe malignus hostis, consentienti sibi cuilibet reprobo homini potiorem

partem sanctitatis ac lucidi operis adimit, minorem vero artificiosa quadam suæ calliditatis industria derelinquit; ut in eo, quod tollitur, sit occasio damnationis, ut pereat; in eo vero, quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur, ut peccator ad pœnitentiam non recurrat. Oculum porro sinistrum nobis relinquit contentus si dexter nobis oculus erutus fuerit, quia certas quasdam devotiones exteriores, orationes vocales, jejunia, peregrinationes sacras, eleemosynas, sanctorum Advocatorum invocationes, et alias similes, quibus nos in conspectu hujus mundi homines virtuosos secundum exteriorem apparentiam probamus, et in quibus salutem nostram in tuto positam esse confidimus, haud gravate nobis permittit, dummodo gratiam et amicitiam Dei veluti oculum dextrum nobis interimat et extinguat: sic enim fama in nobis salva manet, et tamen in abscondito et conspectu Dei amor lascivus, vel odium mortale, aut lucrum injustum in suo vigore perseverant, quæ ad hominem æternaliter damnandum abunde sufficiunt, Mansi, *dis.* VIII, n. 7.

Nota est illa de ericio fabula, qui serotino tempore ad vulpis foveam accedens, minimum quemdam antri sui angulum sibi in noctis illius hospitium indulgeri poposcit. Quo obtento, ingressus antrum, paulatim membra sua extendere et melioris quietis causa dilatare cœpit, adeo ut pungentes spinæ, quibus ericius armorum loco toto corpore obsitus est, vulpem magis magisque stringentes, eamdem antrum suum deserere, et ericio in habitationem relinquere coegit. Eadem quoque est antiqui serpentis astutia, qui modicum in cor et animam nostram aditum postulat, et paulatim usque ad totius possessionem sese dilatat; ac proinde cauti estote. Nolite locum dare Diabolo. Secus enim, comminatur nobis Deus per Isaiam : « Ponam eam in possessionem ericii. » Porro Diabolus primitus sub specie boni, vel sub pallio devotionis, cor nostrum ingreditur, idque adeo subtiliter, ut fraus et dolus in principio etiam a viris spiritualis vitæ peritis notari vix possit ; at vero, postquam per cordis nostri ostium ingressus est, tandem per omnem malignitatem suam paulatim extenditur, adeo ut paulatim puncturæ et remorsus conscientiam cruciantes, in animæ sinu non sine dolore percipiantur. Idem, *dis.* VIII, ar. 22.

S. Lucas Spiritum nobis malignum velut per loca arida ambulantem representat, dum ait : « Ambulat per loca inaquosa. » Quidnam hic subest mysterii in eo, quod, cum Dæmon purus sit Spiritus, specialiter tamen in locis aridis et inaquosis eum morari, et obambulare delectet ? Sed facilis est responsio : Loca enim sterilia et arida, inaquosa et inculta, solitudines et deserta significant, in quibus servi Dei latentes asperrimam agunt pœnitentiam, qui proinde in hisce locis magis quam in quovis alio a Dæmone tentantur; sic enim Christum tentaturus non est agressus eum in Nazareth, vel in Capharnaum, nec in Jerusalem, sed expectavit, donec se recepisset in desertum. Præterquam quod S. Gregorius dicat : Loca arentia et inaquosa sunt corda justorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. S. Greg. lib. XXXIII *Mor.* c. III.

Singulariter notandum est, quale nam vel quod tempus Lucifer ex decursu 33 annorum vitæ Salvatoris elegerit, et exspectarit, ad congrediendum cum illo ? Eo præcipue tempore hoc prælium aggressus est, quando jam a S. Joanne Baptista baptizatus fuerat; quando super illo aperti fuerant cœli; quando vox Patris æterni audita fuerat, clamantis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui »; quando Spiritus Sanctus in specie columbæ, ad contestandam mundo ejus divinitatem, in ipsum descenderat ; quando se ad agendam asperrimam pœnitentiam in horridum subduxerat desertum, tunc accessit tentator. S. Ambrosius idipsum ex peculiari divinæ providentiæ dispositione factum fuisse censet, ut ostenderet nobis, Diabolum ad meliora tendentibus invidere, et tunc magis esse cavendum, ne mysterii gratiam deserat mentis infirmitas. S. Amb. l. IV *in Luc,* c. III.

S. Antonius Paduanus super illa verba Jobi : « Repente ventus vehemens irruit etc.» cap. I. 19. ita scribit : Ventus vehemens a regione deserti est repentina suggestio Diaboli, quæ aliquando ita fortiter ex improviso irruit, quod quatuor angulos domus, id est, quatuor principales virtutes animi viri justi, a fundamentis excutit, et aliquando in mortale peccatum eum corruere facit; et sic filii Job, id est, opera vel affectus viri justi, moriuntur. Quot enim sunt, qui antea, velut stellæ fixæ in firmamento cœli resplendentes, postea stellæ erraticæ facti, miserum passi sunt eclipseos deliquium !

Nec mirum, quia, ut Joannes de ruinis ab hoc dracone procuratis inquit : « Cauda trahebat tertiam partem stellarum. » S. ANTON. PAD. *Dom.* 2 *Advent.*

Salutaris proinde est consideratio illa S. Augustini dicentis : Videte, fratres, postquam de petra biberit, id est, Christi Sacramenta susceperit, necesse est illi, ad pugnam procedere. Tamdiu enim aliquis Diabolum contra se pugnantem non sentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Quisquis Christo conjungitur, non ad delicias, non ad voluptates, sed ad prælium præparatur. S. AUG. *ser.* 93.

In capite VII, l. 1. Regum scribitur, quod, quando Hebræi ad Deum se toto corde convertere decreverant, eoque fine orationibus, jejuniis, multisque aliis eis a Samuele impositis pœnitentiis completis, falsa Baal et Astaroth numina dejecerant, tunc, et non citius, ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad Israel, magnoque Israelitæ id intelligentes perculsi fuerunt timore. At vero quodnam in eo latere existimatis mysterium, quod satrapæ Philisthinorum eo præcipue tempore, quo Israelitæ non expoliendis armis, sed expurgandis æruginosis conscientiis occupati erant, quoque non tympanis pulsandis, aut insonandis tubis, sed ferventibus ad Deum orationibus fundendis dediti erant, super illos ex improviso irruerunt? Omnia in figura contingebant illis. Ac proinde S. Greg. ait : Ablatis diis alienis, peracto jejunio, ad Israel Philisthinorum principes ascendunt, quia cum altiore vita proficimus, maligni Spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt. Notat quoque idem sanctissimus Pontifex, quod non Philisthææ turbæ fæx promiscua, seu plebes, sed satrapæ et optimates Philisthinorum sese contra illos armarint; quia etiam contra Christi milites non quorumlibet malorum Spirituum, sed fortiorum Dæmonum prælia excitantur. S. GREG. *cit. loc.*

In quotidiana oratione Dominica post omnes sequentes petitiones : Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuam; fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra; panem nostrum quotidianum da nobis hodie; dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, tandem in fine hæc postulatio proponitur : *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Videri quidem non nemini posset, divinum adversus Dæmonem ejusque tentationes adjutorium in principio potius postulari debuisse, quam in fine; sed valde errat quisquis ita arguit; siquidem incarnata Sapientia hanc petitionem in fine prædictæ orationis provida cum sapientia statuit, quia eo ipso, quo nos Deo corde et voluntate arcte astrinximus, ipsumque per laudes et benedictiones devote adoramus, atque insuper pane ejus Eucharistico pasci, peccatorumque remissionem ab eo accipere desideramus, totus infernus quam maxime adversum nos armatur, atque ideo iis omnibus suppositis patrocinio cœlesti quam maxime indigemus; quia, ut Origenes ait : Illud est certaminis et pugnæ spiritualis initium; hinc tibi adversus Zabulum nascitur pugnæ principium. ORIGENES, *apud Mansi, dis.* XIX, n. 10.

S. Augustinus perquam consolatoriam doctrinam proposuit dicens : Diabolo potestas quædam est, plerumque tamen vult nocere, et non potest, quia potestas ista sub potestate est; nam si tantum posset nocere Diabolus, quantum vult, non aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Et paulo post, facultatem hanc, quam Deus illi ad tentandum indulget, ad bonum et utilitatem nostram spiritualem ordinatam esse ostendit, dum ait : Tantum permittitur illi tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, juxta illud Apostoli effatum : « Fidelis Deus est etc. » Ac tandem ad instructionem et consolationem nostram subjungit : Ergo potestas Dei est; non est enim potestas, nisi a Deo. Noli dicere : Et quare dat tantam potestatem, et non de potestate habet æquitatem ? Qui dat potestatem, habet æquitatem. S. AUG. *in Ps.* LXI.

Quando Persæ et Medi sub Cyro Babyloniam sunt demoliti, tali in eam tyrannide sunt debacchati, ut ne infantibus quidem perpercerint, ut, hac ratione, totam extirparent Babyloniorum progeniem. Porro idipsum nobis quoque idem Psalmista consulere voluisse videtur, dum ait : « Beatus, qui tenebit, et alidet parvulos suos! » nam S. Augustinus ibidem in Glossa ait : Beati, qui nascentes cupiditates, antequam robur accipiant, allidunt; sic enim facilius vincuntur. Sic quoque ad perniciosum serpentis semen extinguendum Deus ait : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; » semper enim primos motus, primasque ad peccatum suggestiones necare et opprimere oportet, quia hæ sunt semen

et maledicta stirps hujus serpentis. MANSI, dis. XVI, n. 4.

Nam, ut christiane ad propositum nostrum Seneca inquit : Non obtinebis, ut desinas, si incipere permiseris. Imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse concitat et vires, dum procedit. parat. SENEC. *ep.* CXVI.

Reges Chanaan adversus Gabaonitas, eo quod sine ullo cum ipsis communicato consilio cum Josue fœdus iniissent, exasperati, ad invicem copias suas conjunxerunt, ut de hac injuria vindictam sumerent. Et quidem Adonisedech omnibus aliis dixit : Ad me ascendite, et ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue et ad filios Israel. Quapropter Gabaonitæ sine mora legatos suos ad Josue expedientes, ab eodem necessarium poposcerunt subsidium; qui subito tanto cum animi ardore in favore Gabaonitarum adversus Reges Chanaan pugnavit, ut ad prosequendam imminentem victoriam solem cursum suum sistere jusserit : *Sol, contra Gabaon ne movearis* ! Quisquis igitur in periculis constitutus ad verum Josue Christum Jesum confugerit, multo majorem habendarum suppetiarum spem concipere poterit. Verum quidem est, quod, ut Glossa interlinearis ait : Qui Jesu expetit amicitias, multorum patietur inimicitias; propter hoc tamen nequaquam despondendum est animo, quia infallibiliter videbimus super nos Jesu Salvatoris et Redemptoris nostri auxilium. Unde Origenes optime considerat, quod Josue tunc præcipue a Moyse hoc nomine insignitus fuerit, quando illum contra Amalecitas animose pugnare conspexit : Usque ad hunc ocum, inquit Origenes, beati nominis Jesu numquam facta est mentio. Hic primum vocabuli illius splendor effulsit. ORIGEN. *in Jos.* X, 4.

In Isaia de Dæmone dicitur : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. » ISAIAS, XIV, 12. Porro unde nam pulcherrimi hujus Angeli rebellio processerit, S. Bonaventura his verbis exponit : Peccatum Luciferi fuit, quod se et privatum bonum dilexit, excæcatus, de altitudine habita præsumpsit, ac propriam excellentiam ambivit, quasi habiturus fuerit a se, non ab alio, et sine meritis habere voluit; Dei similitudinem concupivit, non causa imitationis, sed potestatis; subditos habere voluit, et nulli subjectus esse concupivit. Sicut enim stella, quæ solis est prodroma, et in latino *Lucifer* nominatur, omnes alias stellas splendore et pulchritudine antecellit; ita Spiritus hic rebellis inter reliquos Angelos erat. S. BONAV. *in Ps.* XCIII. Unde in Job de illo dicitur : « Ipse est principium viarum Dei. » JOB. XL, 14. Et in Ezechiele legitur : « In deliciis Paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. » EZECH. XXVIII, XIII et XXXI, 8. Et alibi in eodem Propheta dicitur : « Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei. » PSAL. CXXXVIII, 12. At vero quia propter suam superbiam prævaricatus est, hinc de ipso dici potest : Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus.

Alii hostes paulatim et cum tempore inimici esse desinunt, quia voluntas eorum tandem aliquando ad pacem disponitur et inclinatur; at vero Dæmon inflexibilis est, præterquam quod Job de illo dicat : « Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago ejus quasi laminæ ferreæ. » JOB. XL, 13. Ideo tametsi a nobis persæpe vincatur, numquam tamen animo suo despondere videtur. Unde non sine mysterio *Beelzebub*, id est, deus muscarum appellatur, quia hæ quanto frequentius abiguntur, tanto communiter importunius redeunt. MANSI, dis. II, n. 8.

DAMNUM. — Quando in medio salutaris seminis deprehensa sunt zizania, subito illa non ab alio seminatore sparsa fuisse didicerunt agricolæ, quam ab inimico et adversario : *Inimicus homo hoc fecit.* Circa quam parabolam idem D. Chrysologus in alio quodam sermone ait : Superseminavit zizania, ut quid? Ut periret Dominica messis. Sed hoc ad lucrum quid pertinebat inimici ? Quodnam ex hisce superseminatis zizaniis referebat emolumentum? Num forte per superseminata hæc zizania agrum ad suam utilitatem fecundandum esse credebat, aut messem propterea suam fertiliorem esse confidebat? Respondet Sanctus, aliud nihil ad hoc illum permovisse, nisi quod invidiæ Spiritus hominum damnum suum computat lucrum, et quod perierit hominibus, hoc se existimat acquisivisse. Verum enim vero, quod cunctis aliis deplorabilius est, inimicus homo zizania ista ex omni parte agri superseminavit. In Isaia hæc verba satis difficilia leguntur : « Super Leviathan serpentem vec-

tem. » Quæ Vatablus ita vertit : *Oblongum instar vectis*, additque : Vocat Leviathan serpentem oblongum, quod ditio Diaboli fere totum mundum occupet. S. CHRYS. ser. XCVII.

D. Chrysostomus ultima Dominicæ Orationis verba, scilicet : *Sed libera nos a malo*, exponens, dixit : Hoc est a Diabolo, qui totius mali auctor est et origo; Diabolus natura cœlestis fuit, nunc est nequitia spiritualis, ætate major sæculo, nocendi usu tritus, lædendi arte peritissimus; unde non jam malus, sed malum dicitur, a quo est omne, quod malum est.

DESPERATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est vitium, quo homo ex falsa existimatione de Dei omnipotentia et misericordia credit, eum non posse, aut non velle peccata remittere, atque adeo consecutionem æternæ beatitudinis sibi impossibilem esse. S. THOM. 2. 2. q. XX, art. 1.

DIVISIO. — Divitur hæc desperatio a Beirlinck in tres species, videlicet, in desperationem beatitudinis consequendæ, remissionis peccatorum obtinendæ, et damnationis æternæ vitandæ.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — An ignoras, quod periculosa sit desperatio? II REG. c. I.

Quasi in profundissimum infernum descendent omnia mea; putasne saltem ibi erit requies mihi? JOB. c. XVII.

Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari? JER. c. XV.

Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. Ib. c. XX.

Super hoc plangam et ululabo, quia desperata est plaga ejus. MICH. c. III.

Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium. JOB. c. XV.

DAMNUM. — Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit; sed sequitur eum ignominia et opprobrium. PROV. c. XVIII.

Desperavimus; post cogitationes nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. Ad EPHES. c. IV.

Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. ECCL. c. XIV.

Felix, qui non habuit cordis sui tristitiam, et non excidit spe sua!

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

FUGA. — Latro agnovit, Petrus negavit. In Petro demonstratur quemque justum non de se præsumere, in latrone nullum impium debere diffidere conversum. Timeat ergo bonus, ne pereat per superbiam, et malus non desperet per multam malitiam. S. AUG. *in lib. de Symb.*

Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum præmia divina desperet; novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Idem, ser. VI.

Nullus desperet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam convertatur; unumquemque enim Deus de suo fine, non de vita præterita judicat. S. ISID. *de Summo Bono.*

Incumbit, id est, innititur virtuti sæculi, qui desperat de adjutorio Dei. S. AMBROS. *super Marc.*

In vita hominis finis quærendus est, quoniam Deus non respicit quales antea viximus; sed quales circa finem vitæ fuerimus. S. ISID. l. c.

Nemo desperet; Judam traditorem non tam scelus quod commisit, quam indulgentiæ desperatio, fecit penitus interire. S. AUG. l. *de Util. Pœnit.*

Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus; rursus, ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. Ibidem.

Nolo mihi dicas : Blasphemus sum. Nolo dicas : Persecutor sum, immundus sum. Habes omnium ostensiones. Vis in novo, vis in veteri? In veteri David, in novo Paulus. Nolo excusationes mihi afferas. Nolo ignaviam prætendas. Peccasti? Pœnitere. Millies peccasti? Millies pœnitere. Hæc assidue infundo medicamenta, etc. Si lapsus es, poteris surgere. In utramvis partem habes liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam, dum vivis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam, si dici potest, animam efflans, ut jam de hoc mundo exeas. Non

impeditur temporis angustia misericordia Dei. Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? Tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet. S. Chrys. *in Ps.* L, hom. 3.

Si peccata et magnitudine et numero possunt definiri, miserationes autem Dei neque magnitudine, neque numero possunt circumscribi; sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, et commissa peccata detestanda. Idem, *in Procem. in Isaia.*

Numquam sera est conversio. Latro de cruce transiit ad Paradisum. Nabuchodonosor, Rex Babylonis, post efferationem corporis et cordis, mentem recepit humanam. S. Hier. *Epist.* 7.

Forte cogitat aliquis, tam gravia se admisisse peccata ut jam Dei misericordiam promereri non possit; absit hoc a sensibus omnium peccatorum. O homo, quicumque illam peccatorum multitudinem attendis, cur et omnipotentiam cœlestis medici non attendis? Cum enim Deus velit misereri, quia bonus est, et possit, quia omnipotens est; ipse contra se divinæ bonitatis januam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit. S. Aug. s. 58. *de Temp.*

Numquam Deus spernit pœnitentiam, si ei simpliciter et sincere offeratur, suscipit, libenter accipit, amplectitur omnia, quatenus eum ad priorem statum revocet. Et infra; Donec sumus in hac vita, quantacumque nobis acciderint peccata, possibile est, omnia ablui per pœnitentiam. Idem, ser. 181 *de Temp.* c. xvi.

In eodem articulo temporis, cum jam anima festinat ad exitum, et egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur; nec serum est, quod verum; nec irremissibile, quod voluntarium, et quæcumque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit a venia, sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit revertentes, et (velit, nolit, Novatus hæreticus) omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. S. Cypr. s. *de Cœna. Dom.*

Misericordiæ Domini Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio. S. Leo, *apud Pædag. Christ.*

Damnum.—Qui de venia peccatorum desperat, negat Deum esse misericordem. Et magnam injuriam Deo facit, qui de misericordia ejus diffidit. S. Chrysost. hom. iii, *de Pœnit.*

Illius æternæ civitatis januas nobis desperatio claudit, spes aperit, fiducia latum præbet ingressum. S. Isid. l. II *de Summo Bono.*

Desperatio certa mors. est

Desperatio homicida est animæ.

EXEMPLA SACRA.

Desperatio punita.

Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Hinc a facie Dei ejectus, profugus super terram, vitam in perpetuo timore transegit. Gen. c. iv.

Judas, postquam Christum triginta argenteis vendidisset, pœnitentia ductus retulit pecuniam, et abiens laqueo se suspendit; suspensusque crepuit medius.

In Imperiali civitate Lubecensi quædam venerabilis matrona atque consulis uxor erat, quæ uno partu tres filios fudit, quorum unus elephantino morbo percussus fuit; alter submersus est; tertius vero de quo nobis est sermo, propria manu peremptus est. Sed quo ordine, quove modo, quo item merito hoc factum sit, ego, qui ipsum, similiter et germanos suos, et omnem parentelam optime novi, brevius atque succinctius, quam potero, intimabo, ut hujus exemplo juvenes florentis juventæ ætate conspicui, et facile in quamcumque partem flexibiles discant, et parentibus debitam venerationem impendere, et suæ lasciviæ indomitam concupiscentiam refrenare. Discant iterum, et iterum discant, feminarum devitare consortia, cum nec rubeus in sanguine bellicus ensis tot milites straverit, quot pudibundos juvenes puellarum consortia prostituere. Hæc sanctissimum David polluerunt, hæc sapientiæ vastum sacrarium Salomonem infatuaverunt, hæc robustissimos Samsonis lacertos vicerunt, ut evidens daretur argumentum posteris, nullam sanctitatem, nullam sapientiam, nullum robur sive potentiam inter feminarum consortia indemnes remanere. O utinam nunc mihi concederetur, in tam sublimis altitudinis montem

conscendere, ubi omnem adolescentum virgineam multitudinem me audire contingeret, quam altis vocibus proclamarem : O vos omnes adolescentes, qui transitis per viam, attendite, et timete, ne hæc feminei decoris profundissima vorago vos sorbeat! Quis scit, si vel unum ex illis hoc valido clamore cautum, ne in tam vastam, quam iste, de quo dicturus sum, perditionis charybdim laberetur? Sed ne ante historiam diffluamus, nunc res est inchoanda. Erat iste tertius juvenis (de quo super narrationem incepimus) elegans forma, decorus facie, ingenio acer, veste pretiosus, dives rebus ; sed amore feminarum nimis effusus. Unde post stupra virginum, post multos abusus scortantium meretricum, tandem impegit in unam earum, quæ forma vincere dicebatur omnem pulchritudinem Lubecensium puellarum. Et hæc tam forti amoris vinculo ligatum miserum in sua duxit castra captivum, ut nec perditio familiarium rerum, nec refractæ libidine vires membrorum, nec timor Dei, nec gehennæ terror, nec honestas publica, nec amicorum correptio privata eum ab infausto meretricis concubitu valuerint separare. Qua ex re factum est, ut omnibus consumptis, atque cum meretrice ista distractis, rebus necessariis inciperet indigere. Quod ubi vidit mater, nam pater defunctus erat, quando ista agebantur, filium videlicet suum indignam natalibus incurrisse pauperiem, commotis super eo visceribus charitatis, quia pia erat, semel, bis, ter, iterum atque iterum non modicam pecuniarum summam indigenti donavit, monuitque cum lacrymis, ut Dei memor, generis item et honoris, atque etiam salutis suæ, meretricem desereret, atque de cætero lasciviæ suæ impetus virili animo cohiberet. Sed heu! fulsere cœco lumina, surdo cecinit philomela. Non enim potuit chalybeas illas amoris habenas dirumpere, quibus tenebatur feminæ alligatus, et dura damnatione captivus. Tandem cum videret mater, quidquid filio tribueret, in usus cedere meretricis, et nihilominus dulcis pignoris sui animum, nec ære, nec prece posse revocari, cor obduravit, clausit manus, nihil tribuit paupertate gravato. Satius enim duxit, filium unum et solum egere, quam ipsam simul cum filio indigere. Videns igitur adolescens, cum facie simul et animum matris circa se esse mutatum, nec agi res sicuti heri et nudius tertius, egestatis et meretricis malis consiliis usus, non semel aut bis, sed pluries aut multis vicibus nudato ense in matrem irruit (horreo dicere) sub pedibus stravit. Minabatur item, se colla scissurum, nisi ocius data pecunia durissimæ suæ necessitati succurreret. Mater vero sub filii, velut sub acerbi hostis gladio intremuit, astricta tam insperato periculo, invita licet, quidquid tamen exigebatur, donavit. Nulli tamen parricidæ sobolis suæ audaciam, atque crudelitatem audebat indicare, verita, ne forte, si primores civitatis, quorum in judicandis criminosis rigida æquitas orbi nostro patet, rem, ut facta erat, perciperent, etiam in filium suum gravissimæ improbitatis reum severam vellent sententiam fulminare. Tacuit ergo, et silentio quam arctissmo potuit, quæ circa eam per filium agebantur, celavit, sed repente (nescio, quo proditore) tanti facinoris fama per omnium aures ferebatur, quo circa convenerunt amici, et communicato invicem consilio, juveni sub interminatione vitæ suæ, ne matrem suam, de cætero ense terreret, præceperunt. At ipse coercitus atque confusus rigoroso mandato, statim exiit domum matris, et in confusionem totius generis sui, cum ipsa meretrice in publico lupanari deinceps habitare delegit, ubi post consumptas sericas vestes, post famem, post sitim, post indigentias multas, mœstus et desolatus, gravissimas primum febres, dehinc desperationem acerbam incurrit, quibus per dierum vices crescentibus, cum molem miseriæ suæ diutius ferre non posset, morte exosis rebus terminum imponendum æstimavit. Verum ne quis hujus tragœdiæ exitialem effectum impediret, excogitata causa, feminam, se amplius vivum non visuram, quopiam destinavit, qua egressa, cum solus et absque arbitris miser domi remansisset, arrepto e coquina cultro processit in hortum, et in omne latus vagum lumen circumferens, cum nullum videret se prohibere potentem, dissutis vestibus, pallidum morbo pectus nudavit, et defixo ad ligneam horti maceriam fine manubrii, ne scilicet vi ruinæ cederet, tanto impetu se in cultelli exasperatam atque obviam aciem egit, ut firmissimo pectoris osse transfosso, ferrum universis pertransitis, etiam dorsi spinam, quæ e regione erat, violaret. Tali igitur vulnere saucius corruit in terram, et profluentem sanguinem cernens, vehementiori cœpit furia agitari, quod in tanto cruoris profluvio atque inter tam acerbas angustias

exosum sibi spiritum non valeret exturbare. Pavenda res! videres eum fixum adhuc in pectore cultrum, quantum ex certis signis in funere patuit, violenter in gyrum agitare, lacerare viscera, et scelestum animum in manum Dæmonum non tam emittere, quam fugare. Rediit, his patratis, domum infelix femina, et cum in horto videret dulcem amasium suum in mortem propriis manibus corruisse, intremuit, palluit, et in terram decidit. Tandem resumpto spiritu, cum ad se esset reversa, importunis clamoribus totam viciniam convocavit, omnibus per ostia intrantibus, infusa lacrymis, rem, ut erat gesta, enarravit. Et sic per totam civitatem de morte juvenis flebilis fama ferebatur. O quam vehemens angustia cor illud maternum comprehendit, fodit, laceravit in ea hora, qua sibi a narrantibus dicebatur : Veni, mulier, vide filium tuum, jacet enim in horto prostratus, et spiritus ejus non est in eo. Ipse se ferro fodit, ipse suum sanguinem fudit, ipse nunc in te exhibitæ credulitatis supplicia pendit. Cerneres proculdubio ad tantæ tragœdiæ nuntium, matrem quasi leænam raptis catulis, irrugire, pallescere ora, totum corpus intremere, ad locum facinoris non tam modeste ire, quam insolenter currere; quo cum venisset, et vidisset inter corruscos rosarum flores, et albescentia lilia cruore rubicundum, sed morte pallidum dulce pignus, tantæ miseriæ onus non ferens, repente in terram corruit, et quasi una cum filio moritura expalluit. Flebant omnes, qui istis intererant, sed ipsa præ nimia mentis angustia flere non potuit. Tandem tamen paululum resumpto spiritu lacrymari uberrime cœpit, et madidis oculis in meretricem reflexis : O mulier, inquit, quid fecisti? Maledicta sit pulchritudo tua, quæ si generosæ prolis meæ antea animum non fodisset, hodie horribile ferrum illud ejus pectus non intravisset. Væ igitur tibi, quæ hujus miseriæ causam tribuisti! His igitur similibusque verbis astantem populum in fletus concitavit. Postera igitur die convenerunt amici, et multa summa obtenta a judicibus licentia, ut miserum funus sepeliri potuisset (nam secundum leges flammis dari debuerat) in profanum cœmeterium, quod a parte aquilonari Cathedralis Ecclesiæ situm est, sub Tilia, quæ venientibus per forum equorum videtur, infelicem glebam illam terræ tribuerunt. Ubi cum per solam et unam noctem sepultus jacuisset, tantum in crastinum tumuli terra videbatur concidisse, ut ex hoc nonnulli conjicerent, dæmones, qui animam tulerant, etiam corpus abstulisse. Sed quia hoc probatum non habeo, temerarie hoc affirmo, licet ipse viderim sepulchri congestam arenam, quæ tempore humationis reliquæ terræ eminentior relinquebatur, in crastinum usque adeo decidisse, ut vix si quis ibi sepultus esset, posset agnosci. *Spec. Exempl. v. Desperatio ex.* IX.

Eo tempore quo magister Joannes Xantensis scolasticus et magister Oliverus Coloniensis scolasticus, crucem contra Saracenos prædicabant in diœcesi Trajectensi, erat ibi quidam rusticus, si bene memini, nomine Godeschalcus, opere usurarius; iste cum cæteris non ex devotione, ut postea patuit, sed ex circumstantium importuna admonitione crucem suscepit. Cumque dispensatores ex mandato Innocentii Papæ pecuniam redemptionis colligerent a senibus, pauperibus et infirmis, idem usurarius se pauperem mentiens, cuidam dispensatori circa summam quinque talentorum dedit, talique dolo Sacerdotem circumvenit. Tristati sunt postea vicini ejus, quod dedisse potuisset quadraginta marchas, nec tamen exhæredasset liberos suos, quod ipse prætendebat. Deus autem, qui falli non potuit, ejus fallaciam postea terribiliter conclusit. Sedebat miser in tabernis Deum provocans, ejusque justitiam peregrinis exprobans in hunc modum : Vos, stolidi, mare transibitis, substantiam vestram expendetis, vitamque vestram multis periculis exponetis , ego vero cum uxore, liberis meis domi residens propter quinque marcas, quibus redemi crucem meam, similem vobis habebo mercedem. Sed justus Dominus, ut palam ostenderet, quantum placeret labor et expensæ peregrinantium, et quantum ejus oculis displiceret dolus, ac blasphemia detrahentis, hominem miserrimum tradidit Satanæ, ut disceret non blasphemare. Nocte quadam dormiente eo cum uxore sua in proprio molendino, domi suæ contiguo, motum quasi rotæ molentis audivit, clamansque ad puerum, dixit ei: Quis admisit in molendinum? Vade, vide, quis ibi sit? Ivit puer, et rediit. Nimio enim horrore percussus, procedere non potuit. Cui dominus : Dic, quis est ibi? Respondit : Tantus horror ad ostium molendini me invasit, ut compellerer redire. Et ille : Etiamsi Diabolus ibi sit, ego vadam, et

videbo. Injectaque toga scapulis, eo quod nudus esset, ad molendinum venit, ostium aperuit, introspexit, in quo horrendam visionem vidit. Stabant ibi equi duo nigerrimi, et vir quidam deformis ejusdem coloris juxta equos, qui dicebat ad rusticum : Festina, ascende equum istum, quia propter te adductus est. Expalluit iste, et contremuit, quia jubentis vocem minus libenter audivit. Cumque ad talem obedientiam imparatus esset, iterato clamat Diabolus : Quid tardas? Projice vestem, et veni. Erat autem crux, quam susceperat, eidem vesti assuta. Quid plura? Virtutem diabolicæ vocis per desperationem in corde suo sentiens, jam resistere non valens, vestem rejecit, in molendinum intravit, equum, imo Diabolum ascendit. Ascendit et Diabolus equum alterum, et sub multa celeritate simul deducti sunt ad diversa loca pœnarum, in quibus homo miser patrem et matrem miserabiliter vidit, aliosque plurimos, quos defunctos ignoravit. Ostensa est ei in eisdem locis ignea sedes, in qua nulla potuit esse quies, sed sessio pœnalis, et pœna interminabilis, dictumque est ei : Modo reverteris in domum tuam, post tres autem dies exuto corpore reverteris in locum tuum, et mercedem tuam accipies in sede ista. Mox a Dæmone reductus, et in molendino depositus, pene exanimis relictus est. Inventus ibi ab uxore et familia, atque in lectum deportatus, cum requireretur, ubi esset, unde veniret, respondit : Ad loca infernalia ductus fui, hæc atque hæc, ibidem vidi. Ostendit mihi in eisdem locis ductor meus sedem unam, et dixit, quia mihi foret præparata, et quia post tres dies recepturus essem mercedem meam in ea. Vocatus est sub celeritate Sacerdos, et rogatus ab uxore, ut pusillanimem confortaret, desperatum erigeret, et ad ea, quæ sunt salutis, hortaretur. Quem cum Sacerdos admoneret, ut contritionem haberet de peccatis suis, et ut puram faceret confessionem, dicens, neminem debere de Dei misericordia desperare, respondit : Quid prosunt verba ista? Non possum confiteri, superfluum judico confiteri, quod de me dispositum est, necesse est impleri. Sedes mea parata est, post tertium diem illuc veniam, et secundum quod gessi, recipiam. Sicque sine contritione, sine confessione, sine viatico et sacra unctione, tertio die defunctus, in inferno sepultus est. Cæsar. l. II, c. vii.

Narrat Bernardinus de Busto, de adolescente valde dissolutis moribus, a fido sæpe sodali de seria pœnitentia admonitus, eam joco aliquo, aut futura, sub mortis tempus, conversione semper eludebat. Non diu post, cum in gravem morbum incidisset, essetque mortis periculum, iterum iterumque de instituenda tandem confessione ab eodem suo contubernale, proposita Dei misericordia, quam toties sanus et valens in futuram pœnitentiam prætexuisset, admonitus est, sed surda aure, et obstinato animo ad accepta bene monentis consilia. Hic ergo tristis ab ægroto ad nocturnam quietem recipit sese, secundum quam visus est sibi videre Christum, qui eo habitu, quo a Pilato olim de loco superiori Judæis, lacero flagellis corpore, et capite spinea corona saucio, exhibitus est, ægrotanti socio astaret, et ita alloqueretur : Ecce lacerum spinis caput, et totum vulneribus saucium corpus, sed et ecce apertum latus; his tibi etsi indigno, parta, parataque est Dei misericordia, si modo vitam tuam præteritam detestatus, ad me convertaris. Ad hæc æger : Scio, inquit, Domine, magnam esse misericordiam tuam, sed neque minorem esse justitiam, cui cum nullo merito meo satisfacere possim, non video quomodo hac salva a misericordia peccatorum veniam sperare valeam, ac debeam. Imo, addit Christus, a misericordia mea vales, et debes veniam sperare, quia pollicitus sum eam humiliter petenti, numquam negare. Sed pergit miserandus adolescens justitiam misericordiæ opponere, atque, cum nihil boni in se, quo misericordiam mereatur, inveniat, se totum justitiæ illius rigori, desperata salute, tradere. Hic tandem Christus indignatione plenus, expressum dexteri de lateris vulnere sanguinem in moribundi faciem conjiciens : Hic, inquit, sanguis meus in die judicii testis erit oblatæ tibi a me misericordiæ quam per insanam obstinationem tuam, ac summam ingratitudinem contempsisti! Hoc tam tristi viso territus, expergefactusque istius socius statim accurrit, ei, quæ vidisset, narraturus, sed, quæ Dei justa sunt judicia, et meritæ in misericordiæ suæ contemptores pœnitentiæque procrastinatores, animadversiones, hominem mortuum invenit, et quo non vana crederet fuisse, quæ in somno vidisset, faciem ejus recenti sanguine reperit commaculatam. Bernardinus de Busto. s. vii, p. 5.

Hildebrandus, habitans in villa diœcesis

Trajectensis, quæ dicitur Holchoyn, die quadam silvam cum alio quodam concive suo intravit, quem, suadente Diabolo, cum soli essent, occidit. Fuerant enim aliquando inter eos inimicitiæ, sed tunc temporis penitus erant sopitæ. Reverso Hildebrando in villam, interrogabant eum amici occisi, ubi esset? Qui respondit : Nescio. Exspectantibus die illo et altero, cum non rediret, qui jam redire non potuit, suspectum habentes jam dictum Hildebrandum propter antiquas inimicitias, coram judice in causam traxerunt, crimenque homicidii imposuerunt; quo timide negante, cœpit ita facies eum prodere, et cum instantibus illis jam negare non posset, confessus est, quia hominem occidisset. Statim data super eum sententia, pœnæ rotali adjudicatus est. Cumque duceretur ad mortem, Sacerdos ejusdem villæ Bertholphus cum alio Sacerdote, qui vocabatur Joannes, traxerunt reum in partem, satis diligenter eum monentes de confessione, atque contritione cordis. Et quia miser homo per se surgere non potuit, nec manum se sublevantem sensit, miserabiliter respondit : Quid mihi possent illa prodesse? Homo enim damnatus sum. Revera respondit sicut induratus homo, et desperatus. Et ait illi Sacerdos : Adjuro te per Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut infra dies triginta mihi appareas, et sine omni periculo vitæ meæ de statu tuo me certifices. Respondit : Si mihi licuerit, libenter hoc faciam. Sicque rotali pœna plexus de tormento corporis transivit ad tormentum æternæ damnationis. Nocte quadam infra statutum tempus, Bertolpho dormiente in strato suo, tantus esse cœpit circa domum fragor arborum, tam vehemens flatus ventorum, ut ipsa animalia stuperent, et vix suis locis intra claustra stabuli retineri possent. Expergefactus Bertolphus respexit ad ostium domus, et ecce januæ quasi ventorum impulsu aperiebantur, viditque Hildebrandum in camino ardente residentem, sibique celerius propinquantem. Territus autem supra modum se signavit, et ut staret, sub invocatione divini nominis, præcepit. Ecce hic sum sicut promisi, inquit. Sciscitante illo de statu suo, respondit : Æternaliter damnatus sum, æternisque incendiis propter desperationes maxime deputatus. Si secundum tuum consilium egissem pœnitentiam, per pœnam temporalem evasissem æternam. Hoc autem scito, quia si non fuissem vivus a te adjuratus, ne tibi mortuus nocerem, malo tuo huc advenissem. Consulo tibi, ut vitam emendes, ne post hanc vitam similes pœnas recipias. Erat autem idem Bertolphus sacerdos nomine, non re. Nam usque ad illud tempus sine Ordine Presbyterii celebravit. Qui cum adhuc miserum amplius interrogare vellet, respondit : Non licet mihi hic diutius morari, quia multi Dæmones foris ante ostium præstolantur reditum meum. Hoc dicto, statim impulsus et expulsus cum stridore et ululatu maximo, ab eo discessit, transiensque secus stabulum, animalia, sicut prius, in stuporem et commotionem convertit. Bertolphus vero timore tam horrendæ visionis sæculum deseruit, et in domo quadam Ordinis nostri Religionis habitum suscepit. Abbas loci illius, eo quod intellexisset, eum virum esse litteratum et eloquentem, ut ei ad Ordines liceret accedere, satis apud Dominum Papam Innocentium laboravit, sed obtinere non potuit. Ante hoc biennium, sicut mihi retulit Prior de Campo, in manu, quam extenderat temere ad Arcam Dei, gravi morbo, qui anthrax dicitur, punitus est. Quæ cum ei, quasi pro remedio, eo quod morbus serpens sit, abscinderetur, nihil ei profuit, imo dolori dolor additus mortem potius acceleravit. Voluit eum Dominus, ut spero, punire in præsenti, ne puniret in futuro. CÆSARIUS, l. II, c. VI.

Funestum ac horrificum paradigma post Cainum dederat in Aquitania, sæculo priore exeunte, Calvinianæ sectæ Minister. Is e moriente pectore desperatæ salutis execrandam illam vocem eructaverat : Non ita equidem insanio, ut Deum esse nesciam; sed quia ille me deseruit, ego vicissim eum desero. Vix vocem hanc orco dignam absolverat, cum ecce inter ingentes totius ædis concussiones, irrupit in cubiculum monstrum horridum ac deforme, quod morientem naso truncatum prius, et lingua, mox compressa in collo blasphema fauce, exanimem dedit. LEON. MAN. ZIN. *in Pass. nov. antiq.* l. III, disc. I, p. 1, doctr. II.

Theophilus Imperator ex gravi dysenteria salutis suæ nullam spem habens, vocato ad se Senatu, juramentum exigit, ut uxorem filiumque pro Regibus suscipiant, eosque servent; quod promissum factumque est. Cœpit autem maxime suspectum habere Theophobum, quem ipse Persis præfecerat, a quibus et ipse Rex fuit, licet invitus, appel-

latus. Dum igitur paulatim corpus insumitur, Theophilus metuens ne se mortuo Theophobus regnum invaderet, intra regiam contineri jubet, et jam animam agens Thephobum jubet trucidari, et ejus caput afferri, quod manibus suis contrectasse fertur, his verbis : Nec tu post hac Theophobus, nec ego Theophilus ero ! Hoc dicto animam efflavit.

Constantinus Copronymus Imperator elephantino morbo correptus, maximis consumptis cruciatibus, cum imperasset annos triginta quinque, moriens dixisse fertur : Addictus sum inextinguibili flammæ ! Ejus nurus Irene, Theodori Antistitis hortatu, cadaver refossum publice cremari jussit, cineremque jactavit in mari.

Desperatio correcta.

Erant duo fratres uterini honestis satis orti parentibus, qui causa discendarum litterarum missi ad studium Parisiense, etsi parili voto civitatem intraverant, dispari tamen et nimis contraria vita incedebant. Nam junior, ut pote timens Deum, negotium ob quod ad studium venit, diligentius prosequens, litteris operam dabat, instabat lectioni, devotioni animum inclinabat, et (ne sese aliena malitia ab ingenita probitate subverteret) pravorum sodalitia, ut perniciosissimam salutis suæ pestem, studuit evitare, ornabat moribus pueriles annos, ætatem virtute vincebat. Senior vero per alios tramites, non tam incedens, quam devians, velut erratica ovis per vitiorum anfractus ferebatur, et dimisso studio oblitaque causa, ob quam et venerat, insolentibus quibusdam sociis junctus, tempus nobile lusibus deducebat, potibus, taxillis paternam substantiam distrahebat, et (quod his omnibus infelicius erat) usque adeo femora sua meretricibus inclinabat, ut velut ingentem quamdam jacturam passus ingemisceret, si quavis occasione vel unum diem absque fornicationis crimine transegisset. Cumque sic continuata malitia miser plurimos dies perageret, cresceretque vehementius semel inchoata perversitas, cœpit improba juvenis fama aerem ipsum inficere puriorem, et ad omnium nares tam horrendum quemdam scelerum fœtorem ingerere, ut non solum studentes, sed etiam plebeia multitudo reprobam ejus vitam inciperet abhorrere. Quod cum junior frater didicisset, semel, bis, ter, iterum iterumque fratrem postulabat, ut intuitu tremendi Judicii a tantis sceleribus animum revocaret. Sed cum ille ferreo quodam seu æneo pectore saluberrime monita in dies refutaret, nolletque finem dare tantæ miseriæ, juvenis zelo fraternæ salutis accensus lacrymatus : Spernis, germane dulcissime, Spiritum Dei, te nunc per me admonentem, et quasi ludum parvulorum, quidquid minatur, irrides. Veniet, veniet dies illa, et cito veniet, qua te Spiritui Sancto obstinata mente restitisse pœnitebit ! Et his dictis tristis abscessit. Interim tamen anxie satis petens Dominum, ut ipse durissimum fratris animum ad pœnitentiam emolliret. Dominus autem, qui non spernit vota piorum, nolens piissimum juvenis animum tam acerbis tristitiarum procellis diutius agitari, repentina et gravissima infirmitate fratrem percussum, ad lectum prostravit ; in quo cum jaceret, et pavida mente, quæ fecisset, recoleret, incœpit miser multitudine scelerum pressus, ad barathrum desperationis proruere. Quadam igitur nocte vidit virum quemdam veneranda tectum canitie, vultu decorum, et fulgida stola vestitum sibi assistere, seseque severius intueri. Unde, quia semper præsumit sæva perturbata conscientia, animo et mente consternatus, cœpit toto corpore tremere, et, territis luminibus in seniorem versis, quisnam esset, qui intempestæ noctis caligine ad se terrendum venisset, inquirere. Et senior : Ego sum, inquit, Pater cœlestis, qui te, cum non esses, creavi, qui tabidis tuis membris vitam infudi, qui animam potentiis, et corpus sensibus illustravi, qui solem, et lunam, et sidera ad tuum obsequium cœlis infixi, qui te nimia charitate diligens, ut deserta malitia virtutibus animum dares, ut ageres pœnitentiam, ut corrigeres vitam, frequenter admonui. Sed nunc, eo quod obstinata mente monita salutis hactenus semper abjeceris, veni ad te, ut dicerem tibi, quod sis filius mortis perpetuæ. Hac igitur responsione confusum, et gravi sudore madentem reliquit. Cumque jam miser per totum reliquum noctis, et posteram diem timens ac tremens, illam horrendam horam expectaret, qua, secundum cœlestis Patris oraculum ad æterna fuerat supplicia meaturus, proxima nocte venit ad eum juvenis quidam, viro priori vultu haud multum dissimilis, nudus corpore, coronatus sentibus, crucis gravissimam trabem ferens in hume-

ris, qui per lacerum vulneribus pectus abunde satis videbatur sanguinem fundere. Hic cum proprius accessisset, et juvenem, utrumne se agnosceret, interrogasset, respondit ille : Non agnosco, sed meo judicio illi, qui hesterno vespere mala denuntiatione me deterruit, videris esse simillimus. Et ille : Non mireris, inquit, me simillimum illi, cum quo mihi est una Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Sum enim Jesus Christus Filius Dei, qui humani generis miseratus errores de cœli sedibus in intemeratum Virginis uterum descendi, unde tamquam sponsus egressus de thalamo, te ut redimerem, misero apparui mundo, ubi post famem, sitim, languorem, tandem captus sum, judicatus sum, morte turpissima condemnatus sum. Verum quia tu infelix tantis beneficiis te præbuisti immemorem, nunc veni ad te, ut filium mortis æternæ pronuntiarem. Et his dictis, profluentem a latere cruorem manu comprehensum in juvenis vultum projecit : Sume, inquit, in confusionem pretiosum sanguinem, qui cæteris in redemptionem effusus est! Et hæc agens disparuit. Tunc juvenis omni vigore corporis amisso, perdita spe obriguit, tremuit, expalluit, et quo se de cætero verteret, ignoravit. Misit tamen nuntium ad fratrem suum, qui, cum venisset, vidissetque flebilem satis fratris effigiem, concussis vehementer visceribus cum ejulatu ploravit : Quomodo, inquiens, tam velociter expalluit quondam illa facies decora, et solitum robur fortissimi amisere lacerti? Quid tibi factum est, frater mi, quod me jam nunc illa miserabili fronte deterres, quam paulo ante desideraverunt oculi invisere puellarum? Quo abiit purpureus ille rubor genarum tuarum, quem, me reclamante, velut acerbum laqueum feminei pudoris ante oculos ferebas concinentium in choro feminarum? Ubi sunt nunc illi insolentissimi sodales tui magistri, qui te toties a meo latere rapuerunt, et nunc in barathro tam vastæ desperationis reliquerunt? Oportuerat certe, frater mi, saluberrima illa monita mea, quibus te paulo ante a nefandis operibus nitebar cohibere, non refelli, ne in hanc miseram jacturam florentis juventutis devenires. Vide ergo nunc, an me falsum vatem acceperis, cum te Spiritui Sancto restitisse, doliturum non tam dixi, quam prophetavi. Dic tamen mihi, quid est, quod consternata facie, et tremulis membris tanto sudore madescis? Si adversa valetudo in causa est, forti aniom esto, plures e gravioribus infirmitatibus convaluerunt. Si te peccata terrent, propone emendationem, veniam pete, dole, non despera ; quippe est clementissimus Dominus omnipotens Deus, qui in puncto temporis pœnitenti latroni non modo veniam tribuit, quin etiam Paradisum spopondit. Ad quæ verba paululum erigens moribundum caput, et omnem rei gestæ narrans historiam : Damnavit, inquit, me scelestum filium cœlestis Pater, Christus Jesus Filius Dei, cruore in meum vultum projecto, sanguinem pro me effusum omnino ac penitus perditum designavit. Quo circa, dulcis germane, non valeo sub tantis testibus damnationis meæ, etiamsi sanguinem flevero, de salute præsumere; stat namque firma super me æterni Judicis censura, remedia pœnitentiæ vacillabunt. Tunc frater cum ingenti fiducia : Etsi te, inquit, Pater, cui ascribitur veritas, impœnitentem adhuc damnare visus sit, et Filius Dei, cui assignatur judicii æquitas, te in perversa voluntate jacentem sanguinis sui participatione indignum ratus sit, nec vel sic desperandum est illi, cui tempus datum est pœnitendi. Acquiesce igitur vel sero monitis meis, et proponens emendationem, scelerum maculas pro lacrymarum imbre deterge, lugubri ore, profundis suspiriis Presbytero vulnera detege. Quis scit, si Spiritus Sanctus, qui, teste Bernardo, est benignitas Dei, et idem ipse Deus ita pœnitentem absolvat? His verbis fratris paululum consolatus, jussit adesse Presbyterum. Qui, dum venisset, totus in lacrymas resolutus cum tanto dolore animi peccata sua, quibus Deum offenderat confessus est, ut interrumpentibus sermonem gemitibus, vix mentis conceptum valeret exprimere, vix lacerata et semirupta verba proferre. Qua confessione rite celebrata, et sacra unctione, et participatione Dominici Corporis munitus, tempus, quo ex hac vita esset migraturus, expectabat. Sequenti igitur nocte venit ad eum alius quidam vir, prioribus non disparem habens vultum, fulgenti alba vestitus, habens in dextera scapula niveam quamdam columbam. Is cum propius accessisset, dulci quadam benevolentia vultum serenans, clementes oculos in infirmum contorsit. Quod cum juvenis advertisset, tum ob veram pœnitentiam, tum etiam ob benevolentissimos oculos vultus Personæ apparentis, animo æquior factus est. Qui es tu,

Domine, inquiens, qui ad me venire dignatus es, quippe me tam piis conspectibus consolari videris prioribus visionibus perterritum? Et ille : Ego, inquit, Spiritus Sanctus, qui a Patre, Filioque procedens unius sum cum ipsis potentiæ, et idcirco nunc veni ad te, ut nuntiarem tibi dimissa esse peccata tua, et pervium iter patere ad Regna cœlestia transituro. Ad quæ verba, quasi ex barathro desperationis resurgens ait : O Pater pauperum! O consolator mœrentium animorum! O omnium miserorum dulce refrigerium! quid est, quod audio? Num patebunt cœlestes valvæ mihi, quem Pater et Filius reum mortis esse contestati sunt, cui perennes flammas minati sunt, a quo tam crebro, tam impudenter offensi sunt? Num hac mea exili pœnitentia hoc terribile decretum incommutabilis veritatis poterit immutari? Ad quæ Spiritus Sanctus respondit : Forti animo esto, nec de salute vacilles; validos habet pœnitentia vera lacertos. Ipsa terrificæ majestati violentiam infert, vincit invincibilem, mutat incommutabilem, placat irascentem. Sed, ne te diutius potraham, perseverans in pœnitentia, quam cœpisti, dispone domui tuæ, et virtutibus, quibus potes, interim thalamum orna; post triduum veniemus ad te, ut animam tuam, super astra ferentes, gaudiis cœlestibus invehamus. Et cum his Spiritus Sanctus disparuit; juvenis post triduum obiit, et ad Regna cælestia ob veram, quam habuit, pœnitentiam felix migravit.

Anno Domini 1370, Senis erat civis quidam Andreas Naddini, dives opibus, sed omnis virtutis inops, cunctis prope flagitiis coopertus, tesserarum ludo totus deditus, in Deum et Sanctos ejus perpetim blasphemus et detestabilis. Is anno ætatis suæ quadragesimo gravi correptus morbo tendebat ad extrema. Venerunt autem ad eum multi homines pii, et utriusque sexus cœnobitæ, atque ante omnes ejus Parochus, hortabaturque eum, ut sua peccata confiteretur. Sed ille miser, qui nec sacras ædes invisere, nec sacris initiatos unquam honorare consuesset, admonitiones omnes respuit, se ipsum plane desperans. Audivit hoc F. Thomas S. Virginis Catharinæ Senensis confessarius, effecitque, ut ea Dominum pro homine pereunte deprecaretur, et quidem ferventissime et instantissime. Sed Dominus illi respondit : Illius blasphemi hominis flagitia ad cœlos usque pertingunt, qui præter alia scelera, etiam tabulam, in qua erat picta Imago mea, et Matris meæ atque aliorum Sanctorum, jactavit in ignem, dignus proinde, qui æternis gehennæ flammis exuratur. Verum sancta virgo salutis animarum sitientissima, dolens vicem perditi hominis, non cessavit a lacrymis et precibus, donec flexus Dominus Jesus decumbenti Andreæ appareret, hortareturque eum, ut sua peccata confiteretur, liberaliter ei, si id faceret, veniam pollicens. Et ecce ille saxo durior, repente mollescit, magna voce postulat acciri confessarium; dicit, Christum Jesum se vidisse, qui ipsum de facienda confessione admonuerat. Lætantur omnes, curritur ad Sacerdotem. Ille venit, Andreas magno cum cordis dolore illi integre confitetur peccata sua, condit testamentum, et feliciter migrat e vita. SURIUS, 19 *April.*

Quidam delectationi carnis vacavit in tantum, quod nulli peccato carnali, quantumcumque turpi, unquam se negavit; filiam non dimittebat propter matrem, nec e converso, nec sorori, sive masculis parcebat. Cum appropinquavit morti, fuit vocatus sanctus Eremita, ut ejus confessionem audiret. Tunc iste ait : Vade, quia major est iniquitas mea, quam Dei misericordia. Tunc S. Eremita : Fili, ait, charissime, noli sic dicere, quia tanta est virtus confessionis et pœnitentiæ, ut si doleres de omnibus peccatis, tibi remittantur a Deo. Tunc ille peccator : Magnum est, quod dicis. Tunc ait Eremita : Fac hoc, quod dicam tibi. Ego, inquam, spoliabo me omnibus bonis, et meritis meis, et tu spoliabis te omnibus peccatis tuis, et sic non oportet te dubitare, nec desperare. Cui cum peccator consensisset, et ambo cambium fecissent, dixit Eremita peccatori : Nunc narra mihi mala, quæ fecisti, ut sciam, de quibus habeo facere pœnitentiam. Qui cum infinita peccata expressisset, et nullum peccatum secum retinuisset, ait Eremita : Tu doles de istis, et vis, quod Sacramentalis sit Confessio tua? Respondit peccator : Sic volo. Tunc Eremita : Et ego te absolvo in nomine Patris, etc. Cum ergo mortuus esset, post mensem Eremitæ apparuit, et dixit ei, quod in via salvationis erat. Cum autem Eremita requireret, quid esset de meritis suis, de quibus spoliaverat se, ait mortuus : Deus tibi reservat ea duplicata, eo quod abstulisti desperationem meam, et signum maximæ charitatis mihi demonstrasti. *Spec. Exem. ver. Desperatio*, ex. VIII.

Refert Cæsarius, Ludovicum Landgravium, patrem Hermanni Landgravii, sic misere lapsum, ut diceret, dum corriperetur a viris probis : Si prædestinatus sum nulla peccata poterunt mihi Regnum cœlorum auferre. Atque ideo cuivis flagitio sese immersit. Cum autem in morbum gravem lapsus postea fuisset, vocatus est medicus ejus, vir bonus et discretus, et non solum in Physica, sed etiam in Theologia non mediocriter litteratus, cui Princeps dixit : Ut vides, infirmus sum valde, adhibe curam, ut possim convalescere. Memor medicus illius erroris, respondit : Domine, sit venit dies mortis tuæ, non te poterit cura mea morti subtrahere; si vero moriturus non es de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille : Quo modo sic respondes? Si mihi non fuerit adhibita curæ diligentia, et diæta proposita, potero tam a meipso, quam ab aliis imperitis negligi, et ante tempus mori. Audito hoc vero, Physicus multum hilaris effectus, data occasione, respondit : Domine, si credis vitam tuam posse protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuisti de pœnitentia et operibus justitiæ, quæ sunt antidota animæ? Sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quæ est in futura vita, nemo pervenit. Considerans Landgravius pondus verborum, et quod rationabiliter perorasset, dixit ei : De cætero Medicus esto animæ meæ, quia per tuam linguam medicinalem Deus liberavit me a maximo errore. Huic subjungam illud ex Ludolpho, de quodam Monacho, cui crebæ fiebant divinæ revelationes. Quod cum alter ejusdem Monasterii frater intellexisset, institit apud eumdem, ut Deum oraret, rogaretque, ut sibi dignaretur ostendere, an de numero salvandorum esset; et cum ille vix precibus victus, orationi instando, hoc a Deo postularet, sibi ostensum est, quod ille frater de numero damnandorum esset; unde metuens fratrem turbare, per aliquot dies hoc celavit ei, sed tandem eidem requirenti (licet invitus) aperuit. Ille autem hoc audiens, et Scripturas intelligens, statim respondit : Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam, quam per ingressum Religionis assumpsi, de cætero duplicabo, et triplicabo, donec gratiam et misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam; et post multos dies, iterum fratri prædicto divinitus revelatum est, quod ille frater de numero salvandorum esset; quod cum eidem fratri retulisset, ille lætus effectus de revelatione, fortior factus in opere, et viriliter agens de virtute in virtutem quotidie proficiens, perseveravit in bono sine cessatione. Utinam multi animati hoc exemplo manum suam ad fortia mitterent, et non desperarent, vel deficerent, sic agendo, et in hoc perseverando! Ludolph. a Saxon. *in Vita Christi*, l. II, c. l.

Monachus quidam Cisterciensis instituti, immoderato quidam innocentiæ et puritatis zelo impulsus, præ spiritus fervore ad statum primi parentis Adæ pertingere nitebatur. Suscepit ea causa laboris plurimum, affligebat se inedia, vigiliis, et precibus; sed cum hæc omnia frustra essent, nec posset ad illam innocentiam pervenire, primo incidit in tædium et acediam. Volebat ille cibum ita sumere, ut nullam inter edendum sentiret delectationem. Primos sensitivæ portionis, sive sensualitatis motus conabatur non solum reprimere, sed etiam extinguere penitus. Contendebat absque ullo veniali peccato vitam in perfecta puritate transigere. Erat ea tentatio *Dæmonii meridiani*, ad impossibilia eum instigantis. Unde fiebat immemor illius doctrinæ Sapientis : Noli esse justus multum. Laborabat sane permultum, sed nullo labore potuit eo, quo intendebat, pertingere. Itaque præ mœrore tandem in desperationis foveam prolapsus est, cum persuasum haberet, se in eo corruptionis statu, in quo esset, salutem nulla posse ratione adipisci. Veniales enim culpas, quas in hac vita omnes vitare non possumus, ille mortiferorum criminum loco habebat; nec volebat propterea sumere Corpus Christi, etiam illis diebus, quibus id Monasticus Canon vult percipi. En ad quam calamitatem, quam horrendam et miserabilem ruinam sub specie boni, hostis ille teterrimus simplicem hominem perduxit, ita ut infirmus respueret medicinam, et jugum obedientiæ a se repelleret, qui propriæ voluntati semel nuntium remiserat. Et ut hic aliquid ex fabulis, non tamen fabulose, et vana non vane et fallaciter inferamus, Monachus hic, qui ad primi hominis innocentiam et puritatem pervenire nitebatur, cui similis putandus est, nisi ranæ illi, quæ, cum videret bovem magno robore et grandi corpore, volebat etiam ipsa illas vires et corporis molem adipisci. Itaque intendit se totam, et, quoad potuit, inflavit, sed fustra. Nec enim si vel rumperet sese, unquam posset

ad bovis quantitatem pertingere. Sic frater ille, dum voluit excedere limites virium suarum, et supra se efferre, infra se per desperationem misere collapsus est. Ejus autem animi morbum pius quidam et bonorum omnium fautor Abbas, ubi cognovit, cum aliis multis Dominum pro illo deprecabatur; sed prævaluit inimicus, et quem laqueo forti constrinxerat, eum sine intermissione vexabat. Tandem Abbas ille, quod non solum ancillæ Christi esset amicus, sed etiam virtutem ejus, quippe quam in se ipso expertus erat, non ignoraret, Monachum illum ad se curavit adduci. Et ecce orante illa pro Monacho, cum lacrymis et suspiriis, cum ille ante Missæ introitum *Confiteor* diceret, et illa instantius pro eo oraret, quasi atri quidam lapilli ad singula confessionis verba ex ore Monachi decidere videbantur. Tum ille animadvertens in hac visione obstinationem desperationis, et tristitiæ nigredinem a Monacho recessisse, Domino gratias egit, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant. Monachus vero, peracto sacrificio, tamquam e longinqua regione ad se reversus, Christi Corpus accepit, et ea salutari percepta medicina perfecte curatus est. VINC. BELLOW, *Col.* XXX, spec. c. XXXIV.

Canonicus quidam, cum adhuc juvenis esset, Romam cum musico e Gallia (ubi Ecclesiæ Binchensis Canonicus, et postea Dominæ de Argenteau eleemosynarius fuit) profectus, curiositate ductus cum socio, qui Remis oriundus erat. Genevam ibat in via, ut Calvinum viderent, illud orbis fœdum portentum. Calvinus eos humaniter suscepit, rogavitque quid de se in Gallia et Belgio diceretur. Illi, mirari omnes, aiunt, ac deplorare ejus ab Ecclesia discessum. Tum Calvinus altum gemuit, suspiravit, et horam illam execratus cum fremitu est, qua se studiis addixit, fassus, scientiam suam esse lapsus illius causam; cæterum scire se, errare extra viam salutis. Potes igitur, dicunt juvenes, renuntiare erroribus, et redire ad Ecclesiam. Sed is negabat tempus esse; scire se a Deo reprobatum, nihil spei reliquum habere. Cumque hi urgerent, Dei brachia semper patere peccatoribus, ad pœnitentiam redeuntibus, postremo respondit, nihil sibi cum pœnitentia esse, ut nihil profutura. JOAN. BAPT. DE GLEN. *Augustin.*

S. Abrahami Eremitæ neptis biennium in flagitiosa vita consumpserat; ut autem revocaret, ementito habitu militis, eques ad illam profectus est, inventam, remotis arbitris, allocutus est, dicens : Super me sit peccatum tuum, quo hactenus amatoribus fœde prostituisti corpus tuum, ego pro eo satisfaciam, ego in die judicii pro te, filia mea, rationem reddam. Cumque illa diceret : Nimis magna est iniquitas mea, non potest mihi spes esse salutis, respondit : Super me sit iniquitas tua, filia mea, ex meis manibus Deus tuum peccatum requiret. Tantum veni mecum. Ita venit, et pœnitentiam pro peccatis suis reliquo vitæ tempore tantam egit, ut etiam miraculis clara e vita excesserit. S. EPHR., *in vita S. Abrahami.*

EXEMPLA PROFANA.

Cum Commorinenses virgines levissima ex causa desperabundæ, se veneno interficerent, magistratus minatus est, se curaturum, ut post mortem denudata cadavera earum in mille partes secarentur, cujus probri timore absterritæ a morte sibi ipsis consciscenda abstinuerunt. *Hist. Soc.* p. II. l. IV, n. 117.

Solent Sinenses ante eorum fores se suspendere, quos odere, et quibus aliter ægre facere non possunt; aut si debitores debita rigidius exigunt, aut remittere nolunt. Illud enim suspendium, ejus in damnum cedit, in cujus foribus suspensus pendet, et is habetur homicidii reus, quod alteri se suspendendi causam dedisset. Ut hoc inveteratum malum Dominus Petrus, postea a P. Julio Aleno ad fidem conversus, et eximius in omni virtute, tunc in urbe Guancen in officio Jaoli decem civitatum prætor, tolleret, ita suspensum unum jussit a carnifice eodem fune et nodo, quo sese suspendit, ad tribunalis publici locum rapi. Ubi nudatus a quatuor carnificibus tot ictus accipit Sinicos, quod suffecissent ad eum, si vixisset, occidendum. Inde eodem fune raptatus per frequentiores urbis plateas, demum extra urbem tractus, et velut belluæ cadaver, in lacunam abjectus est. Valuit ea pœna, ut nemini posthac veniret in mentem, morte sua injuriam viventium ulcisci.

Rex Juba a Cæsare victus, oppido Zama exclusus in fuga perpetua fuit, quod bello contra populum Romanum suscepto, in oppido Zama lignis congestis maximam in

medio foro pyram construxerat, ut, si forte bello foret superatus, omnibus rebus eo coacervatis, dehinc civibus cunctis interfectis, eodemque projectis, igne subjecto, tum demum se ipse insuper interficeret, atque una cum liberis, conjugibus, civibus, cunctaque gaza regia cremaretur. CÆSAR. l. V, *bello Afric.*

Mnesteus Libertus, ob militare delictum jam mortis ab Aureliano Imperatore intentatæ certus, finxit, se litteras casu Aureliano excidentes reperisse, quibus inscripsit eorum nomina, velut ad mortem damnatorum, quos Principi ingratos sciebat, legendasque secreto adactis dedit, vetans aliquid de ea re spargere in vulgus. Certi igitur in desperationem adacti, non prius destiterunt, quam Aurelianum occiderent, vitæ suæ cauturi. FULGOSUS l. III, c. VII.

Ubi Attila victum se prælio, quo cum Ætio Patritio decertavit, vidit, se et suos inter currus in medio castrorum recepit (nox enim aderat) præcepitque ex ephippiis equorum in struem congestis focum accendere, ut si ab hoste impeteretur, in ignem se præcipitaret, et arderet potius, quam in manus hostium deveniret. FAMIAN. STRADA. l. I, c. XIV.

Ad pedes Comitis Flandriæ supplices venerant subditi, ante rebelles, fune ad collum ligato, ac veniam postularunt; sed repulsam passi, et acti in desperationem, e tota civitate exercitum fecere, in quo valentiores in fronte collocarunt, in medio feminæ ac pueri, agmen claudebant adulti; ita in obsidentes facta eruptione, adeo eos urserunt, ut jam leges accipere, non dare Comes cogeretur ÆNEAS SILVIUS.

Mutinæ in Italia lusor quidam se ex desperatione ter suspendit; bis liberatus a supervenientibus, tertia demum vice, solus, gulam sibi fregit. S. BERN. SEN. ser. XLII, ar. 2.

Alius ex eadem causa desperans, dormitum noctu misit uxorem et liberos; ipse vero collecto acervo lignorum, infra ignem accendit, ut se cum illis et domo exureret; sed casu quidam transiens vicinia evocata effecit, ut incendium sopiretur. Ibidem.

Alius lusor animam ex desperatione Diabolo tradidit, qui post paucos dies pro patriæ more, cum murum urbis ad custodiam ejus conscenderet, a Dæmone in gryphis specie secundum scapulas graviter fuit ungulis perforatus. Tum Dei opem invocavit, et memor sceleris ac dolens, a Dæmone liberatur; ac statim Sacerdoti rem patefecit, cruentas ac fœtentes scapularum vibices ostendens, confessus, post biduum obiit. Ibidem.

Sardanapalus ex desperatione se ipsum combussit in regia domo, pyramque 400 pedum in altum construxit, supra quam 150 aureos thoros posuit, totidemque mensas aureas. Fecerat in ipsa pyra domicilium hecatompedum ex lignis, ubi thoros substravit. Ibique ipse cum sua muliere decubuit, aliæque pellices in altis thoris; tres etiam filios ac duas filias, quas habebat, cum vidisset res laborare, ad Ninum Regem misit, cum illis tria millia auri talenta dedisset, domicilii tectum ex crassis magnisque trabibus composuit, ne pateret usquam aditus. Intus auri mille myriades (id est, 430 milliones) posuit, argenti vero decem millia myriadum talentorum (id est, sexies mille milliones) tum vestes, purpuram, ac multiplices stolas; deinde pyram incendi jussit, quæ dies quindecim arsit; illi vero fumum cernentes admirabantur, eumque sacrificia peragere credebant, quæ soli norant Eunuchi. Cum igitur voluptatibus deditus esset vivus, Sardanapalus, quantum tamen licuit, viriliter mortuus est. Cum Alexander in Persas iret, castra metatus est non procul a Sardanapali monumento, super quo lapidea erat imago, quæ dextræ manus digitos contulerat, ceu sonum emissuros. Inscriptum est autem in ipso Assyriis litteris: Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialam Jarsumque condidit una die. Ede, lude, bibe; cætera enim neque sonitu isto quidem digna sunt. ATHEN. l. XII, c. XII.

Fuit Comes Anglus, Catholicus, qui pro ædificando collegio Leodicensi (quod postea serenissimus Elector Maximilianus utriusque Bavariæ Dux fundavit 1636) ducenta florenorum millia dedit, in eum tantum finem, ut credere posset Deum esse. In eum finem multa egit, seque inedia, ciliciis, et aliis modis afflixit, ut a Deo prodigium extorqueret. Cum sic nihil impetraret, factus est Sacerdos, ratus, facilius tunc se divina visurum. Cum nec sic aliquid proficeret, tandem ex desperatione meretricem pro conjuge duxit. Morti demum proximus Patrem quemdam e nostris petiit; quo absente, cum alius mitteretur, aiebat, se non hunc, sed alium velle. Dum vero interea alter domum reversus est, infelix Comes moritur. *Provinc. Anglic. hist. polit.* lib. III, c. II.

SIMILITUDINES.

Sicut infirmus, donec mediocriter habet aliquam passionem, et sperat se posse curari, servat se a nocivis cibis, si autem intellexerit insanabilem se jam esse, jam non parcit; sic et homo, donec mediocriter peccat, sperat salutem, quantumcumque potest, observat se a malo, si autem graviter peccando cœperit desperare, jam nihil dubitat facere quasi, qui jam peccatis suis vincit judicium Dei. S. Chrys. hom. iv *in Matth.*

Sicut medici, si de salute ægri diffidant, non jam curant; dicunt enim, quod mallent infirmitati dare, sed non ulteriorem suscipit morbus curam; artis enim industriam morbi malitia vincit. Hæc dicunt, qui de ægroti salute desperant. Si vero sanitas expectatur, omnia faciunt ægroto, salubres afferunt medicinas. Pari modo, si quis peccatis desperando cesserit, quasi non supersit pœnitenti salus, sese majus in malum stimulat. Idem, s. vi. *de Pœn.*

Sicut subducto oleo minuitur lumen lucernæ; sic ibi male conscius, consideratione operum suorum malorum se confundit, et infidelitate sua addit adhuc diffidentiam. Id. hom. xiii *in Matth.*

Sicut si imperitus agricola, ubi plantavit vitem, primo illo anno diligenter curat et fodit, secundo vero ac tertio fructum se percepturum speret, idque nisi obvenerit, desperans, quarto jam anno, quo laborum suorum præmia percipere poterat, curam vitis omittit; ita interdum is, cui persistendo persuadere poteramus, desperatione nostra prorsus eliditur. Id. hom. vi *de Div.*

MOTIVA.

Ad fugiendam Desperationem.

Quia mortem æternam animæ affert; nam desperatis certa mors est, teste Ambrosio, l. II *sup. Luc.*) et, ut S. August. confirmat: Desperatio homicida est animæ, (*in Ps.* xxx.) et juxta S. Isidorum: Perpetrare flagitium aliquod mors est animæ; sed desperare, est in infernum descendere. Isid. l. II *de Summo Bono,*

Quia difficilis illius curatio; uti recte Philosophus advertit, qui dixit: Desperatus omnis seipsum projicit, etiam quum consilio et ratione tenere liceat salutem, et præter omnium exspectationem fit, si forte incolumis servetur. Quis igitur sana mente præditus se ipsum, aut patriæ commoda isti commiserit? Quis non pro viribus fugerit, eum procul summoverit, ne quis in talem vel invitus incidat?

Quia Deus quocumque tempore paratus est ad ignoscendum; hinc toties invitat ad poscendam veniam. Nimirum per Ezechielem: « Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite. » Ezech. c. xviii, 31. Et rursus: « Impietas impii non nocebit ei, in quocumque die conversus fuerit ab impietate sua. » Idem, c. xxxiii, 22. Et « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab iniquitate. Jerem. i, 9. S. Aug. De nullo, inquit desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit; nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, sed tantum, ut revertatur, et vivat. Paganus est hodie, unde scis, utrum sit futurus crastino die Christianus? S. Aug. s. xi, *de Verb. Dom.* Unde et alibi Deum sic alloquitur: Tu factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Nullum enim spernis, neminem abjicis, neminem perhorrescis, nisi forte qui amens te exhorruerit. Si pœniteo, parcis; si revertor, suscipis. Desperare utique potuissem, propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus, caro fieret, et habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo, quia, cum inimici essemus, reconciliati, salvi facti sumus per eum. Omnis namque spes, et certitudo totius fiduciæ mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos, et propter salutem nostram. Id. *Med.* c. viii.

Quia adhuc in stadio sumus, ut bene advertit S. Chrysost. dicens: Surge, repara te ipsum. Adhuc in stadio stas, adhus theatrum solutum non est. Et mox: Concessum est nobis, ut reparemus nos ipsos. Magna pœnitentiæ remedia sunt. Nullus seipsum condemnet. Ille revera desperatione dignus, qui de se ipso desperat. Tandem post pauca: Nullum animæ vulnus insanabile. S. Chrys. hom. xxiv *in Act, Ap.* Imo ut S. Aug. ad-

vertit : Etsi nolis curari vulnus tuum, admonet ut cureris, et aversum revocat, et refugientem quodammodo ad se redire compellit, et attrahit. In omnibus implet, quod dictum est : Misericordia ejus præveniet me.

Quia Deum, eodem S. Aug. teste, *nemo amittit, nisi qui sponte dimittit* ; et quid dimittit, quod it, aut quo fugit, nisi ab ipso placato ad iratum ? S. Aug. *in Ps.* LVIII.

MEDIA.

Fiducia in Christum ; quia ipse, teste S. Joanne, *est propitiatio pro peccatis nostris* ; nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. I Joan. c. II, 2. Hinc S. Paulus, « In fide, inquit, vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » Gal. II, 20. Et S. Bernardus : Peccavi, inquiens, peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor ; nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur ? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri. S. Bern. ser. LXI *in Cant.* Imo ipse Christus S. Gertrudi, cum alicubi pro concione audivisset, salvari posse neminem, qui non actum aliquem amoris Dei super omnia, aut alium, qui æquivaleret (puta contritionem), edidisset ; secum autem cogitaret, paucos esse, qui ita dispositi e vita migrarent, adfuit hæc cogitanti, dixitque : Ego me fidelibus in agonia constitutis, qui mei aliquando cum amoris sui aliqua testificatione, aut alio insigni quopiam opere, meminerunt, ex singulari bonitatis meæ prærogativa, tam exhibeo suavem et amabilem, ut, momento temporis, inde ad se conversi, ingentem concipiant de offensa illa mea bonitate dolorem, quo peccata sua delent, et salvantur. De qua mea gratia velim electos meos moneri, ut pro ea mihi, dum vivunt etiam, ut, præ cæteris beneficiis omnibus, gratias agant. Lib. *Insinuat.* III, c. XXX.

Fiducia erga B. Virginem ; uti S. Bernardus suasit dicens : Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias ; ipsam rogans non desperas ; ipsam cogitans non erras.

Fiducia ad S. Angelum Custodem ; cujus medii efficaciam *Pædagogus Christianus* sequenti exemplo demonstrat. Circa annum reparatæ salutis 1635, Cordubæ apud Paraquarios Indiæ Occidentalis fuit provectæ ætatis homo, quem libidinibus diu ac multum assuetum suis, Dæmon proposita exaggerataque vitæ turpitudine, eo impulit, ut vitam pertæsus, salutemque desperans, ipse sibi laqueo mortem afferre cogitarit. Et jam collum erat resti inserturus, quando voce Angeli absterritus, ac de facienda peccatorum confessione monitus, ad mentem rediit, et continuo se domo proripuit, Sacerdotem, cui conscientiam expiandam offerret, quæsiturus ; sed id ut fieret passus non est stygius latro, qui viri, cui ille, ob acceptum beneficium, multum debebat, indutus formam, factus obviam, variis moratum sermonibus, sensim sana hominis elisit illusitque consilia ; adeo ut non difficile fuerit (Quæ est naturæ nostræ ad malum potius, quam ad bonum adnata proclivita !) ad lubricitatis inveteratam redire consuetudinem ; cui postquam sex ipsos annos iterum immersus cum vixisset, sui ac Dei immemor, majoribus, quam ante, cœpit conscientiæ agitari stimulis, salutisque desperatione vehementissime urgeri ; et de vita actum erat, et æterna salute, nisi Angelus etiam ea vice hominem collum laqueo inferentem, clara voce absterruisset, et de peccatorum venia per pœnitentiæ Sacramentum impetranda iterum commonuisset. Et tametsi tunc quidem vitæ emendatio, in confitendi voluntate steterit, Dæmone amicum, ut ante sex annos, simulante, et a Confessionis tribunali, quo properabat, alio divertente ; non diu tamen post audito pro concione Sacerdote, vehementer in eos, qui de salute sua desperarent, invehente, tandem monitoris Angeli consilia secutus, ad Sacerdotis pedes accedit, ubi præteritæ vitæ turpitudinem multis cum lacrymis eluit, factus acerrimus suimet accusator ; quam autem id serio fecerit, testata est vita, quam

deinceps non vulgari exemplo laudabilem duxit. d'OUTREMAN. *Pædag.* p. 1, tom. 2, c. IV, sec. V, n. 10.

Misericordia Dei considerata; de qua S. Leo sic loquitur : Qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possum ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam : « Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. » Et iterum : « Quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio. » S. LEO *epist.* XIX.

Oratio; nam, ut S. Aug. recte dixit : De quocumque pessimo in hac vita constituto utique non est desperandum ; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. S. AUG. l. I, *de Retractat.* c. XIX.

Exempla eorum, qui ex gravissimis peccatis per pœnitentiam emerserunt, de quibus S. Bernardus sic loquitur : Si Petrus post tam gravem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tamen egredi voluerit a peccato ? Et infra : Audistis certe, quam misericordiam consecuti sint Apostoli nostri, ut jam nemo ex vobis super peccatis præteritis, ultra, quam necesse est, confundatur, in cubili conscientiæ suæ compunctus. Quid enim ? Fortasse peccasti in sæculo ? Numquid amplius Paulo ? Quod si et ipsa in Religione, numquid plus Petro ? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modo salutem, sed et sanctitatem consecuti sunt ; etiam et salutis ministerium, et magisterium adepti sunt sanctitatis. S. BERN. ser. II *in Fest. SS. Petri et Pauli.* Et S. Cyprianus Martyr : Ipse Dominus noster personam derelictorum gerens in cruce, se queritur derelictum ; et ne desperarent etiam in ultimis constituti, festinans in adjutorium illico adest, et re in arcto posita non differt beneficium, sed repente indulgentiæ celeris documentum ejusdem statuit et exemplum, latroni inquiens : Hodie mecum eris in Paradiso. Latrocinium damnationem meruerat, et supplicium ; sed cor contritum pœnam mutavit in martyrium, et sanguinem in baptismum. S. CYPR. *Mart.* ser. *de Cœna Dom.*

Pœnitentia; nam, ut S. Augustinus ait : Numquam Deus spernit pœnitentiam ; si ei sincere et simpliciter offeratur, suscipit, libenter accipit, amplectitur omnia, quatenus eum ad priorem statum revocet. Et infra : Donec sumus in hac vita, quantacumque nobis acciderint peccata, possibile est, omnia ablui per pœnitentiam. S. AUG. ser. CLI *de Temp.* c. VI.

Ad Patrem quemdam Spiritualem confugere; nam ita S. Bernardus suasit, qui dixit, Monachum (idem dici potest de quovis Christiano) tres debere in cella habere, *Deum*, *Conscientiam*, et *Patrem Spiritualem.* Hoc medium usurpavit is, qui ad S. Edmundum Cantuar. confugit, qui, cum aliquando in hominem de salute sua desperantem incidisset, nec rationibus ullis ad exomologesin de peccatis faciendam permovere posset, dixit, se animam suam pro ejus anima deponere, modo peccata sua confiteatur, qui et confessus est. S. BERN. *ad FF. de Monte Dei.* Et ante eum S. Abraham Eremita, qui ut neptem suam a flagitiosa vita, in qua biennium consumpserat, revocaret, ementito habitu militis, eques ad eam profectus est, inventam remotis arbitris allocutus est, dicens : Super me sit peccatum tuum, quo hactenus amatoribus fœde prostituisti corpus tuum ; ego pro eo satisfaciam ; ego in die judicii pro te, filia mea, rationem reddam. Cumque illa diceret : Nimis magna est iniquitas mea, non potest mihi esse spes salutis ! respondit : Super me sit iniquitas tua, filia mea ; ex meis manibus Deus hoc peccatum requirat, tantum veni mecum. Ita venit, et pœnitentiam pro peccatis suis reliquo vitæ tempore tantam egit, ut etiam miraculis clara, e vita excesserit. SURIUS, 16 *Mart.*

ASCETICA.

Ante omnia nosse debet Asceta *radices hujus vitii,* quas in Officina Biblica Guilielmus Onselius his verbis indicat : Ex tribus ordinarie defectibus oritur hoc vitium. Primo, quia non ponderat peccator, quod Deus sit in seipso. Est enim Deus summum bonum, et ita misericors, quod paratus est peccatorem suscipere, sicut fidelis mater suum unicum filium, si vidisset eum in ignem cecidisse ; multo amplius paratus est Deus peccatorem revertentem per pœnitentiam suscipere idque ex essentiali sua bonitate. Unde Christus : « Nemo bonus, (essentialiter) nisi solus Deus. » Ex quo fit, ut, ubi abundat delictum, superabundet gratia. Se-

cundo, quia non considerat, quid sit peccatum, quod non est, nisi cum voluntate nostra. Ideo, quantumcumque occurrant peccata animo, etiam quantumcumque turpia, si voluntas non consentit, peccatum non est. Tertio, quia non ponderat, quanta virtus sit contritionis et pœnitentiæ; nam est tantæ virtutis, si sit vera, quod deleat omnia peccata, unde Ps. 50. « Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies.» ONSELIUS, *in Offic. Bibl. Alphab.* 1. *fol.* 18.

Nosse debet *inducentia ad peccatum hoc*, quorum sex enumerat dictus auctor. 1. Est peccatorum magnitudo et gravitas; patet in Cain, qui dixit : « Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. » 2. Eorum multitudo, unde Sapiens : « Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. » 3. Peccatorum turpitudo, quæ etiam sæpe talem ingerit horrorem, ut timeat homo confiteri ea ; de quibus Apost : « Qui desperantes tradiderunt seipsos impudicitiæ et in operationem omnis immunditiæ. » 4. Est temporis longitudo, quo homo diu jacuit in peccatis; sic Pharao desperavit. Sed recte August. Nec temporis brevitas, nec criminis qualitas, vel quantitas excludit a venia, si fuerit contritio vera. 5. Peccatorum reiteratio. Multi enim, dum frequenter relabuntur in peccata, desperant emendam. Sed Christus ait Petro : « Non solum septies ignosce, sed septuagies septies, » id est, quadringenties nonagesies. Dæmonis tentatio, quæ tales vexat, et ad desperationem impellit; sed isti dicendum: *Vade, Satana*, etc. Ibid. f. 19.

Nosse debet *causas, propter quas ejusmodi homines difficulter emendantur*, quarum itidem sex enumerat dictus auctor, nimirum: 1. Quia non capiunt informationem a viris prudentibus quibus pro serenitate conscientiarum firmiter credere tenentur. 2. Quia indiscretum timorem non repellunt; Deus enim non tortor est aut exactor ad pœnam, sed pius Pater invitans ad misericordiam, nec in alicujus perditione lætatur. 3. Quia volunt sciret status sui certitudinem, quod soli Deo reservatur. Sufficere enim debet illis examen conscientiæ suæ, quam si invenerint mundam, parati esse debent, et quantum permittit humana fragilitas, servire Deo in timore, et exultare cum tremore. 4. Quia sæpe murmurant contra Deum, cur eos non juvet, cum tamen Deus in omnibus bonum suæ creaturæ intendat. 5. Quia præsumunt sæpe de propriis viribus, putantes tentationes propria virtute vincere, quod tamen sine gratia non datur. 6. Quia fatigantur, si non sentiant illam corporalem teneritudinem in lacrymis, cum tamen voluntas et ratio dolere debent, et conteri de peccatis ; et sic deserunt lamenta pœnitentiæ et preces, unde immoderate tristantur; sed bene dictum est a Propheta : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus; et præparationem cordis eorum audivit auris tua. *Ib.* n. 3.

Nosse debet *turpitudinem hujus vitii*, de qua breviter, sed bene dixit Quintilianus : Turpiter desperatur, quod fieri potest. Pudendæ ignaviæ, et fœdæ animi pusillitati tribuendum, atque in maximo flagitiosæ desperationis vitio ponendum, si quis illud tentare detractet, quod superari, obtinerique potest; aut non ambire velit, quod impetrari valet. Ergo, si nullum absque venia peccatum, neque ullus est peccator, qui consequi eam non possit; hinc colligitur quam grave piaculum sit, diffidere ; quam turpe, non bene sperare, postquam etiam Deus corda ærea, ferreaque in blandam ceram emollire et liquare solet. QUINTILIAN. l. I. c. X.

Nosse debet, *cur cœlestis Magister*, cum de peccatis dissereret, quorum alia sunt venialia, alia misericordiæ perpetuo clausam habent portam, dicebat Discipulis suis : «Omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum S. blasphemaverit, non remittetur. » Luc. XII, 10. Videtur enim hæc Dominica sententia pugnare cum ea doctrina, quam in hoc titulo tradimus et tractamus. Dicimus namque, nullum peccatum esse, qualecumque id sit, quod non paratam habeat veniam, non facilem clementiam. Quomodo ergo Auctor misericordiæ, et penes quem clavis est totius pietatis ait, non remittetur, sive esse quoddam scelus, cui non ignoscatur? Ergone, si quis peccator spem condonandarum sibi noxarum abjiciat, extra culpam erit, diffidens clementiæ? Aut quomodo hanc natam ex verbis sacri et supremi Magistri nostri difficultatem recte diluemus? S. Athanasius, ad Antiochum q. 71. ait: Oportet significari, non dicere Deum, blasphemanti et resipiscenti non remittetur, sed blasphemanti ; quoniam nullum peccatum est irremissibile apud Deum in eis, qui digne et sancte faciunt pœnitentiam. Divinus ergo Magister (quod diligenter animadvertendum) non ait, non condonandum blasphemiæ sce-

lus, illi, quem blasphemasse pœnituerit, sed ei non ignoscendum, qui blasphemiam dixit, neque dolet dixisse; nam qui vera et digna pœnitentia superioris vitæ malefacta damnaverit, non habet, cur vel rustico de peccatis nato pudore impediatur, vel perturbetur sceleribus, vel plus satis affligatur ex ante actis sacrilegiis; nec moras sibi injici ferat in curriculo vitæ novæ, a recordatione blasphemiarum veterum; tametsi enim vasti maris guttas numero superent, quæ olim perpetravit flagitia, omnia condonabuntur et remittentur; nullum quippe est tam immane crimen, cui non sit parata venia, dum peccator illud commisisse ex animo doleat, seriaque et digna, ut præfati sumus, pœnitudine damnet. O quam præclare hanc suffulcit doctrinam Propheta Regius, qui ex nomine omnium peccatorum loquens, hæc plena totius consolationis verba dixit: « Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe. » Psalm. LXIV, 6. Ac si apertius ita dixisset: Humilibus precibus nostris aures faciles, clementissime et dulcissime Domine, quæso præbe; tu nimirum firma fiducia es omnium, et qui absitissimos orbis terminos incolunt, et quos naufragos per maria remotissima ventorum libido, et tempestatum ferocia miserum jactitat. S. Dorotheus, *Doctr.* XII, tom. 2, Biblioth. vet. PP. ait: Qui, oro, sunt in finibus terræ? Qui, autem in mari longe? Si vultis scire, accipite verbis pauculis explicatum: Ii, qui in perfecta iniquitate sunt, et in tantam improbitatem devenerunt, ut progredi ulterius non possint, facti scilicet perdite flagitiosi, hi sunt, qui velut in extremis terræ finibus degunt. At quinam ii, qui in altissimo mari et abysso profundissima hærent? Qui in extrema ignorantia sunt, inquit S. Abbas. Iisne vero qui per ignorantiæ pelagus profundissimum naufragi raptantur, perque omnia cursu insano feruntur errata et scelera, iisne, inquam, reliqua est misericordia? Talibusne spes indulgentiæ superest? Est omnino; nam horum omnium Christus spes est. Non igitur opus nobis est multo labore; laboremus modicum, et misericordiam multam consequemur. Omnibus criminum generibus parata est venia, sive in fines terræ extremos quis pervenerit, sive in abyssum maris imam peccando descenderit, spes illi certa, et portus tutissimus est Christus, qui tam immenso cum amore mortem pro omnibus oppetiit. Itaque absque magno negotio (dum se modo, ut debet, huic comparet) misericordiæ portum peccator inveniet. Unicum *Eheu!* (sed illud pœnitente ab animo profectum) satis est in tranquillitatem adducendis flagitiorum maris quantumvis procellosi fluctibus, permovendoque ad ignoscendum Deo. Nonnihil ergo studii hac in re ponamus, indulgentiamque facilem et copiosam referemus. Donec enim in hac mortali carne agimus, non est cur diffidamus de salutis remedio, aut desperemus sanitatem, sint licet plurimis ac gravissimis ægritudinibus obnoxiæ nostræ animæ. NYSSENUS, p. 1. *de Polit.* l. II, c. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Certa res est, quod felix ille Latro, ut diximus, qui juxta Christum crucifixus fuit, statim ut agnovit, etiam confessus est Dominum et Creatorem mundi, quem antehac non noverat. Affudit illius animo Dominus lucis suæ radios, fugavitque tenebras, quæ occupatum habebant, ac fecit, ut tum Salvatoris sui sublimitatem, tum suam humilitatem ac vilitatem intelligeret. Cum ergo cerneret hinc magnitudinem illius, quem provocarat, inde flagitiorum suorum, quibus eum offenderat, turpitudinem, exclamavit dicens: Domine, memento mei, qui sum peccatorum, quotquot mundus habet sceleratissimus. Nunc ego te novi, nunc Dominum meum confiteor, quem ante confessus essem, si ante nossem. Eusebius Emissenus, hom. *de Latrone*, ait: Latro nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momenta ultima infelici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis novissimum reservavit, nec religionem ante, nec Christum scivit. Non advertitis, quod desperationem vocat Eusebius eorum infelicem fraudem, qui salvationis suæ curam in extremam horam suspendunt? Tempestive tractandum est negotium sensimque et cunctanter, matureque procurandum, attenteque, despiciendum, ex quo animæ salus æterna pendet. DID. NYSS. ser. V. *post. Dom.* V. *Quadr.* s. II.

Homini, qui exiit seminare, similem se Christus facit, aitque electum semen suum quaquaversum dispersisse. « Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, alia autem

ceciderunt in petrosa, alia autem ceciderunt in spinas, alia autem ceciderunt in terram bonam. » Matth. XIII. IV. V. VII. VIII. Hic mihi illud mirum accidit, quod videam hinc tam sapientem agricolam, inde tam inconsiderate (ut videtur) semen suum profundentem; nec enim alius esset, quantumvis ille iners, et officii sui imperitus, qui non seminis sui jacturam timeret, si illud inter saxa, tribulos, spinas, et juxta viam abjiceret, ubi et viatores homines, et prætereuntes bestiæ incaute opprimere ac proterere possunt. Quorsum ergo divinus hic Dominus in ea loca semen suum spargit, quæ sunt tam inepta ferendis fructibus, quos inde sperat? Idem, *de Convers. boni Latronis*, § 3.

S. Joannes Chrysost. respondet egregie, merito id mirum videri posse, si ruditer et materialiter, ut aiunt, atque ut verba sonant, accipiatur. At si subtilius rem dispicias, et spiritualiter intelligas, nihil officiunt, quæ contra sunt objecta. Possibile est enim, ut lapis in terram fertilem convertatur, et ut via non conculcetur, nec prætereuntibus cunctis proposita jaceat, sed in uberes agros traducta, nec vepres emittat, et semina foveat; inquit ille, ubi supra. Magno ergo cum mysterio, ac de industria dixit divinus seminator, projecisse semen in dura saxa, in medios tribulos, in alculeatas spinas, in viam regiam, ac passim tritam, ut significaret, neminem in vita desperare, quantumcumque sit peccator. Tametsi enim sit regidum saxum, lacrymis e contrito corde natis emolliri in lentam ceram potest. Et quamquam tribulus, evadere tamen in caryophyllum valet; et vel si quasi iter publicum sit, quibusvis cogitationibus pervium, ita obstrui illud, et concludi potest, ut soli Christo pateat, cæteris rebus omnibus sit inaccessum. S. CHRYS. *hom.* XLV, *in Matth.*

Josepho, ut furiosam crudelis Herodis rabiem declinaret, præcipit Angelus accipere Salvatorem, et fugere in Ægyptum, quod nefarius Rex quæsiturus esset puerum, ad perdendum illum: « Accipe puerum, et fuge in Ægyptum, » aiebat ille. MATTH, II, 13. Quid hoc præcepti, Angele divine quo, castum Josephum adstringis? In Ægyptum, vis, concedat? In eamne terram, terram dico, quæ tam atrociter insectata fuit populum hujus pueri, qui fugit Herodem? In eamne terram (dicam enim iterum) emigrabit? Nonne melius fieret, si in loca alia magis tuta se recipere juberet? Non intelligis rem, qui talia obloqueris, inquit S. Chrysostomus. Mysterium hic, idque permagnum latet. Exclamare proinde libet: O mutatio dexteræ Excelsi, ut populus, qui ante fuerat persecutor populi, postea fieret custos Unigeniti! Hæc ille ibi, in *Opere Imperfecto*. Vide, quod Deus viam spei nostræ aperit, pusillanimitatemque nostram confortat, dum ad illius populi tutelam confugit, qui populum suum olim creduliter exagitarat. Quis enim deinceps desperet, quis spem abjiciat, postquam factus est fidus custos Unigeniti is populus, qui fuit tyrannicus persecutor populi primogeniti?

Michæas, c. V, vers. 10, ait: « Venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis. » Tamquam explanatius dixisset: Bono animo esto, mi popule, quia in Babylonem abripieris, neque ideo tamen libertate excides; ibi liberaberis. Fuit haud dubium Babylon barbara, et plurimum inhumana erga captivos suos et mancipia, difficillimeque revocare gradum poterant quos sua infelicitas eo semel adduxerat. Dicit nihilominus Deus populo suo: Ne perdas fiduciam, popule meus, mea enim tam ingens potestas est, ut te facile eximere queam, tametsi in mediam Babylonem captivus abducaris; cave interim, ne affligaris animo. Quid suorum verborum sensu allegorico indicare nobis Propheta voluit? S. Gregorius Papa, l. I, *in Ezechielem,* homilia 10, id his verbis enucleavit: Quis iste, qui usque ad Babylonem venit, et ibi liberatus est? Qui postquam confusus mente perversa perpetravit, hæc ipse erubescens mala quæ, fecit, se contra se eriget, et bene operando ad statum rectitudinis redit. Hoc est, quod ait Propheta: Tametsi in ipsam usque ad Babylonem quis excurrerit, aut a prava concupiscentia abduci se passus fuerit, et in maximam tum confusionem, tum cæcitatem inciderit, et in extrema flagitia abjecerit, non propterea spem simul abjiciat, quia omnibus culpis nostris major est misericordia Dei. Ibi liberaberis. Nullum est indignum venia peccatum, omne flagitium paratam habet indulgentiam. Ibid.

Cum exploratam haberet Deus populi sui imbecillitatem, et quam proclivis in deastrorum cultum imposturis abductus deflecteret, dicebat, non propterea prohibere se illum a terra promissionis velle, dum ex animo solum male egisse doleret, inquiens: Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, et assumet

atque introducet in terram, quam possederunt Patres tui, et obtinebis eam. Santes Pagninus transfert : Si fuerit expulsio tua in extremum cœli ; velut dictum fuisset : Bono animo estote, mei Israelitæ, quamquam enim scelera vestra tot sint, ac talia, ut eis promeriti fueritis, tam procul a terra promissionis abstineri, quam longe a terra cœlum abest, dum noxarum vestrarum vos modo pœniteat, in toto corde vestro, et in tota anima vestra, sicut inde offensarum dolor oriatur, unde offensæ ipsæ primum descenderunt, revocabimini ad eam terram, quam majores vestri primum et acceperunt, et habitarunt. *Si fuerit expulsio tua in extremum cœli, inde te retrahet Dominus, atque introducet in terram,* aiebat Dominus. Volo in his aliquid variare, ac dicere : Si fuerit expulsio tua in extremum inferni, hoc est, tametsi tam immanibus flagitiis te contaminaveris, in tam fœda et abominabilia scelera ingurgitaveris, ut ipsi Lucifero adferre horrorem possis, ne properea despera; nam si fiduciæ tantum portam cordis aperias, atque ex animo perperam egisse doleas, ab extremo inferni ad extremum cœli revocari poteris ; inde retrahet te Dominus, et assumet; nec enim ullum est tam grande nefas, quod abstergere ac delere misericordia Dei non possit. Idem, *Dom.* XXI, *post Pent.* § 2.

Discedebat ab opulenta et lauta Sponsi sui domo Sponsa, jamque aliquantum abierat, quando ille dulcem conjugem suam his verbis identidem revocabat, dicens : « Revertere, revertere, Sunamitis ; revertere, revertere, ut intueamur te. *Cantic.* VI. Quæri hoc loco potest, cur tot voces dederit Sponsus, ut Sponsa rediret, et vivendi sui copiam faceret, cum vox una facile sat fuerit illi revocandæ, cujus solius res hic agebatur, et Sponsus nihil utilitatis ex reditu illius exspectare potuerit; cur ergo toties ac tantopere illam inclamavit ? Respondet egregie S. Justus Orgelitanus : Idcirco tam crebro ei, *revertere*, dicitur, ut si jam conversa deliquerit, in desperationem non decidat, sed a peccandi consuetudine spei indulgentia resipiscat. Ibid.

Duo annotavi, quæ plurimam mihi afferunt difficultatem. Ex his illud primum: Cur Spiritus S. in linguis igneis descenderit in Discipulos? Alterum istud: Cur hora nona descenderit? De primo sic habes in libro Actuum Apostolorum: « Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis. » ACT. APOST. c. I, 3. Posterius ex eo perspicue convincitur, quod S. Petrus ebrietatis opinionem, quam de ipso, collegisque illius vulgus habebat, sic diluit, ut diceret, nondum esse horam diei tertiam, quæ apud nos est nona, adeo neminem posse eo tempore esse ebrium. Hora nona ergo, qua discipuli, quod ex novo hospite Spiritu Sancto omnibus linguis loquerentur, existimati sunt ebrii, descendit Spiritus Sanctus, idque in figuris linguarum ignearum. Cur ergo Spiritus Sanctus in ea specie, et tali hora descendit, qui alio tempore id facere, et lineamenta induere alia commodiora et opportuniora potuisse videtur? Ut huic quæsito respondeamus, alia prius difficultas discutienda. Est autem ista : Cum Evangelistæ cæteri affirment, Christum hora nona, quæ apud nos duodecima est, crucifixum ; cur unus Marcus ait, hora tertia, quæ nobis nona, id factum, dicens : « Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum ? MARC. c. XV, 25. S. Augustinus ait, utrumque esse verum, et milites quidem hora duodecima clavis, Judæos vero nona linguis crucifixisse Dominum. Sed juvabit ipsum audire magnum Augustin. Intelligitur ergo, inquit ille, fuisse hora tertia, cum clamaverunt Judæi, ut Dominus crucifigeretur, et veracissime demonstratur, tunc eos crucifixisse, quando clamaverunt. Quodnam atrocius peccatum vel excogitari potest illo Judæorum scelere, qui linguis suis probroso ligno Christum innocentem et immaculatum affixerunt, in cujus sacrosancto ore nec mendacium aliquando inventum est, nec dolus unquam ullus repertus ? Ad erigendos igitur animos, atque ut laxas spei fores aperiret, hora nona, qua horribilissimum et detestabilissimum flagitium perpetratum est, descendit Spiritus S. in ignearum linguarum specie, ut amorem, quo ardebat, tali figura indicaret, velut hoc iisdem linguis, et magnis vocibus dicere voluerit, venire paratum, et igne illo consumere Judæorum alioquin inexplicabile scelus, et illis linguis ab omni noxa, quam maledicentissimis linguis suis illa ipsa hora contraxerunt, liberos eos pronuntiare, tantum si peccasse animitus dolerent, et pessime factum vera cordis pœnitudine damnarent. Ut nullus, in quantamcumque peccatorum miseriam prolapsus fuerit, desperare veniam debeat, cum Dei misericordia etiam omnem humanam mise-

riam infinitis modis antecellat. S. Aug. l. III, *de Concor. Ev.* c. XXIII.

Plinius ait, Rhodi et Syracusis numquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cernatur. Atque hoc quidem admirabile duo ista loca habent. Verum si ad spiritum dictum transferamur, inveniemus, numquam tantis scelerum tenebris contegi omnium totius mundi hominum corda, ut non hora aliqua, parum dixi, ut non quavis hora sol justitiæ Christus, gratiæ suæ radiis ad ea penetrare possit. Ibid.

Argutissimum aliquid habeo ex S. Gregorio Nysseno, vos celare nolim. Propheta Regius misericordiam Dei ita supplex appellabat : « Ne avertas hominem in humilitatem, » (Ps. LXXXIX, 3.) tamquam dixisset : Age, clementissime Domine, ne prorsum confice hominem, indulge potius misero, nec permitte, ut miseriarum suarum abysso sempiternum infixus hæreat. Et dixisti : *Convertimini, filii hominum*, hoc est : Quod tam fidenter ad te peccator accedo, id mihi et ratio persuasit, et jure facere videor, postquam regia tua clementia, velut publicis præconis vocibus peccatori omnium delictorum perfectam indulgentiam denuntiavit, et dixisti : Convertimini, filii hominum. Subdit post hæc David : « Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præterit, » imo velut nihil sunt, si cum æternitate tua componantur. Quæro hic, quid sibi velit, quod S. David ait, annos Deo nihil aliud esse, quam diem hesternum, qui cum abierit, nihil est ? Ut peccatores eo dicto in bonam spem erigeret, quo certam ab illo scelerum veniam exspectarent, qui illam ultro offerebat, dicens : Convertimini, filii hominum. S. Gregor. Nyssenus ait, Davidem hoc dicere voluisse, neminem, quem vere alioquin peccasse pœniteat, debere abjicere animum, aut desperare condonationem, tametsi totis mille annis, totidemque sæculis nihil aliud egerit, quam ut Deum innumeris sceleribus offenderet, eo quod indulgentissimo Deo totum hoc annorum aut sæculorum tempus velut dies, quæ jam effluxit, et quasi nihil sit, aut certe ita reputetur, tanquam omnino non fuisset. Tantum valet pœnitentia ; mille annorum offensas, et plurima flagitiorum perpetratorum sæcula abolere, et obliterare uno momento potest. Accipite Nyssenum: Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit, et quæ pro nihilo habetur, eorum anni erunt. Licet vita infinitis scelerum maculis notata sit, ut collectio illa peccatorum mille annorum esse videatur, pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat ; nam divinus oculus præsentia semper intuetur, præteritum vero non æstimat, sed instar unius diei vel noctis, quæ jam præterit, a Deo habetur. Hæc ille sensus ergo Davidis ex commentatione Nysseni est, de benign itate Dei, et scelerum suorum remissione diffidere neminem de bere, si modo peccasse serio doleat, quamvis pauculo tempore tam multis flagitiis se contaminaverit, quanta alius per millenos, et his plures annos vix perpetrare potuerit ; idque eam ob causam, quod plurimum amet veræ pœnitentiæ studiosos, et præsenti tempore quo pœnitentiæ strenuam dant operam, sic oblectetur, ut præteritos annos, quos peccando exegerunt, non æstimet, sed instar unius dieculæ, ejusque jamdudum elapsæ, habeat. Gregorius Nyssen. I. *tr.* I, in Ps. c. VII.

Adstipulatur fratri suo germano S. Basilius Magnus, qui a quotidiana experientia mutabilitatis rerum naturalium arripit argumentum, quo peccatori conversionem persuadet, quantumvis ea illi ardua et operosa videatur dicens : Nemo in vitio constitutus homo de se ipso desperare velit, haud nescius, agriculturam stirpium qualitatem mutare ; curam autem ac studium in consequendis virtutibus, animi omnes vincere morbos, superareque posse. Granum tritici terræ illatum, ac mortuum, reviviscit naturæ vi et operatione, atque e luto in lucem producitur, ut in culmum, spicamque sese exerens fructum adferat. Sic peccator, quantumvis limo scelerum infixus, calore veræ pœnitentiæ redire in vitam et felicem gratiæ statum potest. Propterea nemo in vitio constitutus homo, inquit S. Basilius, de se ipso desperare velit, ob id etiam, quod infinite major sit misericordia Dei, quam miseria humana. S. Basil. hom. v, *in Hexam.*

Posquam mortuus est Saul, David reversus a cæde Amalec, mansit in Siceleg. Sic fere habet l. 2. Reg. c. 11. Quærit Abulensis, quomodo David mansisse potuerit in Siceleg, cum illi loco ignem subjecerint Amalecitæ, ut conflagraret. Sic enim dicitur, 1. Reg. 30. 1. Amalecitæ impetum fecerunt ex parte Australi in Siceleg, et percusserunt Siceleg, et succenderunt eam igni. Quomodo

ergo figere domicilium in loco exusto sanctus Rex David potuit? Respondet idem: Quamquam Amalecitæ succenderunt eam, ut tota periret incendio, tamen non exspectaverunt ibi, quousque tota exusta foret; David autem veniens, nondum illa plane exusta, flammas extinxit, et vel servavit ab incendio domum habitationi commodam, vel ambustam aliquam instauravit, quod enim non totus deflagrasset locus, fecit, ut animum ad illius reædificationem adjiceret. Tale quid dico in causam præsentem. Quamdiu aliquis non omnino periit, quamdiu spiritum ducit, non est, quod desperet, aut animo cadat, est enim remedium reliquum, est, quo recuperare virtutes, redire in gratiam cum Deo possit, et donec spirat, sperare bene de optimo Domino debet. ABULENSIS, *in lib.* II, *Reg.* c. I.

Cum mortem Ismaelis narrasset Moyses, ait : *Appositus est ad populum suum*; qua loquendi formula quidam Expositores pie colligunt, Ismaelem consecutum beatitudinem. In hac sententia sunt Nicolaus Lyranus, Alphonsus Tostatus, Pererius Guillelmus Eboracensis, Hugo Cardinalis, Joannes Ferus, et nonnulli alii. Tostati paraphrasis in ea verba sic habet : Appositus est ad populum suum, id est, ductus est ad lymbum Abrahæ, in quo erat totus populus civitatis Dei, adventum promissi Messiæ exspectans. Lyranus quoque his affinia scribit, inquiens : Decessit in gratia et amicitia sui Conditoris Ismael. Roboratur tali exemplo ignavia quorumdam peccatorum, et pusillanimitas, ut nemo desperet, sed omnes de immensa Dei bonitate bene sperent; quantumvis enim perdite flagitiosus quispiam sit, si se, ut debet, disponat, (quod cum divinæ gratiæ ope non est difficile) semper apertas divinæ clementiæ fores inveniet, atque in eis Dominum, qui passis brachiis illum præstoletur, ut indulgentissimi pectoris pientissimo sinu excipiat. De Ismaele Angelus Agari matri hæc dixit, et prædixit : « Hic erit ferus homo barbarisque et agrestibus moribus. » GEN. c. XVI, 12. Vix dum duodenis, quando idololatriæ magisterium exercebat, ludus enim, quo cum fratre suo ludebat, non fuit alius, quam quod deastrorum simulacra fingebat, et ad eorum cultum innocentem Isaacum instituebat. Sic Abulensis, Lyranus, Paulus Burgensis, et alii. Quamquam res ita se haberet, et a puero tam immanibus deditus flagitiis Ismael, invenit nihilominus portam veniæ, et locum veræ pœnitentiæ, decessitque in gratia, et nunc fruitur Deo, æternumque fruetur. Quam ergo desperationis suæ excusationem inveniet, aut quare culpam suam adumbrabit peccator, si tale habens propositum exemplum, spem tamen abjecerit, fiduciamque a se abdicarit? Ibidem.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto. LUC. X, 30. Ita Dominus, apud S. Lucam. Theophylactus plurimum admiratur, quod ii latrones, cum et tantam haberent tum ferociendi occasionem, tum libidinem, miserum viatorem semivivum reliquerunt. Nam qui punctim, cæsimque illum invadebant, non potuerunt suam tam urbane moderari crudelitatem, neque sic armorum gubernare ictus, ut non nisi ad vitæ medietatem adimendam pervenirent. Cur non prorsus tota vita exuerunt infelicem illum, qui tam immanium sicarium incurrit insidias? Hic homo, qui Hierosolymis (quæ *visio pacis* dicitur) Jericho (quæ idem est, quod *mutatio lunæ*) petiit, figura est peccatoris illius, qui e gratiæ felici ac sublimi gradu, in culpæ statum miserum descendens, in manus Dæmoniorum incidit, a quibus animæ opibus omnibus nudatus, etiam multis efferate vulneribus oneratur. Ita exponunt venerabilis Simon de Cassia, Dionysius Carthusianus, Gagneius, Guido Carmelita, Stella, et alii plures, quos et longum et otiosum esset recensere. Ex his jam dubitatio, quomodo semivivus relictus fuit, qui in illorum tam crudelium grassatorum sævas manus incidit? Respondet Theophylactus, quod parte sui altera confectus vulneribus, altera vivus relictus fertur hic homo, id factum, ut indicio esset, quod non omnino desperata erat humana natura, atque ut intelligeremus, quantisvis flagitiorum vulneribus saucietur anima, non desperandam ejus vitam, ut cui vitæ pars aliqua semper maneat reliqua, et manere locum veniæ, donec vitæ quidpiam superest, et quamdiu anima in carne agit, spem de illius salute instauranda non abjiciendam. Nam si homo se, ut debet, disponat, et quibus potest viribus conetur, sanabitur, vitaque illi tota redibit, et veniam inveniet, cui tam viva plurimorum perditissimorum hominum proposita sunt exempla, eorum, qui superi Medici pharmacis bene usi, e strato lethalium infirmi-

tatum suarum exsurrexerunt, tantamque incolumitatem sunt consecuti, quantus non fuerit morbus, a quo convaluerunt. Nam ut quidam peccando misere convulneratus, atque ob id bonus artis bene sperandi Magister aiebat : « Ubi abundavit delictum superabundavit et gratia. » Rom. v, 20, hoc est, quamquam nonnullis hominibus peccatum plurima inflixerit vulnera, accedens tamen misericordia, et post culpas ingressa, tantis eorum animas cumulavit gratiis, ut indulgentiarum multitudo numerum plagarum magnum in modum superaret. Confortetur ergo animo peccator, ut qui Deum habeat, in cujus pientissimis visceribus omne peccatum invenit remissionem, omnis noxa suam veniam.

DETRACTIO.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est alienæ famæ injusta denigratio. Unde S. Antonius interrogatus, quid sit detractio ? respondit : Est omnis sermo malus, quem non audet quis præsente eo, de quo loquitur, proferre. Drex. *in Phaet.* c. xv. *Pallad.* c. xix. 15.

Divisio. — Dividi potest in Detractionem *loquendo et audiendo* factam ; his enim binis modis, juxta communem Theologorum sententiam, fieri solet detractio ; unde S. Bernardus ait : Detrahere aut audire detrahentem, quid horum damnabilius non facile dixerim. S. Bern. l. II. *de Consid.*

Actus. — *Falsum alicui crimen affingere.*

Vero crimini falsam circumstantiam, vel argumentum adjicere.

Vere commissum crimen, sed occultum, alteri nescienti aperire.

Factum alicujus male interpretari, v. g. dicere, id ex superbia, hypocrisi aut alia mala intentione patratum esse ; quibus quatuor modis *directe* detractio fieri dicitur, uti indicant sequentes versus :

Si falsa imponis cui crimina ; vera vel auge ;
Detegis occultum ; censes benefacta sinistre ;
Directe Fratris diceris lædere famam.

Negare bonum alterius, vel absolute vel cum tali modo proferendi, ut prudenter in dubium revocari possit, et vituperari potius, quam laudari quis censeatur.

Silere bonum proximi, quando manifestari oporteret. Quod iterum vel nudo silentio, vel gestibus etiam adjunctis, v. g. contractione humerorum, capitis abnutu, aut oculorum conclusione fieri potest.

Minuere meritum alterius, dicendo, v. g. non esse tam magnam doctrinam, sanctitatem aut aliud proximi bonum, quantum vulgo deprædicatur.

Vitiose laudare alium; scilicet per ironiam aut alium similem modum ; quibus quatuor modis *indirecte* fieri dicitur detractio, ut itidem sequentes versus indicant :

Si bona forte neges; sileas ea, dicere quando
Deberes ; minuas meritum ; aut laudes vitiose,
His indirecte sociorum fama fugatur.

Audire alios detrahentes, et non corrigere, cum posset et deberet.

Dum aliis detrahitur gaudere, et cum complacentia talibus detractionibus aures præbere.

Inducere alios ad detrahendum, vel directe, eos alliciendo variis quæstionibus ; vel facilem nimis auditum detrahentibus præbendo. Quibus modis audiendo detractio perficitur, uti sequentes versus ostendunt.

Si faciles famam lædendi porrigis aures;
Aut places infamans ; aut ipsemet allicis illum.
Audito efficitur detractio pessima solo.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Diis non detrahes, et Principi populi tui non maledices. Eccl. xxii, 13.

Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te fidens, quoniam non te dirumpet. Eccl. xix, 10.

Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Ps. c, 5.

Remove a te os pravum, et labia detrahentia sint procul a te. Eccl. x, 20.

Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum ; sed timebis Dominum Deum tuum. Prov. iv, 24.

In cogitatione tua Regi ne detrahas, et in cubiculo secreti tui ne maledixeris diviti, quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam. Liv. xix, 14.

Timeo, ne forte contentiones, etc, et detractiones sint inter vos. II. Cor. xii, 13.

Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras auribus tuis. Eccl. xxviii, 28.

Damum. — Susurratori odium, et inimicitia, et contumelia. Eccl. v, 11.

Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet, qui occulte detrahit. Ibid. x, 11.

Abominatio omnium detractor. Prov. xxiv, 9.

Detractores Deo odibiles. Rom. i, 30.

Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum. Prov. xxiv, 21.

Si invicem mordetis et comedetis, videte, ne ab invicem consumamini. Gal. v, 15.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Ps. xiii, 3.

A detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. Sap. i, 11.

Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula. Ps. liv, 22.

Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. Ps. lvi, 11.

Acuerunt linguam suam sicut serpentis. Venenum aspidum sub labiis eorum. Ps. cxxxix, 4.

Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Matth. xxiii, 33.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.—Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntient, raroque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam; tantaque mali hujus libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum laqueum incidant. S. Paul. *ad Cœlantium.*

Omnino proditorem se noverit, si quis forte, quod absit, vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, et templum Dei speluncam facere Dæmoniorum. S. Bern. *de Dedic. Eccl.*

Hoc vero magis ridiculum est, quod, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, et adjurant, ne cuiquam alteri amplius dicat, hinc declarantes, quod rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas; multo magis te priorem huic dicere non oportebat. S. Chrys. *hom.* iii, *ad Popul.*

Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert, sed et is, qui cito aurem criminibus præbet. S. Isidor. *de Summ. Bon.*

Os detractoris aquiminarium est Diaboli, quod non lustralem et sacram, sed sordidissimam detractionis aquam continet. Guil. Peraldus *apud Drex. in Phaet. c.* xvii. § i.

Si vultu hilari audis detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; ille ignem excutit, tu substernis igniarium. Quod si facie subtristi et aversa detractorem audias, discet ille non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Sin aliter agis, ostendis te illius, cui detrahitur, falsum fratrem, aut timidum amicum esse. S. Hier. Ib. § 4.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris. Per quæ verba Propheta ostendere voluit, quod non transitorie detraxerit, nec ei surreptum sit, ut male de proximo loqueretur; sedens, id est, ex otio, quasi ex hoc vacans, ut derogaret proximo suo. S. Aug. *in append. de Div.* s. xiii.

Calcaneus est inferior pars corporis, et quæ sæpius est in luto; et detractores non digniora, non meritorum et operum sanctorum laudes considerant, sed infirmiora, et quæ defectuosa videntur in homine, ut mordeant ad modum serpentis, cui dictum est: Tu insidiaberis calcaneo ejus. Vinc. Belvacensis, *in Mor.* t. III, l. III, d. iii.

Ad condemnandum cæteros omne vitæ nostræ tempus absumimus, a quo vitio neque Monachum ullum facile invenias liberum. S. Chrys. *de Compunct. cordis,* l. I.

Hoc specialiter vitio periclitatur totum humanum genus. S. Th. III, q. lxxiii, a. 2.

Maxima pars generis humani, indiscreto judicio ad reprehendendum prompta et parata esse probatur, cum tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare? Propter hoc Scriptura divina admonet, dicens: Priusquam interroges, ne vituperes quemquam S. Aug. *ser.* ci, *de Temp.*

Odibilis est detractor, quia videlicet es fæculentus, plenus spurcitia; fraudulentus, plenus versutia; virulentus, plenus nequitia; truculentus, plenus sævitia. Detractor est fœculentus, id est, fœcibus plenus et immundus, quia scilicet in immunditiis conversatur, de immunditiis loquitur, immunditiis pascitur aliorum. Belvac. l. c.

Alia quidem peccata, licet causas habeant a ratione alienas, habent tamen excusationem, utpote scortator libidinem explet, fur paupertatem, homicida iracundiam sedat; maledicus nullam potest excusationem afferre. Quam enim, quæso, pecuniarum copiam acquirit? Quam libidinem explet? Nihil aliud est, quam invidiæ materia, cui nulla

suppetit justa causa, nec injusta, propterea nulla venia digna censetur. S. CHRYS. hom. III, *de Prophet. obscur.*

Detractio est locutio ex invidia bona aliorum denigrans. HUGO.

Detractio est venenum amicitiæ. S. AUG. *de Amicit.* c. XIII.

Lingua detractoria vipera est. S. BERN. *de tripl. Custod.* ser. II.

DAMNUM. — An non et ipse moritur, qui venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua propinat, siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur, et dum nescit, paulatim in eo fraterna charitas frigescit? Auditurus est forsitan etiam ipse, cui detrahitur; undique enim verba volant, et multorum prius ora sermo pertransiens, difficile fieri potest, quin singulorum creverit linguis, et quasi jam profectus referatur ad eum, ad cujus spectat offensam. S. BERN. *serm. de tripl. Custodia.*

Hæc cum Mariam Moysis quoque sororem attigisset veneno suo, leprosam eam confestim reddidit, ac vicissim Domini iracundiam et furorem adversus eam induxit. Hæc et universas domos subvertit, et pacatas ad bellum excitat; hæc et pulchræ pacis vincula dissolvit, et magnæ charitatis nodum diffringit; hæc et a divinis mandatis abductum hominem, legem transgredi docet, et a Dei amicitia avulsum procul a veritate detorquet. S. CHRYS. *in* Ps. C.

Omnis, qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate; deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit. Ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt, lingua maledica, et quantum in se est, necat funditus et extinguit; non solum autem, sed et in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos, qui præsentes sunt, pervenire contigerit. S. BERN. serm, XXIV, *in Cant.*

Omnes aversantur maledicum, ut eum, qui lutum redoleat, ut hirundinem, quæ sanguine, et scarabæum, qui stercore, alienis malis aluntur. S. CHRYS. in Ps. XLIX.

Inter omnia illa, quæ de corde exeunt et de ore procedunt, hominem, immo totum mundum inquinantia, sunt execrandæ detractiones, S. BERNARDIN. to. II, serm. XXIX, *art.* I, c. I.

Peccata in proximum tanto sunt graviora, quanto majus nocumentum inferunt ei; cum ergo per detractionem unus auferat alteri bonum nomen, et lædat eum in fama, faciatque eum aliis contemptibilem atque despectum, ideo magis peccat, quam fur, qui exteriorem tollit substantiam, quia bona fama est præstantior. DYON. CARTHUS. *in ep.* VIII.

Qui detractioni studet, Diabolo servit. Grave malum, turbulentus dæmon est detractio. Ex ea odia pullulant, jurgia conflantur, dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ procreantur; sine ulla causa hostem reddit, qui paulo amicus erat : universas domos subvertit; et pacatas domos ad bellum excitat; pulchræ pacis vincula dissolvit; magnæ charitatis nodum infringit.

Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in pulverem sufflant et in oculos suos terram excitant, ut, unde pulvis detractionis perflaverit, minus inde veritatis videatur. S. GREG. hom. *in Ez.*

Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Parce a detractione linguæ, custodi sermones tuos, et scito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tua conscientia judicaris, et in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas. S. HIER. ep. II.

Fugiamus, dilecti, fugiamus detractiones, docti, quod est totum Satanicum barathrum insidiarum ejus hæc insessio. Ut enim nostra negligamus, et graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem Diabolus duxit. S. CHRYS. hom. III.

Pejor est detractio in magni nominis viro, quam in plebeis. S. AUG. *sup.* Ps. XLIX.

Detrahentes in terram insufflant, et pulverem in oculos suos mittunt. S. GREG. *in Registr.*

FUGA. — Si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus non crederemus, jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quam seipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur. S. HIER. l. II, ep. XIX.

Qui detractorem minime admittit, tum seipsum immani hujusmodi peccato liberat, tum detractorem hac ratione ab iniqua proximi accusatione dimovet, tum eum etiam, qui accusatur, crimine liberat, ac denique pacis arbiter et amicitiæ dux existit, dum obtrectatoris animum et voluntatem odit, ac detestatur. S. CHRYS. *in* Ps. C.

Eliminemus omnem ex ore nostro detractionem, scientes, quod, etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperæ vitæ hujus utilitas proderit, nisi a detractione abstineamus; non enim quæ intrant per os, coinquinant hominem, sed quæ exeunt ex ore ; si quis, te prætereunte, stercus moveat, nonne (quæso) hoc facientem convitio et contumelia afficeres ? Hoc fac et erga detractores; non enim sic commotum stercus illum fœtorem suscipientem cerebri membranam percellit, sicut aliena peccata excussa, et vita impura prodita audientium animos contristare et conturbare solent. Idem, tom. II, hom. III, *ad Populum*.

Cave, ne ipse detrahas aliis, aut alios audias detrahentes; non minus auribus, quam lingua fugias detractionem ; nam detractor, dum te videt non libenter audire, non facile potest detrahere. S. HIER. *Epist. ad Heb.*

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Magnus detractor Religiosorum et aliorum mortuus cum esset, post multos annos, aperto sepulchro, totum corpus computruisse repertum est, præter linguam, quam tam pestilentem vermes rodere horruerunt. *Discipul.* serm. XCI, *Dom.* IV, *post Pent.*

Alcanæ in Hispania, vir nobilis Alphonso de Castro, Franciscano, dixit, se in honorato consensu jactasse matronam Aulæ principem a se corruptam, et id falso se commentum. Cui alter dixit : Domine, casus tuus est insanabilis ; actum est de salute tua. Stetit attonitus nobilis, et diu noctuque secum hoc oraculum revolvebat, donec Salmanticæ in P. Franciscum de Victoria, Dominicanum, incidit, qui eum ultro allocutus, mœroris causam elicuit; cumque ei diceret, si coram iisdem dicta retractaret, posse eum salvari, nec alia opus esse pœnitentia (obtulerat enim se ad omnem aliam pœnitentiam) negavit alter, se id facturum ; tunc Sacerdos ei asseruit, vera P. Alphonsum dixisse. ENGELGR. *Dom.* VIII, *post Pent.*

FUGA. — S. Propheta David de se ipso fatetur, quantopere hoc vitium fugerit, dum ait : Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Psal c, 5.

S. Augustinus, ut convivas suos a superfluis et noxiis fabulis et detractionibus sese abstinere debere admoneret, hoc dystichum supra mensam habebat :

> Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
> Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Hosque versus tam accurare observari curavit, ut aliquando familiarissimis quibusdam Episcopis perperam de aliis loquentibus commotus diceret, aut delendos esse hos versus, aut se de mensa surrecturum. POSSIDEN. *in Vita* c. XXII.

S. Franc. Seraphicus, cum quidam e suis domesticis multa in alium ore temerario diceret, Vicario suo dixit : Surge, Pater, et rem bene discute. Quod si accusatus sit insons, ita puni accusatorem, ut omnibus sit exemplo, sentiatque se puniri. Immo putabat, vestem religiosam ei detrahendam, quisquis alteri hoc famæ palliolum subtraxisset, ut, quod ille aliis, hoc alii facerent illi, eaque ratione detractor ad restituendam famam adigeretur. S. BONAV. *in Vita* c. VIII, § 1.

S. Joannes Eleemosynarius etiam publice peccatores taxari vetabat, quia fieri potest, ut peccatum pœnitendo deleverint, atque adeo iniquum sit, ut id ab homine petulanter exprobretur, quod ab ipso Deo jam fuit condonatum. FABER, *in conc.* I, *Dom.* VIII, *post Pent.* n. 3. Idem, si quem obtrectantem audiisset, mox admonuit, et in alios sermones deduxit. Si pergeret alter, tacebat quidem Joannes, sed nomen ejus notabat, et, colloquio finito, ei, qui a cubiculis erat, præcipiebat, ut talem hominem amplius non intromitteret. DREXEL. *in Phaet.* c. XVIII, § 2.

Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, cum alios falcem in alienam famam mittere adverteret, mox sermonem alio convertere conatus dixit : Quivis, quod volet, sentiat et dicat, ego aio hanc domum bene structam esse, et bonum fuisse magistrum, qui eam exstruxit. Ibid. § 6.

Machetes senex id gratiæ a Deo impetravit, ut quoties de rebus divinis loquentes audiebat, nunquam obdormisceret ; si vero detractorii, aut alii inutiles, aut noxii sermones instituerentur, mox in somnum laberetur. Ibidem.

Constantinus Magnus dicere solebat, se si Præsulem publice peccantem videret, paludamento suo facti infamiam operturum. BARON. tom. III, *ad an.* 323.

Christus Salvator noster omnes operationes ad nostram ordinans eruditionem, in hac singularissime materia nobis notabilium post se reliquit exemplorum vestigia, ut discamus maxima cum cautela de proximis sermocinari. et non nisi urgente necessitate, eorum peccata manifestare. Peccatricem conversurus Samaritanam, omnes simul Apostolos, licet unus eorum suffecisset, in urbem misit ad victui necessaria comparanda, ne coram iis manifestare compelleretur mulierculæ flagitia. In horto Gethsemani quid convenientius videri poterat, quam ut eosdem Apostolos in sua conservasset societate, non ut ab auxiliatoribus haberet opem, sed ut imitatoribus patientiæ, benignitatis, fortitudinis, inque tyrannorum persecutionibus, quibus Magistri in cœlos ascensionem exponendi erant, constantiæ præberent exemplum? Et nihilominus, ubi vix armata ingruerat cohors, nihil adeo sibi cordi induxit, quam ut ei præciperet: « Si me quæritis, sinite hos abire; » sciens namque eorum pusillanimitatem, qui omnes relicto eo fugerunt, anticipare ipsorum reputationi, et honori consulere intendebat. Mansi, disc. iv, n. 5.

S. Joseph Virginem Sponsam suam, gravidam conspiciens, neque originem rei gestæ, dignoscens, tam ab omni suspicione sinistra, quam quocumque diffidentiæ verbo in conjugem suam abstinens, quantum creditis Deo præstiterit obsequium? Adeo cœlum in heroico isto actu sibi complacuit, ut Angelum Josepho destinarit, qui ei prægnationis panderet mysterium. Unde S. Hieronymus inquit: Blandientis affectu ei per somnium Angelus loquitur, ut justitiam silentii comprobaret. Angelus amorosis verbis hoc gratissimum Deo commendavit silentium blandientis affectu; incomprehensibile namque amoris et benevolentiæ divinæ lucrum conciliat, alienæ occultatio imperfectionis. Non S. Annæ, non S. Joachimo, Mariæ genitoribus quidquam conquestus est, ne per umbram quidem suas iis imaginationes, cogitatusque revelavit, quia Dei amore flagrabat. Ibidem.

Deus ipse, prout considerat S. Damianus, a nobis offensus, culpas quidem nostras in severissima ponderat trutina, ast ignominiam, severumque, quale merito infligere poterat coram universo mundo, supplicium abscondit, nosque tolerat, ut, quantum est ex parte ejus, omnia in occulto lateant, usque ad extremum diem judicii, quando illuminabit abscondita tenebrarum. Immo dum ad indulgentiam consequendam, spontaneam nostrorum scelerum exigit confessionem, hanc inviolabili potentiæ Sacramentalis sigillo munivit. Ibidem, n. 8.

Joannes Rho de Joanne Avila, magno hujus sæculi vitæ spiritualis Magistro, hæc refert. Cum ab omni detractione quam plurimum abhorrebat; tum si (quod sæpiuscule domestica in fabulatione fieri videmus) aliena fama vellicaretur, statim adducto supercilio, manu mensam, sellamve pulsans: Nos vero, aiebat, nostra curemus, hominique huic triginta dies tribuamus, ut se ad defensionem comparare possit; tum judicio licebit experiri. Rho, *Var. Hist.* lib. IV, c. iii, § 1.

Primi Christiani mutuo se fratrum titulo insignire consueverant; ideoque S. Jacobus Apostolus Christianos a detractionis vitio avocaturus: *Nolite*, inquit, *detrahere alterutrum, fratres mei.* Quam doctrinam prima illa sæcula vivaciter adeo, solideque imbiberunt, ut (attestantibus Ecclesiasticis Annalibus) nullus unquam primorum fidelium, medios inter tot persecutionum et falsarum imputationum turbines, repertus fuerit murmurasse, aut detraxisse Principibus maxime et Imperatoribus, quorum tunc temporis tanta desæviebat impietas. Mansi, disc. i. n. 1.

S. Thomas Villanova die quodam in antecamera audientiam præstolans Caroli V, dum plurimis cinctus aulicis, aliquorum audiret murmurationes, zelo zelatus modeste surrexit, ita affatus circumstantes: Vos Principes obsecro, ut alia confabulari velitis; aut per vos hinc mihi liceat abire. Moxque Magister equitum tam raro virtutis exemplo commotus, subjunxisse fertur: Hic enim vere religiosus est, qui sui ubique similis, virtutem, nullo hominum timore, audeat profiteri. Rho, l. c. § 1.

Idem auctor de quodam Ordinis Fratrum Minorum Religioso, cui nomen, Paschalis Baylonius, factum exponit verbis sequentibus, summe notandum: Ne pestilens detractionis aura, vel absentium famam, vel audientium conscientiam afflaret, præsenti illico laude, veluti alexipharmaco, utebatur; neminem vituperari audivit, quem ipse non laudaret, dictitans, hominem omnino nullum adeo perditis moribus inveniri, in quo nihil laudabile sit. Ibidem § 5.

Damnum. — Quidam frequenter detrahere solitus, morte præventus est sine confessione; neque enim merebatur, ut ea lingua peccati venenum emoveret, quæ tam frequenter aliorum innocentiam lacerarat. Apparuit non longe post mortem cuidam, vitæ suæ præmia condigne ostendens; habebat linguam quasi igneam ab ore usque ad terram dependentem, quam crebris morsibus mordebat, corrodebat, exspuebat; cumque particulatim eam conscidisset, rursus ad priorem quantitatem reformabatur, denuo corrodenda. Quæsivit is, cui apparebat, quidnam hoc designaret? respondit: Quia cum vixi, per maledictum hoc membrum omnes sum persecutus, ab hoc tormento in perpetuum non liberabor. Mansi, disc. ii, n. 6.

Teste S. Vincentio Ferrerio summa divina pietas detractori cuidam delicta remiserat, cujus proinde anima in maledictionum pœnam ad Purgatorium conducta fuit; ex quo post satisfactionem omnimodam exempta, dum cœlum ingredi pararet, supernas sibi portas in faciem occludi vidit, vocemque inaudiit dicentem sibi: Non intrabis, quia primo habes restitutionem facere famæ illius. In terram itaque descendere coactus fuit, ut suo satisfaceret debito. Nec cuiquam id difficile videatur creditu, inquit idem Sanctus; ego scio, id esse verum, quia ego ipse per ipsum diffamatus sum, et a me veniam petivit. Ibid. n. 9.

Maria, Moysis soror, eo quod Moysi detraxisset, fœdissimo lepræ morbo percussa est, a quo, ne ipso quidem Moyse supplicante, liberata est, ut S. Basilius testatur. Unde merito S. Ephrem dicebat: Ex teterrima Mariæ Prophetissæ lepra docemur, quam grave ac detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus. Nam sicut illa defecerat a fratre suo; ita et ab ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret. S. Eph. tom. I.

Sacerdos quidam, qui adeo huic vitio deditus erat, ut si vera vitia, quæ aperiret non inveniret, falsa confingeret, ante mortem raptus in furias tanta in se cæde est debacchatus, ut propriis dentibus linguam concideret et laceraret. Cantip. l. II, *Ap.* c. xxxvii.

Cum aliquando tres improbi peccatores S. Narcisso Episcopo graviter detraherent, et prius quidem diceret: Si verum non dixero, igne dispeream. Alter: Si mentitus fuero, corpus sævo morbo absumatur. Tertius autem: Si verum non dicam, utroque cupio oculo privari. Et ideo S. Narcissus ob tantas calumnias se in eremum abdidisset. Deus illius patrocinium suscipiens effecit, ut primus quidem scintilla in domum injecta cum ædibus conflagraret; alter morbo, quem sibi imprecatus fuerat, a vertice usque ad talum contabesceret; tertius hoc eventu territus tot lacrymis suum scelus defleret, ut oculos tandem amitteret. Eusebius, lib. VI, c. viii.

Anno 1606, cum Zagabrii in Austria quidam primarius vir Religiosis quibusdam in plurium consessu graviter detraheret, et locum digito monstrans diceret: Inde præcipitandi sunt hi nebulones! post paucas horas ille ipsemet in illum locum abscendens, e summis scalis capite pronus ruit, et semimortuus domum delatus est, ubi errorem agnovit, et veniam precatus est. Drexel. *in Phaet.* c. lxxi, § 2.

Clericus quidam pessimus detractor, cum post mortem ex pacto suo socio apparuisset, dixit omnes eos quibus detraxerat, apparuisse, ipsumque graviter accusasse; unde et damnationis sententiam acceperit. *Spec. Ex.* pag. 264.

Mulier quædam Macarium, cum in eremo habitaret, accusans falso, quod ipsam prægnantem fecisset, efficiensque, ut graviter a parentibus aliisque loci incolis, convitiaretur et cæderetur; appropinquante tempore partus, plurimis diebus in summis cruciatibus hæsit, nec parere potuit, donec crimen fassa honorem S. Macario iterum restituit. *Vit. PP. apud March. in Hort. Past.*

Religiosus quidam in Anglia detractionibus deditus, in agone frustra aliis resipiscentiam suadentibus, linguam extraxit, dixitque: Ista pessima lingua me damnavit. Ibidem.

Montepolitani, cum quidam civium Patrum Societatis habitu assumpto meretricis domum ingressus esset, effecissetque hoc facto, ut iidem urbe ejicerentur, gravissime in agone cruciatus, prius mori non poterat, quam crimen a se patratum publice retractaret. *Hist. Soc.* p. 2, *anno* 563, n. 25.

Juvan Basiliæwiz, Dux Moscoviæ, Tyrannus, si comperit feminas de se male locutas, eas jussit supra mensas suspendi, ad

quas accumbebatur; nec licebat accumbentibus eas removere aut alio loco cibum sumere, nisi venia impetrata cadavera removendi ac sepeliendi. ZEILER. *Centur.* V, epist. XXI.

Donatus quidam, natione Afer, presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanensis, cum in convivio positus, in quo erant nonnulli militares religiosi, detraheret memoriæ Sacerdotis Ambrosii, aspernantibus illis et deserentibus linguam nequam, subito vulnere percussus gravi, de eodem loco, in quo jacebat alienis manibus sublevatus in lectulum positus est, atque inde ad sepulchrum usque perductus. PAULIN. *apud Baron.* tom. V, 397, 24.

Clotarius, Francorum Rex, cum anno Domini 615, peremptis hostibus, solus totius Galliæ Regni monarchiam consecutus esset, nihil antiquius habuit, quam ut coleret pietatem, Deique amicos, viros sanctos usu sibi amicitiæ jungeret, atque consiliarios haberet; fuit ex iis unus Arnulfus, Metensis Episcopus, cui suum filium Dagobertum tradidit instituendum, quem totius Regni heredem fore speraret. Tanti enim sanctum hunc virum faciebat Rex, ut eo inconsulto quidquam facere non auderet; itemque Regina, qui non interdiu tantum, sed noctu etiam eumdem adire soleret, unde curialibus canibus oblatrandi in eam et famam ejus dilacerandi et corrodendi occasio data est; sed quam severe Deus ultus sit in hujusmodi detractores, accipe. Quidam scelestus homo, nomine Notto, ausus est irrogare cum complicibus suis Episcopo sancto injuriam, asserens scilicet, eum non esse cultorem Dei, sed potius hominem deditum voluptati, ad cujus lectum nocturnis horis non solum Rex, verum etiam Regina, tanquam consilium flagitantes, interdum properarent. Cum ergo vir ille, die quadam, alvo referta vino, una cum detrahente socio suo strata petiisset, jubente Domino, omnia vestimenta illorum vallantur undique flamma. Quibus illico cum ingenti clamore prosilientibus et aquam injicientibus circa genitalia loca, ubi indusii eorum acerrime cremabantur, nec omnino flammam divinitus missam extinguere valentibus, tandem ad instar porcorum luto volutabri sese pariter involvunt, et ibi diu vociferantes, vix ad ultimam pœnam quam merito patiebantur, evaserunt. In quibus profecto impletum est illud psalmi, *detrahentem secreto proximo suo, persequar.* (Ps. C.) in tantum ut et illud divina censura factum non ambigamus, quod detractores isti vehementissime cremabantur, in partibus illis, ubi libido, de qua calumniabantur virum justum, regnare non dubitatur. Nec multo post auctor hujus detractionis præfatus, videlicet Notto, in hujusmodi criminibus diffamatur apud Regem, ut scelera ejus una cum vita legalis gladius amputaret, necnon et filius ejus eidem sententiæ subjaceret.

Felix, Portuensis Episcopus, Sabionensi provincia ortus, Sanctimonialem quamdam eodem in loco fuisse testatur, quæ carnis continentiam quidem habuit, sed linguæ procacitatem non declinavit. Hæc igitur defuncta in Ecclesia sepulta est. Eadem vero nocte custos Ecclesiæ per revelationem vidit, quod deducta ante sacrum Altare per medium secabatur, et pars una illius igne cremabatur, et altera intacta remanebat. Cumque hoc surgens mane Fratribus narrasset, et locum ostenderet, in quo fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio ita ante altare marmoribus apparuit, ac si illic eadem femina igne corporeo fuisset concremata; qua ex re aperte datur intelligi, quia hi, quibus peccata dimissa non fuerint, ad evitandum pœnam sacris locis post mortem non valeant adjuvari, et quam periculosum sit crimen detractionis. S. GREG. lib. IV, *Dialog.* c. LI.

EXEMPLA DOMESTICA.

Sanctus Ignatius numquam aliis detraxit, sed nec detrahentibus aures dedit, multo minus vero, ut ab aliis vitia aliena protraherentur, pati voluit. Errata domesticorum miro silentio tegebat, et si forte aperire necesse foret, non pluribus, quam opus erat, manifestabat. *Vita*, l. I, c. VI.

P. Petrus Faber diligentissime cavebat, quidquid minuere opinionem de aliis, et conjunctionem dirimere posset, in quam rem assiduo preces et sacrificia offerebat. *Vita*, l. V, c. XXV.

Julianus Serra, scholasticus, vel umbram detractionis horrebat; unde quando in circulo loquentium stabat, et aliquid contra sociorum existimationem proponebatur, illico rubore suffusus, ex circumstantium corona se subducebat. *Annal. Sardin. Coll. Calaritan.* 1613.

P. Franciscus Suarez convivio ab Ulyssi-

ponensi Archiepiscopo acceptus, cum quemdam alteri detrahentem audisset, surgens : Aut iste sermo, inquit, præscindendus est, aut ego cum vestra venia hinc abeo. P. Rho, *in Exp.* CLIII.

EXEMPLA PROFANA.

Titus Tacitus Metello sibi obtrectanti respondit : Facile est, in me dicere, cum ego responsurus non sim. Tu maledicere didicisti, ego maledicta contemnere. Si tu tuæ linguæ dominus es, ut quidquid libet, effutias ; ego quoque aurium mearum, ut quidquid obvenerit, audiant inoffense. March. tr. II, prop. II *in Horto Past.*

Zollus rogatus, cur sic omnibus malediceret ? respondit : Quia male facere nequeo. Ælian. l. XI.

Socrates nuntianti quemdam esse, qui maledictis eum perpetuo incesserat, respondit : Bene loqui nescit. Laert. l. II.

Vespasianus et Titus Imperatores tanto odio detractores prosecuti sunt, ut flagellis cæsos, veluti publico exitio destinatos, per Amphitheatri arenam spectandos traducerent. Alex. ab Alex. l. III, *Gen.* c. XXII.

Domitianus detractores urbe expulit, hanc vocem crebro usurpans : Obtrectatores et calumniatores, qui non castigat, irritat. Tympius *in Spec. Mag.* p. I, fig. 47.

Plato, cum ei diceretur, esse nonnullos, qui famæ illius detraherent, dixit : Ast ego sic vivam, ut illis fides non habeatur. Sylvius, l. II *de Reb. Alph.*

SIMILITUDINES.

Qualitas. — Sicut, porci amænissimum hortum floribus consitum ingressi, flores non attingunt, sed limum vel aliam luculentam materiam invenientes in ea se volutant, et ore suffodiunt; ita detractores in homine non virtutes et laudabilia facta, sed sola crimina et defectus coram aliis proferre gaudent, ut eorum famam imminuant. Stapl. th. II *in Dom.* III, *post. Pen.*

Sicut ranæ de die et palam tacent, in paludibus suis lutosis quiescentes, de nocte autem vociferantur et coaxant ; sic detractores publice alios vituperare non audent, occulte autem id facere liberaliter gaudent. Ibid.

Sicut scarabæus nullum bonum odorem sustinet, sed in stercore semper versatur, eoque se oblectat et pascit ; ita et detractor. Hinc S. Chrysost. monet dicendum tali : Habes, quem laudes? Aures aperio, ut unguenta suscipiam. Si vero malum velis dicere, obturo aures. Non enim stercus et cœnum accipere sustineo. Ibid.

Sicut canes assidue quærunt, quod rodant; ita detractores, quod occulte carpant. Hinc S. Gregorius ait : Qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur. S. Greg. l. XIV, c. XIV.

Sicut camelus ante quam bibat aquam, calcando eam turbat, ne deformitatem suam aspiciat ; sic detractores, ne suos defectus intueri cogantur, alienam famam detractionibus turbant et obscurant. Sanctissimum illis est Ephesinorum decretum : Nullus inter nos excellens esto. Plin. l. VIII, c. XVII.

Sicut non tantum male agit qui proximi ædes incendit, sed etiam qui aquam, cum posset, ad sopiendum ignem non affert ; ita non detractor solum, sed etiam favens auditor detractionum culpæ pœnæque reatum contrahit. Drex. *in Phaet.* c. XVIII, § 5.

Sicut ericius marinus, quia aculeis plenus est, piscibus omnibus timori est ; ita detractor hominibus propter detractionum aculeos. Ibid. c. XVII.

Sicut dentes cibo partem aliquam detrahunt, atque a *demendo* dicti sunt ; ita detractores dentibus in S. Scriptura comparantur, quia hominum vitam et famam corrodunt. March. tr. I, lect. XXVII.

Sicut lupi humanæ carnis tam appetentes sunt, ut etiam tumulos effodiant, et humanam carnem in cibum sibi exhument ; ita detractores tam avidi sunt famæ alienæ lædendæ, ut ne mortuis quidem parcant. Drex. *in Phaet.* c. XVII, § 1.

Sicut exploratores Terræ Sanctæ equidem fecunditatem et abundantiam negare non poterant, nihilominus tamen alia ex parte eidem detrahere elaborarunt ; eodem prorsus modo maledici virtutes et publica censurandorum bona opera negare non præsumunt, hujusmodi laudant atque extollunt ; ast fine perversissimo, siquidem id totum agunt, ut majorem sibi apud audientes concilient fidem. Unde S. Bernardinus inquit : Solent venena occulte prædulcia propinari ; sic detractor, ut fides sibi adhibeatur, primo in aliquo commendat eum, cui detrahere cupit. S. Bern. Sen. tom. II, ser. XXIX, a. 2, c. I.

Sicut spina mollitiem habere solet in ortu suo, tamen dum crescit, induratur, et quandoque etiam venenose pungit; sic etiam detractor quandoque in principio non pungit, sed demum pungendo, venenum detractionis in audientium mentes infundit. Idem.

Sicut quibusdam canibus innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. Idem de maxima murmuratorum parte astruere licet, habitum induerunt detractionum, ita ut quodammodo abstinere nequeant, murmurantes quandoque potius ex consuetudine, quam ex malitia. SENECA, *de Remed. fort.*

Sicut mulier prægnans gravibus oppressa doloribus contorquetur, usque dum pariat; canis sagittam circumferens in latere, inquietus volvitur, donec eam excutiat; maledici pariter inquietudini subjacent, donec coram hominibus ejusdem genii, suæ emovant detractionis virus, occasionem et sodalitium indagant, circumeunt, inquietantur, cruciantur, usque dum in lucem ediderint pessimum diffamationis partum. MANSI, disc. III, n. 3.

Sicut onocrotalus nescit cantare, nisi immerso in luto rostro; ita detractor similis est huic avi, qui nescit cantare, nisi cum rostrum tenet in luto, et tunc dat stridorem pro cantu, sic detractor tenet os in lutum vitii alieni, teste Ecclesiastico, cum ait: Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur, et qui cum eo manserit, odiosus erit. BELLOVAC. l. III, tom. III, dist. III.

Sicut quantumcumque serpens post veneni impressionem incantetur, nihil prodest percusso, nisi alterius remedii fiat applicatio efficax; ita etiam post completam alienæ famæ diffamationem, clamate, vociferamini, corrigite detractorem, quantumcumque libuerit; actum agitis, nisi ipse famam restituat. MANSI, disc. VI, n. 9.

Sicut canes in macello degentes, licet multæ ibi carnes asserventur, nihil tamen earum attingunt, sed vel ossibus, vel sanguine, vel putrida carne pascuntur; ita sæculares plurimi cum Religiosis et Sacerdotibus, vel aliis servis Dei amplius, quam discretio postulet, intrinsece et domestice conversantes, nihil exempli boni, licet multa videant, ex eis asportant, sed quid fragilitatis conspexerint, aut otiosum verbum, vel risum, aut consimile factum. S. BERN. tom. I, ser. XXIII, c. II.

Sicut sepulchrum patens, licet nihil recipiat, tamen aerem vicinum corrumpit; sic fœtidi detractores, licet nullum malum exemplum verbo vel facto datum sit eis, tamen eorum corda et ora corrupta semper in detractoria verba prorumpunt. Idem, l. c. c. I.

FUGA. — Sicut sagitta, si mittatur contra duram materiam, nonnumquam in mittentem revertitur, et vulnerat mittentem; ita detractor cum tristem faciem viderit audientis, immo non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat judicium sanguinis, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliva siccatur, et per consequens a detractione desistit. Quam similitudinem S. Pater alibi sic effatur: Sicut sagitta in lapidem impacta desilit, et ipsum interdum jaculatorem percutit; ita detractio si obfirmatum animum reperiat, plus detractori, quam illi, cui detraxit, nocet. S. HIER. l. II, ep. XIII *ad Rusticum.*

Sicut vas ex electro formatum hanc habet proprietatem, quod, dum venenum eidem immittitur, obstrepat, variosque colores induat, hacque ratione, quod in eo latet toxicum detegit et manifestat; unde qui aliis toxicum præparant, illud ejuscemodi vasi immittere cavent. Sic pro certo debent esse viri Sancti, quia si venenum detractionis infunditur in auribus alicujus electi, id est, alicujus Sancti viri, statim procul dubio debet stridere per detractionis reprehensionem, et vultum suum debet in colore mutare, per displicentiæ ostensionem. PETR. BERCHOR. *in v. Detractio.*

Sicut ignis quando nullam straminis, vel lignorum invenit escam, augeri aut crescere nequit, sed subito extinguitur, e contra vero mire augetur, dum magnum illi lignorum pabulum adjicitur; ita quoque in vitio hoc contingit, nemo enim meliorare, aut maledicere alicui potest, si non habeat aliquem, qui aures ei præbeat, et ideo detractor in tantum male de quopiam loqui præsumit, in quantum se ab aliis libenter auscultari persuadet. Si detractorem hilari vultu audis, ligna admoves, quo detractionis ignis exardescat; si statim inchoata detractione tristem vultum avertis, scintillam extinguis, quasi super expueres, ut suffoces. MANSI, disc. XV, n. 4.

DAMNUM. — Sicut inter instrumenta vulnus infligentia, nullum habet adeo difficile remedium, ac sagittæ vulnus, nam ferrum sagittæ profunde penetrat, et veneno infectum esse solet, unde cum vulnus facit, non

potest curari, nisi scindendo partem offensam, periculosasque incisiones, et novas aperturas requirit; sic, qui famam lingua læsam cupit reparare, et vulnus sanare, sæpe novam incisionem et læsuram facit, renovat et auget vulnus, nec potest ferrum latens extrahere, hoc est, impressionem nocivam, quam lingua sua venenata aliorum animis infixit, non potest educere, et vulnus sanare, manetque ipsa causa efficax damni. Idem, disc. XII, n. 6.

Sicut hyena odit lucem, tenebras amat, cadavera eruit, vermibus nutritur, putredine gaudet; ita et detractor in sepulcro oblivionis tumulatos eruit aliorum defectus et peccata, immo et ipsis quandoque insidiatur mortuis, in aliorum malitia et vitiis sibi complacet, detrahit in abscondito, proximorum unice oblectatur excessibus et flagitiis. Quod mirabilius est, inquit S. Bernardinus, nec quandoque parcunt detractores longo jam tempore sepultis, quin etiam exhument, et devorent illos, dum detrahunt eis. S. Bernn. Sen. tom. II, s. XXIX, a. 2, c. I.

Sicut sepulchrum, quasi dentibus armatum foret, omnia in se reclusa consumit, devoratque corpora, quasi struthionis stomacho polleret, ea quasi in nihilum reducit; ita et detractor vorax est, teste S. Bernardino, devorat amplius, quam infernus, infernus devorat solum malos. Ibidem.

Sicut proprium est vulpibus, vites devorare, dum florent; ita et malarum proprium est linguarum detrahere iis, qui in virtutum bonarumque operationum flore, nec non in optima apud mundum opinione supereminent eos flore, id est, fama, æstimatione et reputatione destituunt. Demoliuntur vineas; amicitiarum, consortii humani, palatiorum, religionum, congregationum sunt venenum, pessima rixarum et discordiarum seminantes zizania. Pessima vulpes, inquit S. Bernardus, occultus detractor. S. Bern. serm. LXIII. *in Cant.*

Sicut serpens occulte mordens venenum inserit; sic detractor clam detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem, et nihil habet a serpente minus. Alcuinus, *apud Mansi*, disc. V, n. 1.

Sicut aspides virus suum in lingua continent, et spuendo ejaculantur, ac licet vix ullum morsus sui vestigium relinquentes, mortem tamen inferunt ostiolo ægre visibili; sic detractores sæpe pauculis verbis famam et vitam auferunt alteri, licet vix advertatur morsus. Drex. *in Phaet.* c. XVII, § 2.

Sicut Sirenes dum suaviter canentes audiuntur, navem cum vectoribus evertunt; ita detractores ruinam afferunt iis, a quibus libenter et cupide audiuntur. Ibid. c. XVIII. § 1.

Sicut is, qui vasa furto sublata, coram aliis ostentat, non tam dominum vasorum, quam suos defectus et imperfectiones ostendit. S. Chrys. hom. XXIX. *in Acta.*

Sicut sagitta pedi infixa nullam quietem concedit, donec extrahatur; sic latens scientia alienorum delictorum tamdiu vexat detractores, donec inquirant aliquem, cui ea revelent. Fab. *Dom.* III *post Pent. conc.* IV.

Sicut novacula barbam citissime radit, sed ea tarde repullulat; ita detractio famam celerrime quidem aufert, sed hæc difficulter restituitur. Ibid. n. 3.

Sicut apes cum dolore infigunt aculeum, sed tandem eo relicto ipsæ quoque pereunt; ita et detractores maligni contabescunt paulo post, quam proximo malum inflixerunt. Langius, *in Polyant.*

MOTIVA.

Dei exemplum; de quo S. Petrus Damianus dicit: Ecce tacet; videt, nec manifestat; videt, nec judicat; videt, nec vindicat; videt, et videre dissimulat. Oleaster ad nostrum docte propositum applicat illam Isaiæ prophetiam: « In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt.» Quibus verbis Deus populo suo supplicium minatur. Sed cur, sodes, novaculam se adhibiturum spondet, quæ crines leniter succidit? Cur non potius vindicem intentat justitiæ suæ ensem, aut cœlestium sagittarum, seu fulminum rabiem? Respondet Oleaster: Vide quanta sit ejus in puniendo miseratio, qui pilos resecat, et relinquit radices eorum, quibus renascantur; similiter quam latenter puniat, non securi, non lancea, non ense, neque pugione, sed acuta novacula, ut et nos puniat, et famam conservet. Mansi, disc. IV, n. 8. Quod ipsum etiam confirmavit Origenes dicens: Numquam invenimus tantas laudes Deum dixisse de Moyse famulo suo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum est. Orig. hom. VII *in Num.*

Christi exemplum, qui in divite Epulone

omnes alios tenaces divites in timorem conjecturus, omnia distincte narrat præter divitis infamis nomen, quod usque modo latet. Nomen pauperis exprimitur, in Paradisum translatus astruitur, et laudatur mendicus; divitis quidem vitam accurate describit Incarnata Sapientia, sed quod ei nomen, qualisve persona fuerit, non edicit. Ast quid ei damni poterat jactura famæ, qui æternum animæ detrimentum incurrerat? Ut scilicet nos disceremus, nullius quantumcumque scandalosi et impii hominis nomen cum publicatione, si hæc occulta fuerint, exprimere, ne quidem ex motivo timoris et metus aliis incutiendi. Si Christus famæ pepercit inimici sui, secundum animam et corpus in inferno sepulti, quanto magis nos proximi nostri, qui se emendare, sanctusque evadere potest, reputationem defendere, illæsamque servare oportet? Sed et cum Pharisæus contra Magdalenam murmurare cœpit, Christus partes ejus tuendas suscepit, eamque magnifice prædicando ab omni calumnia liberavit. Mansi, l. C, n. 9.

Damna ab hoc vitio creari solita; primo, Ecclesiæ. Nam uti S. Bernardinus ait : Nihil tantum nocuit Ecclesiæ ab initio sæculi, sicut pestifera conditio detractorum. S. Bern. Sen. tom. II, ser. xxix, a. 1. *Secundo, ipsi detrahenti*, tum quia Deo odibilem facit, et hominibus, teste S. Ambrosio, et confirmat Vates Regius dicens : « Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, et operiantur, sicut diploide, confusione sua. » Ps. cxviii. Quo modo loquendi docetur, infamiam in ipsos quoquè redundare detractores; diplois pallium indicat duplex ; supplicabat igitur David, ut interius, exteriusque confunderentur, quemadmodum in hæc verba explanat Hugo Cardinalis : Ex omni parte confundantur, non tenuiter, sed intense; hoc est, quod sequitur : Et operiantur, sicut diploide, confusione sua, aut dupliciter confundantur, scilicet coram Deo, et hominibus. Tum quia nullum vitium, teste Ruperto, divinæ pietatis fontem magis occludit, et exsiccat, sicut detractio. *Tertio, illi, cui detrahit;* nam ut S. Laurentius Justinianus ait : Quandocumque quis detractionibus vitam absentium dilaniat, procul dubio Diaboli minister est, et fraternæ cædis reus; gladio namque detractionis suæ famam proximi, cui detrahit, occidit in corde audientium. *Quarto, ipsis, audientibus*, ut idem Sanctus notavit dicens : Audientes quoque vulnerat detractoris sagitta, eosque plurimum provocat ad illius odium, de quo murmuratio fit; propriam vero perimit animam, et a Dei gloria se alienum facit. S. Laur. Just. c. xiii *de Disc. Mon.* Unde merito S. Bernardinus dixit : Maledica lingua tres vulnerat uno ictu. Primo, seipsam; secundo, audientes detractionem; tertio, illos, quibus detrahit. S. Bern. Sen. *l. c.* c. iii.

Turpitudo hujus vitii. Quia detractores similes sunt Diabolo, qui crudelis est bonis, crudelior suis, crudelissimus sibi ipsi. Crudelis est bonis, quia, quorum vitam non potest mordere interius, aut penetrare, fœdare nititur exterius diffamando, si potest, et falsum crimen imponendo. Imo ut idem ait : Sunt aquiminaria Diaboli, plena aqua benedicta Diaboli, quorum os maledictione et amaritudine plenum est, lingua eorum est Diaboli aspersorium. Bellovac. t. III, l. XIII, dist. iii. Sed et S. Bernardinus ait : Detractor, et detractorum libens auditor, uterque Diabolum habet, ille in lingua, iste in aure; ex quo quodammodo potest sequi, ait S. Bernardinus, quod, quot detractores audis, tot in auribus Dæmones recipis. S. Bern. Sen. tom. I, s. xxiii, a. 3, c. i. Unde merito S. Chrysostomus : Fugiamus, ait, dilecti, fugiamus detractiones docti, quod est totum Satanicum barathrum insidiarum ejus; ut enim nostra negligamus, et graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem Diabolus duxit. Præterea, eadem turpitudo patet ex abusu linguæ, cum enim lingua hominis ad benedicendum et ædificationem proximi sit creata, ille eam æqualem serpenti facit, dum virtutibus ejus perversum abutitur. S. Chrys. tom. I, hom. iii, *ad Pop.*

Pericula detractionis. Nam *primo*, facile contrahitur, quia, teste S. Laurentio Justiniano, consuevit hoc vitium etiam vigere in bonis, atque sub zeli specie jugiter captivare improvidos. Imo, teste Salmerone, adeo frequens est hoc vitium etiam apud Religiosos, ut nomen quinti elementi, sine quo vivi non potest, apud quosdam obtinuerit. *Secundo*, ob restitutionis difficultatem ; nam, juxta commune proverbium, quicumque murmurans dicitur furtive succidere chlamydem proximi; quemadmodum autem (experientia teste) nemo vestem refecturus, eam ita pristinæ restituit integritati, quin ruptura præcedens semper appareat, ita nec

unquam ablata semel fama adeo perfecte restituitur, quin non aliqua ex parte semper appareat denigrata. Unde quidam Alexandri parasitus, qui omnes maledicos, ut cuicumque quantumvis etiam innocentissimo, et maxime innocenti detraherent, exstimulare solebat, dicere consueverat, ut quamvis maxime sanetur vulnus ejus, qui delatus est, manet tamen cicatrix. In hujus igitur vestis reparatione aut aliqua intercurret diversitas in suendo, vel in panno, vel in colore, adeoque sine ulla difficultate dignosci poterit refectura. Ita pariter ad famam restituendam obligati, quantumvis in re exili, accuratam vix unquam attingunt conjuncturam; vel enim dictitant, se hoc illudve dixisse, conscientiæ exonerandæ intuitu, aut aliud quodpiam fingent incredibile effugium. Mansi, disc. xii, n. 5. Unde Bernardinus recte dixit : Valde detestabile est hoc scelus, quia non tantum remedium sibi contrarium proficit, quantum sua malitia officit; amplius enim lingua detrahentis potest nocere, quam excusatoria seu laudatoria posset proficere, maxime cum homines proniores sint ad credendum, et ad memoriæ commendandum mala, quam bona. Sit quidam, qui malum dicat, profecto in promptu est, quod illud credatur. Venenum semel habitum plus gravaret, quam theriaca pluries sumpta remedium daret. Sagitta quoque humano corpori infixa vulnerat in momento, sed medicamenta illi non prosunt, nisi longo experimento. S. Bern. Sen. ib. a. 2, c. vii.

ALIA MOTIVA.

Quia gravius furto est hoc vitium; per furtum enim non nisi corporales divitiæ, per detractionem vero fama, quæ omnibus divitiis præstantior est, aufertur. Hinc Salomon monet : Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni. Eccl. xiv, 15.

Quia ipsi etiam homicidæ a SS. Patribus coæquatur. Hinc S. Augustinus ait : Nemo peritorum, aut prudentium putet, quod minus fit periculum in verbis lingua mentiendo, quam manibus sanguinem fundendo. S. Aug. *q. c. Nemo.*

Quia charitatem directe impugnat, atque adeo summe Deo et Christo exosum est, id quod S. Bernardus confirmat his verbis : Detrahentem, inquit David, secreto proximo suo hunc persequebar; nec mirum, cum id præcipue vitium charitatem, quæ Deus est, et quidem cæteris acrius impugnare et persequi cognoscatur. Omnis enim, qui detrahit, primum quidem, seipsum prodit vacuum charitate; deinde quid aliud intendit detrahendo, nisi ut is cui detrahit, veniat in contemptum vel odium ipsis apud quos detrahit? S. Bern. ser. xxiv *in Cant.*

Quia gravissima damna infert, uti S. Bernardus iterum sequentibus verbis clare ostendit : Numquid non est vipera lingua detractoris? Ferocissima plane, nimirum quæ lethaliter inficiat tres flatu uno. Numquid non lancea est lingua? Profecto, et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua eorum, inquit, gladius acutus. Gladius equidem anceps, imo triplex est lingua detractoris. Addit deinde crudeliorem esse lancea, spinis et clavis, quibus Christus crucifixus est, eo quod detractor occidat seipsum, audientem, et cui detrahitur. S. Bern. *de trip. Custodia.*

Quia perpetuam animæ anxietatem et tristitiam creat; ut S. Chrysostomus indicavit dicens : Sed jucundum est, inquis, detrahere. Imo jucundum non detrahere; detrahens enim continenter anxius est, suspicatur et timet, linguam suam mandit tremens, ne forte aliis enuntiatum verbum magnum sibi periculum afferat. S. Chrysostomus, hom. iii, *ad Pop.*

Quia difficillimæ est curationis; tum quia parit consuetudinem valde radicatam, ob quam Siracides dixit : Homo assuetus in verbis improperii in omnibus diebus suis non erudietur. Eccl. xxiii, 20. Tum quia etiam obligationem restituendæ famæ secum trahit, uti Salomon testatur dicens : Qui detrahit alicui rei, in futurum se obligat. Prov. xiii, 13. Quam difficilis autem sit restitutio famæ integra, patet, tum experientia in ipsis detrahentibus; tum in iis, quibus detrahitur, in quibus licet vulnus obligatum videatur, manet tamen semper fœda quædam cicatrix; hinc Alexandri Macedonis adulator dicere solebat : Si quem hostem habes, convitiis illum audacter pete, nam etsi vulnera curet, manet tamen cicatrix. Nam mala opinio de aliquo est clavo in asserem impacto similis, qui facile quidem intruditur, sed difficulter

iterum extrahitur. Drex. *in Phaeth.* c. xv, § 4.

Quia vilissimum et stultissimum est hoc vitium; nam teste S. Hieronymo, vitium satis hominum est, et suam laudem quærentium alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant, et suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione malorum. S. Hier. *in Epist.* Et quis non stultissimum judicet illum, qui surdo loqui velit? Atqui surdo maledicere, ut ait S. Gregorius, est absenti et non audienti derogare. Adde, quod, sicut is, qui a tergo et clam invadit proximum, ignobile et turpe facinus commisisse censetur; ita idem de detractore sit sentiendum. S. Greg. l. III, *Past. Admon.* lvi. Hinc Deus per Moysen dixit: Maledictus, qui clam percusserit proximum suum, et dicet omnis populus, Amen. Deut. xxvi, 24.

MEDIA.

Dilectio proximi; quia teste S. Laurentio Justiniano, aliena prorsus a charitate detractio est; qui proximum sicut se ipsum diligit, detrahere nescit, neque detractoribus libenter præstat auditum. S. Laur. Just. l. c.

Correctio seria; uti S. Franciscus suasit, qui audiens quemdam famam fratris denigrantem, Vicario suo dixit: Surge, surge, discute diligenter, et si Fratrem accusatum innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem; instant enim Religioni discrimina, nisi detractoribus obvietur; cito multorum suavissimus odor fœtebit, nisi fœtidorum ora claudantur. Summa, volo, cures providentia, ne pestifer ille morbus latius se diffundat. Mansi, disc. viii, n. 3.

Pœnitentia celerata; quia sicut vipera post morsum ad aquam currit, quam nisi repererit expirat; ita prorsus, si quis venenum detractionibus aliorum auribus instillarit, si vox exciderit incauta, famam alienam violatura, mox, eadem hora, ad aquam pœnitiæ accurrat, detraxisse doleat, deinceps futurus cautior, atque, si ullo modo possit, restituturus, quæ lingua clanculum ademit. Difficile hoc quidem, sed necessarium, et melius est ablata restituere, quam cum ablatis perire. S. Chrys. hom. iii, *in Matth.*

Humiliatio profunda; ita S. Bernardinus suasit, dicens: Optimum non detrahendi remedium est humiliatio, per quam homo recurrat ad arcana conscientiæ suæ, atque reminiscatur cogitando, quod multa commisit, ex quibus, ex gratia Dei, infamiam non incurrit, ut ex consideratione propriorum peccatorum, quæ tangunt eum et pungunt conscientiam suam, peccata non ponderet ac consideret aliena. S. Bern. Sen. l. *a.* iii, c. i. Cui consentiens S. Bernardus: Si vis detrahere, inquit, tua in te retorqueto, non aliorum delicta, sed propria carpe; numquam enim aliis detrahes, si te bene inspexeris. De malo alieno os tuum non coinquines, non detrahas peccatis, sed condole. S. Bern. *de Intern. Domo*, c. xlii.

Respectus humani contemptus; sunt enim nonnulli, ut S. Thomas advertit, quibus tametsi murmuratio summe displiceat, attamen quia respectum sive timorem aliquem humanum vincere non possunt, sese directe et generose illi minime opponunt, et ideo arte hic opus est, magnaque ad resistendum dexteritate. S. Thom. II, II, q. lxxiii, a. 4. S. Joannes Climacus ait: Neque verearis quemquam alteri apud te detrahentem, sed obtrectatori dicito: Tace, frater; ego quotidie gravius delinquo, et quo pacto illum damnabo? S. Joan. Clim. *de Scala Parad.*

Diversio sermonis; uti innominatus quidam auctor suasit dicens: Respice post tergum, expue in terram, confrica caput, conquerere de cibis nimis salsis, aut de ministris non tibi, ut oportet, servientibus, lauda vinum, aut condimenta mensæ, conquerere de canibus sub mensa transeuntibus et fœtorem aliquem relinquentibus. Mansi, disc. xv, n. 8. Stapletonus, in vita Thomæ Mori, regni Angliæ Magni Cancellarii, qui demum pro fide Christi Martyr occubuit, refert, quod vitium coram se proferri audiens, magna cum dexteritate discursum divertere, aliosque curiosos non minus, quam jucundos sermones in medium producere solitus fuerit. Cum taurus aliquis furibundus adversus hominem ferocire incipit, is, ut ejus sævitiem evadat, pallium in cornua ejus protinus injicit, dumque bos, ut pallio, quo caput obvolutum est, sese eximat, totus intentus est, homo astutus tempore et occasione bene utens, per velocissimam fugam sibi et vitæ suæ consulere parat. Pari quoque artificio homines Deum timentes uti debent; quando enim linguam maledicam maligna sua murmuratione proximum invadere audiunt,

tunc indilate et dextere eamdem in alium disparatum discursum divertere et distorquere debent. Ibidem, n. 9.

Tristitia vultus. Nam, teste Salomone, *ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* Porro ventus septentrionalis, qui idem est, quod ventus aquilonaris, dissipat et impedit pluvias, ut Dyon. Carthusianus ait, quia frigidus est et gelidus; sicut enim ventus ille abundantem et copiosam crassorum vaporum in aera elevationem impedire solet; ita quoque causa est, quod nubes in aquam minime resolvi possint. Quam similitudinem idem Carthusianus ei, qui maledicum vultu aspero et ad iracundiam composito coercet, his verbis applicat : Auditor detrahentis, mœstum vultum monstrando detractori, tacite admonet eum, ut sileat; dum enim detractor perpendit sua verba invite audiri, repercutitur in semetipso. Glossa ab eodem Carthusiano super prædictum Proverbiorum textum citata dicit : Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi; si autem tristi eum vultu audieris, discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Idem, dis. XV, n. 1.

Oblivio absentium hominum, ut Sanctus Antonius Paduanus hortatus est, inquiens : Omnem hominem absentem, quem non vere et pure diligis, obsecro te, frater mi, obliviscere, ut dicere possis illud, quod dixit Joseph, quando Manasses natus est ei : Oblivisci fecit me Dominus omnium laborum meorum. Magnus est labor, vitam alterius lingua detractionis lædere, malum alienum suum facere, pondus alterius sibi superponere : « Sub lingua ejus, inquit Psalmista, labor et dolor. » S. ANT. PAD. s. XVI, *in Domin. Trinit.*

Bona locutio de detrahente; sic Sanctus Chrysostomus suasit : Si vis, ait, et te ipsum beneficio afficere, et illum probe ulcisci, bene dicas de eo, qui tibi fecit injuriam, ita facies, ut multi sint ejus pro te accusatores, et ipse magnam mercedem accipies; sin autem male dicas, ne fides quidem tibi habebitur, ut qui inimicitiarum suspicione labores, qua re tuum studium tibi vertitur in contrarium, tu enim volebas bonam ejus famam evertere, contra autem accidit, per laudem enim non per accusationem, hoc eveniet; sed contra omnino, et te ipsum quidem majori ignominia afficis, illum autem tua tela non tangunt. S. CHRYS. in Ps. IC. 10.

Depositio curæ de aliis ad se non pertinentibus; nam, ut recte Sanctus Laurentius Justinianus dixit : Quamobrem, o detractor, quid fratris tui obloquendo scelera detegis? Ad te nunc meus est sermo. Quis te, quæso, vitæ judicem constituit alienæ? Quis te fratrum tuorum accusatorem fecit? Quid tua interest, proximorum propalare facinora? Verum si delinquat frater, numquid te offendit in aliquo? Numquid honori derogat tuo? Quale, oro, jus habes in proximum, ut tuis eum velis arguere vocibus, atque obtrectationibus lacerare? S. LAUR. JUST. *de Vita solit.* c. IV.

Auditio negata; nam ipsa quotidiana experientia docet, quod, quamdiu terra aliqua solida manet, nec aratro scinditur, nec ligone, aut quovis alio culturæ genere elaboratur, semen eidem superinjectum, nec radices mittat, nec germinet, multoque minus fructum producat. Eodem quoque modo maledicentiæ zizania non adhærescit, nec radices agit in illis, qui murmurationibus aures præbere firmiter et constanter renuunt, easdemque abominantur et exhorrescunt. Quoad hos enim est veluti semen quoddam, quod seminatum cecidit supra petram, de quo dicitur : Natum aruit, quia non habebat humorem. MANSI, disc. V. n. 5.

Radicem tollere. Ea autem est vel *Superbia*, dum detractor suam ostentat scientiam ; aut *Levitas animi*, dum aliis studet placere ; aut *Invidia*, dum aliena lucra sua damna reputat ; aut *Simultas et alienatio*, dum animum vindictæ appetentem satiare desiderat; aut mala *Consuetudo*, tunc enim etiam non cogitantibus elabitur nociturum telum. DREX. *in Phaet.* c. XV. § 1.

Seipsum et suos defectus inspicere; sic S. Bernardus suasit dicens : Nunquam alienis detrahes, si te bene inspexeris. S. BERN. c. XLI, *de Int. Dom.* Hinc S. David : Scrutati sunt iniquitates (scilicet alienas) defecerunt scrutantes scrutinio (propriorum defectuum). Ps. LXIII. 7. Idem S. Pimenius Abbas sapienter confirmavit, dum rogatus, quomodo possit vitare homo, ne loquatur malum de proximo suo? respondit : Ego et proximus meus duæ imagines sumus ; cum ergo meam perspexero et reprehendero, invenitur imago fratris mei venerabilis apud me; quando autem meam laudavero, tunc fratris mei imaginem pravam respicio. Tunc ergo alteri non detraho, si semper me ipsum reprehendo. Id quod pius Abbas

facto ipso declaravit, dum saccum humero imposuit in posteriori parte arena plenum, in anteriori vero pauca grana continentem, dixitque priori aliena, posteriori nostra peccata significari, quorum dum obliviscimur, paucorum alienorum recordamur, et carpimus; sicut, qui multum foris vagantur, plerumque domestica non curant negotia; RUFF. l. III. *de Vit. Patern.* 33. Ibid. n. 133. e contrario vero boni, teste S. Gregorio, cum alienas culpas audiunt, mox ad cor proprias reducunt. S. GREG. l. III, *Mor.* c. XVIII.

Fugere societatem detractorum; de quibus S. Bernardus dixit : Non venit anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo : Detractores Deo odibiles. S. BERN. § 24. *Cant.* Hinc S. Hieronymus quoque monuit : Si quem aliquid detrahentem audieritis procul fugientes dimittite velut serpentem, ut verecundia victus discat de aliorum factis silere. S. HIER. I. *Reg. Mon.* c. XXII.

Non cito credere narrantibus; nam, ut sapienter S. Paulinus advertit, si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quam seipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur. S. PAUL. *ad Cel.*

Sermonem alio derivare; ut enim ferocienti tauro pallium objicitur, ut, dum ille cum pallio luctatur, homo illi se subducat; sic, ut eum, cui detrahitur, liberemus, sermo diversus obtrudendus est. DREX. *in Phaet.* c. II, § 4.

ASCETICA.

In primis nosse bene debet, *quid sit detractio*; quod quidem Richardus de S. Victore breviter ostendit, dum ait : Detractio est bonæ opinionis attenuatio. Moxque subdit : Detrahere est de apertis bonis velle aliquid diminuere, cum non possis penitus evacuare; detrahit enim, qui aliquid oblatrando retrahit, unde hominis famam gloriosissimam credit. RICHARD. DE S. VICT. l. III, *de Erud. int. hom.* In specie autem quomodo committatur, S. Bonaventura indicat, dum ait : Ex ramo invidiæ procedit detractionis folium, quo proximi prosperitas impeditur; hoc autem folium principaliter in duo dividitur, quia qui detrahit, aut hoc facit, ejus bonum diminuendo, aut eidem malum imponendo. Primum folium quatuor folia secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere, et negare. Ex secundo ramo hæc folia procedunt, malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, et imponere. S. BONAV. *apud mansi*, disc. I, n. 1. Alios adhuc modos S. Bernardinus ostendit, scilicet falsa crimina imponendo, et hoc quandoque verbis communibus, quandoque verbis apertis, quandoque derisionibus, quandoque nocturnis sibilis, quandoque simulatis atque mutatis vocibus, quandoque nutibus et signis, quandoque libellis famosis, quandoque cantilenis, quandoque litteris et epistolis. S. BERN. tom. II, ser. XXIX, a. 2, c. VII.

Nosse debet, *quandoque defectus aliorum propalari liceat.* Nimirum cum dicit, aut necessitate compulsus, aut inductus utilitate : Tunc, inquit S. Bonaventura, tenemur ad hoc, quando præceptum urget divinum, vel humanum; humanum quidem, quando Superior imperat patefacere crimen proximi; divinum vero, dum conscientia ad similem exstimulat propalationem faciendam, ut vel corrigatur, vel emendetur excessus; servatis nihilominus semper fraternæ correctionis conditionibus. Propter utilitatem posset manifestari peccatum proximi, dum ipsum panditur ei, qui fructum, non damnum, sit allaturus prævaricatori; sicut quando narrat homini, qui diligit, et qui compatitur, et habet voluntatem corrigendi illum. Deinde Sanctus ad nostrum concludens intentum ait : Quando vero non consideratur necessitas, vel utilitas, etiamsi sit veritas, non excusatur detrahendi libidine; immo peccato detractionis peccat, etiamsi verum dicat. Qui loquendi modus, ne quem audienti scrupulum injicere possit, Sanctus immediate subjungit : Ne quis mihi dicat, tunc detraho, quando falsa dico, si autem vera dico, minime; nam licet vera loquens maledixeris, et hoc est crimen. S. BONAV. *in Eccl.* c. X.

Nosse debet, *quando alterius famam defendere debeamus*; quem in finem oculos mentis nostræ convertamus ad id, quod in Calvariæ monte duos inter latrones legimus accidisse. Teste S. Luca, reprobus dumtaxat latro maledixit Christo, quod ut socius

ejus inaudiit, publice reprehendit errorem, Christique propugnavit innocentiam, dicens: Nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit? Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Idem omnino in præsenti nobis dicere licet, nimirum in eadem damnatione sunt, scilicet qui detractionibus famam et honorem alterius diminuit, quique diminuentem audiens, et ipse malitiose famam resarcire negligit. Notate S. Lucæ verba, ait enim: « Respondens autem alter increpabat eum dicens etc.» Hoc *respondens* relationem habet ad interrogationem a malo latrone ad bonum factam, et nihilominus Evangelium non docet, latronem reprobum alteri, præterquam Christo, locutum fuisse. Cur igitur S. Lucas ait: *Respondens*? Voluit, ni fallor, hoc loquendi modo nos edocere Evangelista, quod, quando fratres nostros diffamari audimus, nostram hanc infamiam reputare, quod ad similia irritati et provocati, proximorum defensionem atque excusationem in nos suscipere debeamus, proximi causam reputantes propriam, præsertim quia sumus invicem membra, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; pro invicem sollicita sunt membra, experientia teste, si quando una pars corporis offenditur, reliquæ confestim subveniunt, defendunt, adjuvant partes. Mansi, disc. I, n. 2.

Nosse debet *discrimen, quod inter contumeliam et detractionem versatur;* quod S. Thomas sequentibus verbis assignat: Verbo dupliciter aliquem lædit; uno modo in manifesto, et hoc fit per contumeliam; alio modo occulte, et hoc fit per detractionem. Ex hoc autem, quod aliquis manifeste contra alium verba profert, videtur eum parvipendere unde ex hoc ipso dehonoratur, et ideo contumelia detrimentum affert honori ejus, in quem profertur. Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam parvipendere: Unde non directe infert detrimentum honori, sed famæ, in quantum hujusmodi verba occulte proferens, quantum in ipso est, eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur. S. Thom. II, q. LXXII, a. 1.

Nosse debet, *quæ inter susurronem et detractorem sit differentia*; nimirum ea, quam Bellovacensis indicat dicens: Susurro mala de proximo seminat, ut inter audientes et diffamatum zizania dissensionum, odiorum et inimicitiarum fecundet; detractor non intendit dicere de proximo nisi malum, unde scilicet possit proximus diffamari, susurro vero non simpliciter intendit malum dicere, sed quidquid sit illud, quod possit animum unius contra alium perturbare. Et iterum S. Anselmus de eodem duplici hoc disceptans vitio, sequentem statuit resolutionem: Susurrones sunt, qui in auribus alicujus loquuntur malum de alio; detractores autem, qui virtutes ab aliquo suis verbis detrahunt, vel minuunt. Susurro quippe a sono locutionis dicitur, quia non in facie alicujus, sed in aure loquitur, secrete derogando; detractio autem est, aliorum bene gesta opera vel in malum vitiose mutare, vel invidendo fallaci fraude diminuere, cum aut mala dicuntur, quæ sunt, aut parva bona, quæ magna sunt. Detrahere enim est bona alterius deorsum trahere, id est, inclinare et premere, vel de ipsis bonis aliqua trahere, ut pauciora seu minora, quam sunt, ostendatur esse: « Non appelleris susurro, admonet Ecclesiasticus, et lingua tua ne capiaris et confundaris. » S. Ans. *ad Rom.* 30.

Nosse debet, *cur tam grave sit vitium detractio*, id quod S. Thomas explicat, dicens: Ne putentur ista peccata esse levia, quia solo ore committuntur. Subdit: Deo odibile, impugnat enim id maxime, quod Deus in hominibus amat, scilicet mutuum amorem. Joan. XV. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* S. Thom. II, II, q. LXXIII, a. 3, ad. 3. Cui etiam S. Bernardus consentit dicens: Non veniat anima mea in concilio detractorum, quoniam Deus odit eos, nec mirum, quoniam vitium illud charitatem, quæ Deus est, acrius persequi et impugnare cognoscitur. S. Bern. *apud Mansi*, disc. n. 2.

Nosse debet, *cur Religiosis præcipue hoc vitium fugiendum sit;* nimirum quia nihil perniciosius est detractore in collegiis justorum; dissipat namque charitatem, dissolvit unitatem, humilitatem fugat, pacem turbat, rixas pascit, nutrit discordias, lites movet, odia generat, et omnem dirimit sanctitatem. S. Laur. Just. c. XXII, *de Discip. Monast.* Quod etiam S. Hieronymus confirmat dicens: Est sane tale hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, et ab eis, qui se sancte instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem et levem faciat, quam facile totum credere, et obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi; beatusque est, qui se ita contra hoc vitium ar-

mavit, ut apud eum nemo detrahere audeat, S. Hieronym. ep. xiv. Quod ipsum etiam discet ex S. Paulino Episcopo, qui S. Hieronymo pollicem premens, totus totidem verbis in eo est, ut fœditatem turpissimi hujus vitii graphice depingat, et fugam ejus omnibus, iis præcipue, qui Religiosi audire volunt, persuadeat. Et optimo quidem consilio, cum commune hoc sit vitium fere, et ceu pestis quædam late per orbem serpat, adeo ut S. Chrysostomus intrepide dixerit : Hoc vitio neque sæcularium, neque Monachorum ullum facile invenies liberum. S. Paulinus, *ad Gelant.*

Nosse debet *modum extirpandi hoc vitium, tum in se, tum in aliis*, qui quidem optimus est, si radix illius, de qua superiori §, dictum, extirpetur, et e contrario charitatis fraternæ studium magna cum sollicitudine suscipiatur; si enim hæc firmas semel in animo radices fixerit, facile iis ad vitium detractionis utpote summe charitati illi contrarium totis viribus exterminandum impelletur. S. Chrysos. *apud Engelgr.*

Nosse debet *modum ferendi detractiones*, qui quidem optime a pio Asceta docetur, ut qui in persona Christi sic loquitur : Si attendis, quid apud te sis intus, non curabis, quid de te loquantur hominis foris. Homo videt in facie, Deus autem in corde. Homo considerat actus, Deus vero pensat intentiones. Erige ergo cor tuum in cœlum, et non contristabit te contemptus hominis in terris. Lib. II, c. vi.

Nosse debet, *quando de alterius peccato sermo institui possit, aut debeat;* nimirum in duobus casibus, 1. Cum res jam percrebuit in vulgus promulgata, et passim in sermone cœpit esse. 2. Cum ei dicitur qui peccantem castigare et juvare posset. Et ad hoc faciendum sæpe etiam obstringimur, ut S. Thomas docet, ne ulcus occultatum putrescat.

Nosse debet, *quomodo audiendo detractiones peccari possit;* nimirum tripliciter, juxta S. Bernardinum. Primo si taceat; secundo si delectetur; tertio si inducat. Immo superaddit Sanctus : Arbitror ego, detractiones audientem longe quandoque culpabiliorem esse ipsomet detractore. Talis plerumque amplius, quam detractor, peccat, vel offendit, quoniam ex majori iniquitate vel malignitate procedit, et talis omnium malorum, quæ ex causa ab eo data procedunt, coram Deo habet reddere rationem. S. Bern. Sen. tom. I, tex. xxiii, a. 3, c. i.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Lingua eorum gladius acutus; » Ps. lvi, 5. potest comparatio inter carnifices, qui S. Bartholomæum excoriarunt, et inter detractores institui dicique, hos illis crudeliores existere. 1. Quia illi vestes ab initio detraxerunt; isti famam omnibus rebus pretiosiorem auferunt. 2. Illi autem materialem dumtaxat, quæ corpus ornat; hi spiritualem autem, nempe opinionem bonam aliorum de aliquo, quæ totum hominem exornat, abstrahunt. 3. Illi vitam corporalem; isti spiritualem, qua quis in mente aliorum vivit, eripiunt, et sæpe etiam omnino animæ, dum proximum in cupiditatem insatiabilem vindictæ præcipitant, interitum afferunt. 4. Illi Sacerdotem occiderunt ignorantes veram fidem, aut non credentes; isti scientes, agnoscentes Sacerdotalem dignitatem audent tangere Christum Domini. 5. Illi Benefactorem suum peremerunt; isti majorem Benefactorem, scilicet ipsos etiam Superiores, qui curam animæ ipsorum gerunt, spiritualiter occidunt. Si ergo crudelitatem in S. Bartholomæum exercitam detestamur, quanto magis detractionis vitium fugere oportet?

Ex occasione thematis : « Ecce ego mittam vobis serpentes, regulos quibus non est incantatio; » (Jer. v, 17.) possunt detractores serpentibus comparari. 1. Quia sicut Diabolus per serpentis formam assumptam seduxit primos parentes, et omnibus posteris gravissime nocuit; ita et per detractores hodie etiamnum pluribus nocet; hinc S. Chrysostomus ait : Qui detractioni studet, Diabolo servit, utpote qui calumniæ opera exequatur. S. Chrys. in Ps. c. S. Augustinus ait : Quem Diabolus non potest devorare seductum ad nequitiam famam ipsius inquinare conatur, ut, si fieri potest, opprobriis hominum et malarum linguarum detractione deficiat, et sic in fauces ejus ruat. S. Aug. epist. cxxxvii. 2. Quia sicut serpens occulte mordet, ita et detractor. 3. Quia sicut serpentes aliqui in lingua, alii in caude venenum gerunt, ita detractores aliqui statim initio sermonis lædunt; alii prius laudant, ut per finem sermonis velut caudam gravius vulnerent. 4. Quia sicut serpens uno morsu totum corpus inficit, ita detractor pauculis verbis vitam et famam aufert. 5. Quia sicut

serpentes, ut ipsi vivant, matrem enecant, ita detractor antequam aliis noceat, sibi ipsi plurimum obest. Hinc merito S. Bernardus dixit: Fuge detrahentes velut serpentes.

Ex occasione thematis : « Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar; » (Ps. c. 5.) potest detractio homicidio comparari, juxta illud S.Augustini : Nemo peritorum aut prudentium putet, quod minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quam manibus sanguinem fundendo, idque probetur ex triplici capite majus esse. 1. *Ob vitam, quæ eripitur* ; cum multi malint vitam temporalem, quam famam, perdere, per quam in mentibus aliorum vivunt. Hinc multi mortem elegerunt, ut famam sibi compararent, vel conservarent. 2. *Ob modum, quo eripitur*. Occulte scilicet, et fraudulenter, sicut Joab olim Abnerem et Amasam occidit. 3. *Ob instrumentum, quo eripitur* ; scilicet per linguam, quæ juxta S. Bernardum est gladius anceps, imo triplex, atque adeo gravissimo cum dolore et damno vulnerat. In S. Aug. q. III, c. *Nemo*.

Ex occasione thematis : « Abominatio hominum detractor ; » Prov. XXIV, 9, potest detractio lepræ comparari. 1. Quia sicut lepra rumpit corpus leprosi; ita detractio animam detractoris. 2. Quia sicut lepra etiam facile inficit ; et detractor audientes corrumpit et perimit. 3. Quia sicut leprosi propter hæreditarium morbum ab omnibus fugiuntur, et in loco speciali habitare coguntur; ita et detractores omnibus hominibus exosi sunt, et declinantur. Vide Fabr. in *Auctario*, them. 4, *in Dom.* IV, *post Pascha*.

Ex occasione thematis : « A dectractione parcite linguæ ; » potest comparari detractio sagittæ, qua Dux Bullionis Lotharingius, urbem Jerosolymam obsidens, in turrim Davidicam excussa tres simul alites confixit; simili ergo modo dicatur et sagittam detractionis tres uno ictu configere, nimirum detrahentem, eum, cui detrahitur, et audientem. Unde merito quidam cecinit:

Detrahis? Auditor cadit, hostis, et auctor,
Quod caput est ; sic vox tres simul una necat.

Vide Engelgr. *in Dom.* IV, *post. Pent.* p. 3.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.—Gigantea statua quam in somnis conspexit Nabuchodonosor, caput habebat aureum, pectus argenteum, corpus æneum, crura ferrea, pedes vero fictiles, quos ut exile contigit saxum, attrivit subito, excussamque molem istam cum universis pretiosis adeo, solidisque metallis reduxit in pulverem. Ecce vobis vivum detractoris typum, qui proximo detracturus, eum auro coronat charitatis ardentis, argento specialis decorat integritatis, invictæ munit ære constantiæ, varias agglomerans virtutes et præcellentias ejus, cujus famam immolare gestit; ast finem nostis? Ut tandem exili lapide maledicæ linguæ suæ ex fragili fictilium pedum basi aliquem eliciat defectum, aut fragilitatem quampiam occultam ; quo stante et obtento, in totam impius desævit molem, bonum calumniis atterit nomen, omnemque sanum de proximo abolet conceptum. Mansi, disc. VII, n. 3.

David in spelunca Odolla inimico suo Sauli pepercit, limbum nihilominus vestis ejus succidit, de quo facto postmodum ingemiscens, « percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis. » Cur indoluit obsecro ? Omnia in figura contingebant. Designabat David detractorem, proximo furtive amputat vestimenta, id est, murmuratione secat leviter, exilem narrando proximi defectum, quod sufficit, ut proximus boni nominis denudetur honestate. Quid per Saul, nisi Rectores? inquit S.Gregorius. Quid per David, nisi subditi, significantur? O quam in hoc similes David, qui, si verentur mittere manum in Christum Domini, nec volunt occidere, libenter tamen oram chlamydis præcidunt; hoc est, honoris vestem, si non lacerant, diminuunt. S. Greg. in. I Reg. XXIV, 6.

Psalmista, Ps. 13, dicit : « Qui devorant plebem meam, sicut escam panis. » Quæ, obsecro, similitudo est inter eum, qui aliis maledicit, et eum qui panem comedit? Detractores et murmuratores hoc se impinguant veneno, instar ciconiarum, quæ viperis nutriuntur ; namque ipsis tam commune et familiare est murmurare, quam cuique homini manducare panem ; nullus est cibus quotidiano familiarior pane, ad omnes epulas adhiberi solito ; ita nec quidquam communius detractione. Quicumque alii cibi, etiam sapidissimi secundum se, tandem aliquando nauseam creant, numquam panis, quia juxta communem medicinæ aphorismum, omnis nauseatio mala, panis autem pessima ; ita quocumque alio paulisper deficiente vitio, solus murmurationis pruritus pertinax persistit usque ad tumulum, multi

in ætate maturiori jocis, conviviis, sensualitatibus renuntiant, sed non murmurationibus; sepulchrum patens est guttur eorum; murmuratio individua est usque ad sepulchrum comes. Quam ob causam a S. Jacobo dictum esse arbitror : Linga constituitur in membris nostris, et quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ. Reliqua vitia unam enim duntaxat inflammant humanæ vitæ partem; v. gr. caro florentiores juventutis annos, mundus virilitatem, quæ honores, dignitates; aliaque temporalia bona, aucupatur; avaritiam senilis plerumque sectatur ætas; ast murmuratio et detractio originem ducit ab unguiculis, semperque accrescit per totum vitæ nostræ cursum; inflammat rotam nativitatis nostræ. Qui enim huic deditus est vitio, omni tempore, loco, et ætate labitur. Detrahendi libido terminum non habet, nunquam saturatur, inquit Salvianus. MANSI, *disc.* III, n. 3,

Joannes in Apocalypsi draconem a se visum attestatur, inquiens : « Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem; et capitibus ejus diademata septem; et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram. » APOCAL. II, 3. Per hunc draconem, juxta S. Bernardini sensum, detractio intelligitur. Draco solo perimit flatu, pariter et detractor sola maledici oris aperitione spiritualem quandoque et corporalem causat mortem. Rufus erat draco, ita et maledicus irascibili et vindicativo suo abripitur appetitu. Septem capita varias denotant detractionum species; septem diademata universum in omnes populos regnum et dominium; cauda sua stellas firmamenti in terram dejicit, dum perfectissimis etiam insidiatur, eosque infestat.

FUGA.—Regius Propheta David, in Ps. 14, de illis, qui in tabernaculo Altissimi locum habituri sunt, tractans, dicit : « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? » Et respondet quod ibi habitaturi sint, qui linguam suam refrenant, ne male loquantur de aliis, nec non ii, qui a maledicis aures suas avertunt : Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos; at vero id, quod a nobis maxime considerandum est, sunt verba, quæ sequuntur : « Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. » Circa quæ Hugo Cardinalis aptissime ad propositum nostrum ita scribit : Opprobrium non accepit adversus proximum suum, id est, non acceptavit illatum, a se, vel ab alio, vel non accepit, neque in corde ad cogitandum, neque in ore ad loquendum, neque in aure ad audiendum; hac enim diligentia et aversione supposita, nullum detractor locum habere potest, et ideo ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Vel aliter potest exponi, ut jungatur ei, quod immediate præcedit sic : Opprobrium non accepit, id est, detractor deductus est ad nihilum, quia non audet detrahere coram ipso, qui non recipit opprobrium dictum de proximo suo; quia, ut S. Hieronymus ait, si deest auditor, deest et murmurator. HUG. CARD. *in çit Ps.*

Probissime Deo nostro perspectum erat, quidquid in infamibus civitatibus Pentapolitanis ageretur, et tamen, licet criminum inibi commissorum accusatores plurimos habuisset, personaliter descendere voluit ad faciendum legitimum de illis processum. Ubi Rupertus Abbas notat, ideo Deum in propria persona descendere voluisse, quia peccata incolarum castiganda, et toti mundo manifestanda erant, quod facere noluit, nisi re prius legaliter et judicialiter cognita et perspecta, ut per hoc salutare nobis relinqueret documentum, quod scilicet temerarium hominum prohibeatur judicium, ne facile audita credant, vel inexperta judicent. Quot sunt, quos in censurandis aliorum actionibus charitatis zelo motos fuisse credimus, quos tamen postea passionibus et proprii interesse promovendi studio agitatos fuisse deprehendimus! RUPERT. ABBAS, l. VI, *de Tr.* c. 4.

Communiter docent Sacræ Scripturæ interpretes per Cham, qui a patre suo Noe maledictus fuit, præfigurari detractorem, utpote cui proprium est turpiores proximorum defectus detegere; sed observandum est, quot benedictionibus a patre cumulati fuerint, quamque se virtuosos, omnique laude dignos probaverint duo alii fratres ejus Sem et Japhet, qui pallium imposuerunt humeris suis, et incidentes retrorsum operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt; qui proinde in hac actione repræsentarunt illos, qui aliorum defectus et peccata audientes suam a linguis maledicis aversionem ostendunt, defectusque auditos meliori, quo possunt, modo contegere et pa. iare conan:

tur, eadem cum charitate et compassione fraterna excusando, et sub rigidi silentii velamine studiodissime abscondendo. MANSI, *disc.* XVI, n. 2.

Alias inter leges in Tabernaculi fabrica a Moyse observandas, jussit ei Dominus, ut faceret lucernas septem cum emunctoriis suis, et vasa, ubi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo; quod idem præceptum in duobus libri Exodi capitibus latum reperio. Cur, obsecro, divina illa Majestas, quam adorant Dominationes, tremunt Potestates, regulas et decreta ferre voluit in præscribendis tantæ vilitatis rebus, quales lucernarum sunt emunctoria? Quoad sensum litteralem faciliter respondetur : Id ordinatum fuisse, ut non emuncta per Tabernaculum dispersa, ipsum sorditie et fœtore inficerent. Ast cur aurum præscriptum fuit purissimum ? Ad mysterium convolemus oportet. Apostolicus quidam sæculi nostri Prædicator astruit, fideles Ecclesiæ, præsertim autem Sacerdotes et Prælatos Ecclesiasticos lucernas esse debere, continuo ardentes et resplendentes charitate, atque exemplaritate vitæ, juxta illud Christi effatum : « Lucernæ ardentes in manibus vestris. » Ast quia nostra in nobis prædominante fragilitate, peccatorum multoties producimus myxos, qui lucernas nostras extinguunt et offuscant, non vult autem Deus, ut emuncta per terram dissipentur, templumque conspurcent ; id est, prohibet peccata proximorum publicari, scandalose diffundi, opprobrose divulgari ; quid igitur ? Purgari hujusmodi præcepit, et purissimo charitatis auro occultari; quia charitas operit multitudinem peccatorum. Idem *disc.* IV, n. 7.

DAMNUM.—Murmurantis adversum Moysen Mariæ insolentiam Deus lepra punivit : Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix. Quare vindex Deus hanc specialiter ei infirmitatem inflixit, præ quacumque alia ? Doctissimus respondet Abulensis : Erat lepra, immundissima omnium plagarum, cum propter eam repellerentur homines de consortio aliorum. Voluit igitur Dominus hoc supplicii genere demonstrare, murmuratores conversatione hominum aliorum indignos esse. ABUL q. 6, n. 22, 10.

Ingrati Hebræi fœtentia ora sua multoties in murmurationes resolverunt contra Deum et Moysen, servum ejus in deserto. Nihilominus justitia Dei vindex numquam eos, aut fulminum horrore, aut silvestrium ferarum tyrannide, aut cœlestis alimenti quotidie depluentis penuria, sed ignitorum duntaxat serpentium morsibus punivit. Mysterium quæritis, inquit Abulensis? Voluit Deus pœnam æqualiter proportionari culpæ. Hebræi contra Deum murmurationis evomuerant venenum, ideoque a serpentibus percuti debebant, qui virus portant sub lingua, quam ita describit S. Isidorus : Serpentina lingua tenuissima et trisulca, vibrans, atri coloris, et si extrahas, prælonga. Ecce vobis vivum maledicæ linguæ prototypon. MANSI, *disc.* VI, n. 2.

Berchorius detractori invidiam semper associatam astruit, ideoque eum viperæ assimulat, quæ ante se, quam alios ferit ; siquidem, priusquam alium mordeat, viscera rodit genitricis suæ : Ita quoque detractio, inquit ille, prius se sauciat, quam feriat alios ; quoniam præter mortalem propriæ conscientiæ plagam, insuper ab interna consumitur alienæ prosperitatis invidia. Ideo de detractore, inquit hic auctor, potest intelligi commune hoc proverbium : Mus in pera, serpens in sinu, ignis in stupa, male remunerant hospites suos. BERCHORIUS *v. Detractio.*

B. Clemens inter cætera, quæ ab ore S. Petri se didicisse fatetur, hoc modo scribit: Tria sunt genera homicidii, quæ pari pœna plectuntur : interfectio fratrum, detractio, odium. De quo etiam Paulus dicit : « Si comeditis, et vos invicem mordetis, videte, ne ab invicem consumamini. » Comedit namque alter alterum, et quasi morsum in eo facit, quotiescumque aliquis aliquem male loquendo viliorem efficit. Unde necesse est, ubi ab invicem consumantur, pœnis videlicet gehennalibus detrusi miserrime puniantur. Sic igitur is, qui alterum detrahendo comedit, consumitur ab eo, quem morsibus detractionis consumere gestit; nam cum ejus vitam per detractionem lacerat, semetipsum ante Judicem Deum condemnat. S. ANS. *de Simil.* c. XIV, 6.

Hedera Jonam obumbrans vix creverat, moxque a corrodentis vermis livore devorata, emarcuit ; ita quo magis proximi crescit virtus eo studiosius illam obscurare conatur invidus, quasi vermis medullam devorat arboris, aut carnes meliores rodit, id est, melioribus majorique laude dignis detrahit operibus. Per hederam, inquit Hugo Cardinalis, quæ viret in hyeme, significantur boni, qui gaudent in adversitate ;

per vermem significantur detractores, qui corrodunt radicem, id est, pervertunt intentionem; et sic arere faciunt hederam, qui bonos quandoque cessare faciunt a bono. Hugo Card. *in Luc.* c. vi, 6.

In montibus Doffrinensibus avis quædam arboris cujusdam summitati insidens, volubili motu suo tantillum e ramo excussit nivis, prolapsa de ramo in ramum, et tandem per rupes deorsum, ingentem paulatim effecit molem niveam, quæ in præcipitio ligna, saxa, terramque simul involvens, cum maximo impetu corruit deorsum, tandemque mobilis instar montis proruens castellum ad montium radicem situatum offendit, et oppressit. An non eodem omnino modo vel unicum subinde murmurationis verbum, adversus potentem, divitemque personam prolatum, privatas non modo inimicitias, sed et bella publica, immo familiarum (flens dico) immo civitatum et provinciarum suscitat, promovet, perennat, exterminat? Unicus pro mille suffecerit testis S. Bernardinus inquiens: Qui bene considerat omnia mundi scelera, omnes iniquitates et quasi omnes hæreses, schismata, et impietates ex tertia lingua originem habent. O igitur lingua nequam, lingua tertia detractoris! O crudelitas infernalis! O impia odii et invidiæ proles! O pestifera lepra! Tu es, quæ discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas justos, paris scandala, testimonia falsa, perjuria, occasiones iniquas multiplicare non cessas! Tu lingua sæva punis insontes, inter conjuges scandala ponis, infamas viduas, defloras virgines, tu sacras Religiosas confundis! Tu rancores, tu jurgia, livores et iras, contentiones et contumelias, et rixas, et scissuras suscitare non cessas! Tu sola perditiones generas, incendia foves, homicidia patras! Tu fratricida, patricida, matricida, et cæteras crudelitates virulenta impietate committis! Tu sola fœdera frangis, in conjurationibus occuparis, separas amicos, multiplicas inimicos! Tu sola dissipas civitates, destruis Regna, confoves tyrannias! Tu charitatem extinguis, deprimis justos, magnificas impios, fidem destruis, spem frangis, cæterasque virtutes impia crudelitate persequeris! Tu omnia scelera vivificas, et extollis. Quid plura? Tu Angelos in Dæmones convertisti, atque de cœlesti Regno in æterna supplicia dejecisti et profundasti; primosque parentes nostros, ac cum eis totum genus humanum de Paradiso deliciarum ad temporales, ad æternas miserias destinasti! S. Bern. Sen. *Sent. l.* c. v.

MISCELLANEA.

Qualitas. — Dixerat olim Deus Moysi: Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ, et sint ciniphes in universa terra Ægypti. Super quæ verba Stephanus Ethnensis ait: Ciniphes animascula parva, sed inquieta, et acriter pungentia. Ciniphes autem sunt sermones detractorii, eruntque in hominibus et jumentis, in omni ordine, sexu, ætate, statu, inter opulentos et egenos, dominos ac servos hoc detractionis malum grassabitur; multi non blasphemi, sed pauci, immo vix ulli non detractores. Exod. viii, xvi.

De detractore recte cecinit Horatius:

Absentem qui tollit amicum;
Qui non defendit alio culpante; solutus
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit; hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
Horat. I. *Ser. Sat.* iv.

In Exodo olim constituit Deus, ut essent in templo certi lebetes, in quos candelarum emunctiones projicerentur, ne tetro suo odore adstantium nares offenderent, sed in aqua mersæ protinus extinguerentur, quo præcepto voluit insinuare, detractionum fœtores mox ab audientibus extinguendos, ne alios offendant, si ad eos quoque deferantur. Exod. xxxviii.

Sigismundus Imp. cum apud illum purpurati accusassent maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de suo Principe passim male loqueretur: An nobis grave videtur, inquit illos male loqui, cum nos male agamus? Ænea Silvius, tom. ii, *de rebus Alph.*

Cum Joannes Abbas quondam interrogaret senem, quomodo anima habens propria vulnera non erubescit detrahere proximo suo? Respondit senex: Erat quidam homo pauper, habens uxores duas male vestitas et pene nudas. Qui cum ad nundinas vicinas navigare vellent, rogaverunt eum, ut simul irent. Eas ergo quia in publicum educere non audebat, utpote laceras, inclusit in dolium, et transfretavit. Circa meridiem una ex iis, populo recedente, advertens silentium exiliit, et reperit vestem curtam, vilem, rusticam, eaque se cooperuit, sicque audenter in publico incessit. Altera prospiciens e

dolio, eamque videns ait : Ecce stulta ista rusticana in tunicula non erubescit. Cui maritus : O miraculum ! hæc utcumque confusionem suam cooperuit, tu vero undique lacera et nuda non erubescis culpare vestitam vel rusticare ? Ita est, omnis detractor, qui propria mala non videns aliena semper accusat. ROSWEID. *in Vitis PP.* l. VI.

Detractorum nota vox et gladius est, vox *nisi ;* cum dicunt : bonus esset, *nisi* hoc vel illud vitium haberet. Unde natum distichon :

> Si *nisi* non esset, quam felix quilibet esset !
> Sunt pauci visi, qui caruere *nisi.*

Detractionem vere comparat Marchantius caudæ Draconis Apocalyptici, quia, sicut ille sua hac cauda tertiam partem stellarum e cœlo traxit; ita detractio majorem partem hominum in abyssum inferni secum præcipitat. MARCH. *in Horto Past. tr.* IV, *lect,* XVII, *prop.* 2.

Elephas, licet corpore et viribus eminens, usque adeo tamen timet mures, ut, si vel solum illorum odorem senserit, timeat ; ita et summi quique viri coram detractoribus sibi timere non immerito debent. Ibidem.

DAMNUM. — Theocritus olim interrogatus, quæ essent immanissimæ feræ ? respondit : In montibus et silvis leones et ursos esse omnium ferarum ferocissimos, in oppidis vero et urbibus fœneratores et detractores. ARIST. l. VII, *anim.* 4.

S. Augustinus detractorem corvo ex Arca a Noe emisso comparat, qui non est reversus ad Arcam, sed cadaveribus in diluvio natantibus adhæsit; virum bonum vero columbæ viridem ramum honestæ laudis et commendationis reportanti. S. AUG. l. XII, *contra Faustum.*

In Levitico, Deus scabiosos a sacrificio arceri voluit, quia nec tunc continere se potuissent, ne scaberent ; similes ergo scabiosis cum sint detractores, quid mirum, si a Dei ministerio removeantur ? LEV. XI. *Engelgr, Dom.* 8. *post Pent.* §. 2.

In obsidione Rhodi Andreas de Moraillo, Eques Lusitanus simulans se excubias lustare, litteras, in urbem ejaculatus est telo alligatas ; sic detractores per suas sagittas detractionum ad quantumcumque vallata loca penetrant.

Festivum est, quod Poeta lusit, uno jaculo piscem in aquis, hirundinem in aere, et leporem in campis trajectum fuisse :

> Trans amnem visus lepus est, contenditur arcus
> Ocius, et celeri missa sagitta manu,
> Forte salit piscis, progne prætervolat, hærent
> Tres uno in telo, piscis, hirundo, lepus.

Simile quid detractores faciunt tres uno sermone offendentes.

AXIOMATA.

Si decus est morum, ne cures verba malorum.

Murium pessimus, qui lingua rodit. BUCHLER. V, *detractio.*

Ita commune proverbium, teste Marchantio : In astrum numquam digitum intende, id est, de magnatibus nihil temere loquere. Ita Pytagoras monebat. MARCHAN. II, *lect,* XVII, *prop.* II.

Quia, sicut recte dixit Isidorus Pelusiota, bona existimatione nihil est præstantius ac melius, ne Crœsi thesauros quisquam cum ea comparaverit. Tales enim esse censemur, quales fama cujusque est ; huic aures, huic oculi intenduntur. Melius omnibus, quam singulis creditur ; singuli enim decipere et dicipi possunt, nemo omnes neminem universi fefellerunt. FAB. *conc.* VI. *in Dom.* III. *post. Pent.* n. 3.

Hinc et Plautus.

> Ut fama est homini, sic solet pecunia invenire.
> Ego si bonam famam mihi servasse, sat ero dives.

Huic, quod morti tribuitur Symbolum : *Nemini parco ;* etiam detractorum proprium est ; quia fama difficulter ex integro restituitur. ISID. l. III, *epist.* XIV.

AUCTORES.

Joannes Busæus, *in Panario,* V. Detractio.

Hieremias Drexelius, *in Phaetonte,* c. XV, XVI, XVII et XVIII.

Jacobus Marchantius, *in Horto Pastorum,* tract. IV. lect. XXVII.

Henricus Engelgrave, *in Dom,* VIII, *post Pent.*

Matthias Faber, *in Opere trip. in Dom.* III. *post Pent.* conc. IV, V et VI. Item, *in Auctario* them. IV. *in Dom.* IV. *post. Pascha.*

Jacobus Alvarez, tom. II, lib. II, c. VI, §1.

Josephus Langius, *in Polyanth* V. eod.

Antonius Dauroltius, c. III, tit. 124.

Josephus Mansi, *in Bibl. Mor.* tract. 21.

DEUS.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est substantia spiritualis, omnes perfectiones simpliciter simplices (id est, tales quas melius est habere, quam non habere) continens. S. Augustinus sic eum fusius descripsit : Deus vera et summa vita, in quo et a quo, et per quem bona sunt omnia, quæ bona sunt. Deus, a quo averti, cadere et in quem redire, reviviscere, et in quo habitare, vivere est. Deus, quem nemo amittit, nisi deceptus; quem nemo quærit, nisi admonitus; quem nemo invenit, nisi purgatus. *In Soliloq.*

Immo et Plato eum agnovisse videtur, dum dixit : Deus est summum bonum, supra omnem substantiam omnemque naturam, quod cuncta expetunt, cum sit ipse plenæ perfectionis, et nullius indignus.

Attributa. — Duplicis generis attributa ei conveniunt. 1. *Negativa,* qualia sunt esse incorporeum, increatum, infinitum, immensum, immutabilem, incomprehensibilem, invisibilem, ineffabilem, simplicem, indivisum, æternum, 2. *Positiva,* qualia sunt esse bonum, sapientem, omnipotentem, justum, misericordem.

Trinitas personarum. — Tres reperiuntur in Deo Personalitates, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, distinctæ quidem a se mutuo realiter, non autem a natura, æqualem gloriam et majestatem coæternam habentes, ita ut qualis est Pater, talis sit et Filius, et Spiritus Sanctus.

Processiones. — Duæ etiam *processiones* inveniuntur in Deo, per quarum priorem Filius a Patre generatur, mediante cognitione essentiæ et rerum possibilium, ac proinde, quia vere est processio viventis a vivente, velut principio conjunctivo in similitudinem naturæ, generatio vocatur; per posteriorem Spiritus Sanctus a Patre et Filio spiratur, et procedit mediante volitione seu amore mutuo Patris et Filii, unde spiratio passiva dicitur, cui ex parte Patris et Filii spiratio activa utrique communis, realiter distincta, sicut et generationi passivæ Filii in Patre generatio activa seu Paternitas respondet. Et de his duabus processionibus intelligendum est, quod S. Athanasius in Symbolo dixit : Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus; Filius a solo Patre non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Missiones.—Missio Personarum divinarum est apparitio temporalis Personæ procedentis. Dividitur in visibilem, quæ est ad terminum visibilem, quomodo Filius missus est, ad naturam humanam assumendam; et invisibilem, quæ fit interno et spirituali modo; uti S. Spiritus missus est ad mentes nostras, charitate Dei replendas.

Operationes. — Duplicis quoque generis operationes Deo conveniunt. 1. Internæ; et hæc sunt intellectio et volitio. 2. Externæ; et hæc sunt Angelus, Homo, Mundus, cæteræque creaturæ.

EX S. SCRIPTURA.

Dei Existentia. — Dixit Dominus ad Moysen : Ego sum, qui sum. Exod. iii. 14.

Deus qui fecit mundum, et omnia, quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem, et omnia. Act. xvii. 24.

Hæc dicit Dominus, Rex Israel, Redemptor ejus, Dominus exercituum : Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. Isaiæ xliv. 6.

Unitas. — Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Deut. xxxii. 19.

Ego ipse sum ; ante me non est formatus Deus, et post me non erit. Isaiæ xliii. 10.

Scito ergo hodie, et cogita in corde tuo quod Dominus ipse est Deus tuus in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius. Deut. iv. 39.

Perfectio. — Ego ostendam omne bonum tibi. Exod. xxxiii. 19.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis ; et magnitudinis ejus non est finis. Ps. xix. 13.

Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt ; ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Isaiæ xl. 15.

Multa dicemus, et deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum ipse est in omnibus. Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et

admirabilis magnificentia ejus. ECCL. XLIII. 29.

POTENTIA. — Deus cujus iræ nemo potest resistere; et sub quo curvantur, qui portant orbem. JOB. IX, 13.

Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis. SAP. XVI, 13.

Multum valere tibi soli suberat semper, et virtuti brachii tui quis resistet? SAP. XI, 13.

Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. ECCL. XI, 14.

Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. PS. CXLVIII, 5.

Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus; et anima ejus, quodcumque voluit, fecit, JOB XXIII, 13.

Adonai Domine, magnus es tu, et prævalens in virtute tua, et quem superare nemo potest. JUDITH. XVI, 16.

Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.

OMNISCIENTIA. — Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt in oculis ejus. HEB. IV, 13.

Parvum est cor hominis et inscrustabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes. JER. XVII, 9.

Abyssum et cor hominum investigavit. Non præterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab illo ullus sermo. ECCL. XLII, 18 et 20.

Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. JOB. XVI, 20.

JUSTITIA, — Non subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter illi cura est de omnibus. SAP. VI, 8.

Ne dixeris : Peccavi, et quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor. ECCL. V, 4.

Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt. TOB. III, 3.

Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus, quæ fecit. DAN. IX, 14.

IMMENSITAS. — Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus? JER. XXI, 23.

Quo ibo a Spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. PS. CXXXVIII, 7, 8, 9 et 10.

Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, et sumus, ACT. XXVII, 27, 28.

IMMUTABILITAS. — Ego Dominus, et non mutor. MALACH. III, 6.

Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. PS. CI, n. 23, 19.

Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. JAC. I, 17.

ÆTERNITAS. — Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus. ISAIÆ XL, 28.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus. PS. LXXIX, 2.

Hæc dicit Excelsus et Sublimis, habitans æternitatem. ISAIÆ LVII, 15.

AMOR ERGA HOMINES. — Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus. I JOAN. III, 1.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum. JOAN. IV, 9

Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva. ISAIÆ, XLVI, 3.

In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans. JEREM. XXXI, 3,

Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. I TIM. II, 4.

Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam et ego resuscitem eum in novissimo die. JOAN. VI, 40.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

EXISTENTIA.—Deus est in semetipso, sicut, A et Ω. In Mundo, sicut Rector et Auctor. In Angelis, sicut Sapor et Decor. In Ecclesia, sicut Paterfamilias in domo. In Anima, sicut Sponsus in thalamo. In Justis, sicut Adjutor

et Protector. In Reprobis, sicut Pavor et Horror. S. Aug. *super Orat. Dom.*

Ex perpetuitate creaturarum intelligitur Creator æternus, ex magnitudine Omnipotens, ex ordine et dispositione Sapiens, ex gubernatione Bonus. S. August. *super Joan.*

Deus non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quidem factum est. S. Bern. *de Consid. lib.* V.

Unitas. — Unus omnium Deus; neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola teneat omnem potestatem. Ad divinum imperium etiam de divinis mutuemur exemplum. Romanos geminos unum non capit imperium, quos unum cepit uteri hospitium. Pompeius et Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec tu hic de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus apibus est, dux unus in gregibus, et in armentis rector unus; multo magis mundi Rector est unus, qui universa, quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic enim videri non potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est. Et ideo sic Deum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen Dei quærant, *Deus* nomen est illi. Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. S. Cyp. *in s. quod Idola non sunt Dii.*

Trinitas. — Est Trinitas, creatrix, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus; ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio, et voluntas. Et est trinitas, per quam cecidit, videlicet per suggestionem, delectationem, consensum. Et trinitas in quam cecidit, videlicet, cæcitas, immunditia, impotentia. Et trinitas, per quam resurgit, fides, spes, charitas; quæ trimembres habent subdivisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum. Est spes veniæ, gratiæ, et gloriæ. Et est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. S. Bern. *in serm. parv. s.* i.

In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul sunt; et nec plus aliquid sunt duæ, quam una res, et in se infinita sunt; ita et singulæ sunt in singulis, et etiam omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. S. Aug. l. VI, *de Trinitate.*

Inquirere de Trinitate, perversa curiositas est; et credere ac tenere, sicut S. Ecclesia tenet, fides atque securitas est. Videre autem eam, sicuti est, perfecta et summa felicitas est. S. Bern. s. i, *in parv. ser.*

Ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Ib.

Perfectio.— Omne, quod de Deo dicitur, eo ipso indignum est, quod dici potuit; ejus enim laudi non sufficit obstupescens conscientia, quomodo ergo sufficiat loquens lingua? S. Greg. l. xxvi, *Mor.* c. xxii.

Si quis conspicatus Deum intellexerit, quod vidit, non ipsum est conspicatus, sed ejus aliquid. Perfecta enim ipsius ignoratio, vera cognitio est, quia ipse supra omnem mentem et substantiam noscitur. S. Dionys. *Epist.* 2.

Deus tibi totum est: si esuris, panis; si sitis, aqua tibi est; si in tenebris, lumen tibi est; si nudus es, immortalitate tibi vestis est. S. Aug. *ser.* ix, *super Joan.*

Quam dives in misericordia, quam magnificus in justitia, quam munificus in gratia! Domine Deus noster, non est qui similis sit tibi. S. Bern. *ser.* xlvii.

Omnia in Deo reperimus, unus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! O compendium singulare! Cur nos per diversa fatigamus? Ad ipsum ergo unanimiter festinemus, post quem cuncta bona ultra non quæremus, sed tenemus. Cassiodor. *supra Psalm.*

Bonitas — Ipse quippe Dominus noster Jesus Christus dixit: Nemo bonus, nisi solus Deus. Nonne stimulavit nos ad inquirendum, et distinguendum, quid sit bonum ab alio bono bonum, et bonum in seipso bonum? Quam ergo bonum est, a quo sunt omnia bona; omnino nullum invenies bonum, quod non ab illo sit bonum. S. Aug. *sup. Ps.*

Quid vagaris, o homuncio, permulta quærens bona corporis et animæ? Quære unum bonum, in quo est omne bonum, et sufficit. S. Ansel.

Justitia. — Justi, cum contra desiderium quodlibet agi conspiciunt, ad occulta Dei judicia recurrunt, ut in eis videant, quod inordinatum intus disponitur, quod inordinatum foris currere videtur. S. Greg. l. xvi *Mor.* c. xiv.

Judicia Dei quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta humilitate debent venerari. Idem, l. XXVII, *Mor.* c. II.

Deus nonnulla percutit, et nonnulla inulta relinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus, si hæc cuncta percuteret, extremum judicium unde restaret. Idem l. I, *Mor.*

IMMENSITAS. — Deus manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem. Sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. S. GREG. hom. XVII *super Ezech.*

SAPIENTIA ET OMNISCIENTIA. — Cum a Deo non credimus nos videri, in sole clausos oculos retinemus, illum a nobis abscondimus, non nos illi. S. GREG. l. XXV, *Mor.* c. V.

Sic gressus meos semitasque consideras, et diu noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans; speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cœli et terræ oblitus, tantum me solum consideres, et nihil tibi sit curæ de aliis. S. AUG. *in Medit.*

Deus totus oculus est, quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est. S. AUG. *Epist.* XXX.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Super omnia, et in omnibus requiesces, anima mea, in Domino semper, quia ipse Sanctorum æterna requies, in quo cuncta bona simul et perfecte sunt, et semper fuerunt, et erunt; atque ideo minus est, et insufficiens, quidquid præter te ipsum mihi donas, aut de te ipso revelas, vel promittis, te non viso, nec plane adepto. Lib. III, c. XXI.

Non est similis tui, in cunctis mirabilibus cœli et terræ. Sunt opera tua bona valde, judicia tua vera, et providentia tua reguntur universa. L. III, c. XXI.

Ecce Deus meus et omnia. Quid volo amplius, et quid felicius desiderare possum? O sapidum et dulce verbum, sed amanti verbum, non mundum, nec ea, quæ in mundo sunt: *Deus meus et omnia!* Intelligenti satis dictum est, et sæpe repetere jucundum est amanti. Te siquidem præsente jucunda sunt omnia; te vero absente fastidiunt cuncta. L. III, c. XXXI.

Diu parvus erit, et in terra jacebit, qui aliquid æstimat magnum, nisi solum unum, immensum, æternum bonum. Nam quidquid Deus non est, nihil est, et pro nihilo computari debet. L. III, c. XXXI.

Tu, Domine, semper idem ipse es, et permanes in æternum, semper bonus, justus et sanctus, bene, juste, ac sancte agens omnia, et disponens in sapientia. L. III, c. XL.

Omnia, quæ ad pacem videntur esse, et felicitatem habendam, te absente nihil sunt, nihilque felicitatis in veritate conferunt. Finis ergo omnium bonorum et altitudo vitæ, et profunditas eloquiorum tu es; et in te super omnia sperare, fortissimum solatium servorum tuorum. L. III, c. LIX.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

UTILITAS. — Cum S. Procopius judicio sisteretur, et ei imperatum esset, ut diis immolaret, unum solum Deum se scire dixit, cui, sicut ab eo præceptum esset, soli esse sacrificandum. Cum vero ei ulterius imperaretur, ut quatuor Imperatoribus hostias offerret, hoc Homeri carmen protulit: Non bona res multi Domini; Rex unicus esto! Et extemplo securi percussus est. EUSEB. l. VIII, *Hist.* c. XII.

S. Tiburtius, cum Judex pavimentum carbonibus ardentibus sterni jussisset, dixissetque illi: Tiburti, aut diis nostris sacrifices oportet, aut per istos carbones nudis tibi pedibus est incedendum; mox signo crucis facto se muniens, fidenterque in prunis ambulans: Disce, inquit, ex hoc, solum esse Deum, quem Christiani colunt; prunæ enim mihi flores videntur. *Breviar. Rom.* 2. *Aug.*

TRINITAS. — Cum S. Augustinus in civitate Hipponensi librum de S. Trinitate componeret, et more suo post studia ad relaxandum animum mare obambularet, vidit puerum miri decoris argenteo cochleari aquam a mari haustam in fossulam, quam in littore effoderat, infundentem. A quo, cum, quid moliretur? quæsiisset, respondit ille, se totum mare in fossulam eam transfusurum. Cumque Augustinus hoc impossibile fore diceret, subjecit puer: Citius ego mare in hanc scrobem colligam, quam tu parvo tuo volumine immensum atque inexplicabile

SS. Trinitatis mysterium comprehendas. Thomas Cantipr. l. I, *Apum.* c. xlix, p. 3.

Simoni cuidam de S. Trinitate dubitanti, et ob id in magna anxietate constituto, Christus Dominus bis apparuit in somnis, excitans eum ac dicens : Ne dubites de SS. Trinitate, sed crede firmiter, prout Ecclesia Catholica credit, et docet. His dictis Christus disparuit, Simonemque ab omni tentatione liberavit. S. Antonius, *Hist.* p. 3, tit. 24, c. ix, §. 6.

Cum, anno 461, in civitate Nannecensi Episcopus Missam celebraret, ante ipsum tres guttæ splendidissimæ ejusdem magnitudinis ceciderunt, quæ in se mutuo coeuntes, in unum pretiosissimum lapidem concreverunt; quem Episcopus reverenter attollens, cum in cruce multis unionibus ornata includi jussisset, repente omnes alii uniones per se deciderunt, quasi huic miraculoso lapidi, SS. Deitatem et Trinitatem repræsentanti, libenter cedentes, et honorem deferentes. S. Gregor. Turon. l. I *de Glor. Martyr.* c. xiii.

In Claræ de monte Falcone, quæ in culina ministrarat, corde post mortem tres oblongæ glandes, seu pilulæ carneæ sunt inventæ, magnitudinis olivarum, quæ et singulæ divisim, et omnes simul ejusdem erant ponderis, quas etiamnum in Monasterio quodam Augustinianorum asservari, Costerus in Conc. hujus Festi testatur. Michoviensis, *in Litan.* disc. lxxvii, n. 14.

Cum in Nicæno Concilio contra Arianos disputaretur, et S. Nicolaus Episcopus proterviam Arii mysterium SS. Trinitatis negantis adverteret, sic eum allocutus est : Quare tibi videtur in Creatore difficile, quod in creatura reperitur? Ecce laterem unum, invenies in illo tria distincta, ignem, aquam, terram. Quibus dictis, protinus a latere ignis sursum ascendere, fluere deorsum aqua, et terra inter digitos communis visa est, cunctis ad rei miraculum obstupescentibus.

Gerardus Pleisensis refert, mulierem obsessam Sygebergum venisse curationis gratia, quæ cum in oratorio S. Michaelis de diversis interrogaretur, et incideret mentio de Lucifero apud inferos ligato, respondit per os ejus diabolus : Stulti, quibus catenis putatis ligatum Magistrum meum in inferno? Ferreis? Nequaquam. Tria verba sunt posita in silentio Missæ, quibus ligatus est. Requirentibus quibusdam Fratribus, quænam essent illa verba? Dicere noluit, sed ait : Afferte mihi librum, et ego ostendam vobis illa. Allatus est ei liber missalis, et clausus porrectus, quem ille aperiens, primo ictu Canonem invenit, et digitum ponens super illum locum : *Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,* in quibus memoria fit Trinitatis, ait : Ecce ista sunt verba, quibus ligatus est Magister meus. Cæsarius, l. v. c. 13.

Cum S. Elzearius Comes in oratione quondam positus fuisset, tota nocte Sabbati usque ad orientem solem multa præclara et admiranda divinitus ostensa vidit. Præsertim vero quomodo Pater gignat Filium, et quomodo Spiritus S. ab utroque procedat, et tres Personæ sint unus Deus. Nec tamen potuit hujus generationis et spirationis modum ullis verbis exprimere, sed quoties aliquid pro viribus tentabat : O quam male inquit, et imperfecte loquor, non possum explicare, quod vidi, nec efferre lingua, quæ experimento didici. Surius, *in Vita,* 27 *Septemb.*

S. Annon, Coloniensis Episcopus, Clericum habebat, qui quoties *Gloria Patri etc.* dicebat cum Episcopo, mediam semper Personam Filii omittebat. Quam negligentiam cum nemo adverteret, et corrigeret, S. Episcopus secreto noctis silentio sonum aure percepit, negligenter et corrupte versiculum illum *Gloria Patri etc.* proferentis. Post hæc in extasim raptus, vidit quemdam in Majestate, quæ Filium Dei decebat, contra se stantem, qui protensis coram eo sinistræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice dicens : Ecce Pater. Moxque secundum : Ecce Filius. Post hæc et tertium : Ecce Spiritus Sanctus. Ecce tres in una Deitate Personæ, quibus gloria par dicitur ab universali Ecclesia. Cur ergo Clerici tui blasphemias sine correctione præteris, qui eam, quam cum Patre et Spiritu Sancto communem possideo, gloriam mihi subtrahit, cum ad omnem *Gloriæ* decantationem, mediam Trinitatis Personam transilit? S. Annon admiratus, ubi ad consuetum hymnum venit, advertit Clericum in Trini Numinis glorificatione Personam Filii omittere, quare quamprimum severe corripuit, erroremque corripere jussit. Surius, *in Vita,* 4 *Decemb.*

Sigeberto petenti aliquid reliquiarum de S. Augustino, demum in pyxide crystallina auro gemmisque distincta cor S. Augustini a Deo est traditum. Quod cum ille cum summa veneratione sacrario inclusum cum aliis reliquiis suo tempore in Altari exposuisset, visum est illud, quoties in templo

lla verba, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* canebantur, in vitro subsilire. PENEQUIN. *in Isag.* consid. 23.

Quærenti aliquando Tiburtio quomodo Trinitas demonstrari posset, S. Cæcilia respondens dixit : Unus est Deus in sua virtute, quem sic in S. Trinitate partimur, quomodo in uno homine inesse dicimus, artem, memoriam, et intelligentiam, quoniam arte invenimus id, quod didicimus, memoria tenemus, quod docemur, intelligentia comprehendimus si quid nos unquam contemplari contigerit aut audire. Quidnam ergo facimus? Num hæc tria in homine una possidet intelligentia? Si ergo homo in una intelligentia possidet nomen trium significatorum, quomodo non Deus omnipotens in una et eadem divinitate vim obtinet Trinitatis? Tunc Tiburtius, frater Valeriani, quem B. Cæcilia jam ad Christum adduxerat, cum in terram cecidisset, cœpit clamare et dicere : Revera, o charissima, non mihi videtur lingua humana dare responsum, sed conjicio Dei Angelum per os tuum locutum. Et magnas egit gratias, quod cito unum esse Deum in tribus personis, ei aperte probaverit. *In vita* S. CÆCILIÆ, cap. VIII et IX, apud Surium. tom. VI, 22 *Nov.*

Childebertus, Francorum, Rex pervenit aliquando cum exercitu ad oppugnandam Cæsar-Augustanam civitatem, quod ibi Arianam hæresim vigere putasset. Percontatus autem ex rustico, quem in agro deprehendit, quam religionem urbis habitatores sequerentur, essentne Christiani Catholici, an Ariani? Ille, ut erat agricola, pro suo captu, ut poterat, respondit : Sanctam inibi in Deitate Trinitatem, et Unitatem in Trinitate credi. Gavisus Rex Pontificem urbis ad se vocat, eumque alloquens ait : Quia Catholicam plebem audio urbem inhabitare, arma quæ contra Arianos sumpsi inde converto. JOB. MAG. lib. XVI, cap. IV.

Apud Joannem Tarpinum, in historia Caroli Magni et Rolandi, cap. XVII, extat Ferracuti gigantis de genere Goliath, Agareni, et Rolandini disputatio quædam de fide in qua cum de Trinitate et Unitate disseritur, sic habetur. Nos Saraceni credimus, ait Ferracutus, quia Creator cœli et terræ unus est Deus, nec Filium habuit, nec Patrem, sed sicut a nullo generatus est, ita neminem genuit; ergo Unus est Deus, non Trinus. Verum quidem dicis, inquit Rolandus, quia *Unus est;* sed cum dicis, *Trinus non est*, in fide claudicas; si credis in Patrem, crede in Filium ejus et Spiritum Sanctum. Ipse enim Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus, est unus Deus permanens in tribus Personis. Si Patrem, infert Ferracutus, dicis esse Deum, Filium Deum, Spiritum Sanctum Deum, ergo tres Dii sunt, quod absit, et non unus Deus. Nequaquam, inquit Rolandus, sed Unum Deum et Trinum prædico tibi, et Unus est et Trinus est. Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt et coæquales; in Personis est proprietas, in essentia unitas, et in majestate adoratur æqualitas. Trinum Deum et Unum Angeli adorant in cœlis, ter Sanctum collaudantes; et Abraham tres vidit, et unum adoravit. Hoc ostende, ait gigas, qualiter tria unum sint? Ostendam tibi, inquit Rolandus, per creaturas; extat quippe in omni re creata Trinitatis quoddam vestigium, sicut in cythara cum sonat, tria sunt, ars scilicet, chordæ et manus, et hæc tria una est cythara, sic in Deo Pater, Filius et Spiritus Sanctus unus est Deus; et sicut in amygdala tria sunt, corium scilicet, nucleus et testa, una tamen amygdala est; sic tres Personæ in Deo sunt unus Deus. In sole tria sunt, candor, splendor, et calor, et tamen unus sol est; in rota plaustri tria sunt medium scilicet, brachia, circulus, et tamen una rota est; in temetipso tria sunt, corpus scilicet, membra, et anima, et tamen unus es homo; sic in Deo et Trinitas et Unitas esse perhibetur. Tunc Ferracutus inquit : Trinum Deum et unum esse intelligo. JOAN. TARPEJUS, *Rhem. Episcopus. in Hist. Caroli M.* c. XVII.

OMNIPOTENTIA, — Rex Ptolomæus semel Indum aliquem, unum ex septuaginta Interpretibus, interrogavit, quid sibi optimum in vita esset? Cui ille respondit : Si cognoscas; quoniam Deus mortalibus dominatur, atque ut ad optimas quasque operationes non per nos ipsos consilia dirigamus; Deus enim, qui cunctis dominatur, omnium opera perficit et deducit. DAUROLT. *Cate. Hist.* c. I, tit. 27, ex. II.

Cum Canutus, Rex Angliæ, quondam juxta littus maris in sella sedisset, et dixisset : Mare, Regni mei pars es, itaque mihi obtemperes! illud mox impetu facto sinum ejus undis perfudit. Quo facto territus, Rex de solio surrexit, dicensque : Vana est omnium Regum potestas, et solus Deus omnipotens! Coronam cruci imposuit, et deinceps pietatis et modestiæ cultor extitit. Ibid. ex.

Alphonsus, Rex Aragonum et Siciliæ, filium adversus Florentinos mittens cum valido exercitu, monuit illum, ne tantum suæ aut militum audaciæ tribueret, ut putaret se absque Dei auxilio victoriam obtinere posse; scientiam enim militarem tunc tantum prodesse, si Deum nobis pietate ac innocentia pacatum propitiumque habuerimus. Deum igitur, inquiebat, cole, et in hoc confide; quem si quando iratum tibi suspicaberis, cave, contendas; imo quidquid ab eo tibi accidisse videtur, boni consule, et patientia et pœnitentia eum placa. ANTON. PANORM. III *de Gestis Alphonsi.* c. XXXI.

Cum sub Decii imperio gravis in Christianos persecutio fuisset orta, plurimique martyrio affecti, alii vero carceri tenebroso inclusi rogarent, ut, sicut S. Petrum ex carcere liberavit, et ipsos liberare a sua captivitate dignaretur, mox adfuit Christus, dixitque: Fidite, et ne formidate; ego enim vobiscum sum. Et ecce repente vincula non secus, ac cera deffluxerunt, carcerque sponte patuit, et Dominus adjecit: Abite et ubicumque gentium prædicate potentiam meam. Et his dictis in cœlum abiit, illi vero ex carcere egressi sunt. Quod ubi mane adverterunt ethnici, salvaque signa portæ viderunt, magnopere admirati sunt, et potentiam Dei Christianorum passim prædicarunt. RADERUS, *in Virid.* 15 *Mart.*

Clotarius, Francorum Rex, graviter vexatus a febre, aiebat: Vah! quid putatis qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos Reges interfecit? Et in hoc tædio positus spiritum exhalavit. BARON. tom. VII. *Annal. an.* 565.

Alphonsus Decimus, Rex Hispanorum, cum aliquando dicere ausus fuisset, se, si primæ mundi Creationi ad fuisset, multa aliter ordinaturum fuisse; primo a milite, deinde Eremita jussu Dei de blasphemia corrigenda admonitus, semper tamen eamdem repetens, tandem ab horribili tempestate subito exorta, sagittaque fulminea in vestes ejus incidente territus resipuit; Eremitam vocari jussit, et publice verba nefanda coram eo, et aulicis retractavit. Quo facto et tempestas remisit, et quidem tanto magis, quanto magis ipse se humiliabat, et suam quidem infirmitatem, ex una, ex altera vero parte Dei potentiam prædicabat. DAUROLT, ex. 9.

JUSTITIA. — S. Brigitta Christo quondam Dæmones dicentes audivit: Si creatura illa, quam maxime diligis, videlicet Virgo, quæ te genuit, et nunquam offendit, peccasset mortaliter, ac sine divina contritione mortua esset, ipsa cœlum numquam obtinuisset, sed nobiscum in inferno cruciaretur, adeo ut justitiam diligis. BLOSIUS, *in Monil. spirit.* c. I. *circa finem.*

EXISTENTIA. — Mandarinus militaris præcipuus, post multam luctam Christo manus dedit in urbe Hanceu, Provinciæ Cechiari metropoli, postquam non tam horrore Religionis Christianæ, quam metu, ne suos, quos colebat, deos offenderet, diu anxius hæsit. Interea a Christiano alio Mandarino rogatur, ut semel verum Deum serio rogaret, velit se veram salutis viam docere; si id faceret nihil se amplius ea illi dicturum. Annuit alter, et ad supremam ædium suarum partem ascendens, aperto cœlo altare instruit elegans; tum in una scheda nomen Tiencui, hoc est, Deum Christianorum, et Dominum cœli scribit, in altera sui majoris Idoli, quod ut militis, fuit deus armorum. Utramque pari reverentia in medio aræ posuit, pone accensa luminaria, et incensum posuit. Tum prostratus ad aræ pedem ac profunde utrumque nomen veneratus, sæpius fronte terram ferit; tum in genua procumbit, et: « Quisquis vestrum, ait, verus Deus est, mei curam habeat, et humiliter rogatus, mihi se ita manifestet, ut dubitare et errare desinam; ego enim homo militaris et litterarum expers quid aliud possum, quam verum inquirere, et repertum profiteri? Quis igitur mei miseratione tangetur, ut dubitantem ac perplexum juvare velit? » Dumque ita pergit loqui, vidit ex ara in sinum suum chartam eam advolvi, cui inscriptum erat nomen Dei, idoli nomine immoto, ad quod ille cohorruit, et adhuc nondum securus, hunc motum chartæ, a divina manu esse, altari denuo eam imposuit, quæ tamen iterum ac tertio in ejus sinum reversa est. Tunc lætus in mille frusta idolum comminuit; deinde a nostris probe instructus, singulari solemnitate baptizatus est, ac Felix dictus. BARTHOLUS, *in Chin.* III, *fol.* 570.

DIGNITAS. — B. Angela Folignia in amore, cognitioneque Dei exercitatissima persuaserat sibi, eos, qui divini amoris luce collustrati altius se in divinarum perfectionum cognitionem immerserant, præ illarum admiratione malle se degustare in silentio, quam cum aliis de iis sermonem habere, quod, quidquid de illarum excellentia in medium attulerint, nihil esse sentiant, si

cum eo, quod in se continet divina majestas, conferatur. Addebat præterea, si concionatori, quem Deus ad tantarum perfectionum notitiam evexisset, incumberet de iisdem ad populum verba facere, dicturum : Ite; quis, quantusque sit Deus, vobis edisserere non possum ; quidquid enim de illo in sacris paginis legitur, quidquid aliorum scriptis vulgatum est, quidquid hinc ad mundi usque finem dici, proferique ab hominibus potest, nihil est, si cum illa, quam Deus in se continet, abysso comparetur, et minor est sine termino comparatio, quam si arenula cum universo componatur. Animus qui non ex aliqua studii contentione, sed unctione spiritus experientiaque hanc hausit de Dei præstantia notitiam, si verbis illam explicare voluerit, male se potius de Deo loqui ejusque detrahere gloriæ et majestati, et quodammodo blasphemare, quam quid est Deus, oculis subjicere judicabit. Ita Sancta illa, quam Deus in cellam vinariam induxerat, sapidaque et eminenti suarum perfectionum cognitione illustrarat, de earum ineffabili præstantia sentiebat. PENNEQUIN. *in Isagog. p.* I, c. XVIII, n. 7.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius, quoties ad SS. Trinitatem orationem fundebat, uti faciebat frequenter, et diu, eximiam divinæ consolationis suavitatem percipiebat. Eidem Manresæ Mysterium SS. Trinitatis tam clare revelatum est, ut homo adhuc rudis librum de ea scripserit. Sed et miram erga singulas Personas devotionem, in Manresano præsertim secessu sensit; hinc Pater æternus ei Romam tendenti in sacello apparuit, Filioque commendavit. Filius vero sæpius in specie parvuli, interdum etiam in forma viri se illi exhibuit. Spiritus Sanctus vero in specie flammæ igneæ, aut alio modo, dum Constitutiones scripsit, eidem assistere visus est. GLOR. S. IGN. c. XII. H, V, p. I, l. V, n. 27. RIBAD. l. V, c. VII. H. V, p. I, l. II, n. 29. FLOR. S. IGN. c. II, III et IV.

Petrus Faber, circa festum SS. Trinitatis renovabat animam suam dicens, omnia Mysteriorum Christi festa in illo festo concludi; et quia servus Dei summe niti debet, ut sit tabernaculum SS. Trinitatis. *Vita,* II, c. XI.

P. Franciscus Folianus plenus erat, imo totus in SS. hoc Mysterio commendando per sancta colloquia. Tria apud illum omnia, triangulum, cubiculum, trium asserum lectus, in mensa et ubique alibi tria. In rebus etiam creatis libenter tria seligebat, quæ consideraret, ut in sole lumen, calorem, splendorem. Post mortem tres in ejus corde subalbescentes flammulæ inventæ, quæ parte adversa in unam coalescebant, testatusque est Marsilius cognatus, medicus peritissimus, qui aderat, id plane extra naturæ leges evenisse. Ejus loculo Romæ inscriptum : *P. Franciscus Folianus, Soc. Jesu, eximius SS. Trinitatis cultor.* ALEGAMBE, *in Bibl. Scrip. Soc.*

P. Camillus Constantinus, Tabiræ in Japonia palo alligatus, cum a fumo et igne ex aspectantium oculis eriperetur, constanter laudabat Deum, et tandem ad *Gloria Patri etc.*, concidit. Sed iterum exurgens, iterum SS. Trinitatem collaudabat. Tandem vestibus combustis cum humi abjectus jam mortuus crederetur, adhuc trisagion illud SS. Trinitatis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* concinuit, et occubuit. NADASI, *in Anno cœlest. heb.* XXV.

In P. Pauli Achillis, S. J. vita recensetur, quod anima quæpiam crebris alias etiam visionibus illustris, viderit universam Societatem sub symbolo vasis pulcherrimi et profundi, oblati in Dei conspectum a tribus juvenibus Angelis. In vase tria erant cochlearia, quasi SS. Trinitas gustaret id, quod erat in pretiosissimo illo vase. Ibidem, *Hebd.* XV.

EXEMPLA PROFANA.

Thales olim quid Deus esset, interrogatus, respondit : Id, quod principio et fine caret. LAERT, *in Vita.*

Simonides interrogatus olim ab Hierone Tyranno quidnam esset Deus? unius diei spatium ad cogitandum petiit, altera die biduum, postea triduum, et sic deinceps postulavit, causamque rogatus, respondit : Quo diutius cogito, tanto obscuriora sibi omnia, quæ de Deo cogitarat, videri. CICERO, *de Nat. Deorum.*

Zaleucus proœmio legum, quas scripsit Locrensibus, præfixit omnibus, qui urbem eam incolerent, persuasum esse debere, Deos esse, quod manifestum sit ex cœli et totius mundi inspectione, rerumque in ipsis dispo-

sitione pulcherrima et ordine. Haud enim fortuita aut humana ejusmodi opera credi debere. STOB. *ser.* XLII.

Socrates dicebat, Deos omnium optimos et felicissimos esse ; ad horum similitudinem quo quisque propius accederet, tanto meliorem esse et beatiorem. Quid melius Christianus dicere posset, si pluralis numerus in singularem verteretur? *Lib.* I, *Apopht.*

Plato dicebat, Deum nullo modo injustum, sed justissimum esse, nec ei similius quidquam inveniri posse, quam qui inter homines justissimus fuerit. *Polyant.* v. *Deus.*

Thales dicebat, homines, æstimare debere Deos omnia cernere, Deorumque omnia plena esse, et tunc fore omnes castiores. CICERO, II, *de Legibus.*

Idem interrogatus, an facta hominum Deos fallerent : Ne cogitata quidem, respondit ; ut non solum manus, sed étiam mentes puras habere vellemus, cum secretis nostris cogitationibus cœleste Numen adesse credimus. VALER. MAX. l. VII, c. II.

Alexander Magnus, cum in Jovis Ammonis templo a vate *Jovis Filius* esset dictus, respondit : Nihil mirum, nam omnium quidem natura Pater est, sed ex his optimos quosque peculiariter suos facit. PLUT *in Apopht.*

SIMILITUDINES.

DEI UNITAS.—Sicut in sole tria sunt, substantia, radius, et lumen, et hæc tria sunt unus sol; ita in divinis sunt tres Personæ, et hæ tres sunt unus Deus.

Sicut in fonte, rivo, et fluvio est una aqua; ita in Patre, Filio, et Spiritu Sancto est una natura divina ; in Patre velut in fonte ; in Filio velut in rivo; in Spiritu Sancto velut in fluvio. Sicut enim rivus a fonte, et fluvius a fonte et rivo procedit ; ita Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio emanat.

Sicut tres faces simul junctæ non tres flammas, sed unam referunt; ita tres Personæ divinæ non tres Dii sunt sed unus.

TRINITAS. — Sicut Abraham, dum staret ad ilicem Mambre, vidit tres viros, et unum adoravit; ita et Ecclesia in tribus Personis unam Deitatem adorat.

Sicut in anima rationali, licet unica sit, tres tamen potentiæ reperiuntur, nempe, memoria, intellectus, et voluntas ; ita in Deitate, licet unica sit, tres tamen Personæ existunt, per illas potentias significatæ, nam sicut memoria parit intellectionem, et hæc amorem; ita Pater generat Filium, et hic cum Patre Spiritum Sanctum spirat.

Sicut in eodem sole tres qualitates conjunctæ reperiuntur, scilicet candor, splendor, et calor ; ita in eadem Trinitate Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva inveniuntur.

Sicut in opere quovis manuali tria concurrunt, brachium, manus, et digiti ; ita ad quodvis opus hominis Pater per brachium, Filius per manum, Spiritus Sanctus, per digitos a manu et brachio procedentes significatus, concurrunt.

PERFECTIO. — Sicut nemo est, qui solem hunc sensibilem ob pulchritudinem, splendorem, et magnitudinem, non miretur, si vero accuratius eum intueri volet, nihil nisi hebetationem visus reportabit ; ita SS. Trinitatem mirari quidem, et venerari convenit; scrutari autem non decet, ne opprimamur a gloriæ splendore.

Sicut sol exortu suo stellas abscondit ; ita ubi intellectus Deitatem cognoscere et æstimare incipit, omnis creaturarum dignitas bonitasque evanescit et vilescit.

COGNITIO. — Sicut certo scire non possumus, cujus essentiæ sint stellæ, et aliæ hujusmodi creaturæ, nec tamen propterea ab earum natura indaganda desistimus, sed potius cum summo desiderio et voluptate illas speculamur ; ita licet Deum perfecte comprehendere non valeamus, non tamen omittere debemus, quin saltem, quantum per vires intellectus nostri licet, eumdem cognoscamus et penetremus.

Sicut qui citharæ bene compositæ suave concentum audit, nihil aliud quam ejusdem moderatorem seu citharœdum animo volvit, atque ad eum, licet non videat, tota mente convertitur ; ita cum suavissimam harmoniam, quæ ex operibus a Deo factis exurgit, audimus, merito ad ipsum mens nostra assiduo converti debet, licet ipsum minime videamus.

Sicut sol omnes quidem irradiat æqualiter, non tamen ab omnibus æqualiter videtur, eo quod acutiorem altero alter visum habeat ; ita Deus quoque omnibus se æqualiter ex creaturis cognoscendum offert, non tamen æqualiter cognoscitur, eo quod non æquali mentis acie omnes sint præditi, aut certe æqualiter eamdem ad Deum cognoscendum non applicent.

Sicut artifex sigillum operi a se facto imprimit, vel appingit, ut cognoscatur, cujus

sit ea imago ; ita Deus quoque homini imaginem sui impressit, ut semper meminerit, a quo factus sit, eique gratus esse, ac semper in memoria habere studeat.

MOTIVA.

AD DEUM COLENDUM.—*Quia est creator noster.* Si ergo parentes honorandos esse, vel ipsa natura, et communis omnium Gentium consensus docet ; quanto magis qui animum et corpus dedit, omni studio colendus esse censebitur?

Quia conservator noster est. Si ergo vel irrationalia bruta serviunt omni modo, quo possunt domino, a quo aluntur, an non multo magis hoc homo præstare debebit, qui tam liberaliter nutritur, et conservatur? An non dicet cum S. Jacobo : Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum, et toto vitæ meæ tempore serviam illi? GEN. XXVIII, 20.

Quia glorificator est noster. Si ergo Deus ipse dixit : Quicumque me glorificavit, glorificabo eum, quidni potiori jure hoc idem homo respectu Dei, sic eum per totam æternitatem glorificantis, dicat? VI. REG. II, 20.

Quia præmiator noster est. Si ergo pro tam vili pretio serviunt servi mundani, quanto magis serviendum erit illi, qui dixit : Ego ero merces tua magna nimis. Et : Veni, ego ostendam omne bonum tibi? GEN. XV. 1.

Quia imperator noster est. Si ergo Imperatori terreno tantus honori et fidelitas præstatur, quantum Imperatori summo, Regi Regum, et Domino Dominantium, cui curvabitur omne genu, ut ipsemet dixit, apud Isaiam? ISAIÆ XLV, 24.

AD TRINITATEM COLENDAM. — *Quia ad imaginem illius creati sumus.* Quem autem imago, si vitam et rationem haberet, magis coleret, quam Artificem mum ?

Quia cum cor nostrum triangulare sit sola Trinitas illud implere potest. Quidni ergo hanc solam colamus, appetamus et amemus?

Quia cum omnia opera ad extra toti Trinitati sint communia, et ab omnibus Personis simul ad summam nostram utilitatem dirigantur; quidni etiam communis omnibus Personis cultus et veneratio nostra sit?

MEDIA.

AD COGNOSCENDUM DEUM. — *Observatio mandatorum*; ita enim docuit Christus, dum dixit : Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et manifestabo ei meipsum. JOAN. XIV, 21.

Familiaritas et amicitia cum Deo per frequentem orationem; ita enim iterum Christus indicavit, dicens : Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. JOAN. XV. 15.

Mundities cordis, juxta illud Christi : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. MATTH. VI, 18.

Abdicatio amoris erga creaturas ; quod medium Thom. Kempensis indicavit sequentibus verbis : Nisi quis omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis. Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum sequestrare. IMIT. lib. III. c. XIII.

AD SERVIENDUM DEO.—Frequenter ponderare illud Christi : Nemo potest duobus dominis servire ; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet. An non ergo æquius est, ut Deo, supremo, sapientissimo et liberalissimo Domino, cujus jugum suave et onus leve est, quam Diabolo vilissimo et capitalissimo hosti nostro serviamus? MATTH. VI, 24.

Sæpius animo volvere discursum illum ab Aulicis olim factum, dum ex lectione S. Antonii conversi sic secum discurrerunt : Et quid tandem per servitia nostra, quantumcumque fidelia, obtinebimus, nisi ut amici Regis aut Imperatoris fiamus? Et in hoc quid non fragile, lubricumque? Quam vanus hic honor et inanis ! Per quanta pericula pervenitur ad graviora pericula? Ecce, si volumus, hoc momento amici esse possumus summi Domini ac Dei, a cujus amicitia nemo nos invitos separare poterit ; cur ergo eam non præferimus?

Crebro sæcularium servorum fervorem et diligentiam, in servitio terrenis suis dominis præstando ponderare, illudque olim a S. Augustino de continentia dictum sibi applicare : Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris? Isti tam vili, tu tam sublimi Domino ? Isti pro tam exiguo, tu pro tam libe-

rali præmio? Isti solis naturæ viribus, tu gratiæ divinæ auxilio?

ASCETICA.

Ad tria capita revocari possunt, quæ de Deo scire specialiter, et docere debet Asceta, nempe ad ea, quæ S. August. breviter indicavit, dum dixit: Meminerim tui, o Domine, intelligam te, et diligam te.

Primum itaque est, ut assiduam Dei memoriam habeat, eumque sibi semper, quantum fragilitas humana patitur, præsentem imaginetur; nam sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria; omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te perdidisse memento. Porro duo speciatim de hac præsentia bene apprehendi debent: 1. Modus facilis eam obtinendi, qui quidem, ut bene explicat Alphonsus Rodriquez, consistit in duobus præcipue actibus, uno intellectus, altero voluntatis. Per priorem considerandum est, firmiterque credendum, Deum ita mundum implere, ut totus sit in toto mundo, et totus in quavis parte illius: Non enim longe est ab unoquoque nostrum, inquit S. Paulus, in ipso vivimus, et movemur, et sumus. Per posteriorem, ardentia ad Deum suspiria, et vivi spiritus ac motus, quibus anima perfectissimo amore desiderat se cum Deo conjungere, eumque ad se trahere, eliciendi sunt. Citatus Rodriquez putat modum facillimum, planissimum, utilissimum, et perfectissimum constituendi se in præsentia Dei, esse, si quis assuefaciat, ut omnia sua opera per purissimam intentionem gloriæ divinæ ad Deum velut sibi præsentem, et omnia sua opera intuentem dirigat. *De Perfec. Christ. part.* I. tr. 6. 2. Utilitas et fructus hujus exercitii, quem quidem breviter et bene indicavit S. Bonaventura, dum dixit: Eum, qui assuevit in præsentia Dei ambulare, in hac vita beatitudinem inchoare, quæ in Dei visione consistit. Lib. II *de prof. Relig.* c. XX. Hinc nempe Deus Abrahamo dixit: Ambula coram me, et esto perfectus. GEN. XVII, 1. Certe magna pars peccatorum (immo tota) tollitur, si peccaturis testis assistat, præcipue talis.

Alterum est, ut recte de Deo sentire discat Asceta, nam, ut recte advertit Seneca: Primus Deorum cultus est, Deos credere; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla est majestas; scire illos esse, qui præsident mundo, qui universa ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Porro ut recte sentiat, tria sunt præstanda: 1. Ut quæcumque ad essentiam et attributa illius pertinent, bene discat, firmiterque, quantum in hac vita fieri potest, ea menti imprimere studeat. 2. Ut certo persuadeat sibi omnem perfectionem et bonitatem, quam in creaturis cernimus et amamus, in Deo tanquam fontem infinities perfectius, purius, et abundantius haberi, atque adeo assiduo cum S. Francisco dicat: Deus meus et omnia! nam, ut bene quidam advertit, cum diligimus Deum, omnia in ipso reperimus. Unus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! O compendium singulare! Cur nos per diversa fatigamus? Ad ipsum ergo unanimiter festinemus, postquam cuncta bona ultra non quærimus, sed tenemus! 3. Ut in his cognitionibus non exigat majorem certitudinem aut demonstrationem, quam in hac vita haberi queat; nam, ut prudenter Pius II, Pontifex, dixit: Unius divinitatis tres esse Personas (par est ratio de aliis perfectionibus Dei) non qua ratione probetur, sed a quo dicatur, animadvertendum.

Tertium est, ut Deum recte amare discat; nam hoc tendit rectus sensus et cognitio de Deo, uti bene S. Augustinus indicavit, dum dixit: Quisquis cognoscit te, diligit te, amat te, plus quam se, relinquit se, et venit ad te, ut gaudeat de te. *In Medit.* Et fusius S. Gregorius, dum ait: Deus idcirco laudes suas nobis indicat, ut valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes vero ejus visione perfrui. LIB. XXVIII, *Moral.* Unde Psalmista: Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hæreditatem gentium; ac si aperte dicat: Idcirco fortitudinem suæ operationis insinuat, ut eum, qui audierit, donis ditescat. Porro ad amorem istum exercendum tria præcipue officia sunt necessaria: 1. Ut pro viribus laudetur Deus; quæ enim amamus, ea semper et magni facimus, et multum ac assidue prædicamus; hinc S. Augustinus: Justum est, inquit, ut creatura laudet Deum

creatorem, ipse enim ad laudandum se nos creavit, qui nostris non indiget laudibus. Quis vero laudis hujus optimus sit modus, pulchre docet S. Gregorius, dum ait : Divinæ virtutis opera tunc facundius loquimur, cum obstupescendo reticemus ; laudatque homo idonee tacendo, quod idonee non valet comprehendere. Lib. ix, *Mor.* Unde Psalmista : Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. Ille hoc facit, qui se succumbere in laudibus ejus considerat. Ideo Job, quæ dicendo explere non potuit, facundius reticendo definivit. 2. Ut solus quæratur et ametur, ita enim ipse præcipit dicens : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Cujus causam pulchre insinuat S. Gregorius, dum dixit : Creator omnium Deus Pater Omnipotens ubique est, et ubique totus est ; in parte non est, quoniam ubique est ; et tunc minus invenitur, quando is, qui ubique totus est, in parte quæritur. Lib. xvi, *Moral.* 3. Ut non tantum tempore prosperitatis, sed etiam tempore tribulationis laudetur, quæratur et ametur ; hoc enim est et tota fortitudine et viribus diligere; hinc recte S. Augustinus sic hortatur : Sive tribulemur et angustiemur, sive lætemur et exultemus, ille laudandus est, qui in tribulationibus erudit, et in lætitia consolatur. Laus enim Dei a corde et ore Christiani recedere non debet, non ut laudet in prosperis, et maledicat in adversis, sed, quemadmodum Psalmus ille scribit : *Semper laus ejus in ore meo.* Gaudes, agnosce Patrem blandientem ; tribularis, agnosce Patrem emendantem, sive blandiatur, sive emendet, eum erudit, cui parat hæreditatem. *Super. Psal.* 54. Ut vero etiam ut secundis rebus laudemus Deum, pulchre rationem insinuavit Xenophon, dum dixit : Tunc maxime colendos esse Deos, cum homini res sunt secundæ, ut, cum inciderit necessitas, confidenter illos imploremus, utpote benevolos jam et amicos. Et quo perfectius hæc tria officia præstiterimus, tanto ipsi quoque perfectionis erimus, nam ut bene advertit Sanctus Bernardus : Deus charitas est, et quanto quis Deo conjunctior fuerit, tanto plenior erit charitate (Ser. iv, *sup. Cant.*); modo tamen, etiam perseveranter quæratur; nam, ut idem Sanctus ait : Deus æternitas est, ideo non invenitur nisi ab iis, qui perseveranter eum quærunt. *Ad tract.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

De Deo Uno.

Ostendi potest, quare Deus solus sit amandus super omnia ; quia scilicet Deus est fons omnis bonitatis, juxta illud Jeremiæ : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas. » Jer. ii, 13.

Unde probari potest, quod omnis bonitas, quæ in creaturis reperitur, in Deo inveniatur, 1. *Purius* ; quia ibi sine peccato, et sine admixtione mali gustatur. 2. *Recentius* ; quia Deus semper idem est, ac Sanctis tam novus, ac si primum frui eo inciperent. 3. *Plenius* ; quia in Deo omnia bona sunt conjuncta, juxta illud Exodi : Veni, ego ostendam omne bonum tibi. Exod. xxxiii, 19. Hinc tres fructus eliciendi : 1. Dolor concipiendus ob fontem hunc derelictum, dicendumque cum Anna Tobiæ matre : Omnia simul in te uno habentes, non debebamus dimittere te. (Tob. x, 5.) 2. Firmiter credendum, non posse sitim desideriorum nostrorum alibi, quam in hoc fonte, satiari, juxta illud S. Augustini : Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. 3. Ad hunc recurrendum, quoties ad creaturæ amorem allicimur, et dicendum cum Davide : Quid mihi est in cœlo, et a te, quid volui super terram ? Ps. lxxii, 25. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum. Ps. lxxvi, 4.

Ostendi potest ex occasione thematis : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies ; » Deut vi, 13. cur soli Deo sit serviendum, idque per conditiones in dominis requiri solitas, nempe 1. Quia *potentia et dignitate* antecedit omnes alios dominos ; quæ quidem potentia colligitur, tum ex *regnorum et subditorum multitudine*, (nam Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.) Ps. xiii, 1 ; tum ex *plenissima subjectione omnium,* (juxta illud Mardochæi testimonium : Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur ; Dominus universorum tu es, nec est qui resistat Majestati tuæ.) Esth. xiii, 10; tum *divitiarum abundantia* (nam non est

finis thesaurorum ejus, Isaia teste : Et quis intravit in thesauros ejus ? ut Baruch testatur. 2. Quia *Sapientia* quoque alios antecedit, (quia in eo sunt omnes thesauri Sapientiæ absconditi, ut S. Paulus testatur ; et Sapientiæ ejus non est numerus, teste David.) 3. Quia *liberalitate* alios etiam antecedit, uti colligitur tum *ex liberali communicatione necessariorum*, (juxta illud Lucæ : Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos) ? Luc. XXII, 35 ; *facilitate laborum* (juxta illud Christi : Jugum enim meum suave est, et onus leve.) MATTH. XI, 30 ; *indulgentia errorum*, (juxta illa Joelis : Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia). JOELIS. II, 23 ; *præmiatione laborum*, (juxta illud Sancti Pauli : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum), tum ex *defensione suorum servorum*, (juxta illud : Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.) ZACHAR. II, 8. Hinc David dicere ausus : Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, quoniam tu mecum es). Ps. XXVI, 3.

Hortandi ergo auditores, ut, quoniam nemo potest duobus dominis servire, hunc præ cæteris eligant, et tanto fidelius omnes servorum partes implere studeant, quanto præstantiorem Dominum sunt nacti. Vide Fabrum, con. 2. *Dom.* 4. *Quadr.*

Ostendi potest occasione thematis : *Quis putas, est fidelis servus ?* (MATTH. XXIV, 45.) Quæ conditiones ad verum servum requirantur, nempe illæ, quas S. Paulus in Epistola ad Ephesios indicavit, 1. *Cum timore et tremore ;* EPH. VI, 5 ; ita enim et Deus ipse exegit dicens : Filius honorat Patrem et servus Dominum ; si ergo Pater ego sum, ubi amor meus ? Si Dominus ego sum, ubi timor meus ? MALACH. III, 6. 2. *Cum simplicitate cordis ;* quod fiet purissima intentione, solam ipsius gloriam et beneplacitum quærendo, ita ut dicere possit cum Judith : Quidquid illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. JUDITH. XII, 7. 3. *Cum bona voluntate*, id est, prompto et hilari animo, juxta monitum S. Pauli : Unusquisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Excitandi proinde auditores ad prædictas tres conditiones implendas, in memoriam illis revocando, quod idem Apostolus loco supra citato dixit Scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hæc recipiet a Deo. II COR. IX, 7.

Ostendi potest ex occasione thematis : *Creditis in Deum ?* JOAN. XIV, 1 ; et probari existentia et unitas Dei ex triplici capite. 1. Ex lumine naturali, quod dictat, unum debere esse omnium rerum principium. 2. Ex structura mundi et gubernatione, quæ requirit unitatem imperii, seu monarchicum regimen. 3. Ex essentia Dei, quæ debet omnes perfectiones continere. Hinc tres doctrinæ eruendæ. 1. Firmiter credendus Deus ; si enim plurium hominum testimonium sufficit ad fidem nostram excitandam, cur tot tantaque testimonia naturæ et revelantis Dei, et omnium Christianorum consensus, ad existentiam Dei credendam non sufficiant ? 2. Firmiter sperandum in Deo ; ut pote qui de seipso dixit : Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Ego occidam, et ego vivere faciam, et non est, qui de manu mea possit eruere. DEUT. XXXII, 39. 3. Firmiter adhærendum ei per amorem, cum in eo tamquam in fonte reperiatur, quidquid alibi desiderare possumus. Vide Fabrum, Conc. 3. *Dom. Trin.*

Ostendi potest ex occasione thematis : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus ;* (MARC. X, 17.) quales perfectiones in se contineat Deus ad intra, juxta illud S. Pauli : Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi etc. ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. EPHES. III, 18. Itaque 1. Per latitudinem intelligi potest *immensitas* ejus, juxta illud Jeremiæ : Cælum et terram ego impleo. JER. XXV, 24. Unde auditores ad ejus timorem exstimulandi, ut cum S. Davide dicere possint : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Ps. XV, 8. 2. Per longitudinem *æternitas*, juxta illud Psalmi : Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Ps. CI, 28. Unde ei soli per fiduciam et amorem adhærendum, ut recte monet Thomas Kemp. Qui adhæret creaturæ, cadet cum labili ; qui amplectitur Jesum, firmabitur in ævum. Illum dilige, et amicum tibi retine, qui omnibus recedentibus, te non relinquet, nec patietur in fine perire. L. II, c. 7

3. Per sublimitatem *summa perfectio et dignitas*, juxta illud Psalm : Tu solus altissimus in omni terra (Ps. LXXXII, 15) ; unde ad honorandum Deum excitandi auditores. 4. Per profunditatem ejus *incomprehensibilitas*, quoad essentiam, quoad sapientiam, quoad judicia, juxta illud S. Pauli : O altitudo divitiarum Sapientiæ et Scientiæ Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! ROM. II, 33. Unde excitandi auditores, ut semper approbent judicia ejus, et illis se cum debita reverentia et æquanimitate submittant. Vide Fabrum, con. 4. *Domin. Trin.*

Ostendi potest ex occasione thematis : *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (MATTH. IV, 10) ; qualia attributa Deus respectu hominum habeat, nempe illa, quæ per animalia currum Dei (quo providentia gubernans mundum significatur trahentia fuerunt indicata). Nam 1. Leo significat *Potentiam*, ex qua affectus submissionis, timoris, et fiduciæ excitari debet. 2. Per Aquilam *Sapientia Dei*, quæ omnia penetrat, et videt ; hinc non alte sentiendum de nobis, reverenter et simpliciter cum Deo agendum, 3. Per Bovem *Justitia*, quæ ferit offendentes de cornibus vindictæ suæ ; hinc tribulationes patienter ferendæ, ut in hac vita eidem satisfaciamus ; vindicta de inimicis Deo committenda ; offensa Dei et proximi studiose cavenda. 4. Per Hominem *Misericordia Dei*, de qua David : Misericordia Domini plena est terra. Ps. XXXII, 5. Unde gratiæ in primis agendæ, dicendumque cum Davide : Benedic anima mea Domino etc. qui coronat te in misericordia et miserationibus. Ps. CI, 4. Deinde magna in ipsum fiducia concipienda ; misericordia rependenda, juxta illud : Nonne oportuit et misereri conservi tui, sicut ego misertus sum ? MATTH. XVIII, 33.

Vide Fabrum, *in Fest. S. Trin. conc.*

Ostendi potest ex occasione thematis : *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum ;* JOAN. XII, 2. Quibus funiculis trahat Deus ad se homines, nempe 1. Per funiculum *Amoris*, conferendo varia beneficia. 2. *Pudoris*, per tot exempla Sanctorum, de quibus illud S. Augustini olim dictum repetat : Potuerunt isti et istæ, et tu non poteris ? 3. *Timoris*, minitando pœnas verbis et exemplis. Vide fusius hanc conc. apud Fabrum *Dom. 4. post Pasch.* conc. 7.

Ostendi potest ex occasione thematis : *Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio ;* JOAN. XX, 31. Quales fructus afferat præsentia Dei, tales nimirum, quales sol mundo exortus afferre solet. Nam 1. pellit tenebras peccati, quia magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis, et talis præcipue assistat. 2. Fugat nocturna spectra timoris vani, juxta illud Psalmi : Quærite Dominum, et confirmamini ; quærite faciem ejus semper, Ps. CIV, 4. 3. Facit fructiferam animam in operibus bonis et virtutibus, quia qui Deum inspectorem habet, nihil omittet, quo oculis ejus placere possit ; hinc Abrahamo dictum : Ambula coram me et esto perfectus. GEN., XVII, 1. 4. Hominem lætum, et ad labores promtum facit, juxta illud Davidis : Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum. Ps. LXXVI, 4.

Ostendi potest, quomodo præsentia Dei sit concipienda, scilicet cogitando illud S. Augustini : Deus totus oculus est, totus manus, totus pes. Totus oculus, quia omnia videt (etiam occulta et profunda cordis, ut pisces avis in aquis) ; totus manus, quia omnia operatur ; totus pes, quia ubique est, et ubique operationis suæ vestigia relinquit. Vide Fabrum, *Dom.* I, *post Pacha* con. 6.

DE TRINITATE. — Ostendi potest ex occasione thematis : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, (MATTH. XXIX, 19) primo, quam merito Mysterium SS. Trinitatis credatur, idque probari tum ex figuris veteris Testamenti, tum ex textibus novi, tum ex miraculis. Secundo, cur quivis Christianus debeat profiteri et credere SS. Trinitatem, nempe quia hæc professio est nostra tessera militaris contra infideles ; est scopus et regula nostrarum actionum, unde dicimus : *Gloria Patri etc.*, est clypeus contra Dæmones ; est cithara laudis divinæ, per quam cum Angelis illud Isaiæ canimus : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum*, Vide Fabrum *Dom. Trin.* con. 1 et 2.

Ostendi potest ex occasione ejusdem thematis, 1. Cur hoc Festum præcipua devotione colendum sit, quia scilicet est Festum omnium trium Personarum, et consequenter Festum omnium Festorum celeberrimum. 2. Quo modo debeat celebrari, scilicet firmiter credendo SS. Trinitatem, firmiter in eam sperando (quia potest pro-

pter Patris potentiam, scit propter Filii sapientiam, et vult juvare propter Spiritus S. bonitatem), et firmiter per charitatem ei adhærendo, atque adeo semper cogitando, quæ ei placent, propter Patrem, loquendo propter Filium, operando propter Spiritum Sanctum.

Ostendi potest, quomodo perpetuum *Gloria Patri*, aut *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, cani possit SS. Trinitati, si scilicet omnes cogitationes, verba et opera purissime ad majorem Dei gloriam referantur; aut si semper facere studeamus, quæ Deo placent, quomodo placent, et quia placent. Ostendatur proinde, quam excelsus Deoque gratus, et consequenter etiam nobis utilis sit hic modus colendi SS. Trinitatem. 2. Quomodo hic ipse modus practice usurpari possit, et debeat.

Ostendi potest ex occasione thematis : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, (Matth. xxvii, 19), id, quod S. Bernardus in hoc festo dixit : Est Trinitas, a qua homo cecidit, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus; et est trinitas, quæ cecidit, intellectus, memoria, et voluntas ; et est trinitas, in quam ista cecidit, impotentia, ignorantia, concupiscentia ; et est trinitas, per quam cadens trinitas resurgit ad Trinitatem, de qua cecidit, scilicet, fides, spes, et charitas. Quæ proinde singula pro rei exigentia per partes explicari possunt. *Serm. de SS. Tr.*

Vide Engelgrav. *in cœlo Empyr.* Embl. 28, § 3, circa finem.

MISCELLANEA.

De Deo. — Muta animalia et ferarum greges ductores sequuntur suos. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, et omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In navi unus gubernator, et in domo unus dominus, et in quovis grandi exercitu unius signum spectatur. Est ergo unus in mundo Deus. S. Hieron. *in epist. ad Rust. Monach.*

Ea est Dei vita, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari potest; nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua potentia et virtute gaudet, habet exploratum fore se semper tum in maximis, tum æternis voluptatibus; quæ omnia intellige de Deo secundum se, et ad intra spectato. Epicurus, *apud Cicer. libr. de Nat. Deorum.*

Firmissimum hoc adferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Cicero, l. i. *Tusc.*

Sit hoc a principio persuasum hominibus, Dominos esse ac Gubernatores Deos eaque, quæ geruntur, eorum geri ditione ac numine, eosque optime de hominum genere mereri; et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, plerumque et impiorum habere rationem. Cicero, ii, *de Leg.*

Qua cura ac vigilantia pios omnes Dominus servet, ac tueatur, declarant illa verba Sponsæ: Hortus conclusus, soror mea sponsa. Cant. iv, 12. Hortum enim appellat animam justi, quia ea velut paradisus deliciarum veri Salomonis est, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Conclusum autem dicit hunc hortum, propter jugem et summam Angelorum custodiam, quibus undique septus est. Quod etiam Dæmon testatur, cum de B. Job ait : Nonne tu vallasti eum, et omnem domum ejus? Job. i, 10.

Si is, qui fidem cujusdam amici spectatissimam habet, delatoribus non credit, si aliquid fecisse eum referant, de quo dubitari possit, an recte fecerit ; cur Deum, cujus opera perfectissima quotidie cernimus, in quovis opere suo justissimum esse non dicamus, neque eorum causas in hac vita quæramus? Granat. *In Silv.* f. 36.

Fingamus Regem, expugnata rebelli civitate, centum captivos cepisse, e quibus nonaginta interfici, decem vero magnis muneribus donatos sibi assidere jusserit; quantum decem isti suo Regi se debere fatebuntur? Nunc vero totam generis humani massam considera. Ex hac videbis maximam partem infidelitatis tenebris opertam, ad æternam mortem parari, ex fidelibus autem maximam quoque partem perire, cum sit arcta via, quæ ducit ad vitam, et multi quidem vocati, pauci vero electi sunt; quale ergo beneficium erit, inter tot perditorum millia, inter paucissimos illos numerari, quibus hæc sors felicissima contigit? Ibidem.

Quod in navi gubernator, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod

denique lex in civitate, et dux in exercitu, hoc Deus est in mundo. Arist. *l. de Mundo*, c. vi.

Prope Deus est, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer, intra nos Spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum observator. Hic prout a nobis tractatur, ita et nos tractat ipse ; bonus vero vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab eo adjutus, exurgere? ille dat consilia magnifica et erecta in unoquoque bono viro. Seneca, *ad Lucil.* 7.

Deus autem, qui est æterna mens, ex omni utique parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, unus sit necesse est. Lactant. Firmianus, lib. I, *de Div. Just.* c. i.

Quid enim est aliud, quam Deus, et divina ratio toti mundo, partibusque ejus inserta? Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ, quia nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura, sed idem est uterque, nec distat officio. Seneca. *l. de Benef.*

Non placuit Persio, quod aurea vasa templis inferrentur, eo quod supervacuum putaverit Diis offerri, quod avaritiæ potius, quam sanctitatis est instrumentum ; atque adeo potius illis offerri volebat

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
Lact. Firm. *loc. cit.*

Nihil est Deo similius et gratius, quam vir animo perfecto bonus, qui hominibus cæteris antecellit, quod ipse a diis immortalibus distat. Lucius Apul. *de Deo Socrat.*

Cum Thales, septem Sapientium unus, cœlum considerans in foveam cecidisset, ancilla eum deridens dixit : Et tu, quæ supra te sunt, indagabis, si, quæ ante te erant, videre non poteras. Anton. *in Melissa*, p. 2, s. 77. Applica hoc ad curiosam contemplationem Dei.

Apud Persas, qui Regem curiose intuiti essent, morte plexi sunt. Sed et qui Arcam fœderis curiosius inspexerant, subito interempti sunt. Quanto magis, qui Deitatem et Trinitatem curiose scrutari voluerint, opprimentur ab ejus gloria? I. Reg. vi.

Epictetus Philosophus dixit : Si omnino eum declararem, vel ego Deus essem, vel ille Deus non foret. Faber, *in festo SS. Trinit.* c. x, q. 5.

AUCTORES.

Leonardus Lessius, *de Divinis Perfectionibus.*

Justinus Michoviensis, *in Litanias Lauretanas*, discursu 70 et seq.

Robertus Bellarminus *de Ascensione mentis ad Deum.*

Joannes Nadasi, *in Anno Hebdomadarum cœlestium*, tota parte prima.

DEI MISERICORDIA.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio. — Est actus voluntatis, quo Deus ex infinita sua bonitate miserias suarum creaturarum sublevare conatur. *Communis Theol.*

Divisio. — Dividitur in *prævenientem, prosequentem, et subsequentem.* Illum misericordia Dei prævenit, cujus affectum ad bonum effectum incitat et incendit. De secunda dicitur a Domino : « Misericordia mea non recedet a te ; » ab illo divina misericordia non recedit, cum quo cooperando procedit. De tertia psallit Propheta : « Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ ; » illum misericordia subsequitur, cui finalis perseverantiæ gratiam impertitur. S. Bonav. in ps. xciii.

Quam ipsam divisionem etiam S. Bernardinus sequentibus verbis proponit : Prima est misericordia Dei *præveniens*, et hoc est, quando Deus prævenit in anima, absque eo, quod anima mereatur illam. Secunda est misericordia Dei *consequens*, quando inspiratur a Deo in tua anima, et tu illam non petis. Tertia est misericordia Dei *subsequens.* Status autem misericordiæ Dei subsequentis est, quando anima vult illam misericordiam acceptare, et consentit, et associatur cum ipsa misericordia, humiliter implorando illam, quia primo Deus ostendit sibi misericordiam suam. Secundo succedit tua voluntas, quia (secundum Augustinum) si quæris et vis, jam habes ipsam, de quo dicit Propheta in persona Dei : *Misericordia mea cum ipso.* S. Bernardinus, t. IV, ser. 48.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas. — Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens, et multæ miserationis, et verax, qui custodis misericordiam in millia. Exod. c. XXXIV.

Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors; suavis Dominus universis, et misericordia ejus super omnia opera ejus. Ps. cxliv.

Magna est super cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua. Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes; justitia tua sicut montes Dei. Ps. cvii et 35.

In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Jerem. c. xxxi.

Misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua. Ps. xxv.

Quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus; non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. Judith. viii, 15.

Expectat Dominus, ut misereatur vestri; et ideo exaltabitur parcens vobis. Is. c. xxx.

Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit. S. Jonas, c. iii.

An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Rom. c. ii.

Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti. Sap. xi, 24.

Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine; quia amas animas. Sap, xi, 27.

O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, corrigis, et de quibus peccant, admones, et alloqueris, ut relicta malitia, credant in te, Domine. Sap. xii, 1 et 5.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Ps. cii, 13.

Misericordia tua, Domine, plena est terra. Ps. cxviii, 64.

Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se. Eccl. xvii, 28.

Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; quia non defecerunt miserationes ejus. Thren, iii, 22.

Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. Ps. xxiv, 10.

Utilitas. — Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. Rom. c. v.

Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Thren. c. iii.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas. — Benignus est Deus, nec ullus poterit homo illius benignitatem satis prædicare; imo etiamsi omnes omnium hominum linguæ simul coacervarentur, ne sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. S. Cyrillus Jeros. *Catech.* ii.

Audeo dicere, quod divina clementia pronior sit ad ignoscendum, quam ad puniendum, dicente Propheta: « Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus; » nempe naturale et proprium Dei, sacro testante eloquio, « et misereri semper et parcere; » nec non misericordia ejus judicium superexaltat, atque excedit. S. Laur. Justin, *de Humilit.* c. iv.

Magna omnino misericordia Domini in expectatione est; non enim peccantem Angelum expectavit, sed præcipitavit e cœlo, hominem peccantem non distulit, sed protinus expulit eum de Paradiso; nunc autem jam expectat, dissimulat, sustinet decem annis aut viginti, et usque ad senectutem et senium. S. Bern. *ap. Mansi tract.* xlix. *disc.* iii. n. 1.

Nullus misericordiam invocaret, nisi miseria provocaret; et nota, quod misericordia legitur in Scriptura, magna, speciosa, benigna. Quare magna? Quia liberat a magna miseria culpæ originalis. Quare speciosa? Quia præservat a fœda miseria culpæ actualis. Quare benigna? Quia separat a maligna miseria molestiæ temporalis. S. Bonav. *in Ps.* cxix.

Si aliquis in præsentia Regis occidisset Reginam, et filios Regis, et peccasset cum filiabus Regis, deinde veniret ad petendam

veniam a Rege, utrum esset Rex in mundo, qui parceret tali, et remitteret? Credo, quod non, nisi Christus; nam si aliquis interfecisset omnes Apostolos, et peccasset cum omnibus mulieribus, et crucifixisset Christum, et peteret veniam, statim parceret illi. S. VINC. FERR. serm. I, *in Dom.* IV, *post. Tr.*

Mira res, mirabilisque misericordia Dei et Redemptoris nostri. Gemit peccator intra se, doletque perpetrasse delictum, et confestim placatur Altissimus. Non præfigitur transgressoribus certum tempus ad pœnitendum: Quoties ingemuerit, non recordabor, si semel si bis, si decies, si centies, si millies illum peccasse pœnituerit, iniquitatum ipsius nequaquam memor ero. Hoc insinuare voluit Salvator noster, cum Petro interroganti, si usque septies fratri adversus se delinquenti indulgere deberet, respondit : « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies, » tacite videlicet significans, ut, quoties veniam petit, toties ignoscat. Quod autem Petro dominus indicavit esse faciendum, hoc ipsum agere erga misericordiam flagitantes, dubitet nemo. S. LAUR. JUST. l. *de Obed*, c. XV.

Quatuor filiæ magnæ misericordiæ sunt, nimirum Immissio amaritudinis, Subtractio opportunitatis, Virtus resistendi, et Sanitas affectionis. Quandoque enim ei, qui peccato quovis obligatus tenetur, pie immittit Dominus amaritudines quasdam, quæ mentem occupant hominis, et expellunt perniciosam delectationem peccati. Quandoque subtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem. Quandoque virtutem donat resistendi, quod majus est, ut scilicet tentationem sentiens viriliter agat, et non consentiat. Quandoque affectionem sanat, quod perfectissimum est, et in quo prorsus tentatio tollitur, ut non solum non consentiatur ei, sed nec sentiatur quidem. S. BERN. *de triplici Miser.*

Quod a Diabolo non omnes suffocantur, quod mundus non subvertitur, quod peccator vivus in infernum non detruditur, quod in corpore a terra cum Core et Dathan non absorbetur, Dei maxima est misericordia : « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. » Si cognosceret homo, quam multiplicia sunt ejus pericula, tunc cognosceret, quam multiplex sit super eum misericordia. S. BONAV. *Ser.* III, *in Dom.* VI, *post Pentec.*

Quid merebaris peccator? Contemptor Dei, quid merebaris? Vide, si occurrit tibi nisi pœna; si occurrit tibi nisi supplicium? Vides ergo, quid tibi debebat, et quid dederit, qui gratis dedit. Data est venia peccatori; datus est Spiritus justificationis; data est charitas et dilectio, in qua omnia bona facias, et super hæc dabit et vitam æternam, et societatem Angelorum, et hoc totum de misericordia. S. AUG. *in Psalm.* CXLIV.

Ecce misericordia, quando vides justos et injustos eumdem solem intueri, eamdem lucem capere, eosdem fontes bibere, eadem pluvia saginari, iisdem fructibus terræ repleri, similiter aerem illum ducere, habere æqualiter mundi bona, noli putare injustum esse Deum, qui dat ista æqualiter justis et injustis; misericordiæ tempus est, nondum judicii; nisi enim primo Deus per misericordiam parceret, non inveniret, quos per judicium coronaret. Est ergo misericordiæ tempus, quando patientia Dei ad pœnitentiam adducit peccantes. Idem, *in Ps.* CX.

Attolle oculos etiam ad videndam Domini largitatem, sive familiaritatem. Si cui maxime potenti fecimus, quod ei displiceret, numquid amplius nobiscum loqui, nedum aliquid largiri, vel familiaris esse dignatur? Graves sumus ei, etiam ad videndum, et pro magno beneficio computat, si saltem a nostra læsione desistat, et licet multiplicibus et devotis obsequiis defendamus offensam, semper tamen injuriæ memoria prætervolat oculos illius, nec obliterari valet vel beneficio, vel obsequio, vel ipsa etiam vetustate. Numquid ita Deus meus, misericordia mea? Absit, consuevit enim honorare pœnitentes magis, quam innocentes; revertentes plus, quam remanentes. S. PETRUS DAM. s. *de S. Marc. Ep.*

Licet peccaveris, licet neglexeris, et provocaveris patientiam Dei, paratus est tamen misereri, cum volueris, et reverti ad revertentem, oblivisci et tegere peccata tua, et projicere in profundum maris; nec erit mora inter confitentem et remittentem, quia benignus et misericors est; sunt homines mundi faciles ad iram, difficiles ad misericordiam; Deus autem et ad irascendum difficilis, et facilis ad miserandum. Idem.

Vidit opera tua, recursus et excursus flagitiorum tuorum, et continuit iram suam.

Cœlum non fulminavit, aqua non submersit, non absorbuit tellus; et, cum omnis terra sit plena gloria Domini, in gloriam ejus tuam miseriam evomuisti, nec reveritus es præsentem Dominum. Ipse autem quid? Ego, inquit, quasi non videns. Ecce videt, et tacet; videt, nec manifestat; videt, nec judicat; videt, nec vindicat; videt, et thesaurizas tibi iram in die iræ. Idem, *opusc.* VII, c. XXIII.

Misericors est Deus? Ast idem etiam est Judex. « Diligit enim, inquit, misericordiam et judicium Dominus. Idcirco misericordiam et judicium cantabo, inquit, tibi Domine. » Qui autem illi sint, adversum quos ille misericordia utatur, ex verbis illis didicimus: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Animadvertis, quanta cum discretione misericordia Dominus utatur; siquidem neque citra judicii discretionem clemens est, neque inclementer judicat: « Misericors enim et justus est Dominus. » Hæc igitur cum ita sint, nolimus, quæso, nos Deum ex dimidia tantum parte cognoscere, neque ejus erga nos bonitatem ad ignaviæ occasionem arripiamus; propterea tonitrua, propterea fulminum terrores, ut ne bonitas contemnatur. Qui solem oriri facit, is cæcitate etiam mulctat; qui imbrem dat, etiam ignem pluit. Illa clementiæ, hæc severitatis, ut vel per illa ad amandum alliciamur, vel per hæc ad metum assuescamus, ne nobis quoque dicatur: « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? S. Basil. *ap Man. disc.* XII, n. 1.

Non sic est Deus misericors, ut injustus sit; nec sic justus est, ut misericors non sit. Parvane misericordia tibi est? Non imputabit priora omnia; male vixisti usque in hodiernum diem, adhuc vivis; bene vive hodie. S. Aug. *in Ps.* XXXIX.

Ite, proferte stolam primam. Non dixit: Unde venis? Ubi fuisti? Ubi sunt, quæ tulisti? Quare tantam gloriam in turpitudinem commutasti? Sed proferte stolam primam, et induite illum. Videtis, quia delicta non videt vis amoris, tardam misericordiam Pater nescit; delicta qui discutit, prodit. Petr. Ravena. *in serm. de Fil. Prod.*

Surgam et ibo ad Patrem meum. Jacebat, qui dixit: Surgam. Intellexit lapsum, sensit ruinam; jacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, et ideo exclamat: Surgam, et ibo ad Patrem meum. Qua spe? Qua fiducia? Illa qua Pater est. Ego perdidi, quod erat Filii? Ille, quod Patris est, non amisit. Apud Patrem non intercedit extraneus; intus est in Patris pectore ipse, qui intervenit, et exorat affectus. Urgentur Patris viscera, iterum Filium genitura per veniam. Ibo ad Patrem reus. Sed Pater viso Filio cooperit mox reatum, dissimulat judicem, qui magis vult implere genitorem, et sententiam cito mutat in veniam, qui redire cupit Filium, non perire. S. Chrysolog. ser. I. *de Fil. Prod.*

Percussit Dominus populum pro errore vituli. Cum omnis populus reus fuerit, cur non est missa in omnes damnatio? Quia scilicet pius et misericors Dominus partem percussit sententiæ suæ gladio, ut partem corrigeret exemplo, monstraretque omnibus et in coercendo censuram et in indulgendo pietatem. Censura fuit, quod castigavit; pietas, quod pepercit. Salv. *contra Gentes.*

Quid misericordius intelligi valet, quam quod peccatori æternis tormentis damnato, et non habenti, unde se redimat, Deus Pater dicit: Accipe Unigenitum meum, et da pro te. Et ipse Filius: Tolle me, et redime te. Quasi enim hoc dicunt, cum ad Christianam fidem nos trahunt. S. Ansel. II, *Cur Deus homo* II, 9.

Licet mater obliviscatur interdum unici filii sui, Dominus tamen, prout ipse testatur, haudquaquam nostri potest oblivisci. Tanta siquidem ejus est misericordia, ut stupa aliqua sive linum in immenso igne positum non tam cito incendi possit, quam ipse peccatori veraciter converso dolenti peccata omnia donare paratus est. Enim vero inter Dei bonitatem et pœnitentem peccatorem neque tempus, neque medium ullum interest. Deinceps autem inter Deum et hujusmodi pœnitentem tam perfecta suboritur fidelitas, ac si peccata commissa non essent; tamque bonus et super omnem æstimationem pius est Dominus, ut, quæ semel condonavit, nunquam ei improperare, nec ullum propterea dispendium, sive pœnam eum sustinere velit, si tamen in vitæ correctione subsistit. Tauler. *apud Blosium, in Consol. Pusill.* s. DXXV.

Deus benignissimus tam inexhaustus fons est prorsus immensæ misericordiæ ac naturalis bonitatis, ut nunquam ulla quantumvis fidelissima mater proprio filio suo, quem sub corde suo gestaverit, tam desideranter ac libenter in mediis flammis jacenti manum

porrexerit adjutricem, sicut Deus homini contrito, etiamsi possibile foret, eum omnia totius mundi peccata vel millenis vicibus quotidie perpetrasse. Ib. HENRICUS SUSO.

UTILITAS. — Si tantum Diabolus potuit, ut te in hujus vitii profunda submergeret, quanto magis te virtus Christi poterit ad eum, de quo lapsus es, verticem revocare? Numquid qui cecidit, non adjiciet ut resurgat? Cecidit asinus carnis tuæ in luto sub pondere, est stimulus pœnitentiæ, qui pungat; et manus Spiritus, quæ viriliter extrahat. S. PETR. DAM. *Opusc.* VII, c. XXIII.

O beata misericordia, quæ sola commercium nostræ salutis agnovit! Sola enim misericordia ad Deum dirigit hominem, sola ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem. Hæc est sola mediatrix, aversos consolans, hæc disjunctos copulat, hæc sola Deum humilians, nos sublimat. S. AUG. *ser.* 6, *ad Frat.*

O grandis misericordia! O infinita! Tu sola potuisti trahere Deum de cœlo ad terram, et nos de exilio ad regnum erigere.

Misericordia Dei est summum solatium! S. GREG. II. *Moral.*

Misericordia Dei desperationi opponenda est. S. AUGUST. *ser.* 122 *de Temp.*

Misericordia Dei nequitiam hominis vincit. S. CHRYSOST. *ad Pop. Antioch. Hom.* LXXX.

Misericordia Dei pallium breve non est. S. BERNARD. *sup. Cantic. serm.* 66.

FACILITAS. — Ad limina potentium frequentius excubamus, non habentes liberos accessus ad colloquendum; et si quid deliquimus, supplicibus oculis, facie tribulata, verbis humilibus emendamus. Illi autem plerumque superbo oculo, et humero dedignanti pedibus suis provolutos vel respicere nolunt. Non sic Dominus Jesus, qui libentius loquitur mecum, quam ego secum; quem invenio, quoties quæro; qui occurrit cum panibus fugienti, qui vultum lætum ostendit mihi, qui meam pœnitentiam sicut innocentiam amplexatur. Ubique lætus, ubique bonus, ubique pius, ubique dulcis, cum magna multitudine dulcedinis suæ. Non facit supercilium, oculos non obliquat, non detorquet faciem, nec verba resonat ampullosa, sed occurrit revertenti, et accurrit in amplexus, flens super collum ejus, et jubet proferri stolam primam. S. PETR. DAM. *ser.* LVII.

ABUSUS VITANDUS. — Abutuntur quidam patientia Dei, et qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi, cum ideo differatur ultio, ut tempus possit habere correctio. Misericordiam igitur Dei nostri, quæ *non vult mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur, et vivat*, non ideo quisquam tardet amplecti, quia quod meruit, non recepit; neque enim, quidquid differtur, aufertur, aut condemnationem evasit, qui indulgentiam non quæsivit. S. LEO, *ser.* XXXII *de Quadr.*

Nemo sibi ideo blandiatur; nemo stulta et vana suspicione decipiatur; nemo idcirco securus delinquat et liber, quia super peccatores confestim Dei ira, judiciumque non venit; ut ex hoc opinetur, se impune peccasse, quod non illico puniatur, sed hoc magis differre Deum, quam dissimulare cognoscat, et iram Dei peccatoribus quamvis seram, subito et repente venturam, sicut scriptum est: « Ne dixeris, peccavi, et quid mihi accidit triste? Est enim Altissimus patiens redditor. » S. AUG. *de Vit. Christiana*, c. V.

Pœnam differt, non aufert, juxta quod dici solet; *quod differtur, non aufertur;* nam ut dictum est Sapientiæ, II. *Ipse dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.* Sed quos diutius tolerat, hos induratos suo tempore acrius punit et terribilius damnat, de quo ait Psal. *Deus Judex justus, fortis et patiens; nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* Nihil ergo stolidius, nihil periculosius, quam longanimitate Dei abuti. DION. CARTH. in c. V, *Eccl.*

Hæc misericordia Domini, qua tardat ferire, paratus ignoscere, si sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutem. Imo vero judicium damnationis accumulat, ut dicatur: Hæc fecisti, et tacui. Apostolum proinde audiamus terribiliter insonantem: « An divitias bonitatis ejus, inquit (haud dubium, quin Dei) et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiem tuam et cor impœnitens thesaurizas iram in die iræ. S. BERN. *serm. de triplici Miser.*

Etiamsi post peccatum non senseris pœnam ejus, cavendum tamen ab eo est, quia Deus, licet sit tardus ad iram, atqui tandem pœnam culpæ maritat. Equidem nullo magis exemplo Dei maximus ostenditur animus, quam quod tam innumeris orbis criminibus provocatus non excandescat statim ad iram, siquidem miserationes ejus super omnia opera ejus; at vero ut est misericors,

ita etiam est justus. Justitia ergo necessario eum adiget, ut non patiatur culpam sine socia vivere pœna. PAULUS DE PALAT. *Eccl.* III.

Nemo sibi multum de misericordia Dei blandiatur, quia virga directionis est. Numquid dicimus, non esse misericordem Deum? Quid misericordius eo, qui parcit tantum peccatoribus, et qui in omnibus conversis ad se non curat præterita? Sic enim dilige misericordem, ut velis esse veracem; non enim misericordia potest illi auferre justitiam, neque justitia misericordiam. Interim quamdiu ille differt, tu noli differre S. AUG. *in Ps.* XLIII.

Deum discis tam optimum, quam et justum; de suo optimum, de nostro justum. Nisi homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset ex naturæ proprietate, et nunc etiam justum, cum patitur, ex naturæ necessitate. TERTULL. *l. de Resur. carn.* c. XIV.

Quomodo non est misericors, qui nos tanto tempore expectat, ut corrigamur? Numquid tam prolixa misericordia potest Deo auferre justitiam? Quanto enim diutius expectat, tanto gravius vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, et nihil mali a Domino sustinemus, patientia est, non negligentia; non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. S. AUG. ser. CI, *de Temp.*

Quisquis delinquit, et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat; sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius stringit; nam quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam. S. GREG. l. XVII, *Mor.* c. IV.

De benignitate Dei sibi improbus thesaurizat, quia dum ad pœnitentiam tempus accipit, et ad peccandum expendit, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde et omnipotens Deus, qui collata remedia conspicit ad culpæ augmentum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in districtionem vertit, ut inde post plus feriat, unde modo amplius expectat, et quia homo deserere malum non vult, ut vivat; auget unde moriatur. S. ANSEL. *In* 2 *ad Romanos.*

EXEMPLA CATHOLICA.

Frater quidam impugnabatur a fornicatione. Contigit autem, ut veniret in vicum quemdam Ægypti, et videns filiam sacerdotis Paganorum, adamavit eam, et dixit patri ejus : Da mihi eam uxorem. Ille autem respondens dixit : Non possum eam dare tibi, nisi interrogavero deum meum. Et abiens ad Dæmonem, quem colebat, dixit ei : Ecce monachus quidam venit, volens accipere filiam meam, do eam illi? Respondens Dæmon dixit : Si negat Deum suum et baptismum, et propositum monachi, da eam illi. Et veniens dixit ei : Nega Deum tuum, et baptismum, et propositum monachi, et dabo tibi filiam meam. Ille vero consensit, et statim vidit velut columbam exire de ore suo, et volare in cœlum. Pergens autem sacerdos ad Dæmonem dixit : Ecce promisit se tria illa facturum. Tunc respondens Diabolus dixit ei : Non des illi filiam tuam in uxorem, quia Deus ejus non recessit ab eo, sed adhuc adjuvabit eum. Et veniens sacerdos dixit Fratri illi. Non possum tibi eam dare, quia adhuc Deus tuus adjuvat te, et non recessit a te. Hæc audiens Frater, dixit in semetipso : Si tantam bonitatem ostendit Deus in me, cum ego infelix negaverim et ipsum, et baptismum, et propositum monachi, bonus autem Deus etiam, cum tam grande scelus commisi, nunc usque adjuvat, cur ego recedam ab eo? Et in semetipsum reversus recepit sobrietatem mentis, et venit in eremum ad quemdam magnum senem, et narravit ei rem, quæ fuerat facta. Et respondit ei senex : Sede mecum in spelunca, et jejuna tres hebdomadas continuas, ego deprecabor Deum pro te. Et laboravit senex pro Fratre, et deprecatus est Dominum, dicens : Obsecro te, Domine, da mihi animam hanc, et suscipe pœnitentiam ejus. Et exaudivit orationem ejus Deus. Et cum impleta fuisset prima hebdomada, venit senex ad illum Fratrem, et interrogavit eum dicens : Aliquid vidisti. Et respondens Frater dixit : Etiam vidi columbam sursum in altitudine cœli contra caput meum volantem. Et respondens senex dixit ei : Attende tibimetipsi, et deprecare Deum intente. Secundo vero venit iterum senex ad Fratrem, et interrogavit eum, dicens : Vidisti aliquid? Et respondit : Vidi columbam venientem, juxta

caput meum. Et præcepit ei senex, dicens : Sobrius esto mente, et ora. Et completa tertia hebdomada venit iterum senex, et interrogavit eum, dicens : Aliquidne plus vidisti? Et respondens ille dixit : Vidi columbam, quæ venit et stetit supra caput meum, et extendi manum meam, ut tenerem eam, illa autem surgens intravit in os meum. Et gratias agens Deo senex, dixit Fratri : Ecce suscepit Deus pœnitentiam tuam, de cætero attende tibimetipsi, et esto sollicitus. Et respondens Frater dixit : Ecce amodo tecum ero donec moriar. *Vit. PP. de Fornicat.* n. 16.

Apud Patres Carthusianos, *Conversus* (ut vocant) fuit capitis plane rudis et inscii, qui aliam nullam precem, non potuit addiscere, nisi hæc tria verba : *Miserere tui, Deus*, quam centies ac sæpius iterabat; cumque, ejus Prior ejus cubile præteriret, sensit inde suavissimum odorem exhalare; unde Prior Fratrem examinat de vivendi et orandi modo, qui tamen se peccatorem fassus aiebat, se nihil dignum ea gratia facere, neque se aliam precem scire, nisi : *Miserere tui Deus*. Prior ait, illum male orare, diceret deinceps, *Miserere mei, Deus*, et causam erroris ei ostendit ; sed cum primum alterum precandi errorem Deo tam gratum correxit, odor non amplius sentiebatur, igitur Prior hominem ad se vocatum jubet antiquam orationem precari, quo facto, prior suavitas rediit. *Ex Chron. Theodori Petrai, Prax.* 13, c. VII, p. 3.

Tolosæ juvenis quidam hominibus impiis et atheis familiaris, factus est illis prope per omnia similis, ut tamen prius experiretur, num Deus aliquis esset, æstate sub vesperum extra urbem loco solitario inambulat, et pileo, pallioque in campum abjecto, ceu pugil Deum provocat, ut, si Deus aliquis sit, secum congrediatur ; sed Deus hominis misertus, aliud nil egit, quam ut pateretur e cœlo magnum chartæ folium decidere, quod impius provocator a terra tollens, videt inibi aureis litteris exaratum : *Miserere mei, Deus*. Hoc viso, resipuit, et in genua provolutus confestim veniam impietatis petiit. Summo mane ad Collegium nostrum venit, et e nostris uni rem totam exposui, animumque confessione expiavit.

Juvenis incestum cum sorore commisit, monentem idcirco fratrem, occidit; tandem et patrem, qui eum exhæredatum et urbe pulsum, in vita servavit, clam in urbem ingressus, peremit. Sed ubi pro concione audivit illud Ezechiæ, 18. *In quacumque hora etc.* confessus est magno cum dolore. Sacerdos eum jussit accedere ad altare, in quo fuit imago B. Virginis, habens Christum mortuum in sinu suo. Ubi Virginem enixe rogavit, ut sibi veniam a Christo impetraret. Inter has tam calentes preces cor ei ruptum est, et mortuus jacuit ante altare. Sacerdos superveniens, ratus eum vivere et quiescere, dum surgere jubet, mortuum reperit. Sequenti die jussit populum pro eo orare. Tum columba candida circumvolans in conspectu populi schedulam, quam rostro tenuit, ante Sacerdotem projecit, in qua scriptum fuit, animam hujus fuisse in cœlum deductam, antequam calor naturalis a corpore ejus recessisset. Eadem schedula Sacerdos jussus est infinitam Dei misericordiam peccatoribus commendare, si quidem sincere confiteantur. *Discipul. in Prompt. tit. M. exempl.* 21.

Quidam, cæterum probatissimæ vitæ, dum librum et imagines in eo contentas parum pudicas incautius versat, primo cogitationes inde ortas rejecit, abjecto libro; sed resumens curiositati satisfacit. Unde in eam libidinis insaniam est lapsus ut pudore omni prorsus abjecto, modos omnes exquireret, quibus eam expleret. Sed quia a sollicitatis repulsam tulit, a Dæmone aliquoties flagitat, ut vel aliam, vel semet personatum flagitio commodet. Cum autem Dæmon nihil præstaret, ille primo mirari Dæmonis inertiam, tum circumspicere, num forsan quid lateret, quod stygi moram injiceret, deprehensosque in sacculo libellos et Rosarium, quod ad id tempus studiosissime volvebat, reponit in angulum, preces et sacra, aliaque consueta pietatis exercitia negligit, ad omne scelus præceps. Tum in silvas egressus, vestitu omni posito, abjectaque, quam inscius secum tulerat, sacra cera e collo pendula, clara voce Dæmonem evocat. Nemo respondet. Ille vero omnis ultra moræ pertæsus, ut stygem ad se pelliceret, Deum execratur, et horrendis blasphemiis Dei hostem data opera se profitetur. Spondet se hæc omnia flagitia in confessione celaturum, et sacrilege Confessione, et sacra Communione usurum. Sed et ad hæc surdus Dæmon, Deo ita miserante, nec se ad conspiciendum dedit, aut respondit. Tandem miser execratus moram et Dæmonem, ubi se destitui ab orco, et flagitiis obsitum vidit, ac Deo exosum,

facti pœnitens, sequenti die animum magno cum dolore apud nostrum expiavit. *Ex Annuis nostris*, 1670.

Salmanticæ fuit mercator prædives, qui alea omnia perdidit, simul et Dei timorem et amorem. Hinc Deum summo odio prosecutus, omnia scelera excogitavit et fecit, et ne quid præteriret, Navarii *Casuum Summam* legit, in eo ubi venit ad Tractatum *de Confessione et Pœnitentia,* gavisus nova peccandi occasione, sacrilege confitendi, statuit id agere, et re ipsa egit. Sed confessarius suspicatus est e confitendi modo, hominem angi, et pudorem subesse, multa de Dei misericordia dixit, hortatus ad ingenuam confessionem. Hinc miser intus commotus, inter lacrymas et suspiria Sacerdotem rogat, an tantis peccatis adhuc sit veniæ locus, quod ubi abunde intellexit, omnem vitam illi exposuit, et animum ad Religionem adjecit, totus jam alius in ea triennio vixit, ac viribus deficiens, Crucifixum amplexus peroravit : O quam pudet me vitæ præteritæ; sed talis debeat esse Dominus, qui tantum peccatorem in gratiam reciperet! Ita pie obiit. Engel. *Dom.* II, *post Pasch.*

Pater quidam filiam propriam adamavit, et corrupit; mater suspicata scelus (Agalma dicta, lectæ pietatis matrona) filiam increpitam despexit. Filia indignata matrem veneno tollit. Pater domum reversus id in filia quidem minus acriter castigavit, verbis tamen gravius eam, quam putabat, perstrinxit. Ipsa enim vero se patri jam odiosam rata, nocte patrem stertentem securi obtruncat. Fugit inde ablata præcipua supellectili, ac se Dæmoni devovet, in omne scelus projecta. Forte in templo concionatorem audit misericordiam Dei laudantem, inde commota post concionem Ecclesiastem adit, dicti veritateme xquirit, confitetur, pœnitentiæ loco tunc jubetur denuo die proximo concioni adesse, ubi tanto cœpit dolore de peccatis suis obrui, ut illico sit mortua. Ibidem.

Cuidam glorianti in bonis operibus, et in malis mœrenti, respondit B. Ægidius : Moderate dolendum esse de peccatis, quia major est divina misericordia, quam peccatorum nostrorum copia. Si enim agricultores vererentur malos influxus, vel volucres cœli, nunquam sulcis terræ mandarent semina; cum tamen semper major pars fructuum remaneat penes cultorem, ita non est dimittendum bonum propter inanem gloriam, quia semper manet major pars penes operantem. *Vit. B. Ægidii.*

Bellovacensis, *in Speculo suo morali,* de Rege quodam refert, quod, cum inter subditos virum aliquem haberet supra modum divitem, sapientem, et versipellem, nec ullam contra eum inveniret posset accusandi occasionem, ut ejus se opulentis facultatibus locupletare posset, tres ei proposuerit quæstiones, per ordinem, sub pœna confiscationis magnæ partis bonorum suorum, ab ipso resolvendas, et quidem quæstiones hæ adeo videbantur difficiles, ut non immerito earum resolutio prima facie impossibilis videri potuisset. Prima fuit : *Ubi erat medium terræ quasi centrum ? Alia : Quot modii erant aquæ in mari ? Tertia : Quam magna erat misericordia Dei?* Cum autem die assignata coram Regis curia a carcere deduceretur, in quo detinebatur, ut se redimeret, et dictas quæstiones solveret, de consilio cujusdam Philosophi, qui auxilium miserorum dicebatur, assumpto baculo illum in terram infixit, dicens : Hic est centrum terræ et medium, Improba, si potes. Si vis, ut mensurem modios maris, retine flumina, et aquas, et alveos alios, ne subintrent, quousque mensuraverim, et tibi dicam numerum modiorum. Tertiam solvere potero, si tradideris mihi vestes tuas, et solium, ad hoc judicium faciendum. Quo facto, cum esset in sublimi solio in apparatu regio, ait : Audite, et videte sublimitatem misericordiæ Dei, et quia paulo ante eram servus, modo factus sum quasi rex ; ante pauper, modo dives ; ante in imo, modo in alto ; ante in catenis et carcere, modo in libertate. Sic centrum misericordiæ Dei est ubique in præsenti vita : Misericordiæ ejus non est numerus, sublimitas et immensitas ejus est quod de carcere et vinculis peccatorum per pœnitentiam modicam venitur ad Regnum cœlorum. Bellov. *Spec, mor.* I, *p.* IV *dist.* X.

Legitur, quod quidam miles habuit filiam pulcherrimam, et peccavit cum ea; quod quidem scelus mater ejus per signa evidentia scivit, et perpendit; sed parcens confusioni propriæ filiæ noluit propalare. Puella autem sciens peccatum suum cognitum matri suæ, de consilio cujusdam antiquæ vetulæ veneno matrem suam interfecit. Pater autem advertens et tantum scelus horrens, filiam omnino dimisit; tunc ipse eodem modo veneno ab ea interemptus est. Parentibus ejus sic occisis illa in desperationem cadens,

donec a quodam audivit prædicare, quod omnia peccata, quantumcumque enormia, in conspectu divinæ misericordiæ nihil essent, quando ea homo cum contritione confiteretur, et doleret. Ipsa autem ad eum accedens causa Confessionis, præ desperatione non valebat peccata sua confiteri. Et facta sibi ab eo consolatione cum maxima lacrymarum effusione peccata sua veraciter est confessa, judicans se omni pœna et confusione esse dignam. Facta autem confessione, et injuncta ei pœnitentia salutari, ipsa cum ancilla sua intravit Ecclesiam, et prosternens se in oratione flevit in tantum amare cum lacrymis et dolore, quod statim mortua est inventa. Cum autem confessor ejus in prædicatione, ut pro ea Dominum rogarent, populum admoneret, audivit vocem dicentem sibi, quod ipse et populus potius ejus orationibus indigerent; itaque intellexit, eam per lacrymarum inundationem iterum esse baptizatam, et ad patriam evolasse sine Purgatorii pœna. *Discipulus, in Prompt. lit. M. exempl.* XX.

In vita S. Basilii legitur, quod quidam serviens cuidam nobili viro ejus filiam adamavit inhoneste, quam donis et blanditiis non prævalens decipere, quadam nocte in cœmeterio Judæorum Diabolum invocavit, et ei secreta sua revelavit. Cui Diabolus : Si vis, ut voluntatem tuam compleam, tu manu tua mihi scribe chirographum, quo te ipsum mihi vovendo Christum abneges, et omnem suam perfectionem. Quo facto, Diabolus cor puellæ amore illius totaliter concussit, ita ut pavimento prostrata clamaret dicens : Pater, miserere mei, quia nimis crucior amore tui scutiferi. Sed pater evigilans, clamavit dicens : Heu! heu! quid contigit filiæ meæ, quam Christo vero Sponso copulare conabar, et sic salvare? Sed multo plus illa insaniebat dicens : Pater, nisi, quod peto compleveris, citius moriar. Super quo habito consilio cum amicis, copulavit filiam scutifero. Et quia iste se et sua dedicaverat Diabolo, ideo nec Missam, nec cætera Dei beneficia advertit, nec curavit, neque signo sanctæ Crucis muniri poterat, nec videre. Quod illa advertens, fuit perterrita ; licet ille negaret, sed utrum ita esset, illa semel traxit illum ad Ecclesiam, ut omnia probaret. Unde ille videns se deprehensum, eo quod latere non posset, causam totam narravit uxori suæ. Tunc illa ingemiscens respondit : Confide, nec de misericordia Dei desperes, quia ipse potest te adhuc facere de injusto justum. Et sic traxit illum ad B. Basilium, cui devote omnia confessus est, et ab eo absolutus. Unde Diabolus agitatus, nitebatur etiam visibiliter illum de manu Basilii retrahere, dicens : Tu mihi præjudicas ; nam ego non ivi ad eum, sed ipse venit ad me, Christum negando, et seipsum mihi devovit. Tunc Basilius ipsum domi inclusit, et signo Crucis munivit ; ubi per quadraginta dies horribiles insidias Dæmonum passus est, pœnitentiam suam complens, invocando virtutem sanguinis Christi. Tandem die quadragesima subito in manu Basilii apparuit schedula obligationis diaboli ; per quod illum reconciliatum Deo intelligens, ad Ecclesiam reduxit, et ejus pœnitentiam suscepit. Ibidem, *exempl.* XXII.

Dives quidam devenit ad paupertatem, et postmodum subdidit se sponte Diabolo, ut ipsum e converso ditaret, quem accipiens Diabolus baptizavit eum dicens : Ego baptizo te, in nomine Luciferi et omnium dæmonum, quod sis cum corpore et anima noster. Tandem dedit ei multas divitias, et dixit : Ex quo noster es, debes portare signum nostrum, scilicet superbiam in vestibus et incessu, sic et in membris. Qui cum in illo statu fuisset annos aliquot, contigit, eum intrare Ecclesiam, audire prædicationem de misericordia Dei, et contritus remansit in Ecclesia, et procidens super terram, et jacens orabat, ut sibi Dominus redderet gratiam, et vellet totum corrigere, quod fecerat. Dominus videns ejus humilitatem lacrymosam, et quod vellet corrigere totum, et vitam emendare, dixit ei de altari: « Surge remittuntur tibi peccata tua ; vade, et amplius noli peccare. » Qui surgens præ nimia contritione factus fuit totus canus, quod eum vix familia sua cognovit, qui etiam postmodum se afflixit pœnitentia, qua vitam æternam mercatus est. Istam misericordiam Dominus ostendet usque in diem judicii, sed in judicio ostendet justitiam bonis et malis. Ibidem, *exempl.* XXIII.

Mulier quædam habuit virum valde contrarium sibi, si veniebat de Missa, de foro, de taberna, semper percutiebat eam. Illa videns se in arcto positam, consuluit unam vetulam, ut faceret, quod vir suus diligeret eam. Illa promisit, et duxit eam ad horreum, et vocavit Diabolum, qui statim affuit. Cui vetula : Ista femina vult vobis servire, ita ut faciatis, quod vir ejus diligat eam. Ille

dixit, se libenter facturum, sed oportere, quod puerum unicum, quem haberet, occideret prius; quod cum fecisset, rediit ad eum. At ille: Unum adhuc facietis, scilicet abnegabitis fidem et omnium Sanctorum auxilium. Quæ dixit: Et ego abnego, et committo me vobis cum anima et corpore. Cui: Modo secura ito domum. Quod dum illa rediens læta fecit, vir veniens de taberna cœpit eam percutere; et si aliquando fuit malus, postea pessimus. Quare videns se confusam, fugam iniit; dum autem ad unum milliare de domo sua abesset, occurrit ei Diabolus in specie viri sui, et simili habitu, et equo, et dixit. Et quo tu vadis, misera? Illa respondit: Ante vos fugio. Cui diabolus: Redeas cito domum, promitto tibi, quod te nolo amplius molestare. Et sic ascendit ad eum super equum, et putabat eum virum suum esse. Qui cum venisset ante domum, evanuit. Statim vir veniens, cœpit percutere illam. Cui illa: Hodie cum aufugissem a vobis, et vos me de campo reduxistis; hoc non promisistis mihi. Ille audiens, quod fugisset ab eo, dixit: Hoc non erit tibi gratis, et cœpit eam percutere, quod fere exhalaverat spiritum. Quæ cum jaceret semiviva in vulneribus, dixit: Adducite mihi Confessorem. Cui vir: Nunc vult me confundere, quod dicatur, ego occidi eam. Et prohibuit quod nullus iret ad Sacerdotem pro confessione. Illa non cessabat clamare: Adducite mihi confessorem. Tandem unus de familia caute ivit, et vocavit Sacerdotem cum Corpore Christi, et erat in nocte. Qui cum venisset ante domum, vir observavit omnia et non permisit Sacerdotem ingredi. Qui dum staret ante domum, clamavit ad eum illa dicens: Domine, saltem per parietem audite me! Et cæpit clamare dicens: Domine, fateor quia puerum meum occidi, et Diabolo me commisi cum anima et corpore, et fidem Christi abnegavi, et cum magna contritione emisit spiritum. Et statim iste pius Pater pepercit omnibus peccatis suis, et gratiam suam ei reddidit, et animam ejus per sanctos Angelos cœlum deportari fecit. Hoc vidit vir, et Sacerdos, et omnes, qui aderant. Ibid. *exempl.* XXVI.

Fuit quædam meretrix in civitate quadam, propter quam multi erant depauperati. Audiens autem Abbas Paphnutius mala, quæ per eam fiebant, assumpto sibi habitu sæculari ad eam est profectus, et dato ei solido pro scorti pretio, petiit locum secretum, et obscurum, ne videri ab aliquo posset, et peccatum suum sine verecundia perpetraret. Et cum duxisset eum ad plura loca, et ipse semper diceret, quod videri timeret, duxit eum in obscurissimum locum, dicens, quod nullus posset eum videre, nisi Deus, et Diabolus. De quibus verbis ei facto sermone, qualiter deberet aspectum Dei formidare, convertit eam, et ad pœnitentiam mox induxit. Quæ convocans mox omnes socios suos amatores, fecit omnia, quæ lucrata fuerat, comburi coram eis in medio urbis, quæ valebant binas quadraginta marchas auri, dixitque quod magi volebat hæc comburi, quam quod in futuro judicio ipsamet combureretur ab eisdem. Quo facto, secuta est Abbatem in desertum, qui eam in parvam cellulam inclusit, in quam per fenestram parvam dabat ei singulis diebus parum panis et aquæ. In eadem autem cella juxta se omnia necessaria faciebat; quæ præ peccatorum ejus pudore non audebat nomen Dei nominare, nec manus vel oculos ad cœlum levare, sed versa ad Orientem dicebat: « Qui plasmasti me, miserere mei! » sicut eam Abbas jusserat. Post annos autem tres compassus ei dictus Abbas, quæsivit a B. Antonio, si esset tempus emittendi eam, et idem peccatum dimissum; qui fecit pro ea Fratres orare. Tunc Paulus major discipulus Beati Antonii positus in extasi vidit lectum pretiosissimum in cœlo a tribus speciosissimis puellis præparatum. Et cum quæreret, si esset Beati Antonii, responsum est ei, quod non, sed Thaydis sponsæ Christi. Et cum esset exclusa, ait, quod in toto triennio habuit semper peccata sua ante oculos, quasi quamdam sarcinam, flens continue largiter super ea. Et tunc didicerunt sancti Patres, quod non propter pœnitentiam, quam sustinuerat, sed propter peccatorum memoriam et verecundiam ei peccata fuerunt dimissa. Et transactis quindecim diebus requievit in pace. Ibidem, exempl. XXVIII.

Cum quidam infidelis hominem Christianum ab Ecclesiæ gremio abduxisset, et propterea S. Carpus Episcopus graviter indigatus petiisset a Deo, ut amborum vitam repente extingueret, subito ei aperto cœlo Christus innumeris Angelis stipatus apparuit, infra vero profundissimam voraginem vidit serpentibus plenam, ad cujus os duo illi viri trementes, jamjamque dejiciendi stabant, simulque Christum dicentem audiebat: Carpe, paratus sum iterum pro salvandis

hominibus pati, et istud mihi gratum est, modo non alii homines peccent. Tu autem inspice, an utile sit, illam cum serpentibus mansionem præferre Dei ac bonorum clementiumque Angelorum consortio? S. DIONYS AREOPAG. *in epist. ad Demophtum.*

S. Gertrudis aliquando divinitus edocta fuit, quod homo aspiciens imaginem Crucifixi imaginari sibi debeat Christum sequentia blanda voce dicentem : En vides, quomodo tui amoris causa perpenderim in cruce nudus, despectus, totoque corpore vulneratus ac per singula membra distentus ; et adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te afficitur, ut si saluti tuæ expediret, aliterque felicitatem tuam consequi non posses, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo ! BLOSIUS, *in Monil.* c. I.

S. Mechtildi de quadam pia persona Dominus dixit : Quando ex humana infirmitate culpam aliquam admisit, si mox per pœnitentiam redierit ad me, confidens in mea misericordia, paratus sum ad unicum ejus gemitum omnem culpam ei remittere. Ibid.

Eidem Dominus dixit : Nullus est adeo magnus peccator, quin, si vere pœnituerit, mox illi omnia sua peccata plene dimittam ; et cor meum tanta clementia atque dulcedine supra ipsum reclinem, ac si numquam peccasset. Ibid.

Rursum eidem dixit : Quamvis stellæ, id est Electorum meorum animæ, nube peccatorum, et caligine ignorantiæ nonnumquam valde obtenebrentur, in firmamento tamen suo, hoc est, in divina luce mea, obscurari non possunt. Licet, inquam, Electi mei magnis plerumque peccatis involvantur, semper tamen illos ea charitate respicio, qua eos elegi, et ipsos in ea claritate attendo, ad quam perventuri sunt. Bonum igitur est homini, ut sæpe recogitet, quam gratuita pietate ipsum elegerim, et quam bene de ipso cogitaverim, quamque amanter eum respexerim, etiam cum in peccatis jaceret, item quam benigne mala ejus in bonum ei commutaverim. Ibid.

Cum S. Gertrudis quondam audivisset in concione, neminem posse salutem consequi, nisi saltem tantillum charitatis habeat, ut ex amore Dei pœniteat, abstineatque a peccato, ipsaque apud se cogitaret, hac ratione multos damnatum iri, utpote qui magis timore gehennæ, quam amore Dei pœniteat in fine vitæ, Dominus sic ei locutus est : Quando video peccatores agonizantes, qui mei umquam dulciter recordati fuerunt, vel aliquid meritorii operis peregerunt, in ipso mortis confinio exhibeo eis me tam pium, amabilem et benignum, ut ipsi ex intimis cordis medullis doleant, quod umquam me offenderint ; ac per tantam pœnitentiam apti redduntur ad salutem consequendam, et perire non possunt. Ibid.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut cœlum quandoque nigra conspicitur coopertum caligine, horrendis resonans, strepitansque tonitribus, fulgurans, fulminans, grandines jaciens, impetuosis exundans pluviis, gelidisque debacchans aquilonibus; ast subito variis pulcherrimisque adornata coloribus apparet iris, serenitatem nobis promittens et tranquillitatem. Ita et nos sæpe supplicia et flagella timemus, et expavescimus iræ divinæ, quasi jam jam a terra absorbendi, ultimamque mundi experturi ruinam : *Deus repulisti et destruxisti nos, et iratus es.* Ecce tempestates, turbines et fulmina ; ast indilate postea serenitas succedit : *Et misertus es nobis.* MANSI, dis. X, n. 2.

Sicut sunt aliqui Judices adeo pii, qui, etiamsi contra aliquem crucis sententiam proferant, prius lacrymantur ; sic Deus, quando destruxit mundum tempore Noe, prius ploravit. Tactus dolore cordis intrinsecus : « Delebo, inquit, hominem, quem formavi. » Super Jerusalem etiam prius flevit, antequam eam destrueret. DID. STEL. in c. XXI, *Luc.*

Sicut in ægrotis, et periculosissimo morbo correptis, ingentisque pretii pharmacis opus habentibus, si ingrediatur medicus, atque ægrum admoneat, permultis ipsi medicamentorum generibus ad conficiendum pharmacum opus esse, isque præbere se posse neget, quod inopia laboret, dicatque medicus : Hoc et illud mihi da, et ego reliqua omnia de meo subministrabo. Eodem modo Deus quoque facit : Confessionem, inquit, et lacrymas et pœnitentiam mihi præbe, et ego alia pro mea benignitate tibi largiar. S. CHRYS. hom. I, in Ps. V.

UTILITAS. — Sicut pecunia omnibus rebus comparandis deservit, omniaque supplet : ita divina pietas omnibus necessitatibus nostris subvenit, ad quævis se impendit, et ubique resplendet. MANSI, dis. III, n. 3.

Sicut thesaurus temporalis in beneficium

innumerabilium hominum diffunditur; eodem modo divinæ bonitates in omnes res diffunduntur. Ib. n. 2.

Sicut quilibet lucis radius innumeras dissipat tenebras; eodem modo quilibet minimus sanctificantis gratiæ gradus, qui est quidam divinæ misericordiæ partus, infinitas dissipat tenebras iniquitatis. Ib. n. 7.

Abusus cavendus. — Sicut solet thesaurus recondi, aurum auro, et argentum argento cumulando, et magna ac sollicita diligentia servando, ne quisquam illum deprædetur, ut tandem aliquando sua die detegatur, et illum possidens dives et beatus habeatur; ita per contrarium thesaurizamus iram, id est, divinæ vindictæ meritum, peccata peccatis coacervando, et diligenter illud per impœnitentiam asservando, ita ut Deus omnium delictorum nostrorum memoriam exactam custodiat, quod tandem aliquando die novissima detegatur thesaurus malefactorum, ut cum ipso gravissimo puniaris supplicio. Salmeron, xiii, dist. xvi.

Sicut misericordia Dei cito adest, et subvenit pœnitentibus; ita et ira Dei cito ingruet peccatoribus impœnitentibus ex improviso. Corn. a Lapide, *in* c. v, *Eccl.*

Sicut qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri, ut fugiat, qui, si fugere nolit, tanto fortius sagitta emissa configitur, quanto majori tempore arcus intensio fuit facta; sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicii gravitate compensat. S. Hier. *in* c. ii. *Rom.*

MOTIVA.

De Misericordia Dei speranda.

Quia misericordia est gloria Dei; uti Mansi his verbis indicavit: In libro Numerorum Deus inquit: « Vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra. » Man. *dis.* i, n. 9.

Quia mors Christi eam exigit, et commendat, uti S. Thomas Villan. indicavit dicens: Quomodo te damnabit pœnitentem, qui propter hoc moritur, ne damneris? Quomodo te abjiciet redeuntem, qui de cœlo venit quærere te? Unde Apostolus: « Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat; quis est qui condemnet? » Dices forsan: Agnosco Dei viscera, inæstimabilem dignationem intelligo; sed magna sunt peccata mea nimis, et inveterata flagitia mea, pœnitentia vero modica, aut nulla, quomodo possum salvus fieri? O stulte, non attendis, qualem pro tuis peccatis satisfactionem in cruce Patri reddiderit? Exaggera crimina, accumula peccata, aggrava quantum potes; potior est illa [illegible] S. Thom. Vill. *tr. de Adv.* Et confirmans S. Bernardinus: Quid magis, inquit, ad spem veniæ mentes erigere potuit, et verisimilius ostendere valuit Deum velle misereri hominibus, quam quod Pater misericordiarum proprio Filio suo, ut eis parceret, non pepercit? Et ipse Filius, ut immunes et illæsi ipsi abirent, latrociniorum ipsorum dignatus est perferre suspendium! S. Bern. Senens. tom. I. *Quinq.* ser. i.

Quia semper et ubique parata est; uti S. Basilius indicavit dicens: Clama, dic: *Miserere mei*! non labia movendo, sed mente vocem emittens; nam et silentes audit Deus. Jeremias in luto erat, et Deum attraxit; Daniel in leonum lacu Deum placavit. Verum, inquies, hi Deo grati et accepti erant, ego autem innumeris sum sceleribus contaminatus; verum et latro in cruce talis erat, et tamen licet in profunditate putei hujus constitutus esset, inquit Magnus Basilius, non tamen in cruce prohibitus est, quin Paradisum assecutus fuerit. S. Basil. hom. *de S. Bapt.* Id ipsum etiam S. Laurentius Justianus confirmans: An ignoras, ait, quamdiu corporaliter vivis, etsi omnium criminum te feceris, reum, resurgendi tamen in spiritu tibi a Deo est indicta fiducia. Hinc idem S. exclamat: O divinæ miserationis ineffabiles divitiæ! Non præfixit compunctionis tempus, non indixit mensuram, neque consequendæ gratiæ terminavit locum, sed simpliciter dixit: Quotiescumque ingemuerit peccator, insinuans, nullum ab eadem miserendi finem esse impositum. S. Laur. Just. l. I, *de Spir. anim. interitu.*

Quia patienter expectat; uti S. Vincentius Ferrerius his verbis declaravit: Quot annis creditis, quod Deus expectavit Angelos peccantes? Revera non per annum, nec per mensem, nec per hebdomadam, nec per diem, nec per horam, nec per momentum, sed statim, et subito ejecit eos de cœlo, et damnavit æternaliter in tantum, quod nec Incarnatio Filii Dei, nec Passio ejus aliquid eis profuit, quia irrevocabiliter sunt damnati in æternum. Modo cogita hic, quanta est misericordia Dei? Quia tam nobiles creaturas, et spirituales non expectavit ad pœnitentiam, et modo expectat te superbum, vanum, pomposum per multos annos! S. Bern. Sen. tom. II, ser. xix, a. 1, c. i.

Cui consentiens S. Bernardinus, Deus: inquit, non ad executionem sententiæ currit, non festinat irasci, sustinet, dissimulat, expectat. Non quidem pius Deus irascitur per singulos dies. Unde Sapientia, 11. 24. « Misereris omnium, Domine, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. » Et revera illud dicere possumus Thren. 3. « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. » S. Vinc. Ferr. *ap. Man. dis.* III, n. 8.

Quia ultro invitat; ut idem Sanctus indicavit, dum de Redemptore in cruce crucifixo, ita scribit : Clamat dicens : O anima mea dilecta, brachiis in cruce expansis benignissime te expecto, ulcisci dissimulo, a multis periculis libero; revertere, cum gaudenter te suscipio, omnem offensam remitto, gratiam liberaliter tibi dono, et datam multiplico, multiplicatam conservabo, conservatamque in æternum remunerabo. Ideo, ut dicitur Jeremiæ. 31. « In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. » Ergo, ut dicitur Isaiæ. 5. « Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, quia multus est ad ignoscendum. » Idem. tom. II *de Orig. verit.* s. I, a. 3, c. II. Hinc S. Laurentius Just. ait : O quam frequenter ad cordis pulsat ostium, ut ingrediatur ad te, tecum maneat, in te conquiescat, suarumque te participem faciat esse deliciarum. Insequitur quippe te, quasi tuo ipse Dominus indigeat famulatu, et tamquam sine te nequeat esse beatus. S. Laur. Justin. *de Obed.* c. V.

Quia beneficiis provocat; uti iterum S. Laurentius Justin. insinuavit dicens : Quamvis delinquas graviter, quamvis in multis offendas frequenter, tametsi te voluntarie avertas ab illo, numquid suarum stillicidia gratiarum cohibet, ne pluant super te ? Numquid solis, lunæ, stellarumque splendorem abscondit, ut non super te luceant, atque radios diffundant? Porro terra germinat fructum suum, arbores diversarum specierum poma producunt, virgulta quæque ad tuum fecunda sunt usum, et (proh dolor!) intelligere dissimulas, a quo ista percipias. Tibi cuncta famulantur elementa, nubes de cœlo imbrem opportunum spargunt, dies diei, nox succedit nocti, ut tibi, cunctisque viventibus præbeant exemplum; et sine sensu, et absque gustu torpescis, et jaces! Postremo illo ordinante, jubente atque dominante, tibi serviunt Angeli, ministrant Archangeli, universæque cœlorum obsequuntur Virtutes, tuam quærentes salutem, tuum cupientes profectum, tuam beatitudinem anhelantes, et neque ex his te convertis ad illum, qui sua bonitate antequam esses, convertit se ad te. Nempe cum non esses, non erat, qui resisteret, obaudiret, renueret, et tamen ipse sine te dignatus est facere te; te quoque existente, prævaricante, fugiente, expectavit patienter , ut pœnitentiam ageres. Ibidem. Et Petrus Cellensis : Unum , inquit, præ aliis suæ bonitatis strictius religavit beneficiorum vinculum, quo spretus non sperneret, ejectus non abjiceret, offensus non læderet, sed satisfaceret sibi pro nobis de nostra injuria, non requireret, sed reduceret. Quis hoc cacumine pietatis elevatus est, nisi Jesus? Quis hunc verticem gratiarum subiit, nisi Filius Dei? Plane si in Jesu aliquid est melius ipso Jesu, id mihi est propitiatorium, id est reconciliatorium. Petr. Cellens. *de Taber.* l. II.

Quia celeriter exaudit; teste S. Bernardo dicente : Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit et abstergit, et hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo conjunguntur, et lacrymæ peccatricis et misericordia Salvatoris. S. Ber. *in festo S. Magdalenæ.*

Quia jugiter subvenit; nam uti recte D. Chrysologus indicavit, dum verba illa Ps. CXXXV. « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus » explicans, ita scribit : Quid est sæculum? Non aliquando quidem, inquit, beneficio afficit, aliquando vero recedit. Neque aliquando quidem miseretur, aliquando vero desinit, quod evenit in hominibus, quos et prohibet animi perturbatio, et distrahit fractus et abjectus animus, impedit favor et obsequium, at Deus non est ejusmodi, sed perpetuo miseretur. S. Chrysol. in Ps. CXXXV.

Quia etiam indignus non respuit; uti Sanctus Bernardinus testatur, dicens : Admiranda est benignitas Salvatoris, quod talibus vitam et largitur, et conservat, aliaque multiplicia dona perfectissima largitate præstare non cessat, qui non solum vita ipsa indignissimi sunt, sed etiam omni alio bono, præsertim cum ipsis bonis, quæ a Creatore accepisse illos manifestum est, non solum execrabiliter abutuntur, sed etiam Creatorem benignissimum nequissime impugnant. S. Bern. Sen. tom. V, s. *de Soc.* a. 2, c. I.

Quia terminum non habet; hinc S. Basilius: Si fieri potest, inquit, ut multitudo miserationum Dei numeretur, et magnitudo misericordiæ mensura ulla comprehendatur, collata cum magnitudine peccatorum, adhibeatur sane, si libet, desperatio. Si autem hæc et magnitudine non possunt et numero definiri (misericordia autem Dei et miserationes, neque magnitudine ulla possunt, neque numero circumscribi) sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, et commissa peccata detestanda, quorum condonatio posita est in Sanguine Christi. S. Basil. *in Reg. brev. intern.* xv.

MEDIA.

Ad fiduciam erga Misericordiam Dei concipiendam.

Exempla misericordiæ ob oculos ponere, ut S. Bernardus suasit, dicens de S. Paulo: Propterea conversionis ejus memoria frequentatur, quod et ipsa quoque memorantibus utilis inveniatur; in hac enim memoria, et peccator spem veniæ concipit, et provocatur ad pœnitentiam, et qui jam pœnitet, perfectæ conversionis accipit formam. Quis desperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum et cædis in discipulos Domini, subito factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus: Assurgere jam ad studia meliora non valeo; quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat, persecutor crudelissimus in prædicatorem fidelissimum repente mutatus est? S. Ber. s. i, *de Conversione S. Pauli.*

Sed et S. Gregorius, inquit: Perpendo Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam, et nihil aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei et pœnitentiæ exempla; ubique exempla suæ misericordiæ apponit. Mala ergo displiceant vel experta. Libenter obliviscitur Deus, quod nocentes fuimus, paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare. S. Greg. hom. xxv, *in Ev.*

Pronitatem Dei ad miserandum considerare, de qua sic loquitur Oleaster: Solet apud homines multiplicata injuriæ illatæ conditio esse causa, de cætero continendi veniam; non sic autem Dominus Deus, sed veniam multiplicasse, causa est novæ condonationis. Unde ait Moyses: « Sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto. » Oleaster, *in* c. xiv, Num. Et clarius S. Petrus Damianus: Vides, inquit, quam longa patientia sit in Deo, quam velox misericordia! Longanimis, ait Sanctus, et multum misericors. Libenter igitur ad te confugio, Domine Jesu, qui diutius pateris, et velociter misereris, quia tu es Deus et non homo, sicut Propheta dicit: Qui servet iram, abscondat malitiam, vindictam inquirat. Ad hæc et illud considerandum in misericordia miserantis, quia sæculi homines semel, aut multum septies vel decies dimittent; hic autem millies in die, si fieri posset, quæ committimus, dimittit; et hoc quamdiu vivimus, quamdiu peregrinamur ab ipso. S. Petr. Dam. s. *de S. Martino Episc.*

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta: « Cur Deus vocari voluerit misericordiarum Pater? » id quod S. Bernardus declaravit dicens: Recte, non Pater judiciorum et ultionis Deus dicitur, sed Pater misericordiarum, non modo quod Pater videatur misereri potius, quam indignari, sed eo magis, quod miserandi causam et originem sumat ex proprio; judicandi, vel ulciscendi, ex nostro. S. Ber. s. 5, *in Vig. Nativ.*

Nosse debet: « In quo misericordia Dei præcipue eluceat? » quod Hugo Cardinalis ostendit, dum super verba S. Pauli: « An divitias bonitatis ejus etc. » ita scribit: Notatur copiositas et abundantia bonitatis in largitione beneficiorum, quæ fit peccatoribus licet indignis. Hæc bonitas attenditur in octo. Primo, in hoc, quod dat eis, licet sint ejus capitales inimici. Secundo, quod interius incitat ad bonum. Tertio, quod a malis refrenat peccatores per flagella vel ægritudines. Quarto, in hoc, quod a casu conservat. Quinto, in quantum peccatoribus offert gratiam. Sexto, in hoc, quod exterius vocat per prædicationem. Septimo, in hoc, quod exempla benefaciendi et se convertendi ad ipsum ostendit in sanctis viris, quia in omni Religione sunt aliqui boni. Octavo, apparet bonitas Dei in hoc, quod delectationes temporales amaritudinibus respergit. Hugo Card. in c. ii, *Rom.*

Nosse debet : « Varios modos, quibus misericordia divina ad pœnitentiam vocat peccatores, » quos breviter indicavit Bellovacensis dicens : Effectus divinæ misericordiæ est, quia peccatorem multipliciter revocare conatur ; videlicet corripiendo, flagellando, blandiendo, promittendo, vocando prædicationis vel locutionis verbo, incitando, reclamando, et inspirando interno consilio, increpando aliquo terribili signo. Bellov. *Spec. mor.* l. I, p. IV, *dist.* 10. Fusius vero enumeravit S. Bernardus, inquiens : Septem in me video misericordias Domini, quas et vos ipsi facillime invenire potestis in vobismetipsis. Prima est, quia non potest explicari sermone, quam benigna sit, quam gratuita. Ego peccabam, et tu dissimulabas ; non continebam a sceleribus, et abstinebas a verberibus; prolongabam ego, multiplicando iniquitatem, et tu, Domine, pietatem tuam. Secunda est, quod a multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit me : Quis enim non videat, quod sicut in multa cecidi, sic et in alia poteram cecidisse peccata, nisi me omnipotens pietas conservasset? Fateor, et fateor, et fateor, quia nisi Dominus adjuvisset me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Hanc misericordiam tangit, quando dicit, quod iste prodigus filius « cupiebat saturari de siliquis porcorum, et nemo illi dabat, » id est, Deus non dabat, cujus centrum ubique, et circumferentia nusquam, quia non vult dare homini opportunitatem peccandi, quam optat; libenter tamen Dæmon daret, qui te posuit ad porcos custodiendos. Tertia est, quod visitavit cor meum, et immutavit, ut fierent mihi amara, quæ mala dulcia prius erant. Hanc tangit Salvator, quando dicit, quod hic adolescens est ad se reversus, et quod cœpit intra se dicere : « Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum. » Quarta est, quod pœnitentem misericorditer suscipit, ut in eorum numero inveniretur, de quibus Ps. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates!* Hanc misericordiam tangit in hoc, quod dicit patrem occurrisse filio, cum adhuc esset procul, et eum amplexatum ad pacis osculum suscepisse. Quinta, per quam mihi continendi deinceps emendatius præstitit virtutem, ut non recidivum paterer, et esset novissimus error pejor priore. Hanc misericordiam tangit, in hoc, quod dicit, eum fuisse calceatum, id est, mortificatum desideriis, ne pes jam lapsus fœcibus immergatur. Sexta est, gratia promerendi, et hæc significatur in annulo fidei, qui ponitur in manibus, id est, in operibus applicatur, quod fit non propria nostra virtute, sed Dei gratia. Septima est manus bonæ conversationis. S. Bernardus, ser. XLVIII, *in Cant.* Quibus consentiens venerabilis Beda: Quid, inquit, tam longanime, quid tam inultum in misericordia ? Peccatur, et vivitur, accedunt peccata, augetur vita, blasphematur quotidie, et « solem suum oriri facit super bonos et malos. Vocat undique ad correctionem, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis, longanimis et multæ misericordiæ Deus. Beda, *in* 2. *Rom.*

Nosse debet : « Scopulos, in quo impingere solent homines misericordia Dei abutentes, » quos S. Augustinus indicavit, dicens : « Et spes, et desperatio timenda est in peccatis. » Videte vocem desperantis ad augenda peccata, videte vocem sperantis ad augenda peccata, et quomodo utrique voci occurrit providentia et misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Jam, inquit, damnandus sum, quare non facio, quidquid volo? Audi et vocem sperantis : Misericordia Domini magna est. Quando me convertero dimittet mihi omnia. Quare non facio, quidquid volo? Desperat, ut peccet, sperat ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Væ a desperatione! Væ a perversa spe ! Utrique huic periculo, et utrique malo, quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? Jam damnandus sum, quare non facio, quidquid volo? Audi Scripturam: « Nolo mortem impii, tantum, ut convertatur, et vivat. Hac voce Dei reducitur in spem. Sed timendus est alius laqueus, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo et tu dicebas, qui spe magis peccas? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet ; faciam, quidquid volo, Audi et tu Scripturam : « Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te. » Noli ergo dicere : Cras me convertam, cras Deo placebo. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni indulgen-

tiam promisit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. S. AUG. in Ps. CXLIV. Et iterum : Semper expectas, et de misericordia Dei tibi plurimum polliceris, quasi illi, qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Unde scis, quid pariat crastinus dies? Recte dicis in corde tuo : Quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare non possumus, quod correctis atque conversis indulgentiam Deus promisit. At in quo Propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam. Ex utroque igitur homines periclitantur, et sperando et desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando quis decipitur? Qui dicit : Bonus est Deus, misericors est Deus. Desperando quis decipitur? Qui dicit : Immisericors est Deus. Idem. tr. XXXIII, *in Joan.*

Nosse debet : « Sicut misericordia semper cum justitia conjuncta est, ita metum quoque divini judicii cum spe misericordiæ obtinendæ junctum esse debere ; » uti sapienter monuit Hildebertus Episcopus, dum in epistola quadam (cui hic præfigitur titulus : Gratulatur Reginæ cuidam de bono ; quod aliud fuisse non puto, quam nuptias cum Rege) præter alia illam hortatur, ut Deum non ita speret misericordem, ut non etiam expectet judicem; ita ad propositum nostrum scribit : Sed dicis mihi : Idem offensus clementiam promittit, punire prætermittit, pœnitentem admittit, minas remittit, debita dimittit, ampliora committit. Ita est, inquam, confiteor, « misericordia Domini plena est terra. Cæterum plures eam sibi infructuose aucupantur, qui (licet abjurato bene agendi studio) Deum tamen, quem merentur, judicem, sperant misericordem, quasi eum invenire propitium, merces sit iniquitatis, quod credimus esse religionis. Verum non est ita ; neque enim misericordiam Dei lucrantur mali, quam sibi etiam timide pollicentur boni. In ea sperare, saluberrimum est consilium ; sed de ea totum pendere, periculosum est refugium ; oportet enim judicem mitigent aliqua bona, si volumus misericorditer judicari mala. Proxima est veniæ causa, non tota rea ; virtus, quæ cum delicto ad judicium venit, intervenit. Hi vero judicem sentiunt misericordiæ expertem, qui se peccando faciunt expertes justitiæ. HILDEBERTUS, Episc. *apud Mansi*, dis. XII, n. 4. Et in eumdem sensum S. Augustinus : Quamvis, ait, multum præsumere debeamus de misericordia Dei, non tamen negligenter debemus timere justitiam ejus ; cum justitia enim te judicabit, qui cum misericordia te redemit. Nam quod nos tam longo tempore peccamus, et ille parcit, non est negligentia sed patientia ; non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Teneamus ergo justitiam, cujus misericordiam desideramus. S. AUG. hom. XXXVI. *in Exod.* c. XX. Hinc, teste S. Basilio : Ubique Scriptura miserationibus Dei justitiam conjungit, nos plane erudiens, quemadmodum nec misericordia Dei sine judicio, nec judicium sine misericordia sit, sed commensuretur, etiam cum judicio miserationes suas iis, qui digni sunt, admensuret, et cum judicat, commensuratum quoque nostræ infirmitati judicium inferat benignitatis erga nos affectu potius, quam æqua compensatione nos plectens. Cujus ulteriorem rationem alibi reddens : Si per se, ait, judicium Dei satis esset, ac severe et præcise pro meritis eorum, quæ gessimus, nobis rependeret, quæ nobis spes reliqua esset ? Quis ex omnibus salvus fieret ? Nunc autem diligit misericordiam et judicium, velut assistrice constituta sibi misericordia, et regio judicii prælata throno. Sic quemlibet in judicium adducit : « Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ? » Neque enim misericordia sine judicio, neque judicium sine misericordia. Ante judicium misericordiam diligit, et post eam prærogatam ad judicium venit. Hæc enim inter se conjuncta sunt, misericordia cum judicio. Vult enim misereri judex, teque miserationibus suis complecti ; modo post admissa humilem te factum et contritum, et malefacta plurimum deplorantem inveniat. S. BASILIUS, *in Ps.* XXXII.

Nosse debet, « etiam cooperationem hominis necessariam esse, ut misericordiam a Deo consequatur, » uti sapienter indicavit S. Chrysostomus dicens : Dei misericordia tanta est, ut nulla oratione explicari, nulla cogitatione comprehendi possit, mentemque omnem excedat, ac rationem superet. Verum, etiamsi ea talis sit, partes tamen etiam nostras desiderat. Attende, quid dicam. Deus misericordiam impendit, at non id simpliciter, verum ait : Da tu quoque aliquid, v. gr., infinitis peccatorum sarcinis premeris, delicta multa habes, ea levare

volo; manum tu quoque porrige, non quod ego te opus habeam, sed quia te etiam ad tuam salutem aliquid erogare volo. Et quonam pacto dicam? Latro ille salutem est consecutus ac tot peccata dissolvit, nimirum non per misericordiam solam, sed etiam per suam fidem. Quid enim ait? *Memento mei*, inquit, *dum veneris in Regnum tuum*. Quidnam Deus ad ipsius salutem contulit? Peccatorum solutionem. Quid dabo? Fidem. Qualem? Magnam, sublimem, ad cœlum usque pertingentem. Quæ veritas sequenti in Patrum Capuccinorum Chronico contenta stabilitur historia, qua narratur, Fratrem Matthæum de Bascio, unum e primis Religionis illius Fundatoribus miraculis clarum, novumque sæculi sui Apostolum, in disseminando Dei verbo zelosum æque ac frequentem extitisse; qui cum proinde die quadam Judæis prædicaret in urbe Veneta, unus eorum se compunctum esse (secundum externam tamen apparentiam dumtaxat) ostentans, concionatorem, ut suis apud Deum precibus veram sibi notitiam, lumenque impetraret, obtestatus est. Annuit Fr. Matthæus, seque divinam pro eo oraturum misericordiam spopondit. Quo vix absente, perfidus ille cum sodalibus suis Hebræis fidem nostram, virumque Dei illudere cœpit. Neque multis exinde elapsis diebus sancto viro obvius, inquit ad illum: Nescio, quid dicam, siquidem ex quo me tuis commendavi orationibus, tuus ille Christus nullo lucis radio usque in præsens tempus meum illustravit, ingressusve est animum. Ad quem Fr. Matthæus: Ita quidem; ast post breve tempus ejus tibi defectus rationem insinuabo. Interim me comitare, quia tua indigeo opera. Abiit Judæus, et ad palatium, uno inde distans milliari, conductus, in limine domus, bajulum reperit, saccumque frumento plenum, nec procul inde vacuam in mari cymbam. Quando vir Dei ad Hebræum conversus ait: Granum hoc ad navigium istud deportari vellem, adjuva itaque me, obsecro, ut ipsum bajuli hujus humeris imponamus. Mox obsequiosus Hebræus hinc uni sacci parti, illinc vero alteri servus Dei suam applicavit manum, dumque Hebræus saccum elevaret, Frater Matthæus suas ex industria subduxit manus, ut saccus caderet; quo facto indignatus Hebræus: Quid, inquit, facitis? Et vos vestras sustinete partes, siquidem nimium est pondus, ut illi ego solus sufficiam, non ego tantas habeo vires, ut ego sine ope tua pondus hoc erigere valeam. Tunc S. Capuccinus, sacco dimisso, sequentibus Hebræum aggreditur verbis: Ecce nunc ipsissimam tuæ duritiæ causam; rogasti me, ut pro salute tua, et plena tui ad veram fidem illuminatione intercederem apud divinam misericordiam. Ego, quod mei erat muneris, feci omni cum diligentia; ast tu defecisti in munere tuo, nec mihi, nec tibi satisfaciens. Meam itaque orationem cum cordis sinceritate adjuva et tua, divinamque in te experieris misericordiam. Hisque dictis, navigium, bajulus, et frumentum disparuere. Quo miraculo miser ille compunctus, suisque ipsum enarrans, non modo ipse conversus fuit, sed etiam tota familia illius. *An. Capuc.* p. 2, an 1552, n. 76.

Nosse debet, numquam desperandum esse de misericordia Dei, ut recte S. Antonius Paduanus indicavit dicens: Nulli diffidendum est, ne deficiant miserationes Dei; fons misericordiæ non siccatur, nisi tu prius fueris exsiccatus. Imo, ut auctor ait de spiritu et anima, tardius videtur ei veniam peccatori dare, quam ipsum recipere, quasi plus cruciet ipsum ipsius miseri compassio, quam ipsum miserum passio. S. ANTON. PADUAN. *in Dom.* IV *Quad.* Quod ipsum etiam S. Laurentius Justinianus hortatur, dum ait: Noli ergo ex diffidentia tua immensæ misericordiæ Dei abbreviare manum, quæ tibi ad indulgendum, quam tu ad poscendum veniam, paratior invenitur. Idem quoque Sanctus super illa se reflectens Psalmi verba: « Misericordiam et Judicium cantabo tibi, Domine. » quam invitus Deus castiget, his verbis insinuat: Hoc ideo dictum est, ut scias, ipsum libentius ignoscere, quam punire, nam paratissimus semper est ad parcendum, ad feriendum vero (si fas est dicere) tardus et piger, et peccata dissimulans; hinc est, quod, antequam justitiæ suæ rigorem effundat, præmonet, et æquanimiter delinquentium emendationem expectat. Hoc quippe in veteri, hoc in novo legitur Testamento; hoc in nobis quotidiano claret experimento. S. LAUR. JUST. l. I, *de Inter. anim.*

Nosse debet etiam, quando Deus corripit, duriusque tractat homines, hunc esse effectum misericordiæ; ut recte S. Chrysostomus advertit, dicens: Nunc mihi sermonem meum memoria tenete, nec unquam elabi ex ea sinite; Deum nimirum non modo cum affi-

cit beneficiis, sed etiam, cum punit, bonum esse ac benignum; nam et ipsius pœnæ ac supplicia beneficiorum ejus sunt pars maxima, et providentiæ genus maximum. Cum ergo famem, pestes aeris, siccitates, imbres continuos, et aeris inæqualitates, vel aliud quidpiam videris, quo genus humanum puniatur, ne ægre feras, neque indigneris, sed adora rerum illarum Auctorem, atque illum curæ ac sollicitudinis nomine commenda. Ille quippe est, qui hæc omnia peragit, et corpus castigat, ut anima emendetur; juxta illud Psalmistæ : « Cum occideret eos tunc quærebant eum, et diluculo veniebant ad eum. » Medicus, non cum ægrum in hortos et prata deducit, laudandus est tantum, nec cum in balnea et piscinas aquarum, nec cum opiparam mensam apponit, sed cum jejunum jubet manere, dum fame torquet, et sibi cruciat, cum lecto affigit, et domum convertit in carcerem, cum secat et urit, cum acerba porrigit medicamenta, ex æquo medicus est. An non igitur absurdum est, illum tot malis illatis medicum vocari, Deum vero, si quid tale præstiterit, ex. gr. si famem, aut mortem invexerit, blasphemare, atque illi curam universi detrahehere? S. Chrys. tom. V, ser. lx. Hinc et Tertullianus : O servum beatum, ait, cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit. Tertull. l. *de Pat.* c. ii. Sed et Salvianus : Quid querimur, ait, quod dure agat nobiscum Deus ? Multo nos durius cum Deo agimus ; exacerbamus quippe Deum impuritatibus nostris, et ad puniendum nos trahimus invitum. Cumque ejus naturæ sit mens Dei, atque Majestas, ut nulla iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ, cumque ejus benignitatis sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare. Salvian. *ap. Mansi*, dis. xi, n. 10.

Nosse debet, quando misericordia Dei ob oculos versari debeat; quod bene S. Anselmus declarat, dicens : Notandum est, quod ante perpetrationem culpæ nunquam misericordia Dei debet cogitari, sed justitia et judicium ejus, furor et indignatio illius ; hæc pensari, hæc ante oculos merito reduci, hæc sæpe numero cum magno horrore tractari debent. Quando quis tentatur, non debet dicere : « Misericordia Domini magna est ; » sed potius : « Horrendum est, incidere in manus Dei viventis. » Quando appetitus luxuriæ quemcumque pulsat, non cogitet tunc, *quacumque die peccator ingemuerit, omnia peccata oblivioni tradentur* ; sed potius sæpe recogitando tractet, quod *maledictus omnis qui peccat in spe.* B. Ansel. *de Simil.* c. cxv. Cui consentiens Dionysius Carthus. super illa verba : « Nec dicas, miseratio Domini magna est ; » ita scribit : Dando tibi ipsi audaciam perseverandi in peccatis, et peccandi in spe ; hoc modo, ut Climacus plenius docet, seducit Diabolus miseros homines ; quia, dum sani sunt, suggerit eis infinitam esse misericordiam Dei, et posse faciliter veniam impetrari ; dum vero in extremis sunt, proponit eis divinæ rigorem justitiæ, et multitudinem, magnitudinem que culparum suarum, ut desperent. Dionys. Carth. *in* c. v, *Eccl.*

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas. — Observanda est notabilis quædam differentia, quæ misericordiam inter et justitiam versatur, secundum quod Spiritus Sanctus de utraque loquitur. Etenim de misericordia dicitur : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. » Non vero eodem modo fit sermo de justitia. Etenim de hac apud Isaiam dicitur : « Indutus est justitia ut lorica, indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. Isaias, lix, 17. Et apud eumdem Prophetam, c. ii, dicitur : « Erit justitia cingulum lumborum ejus. » Porro inter vestes et viscera hæc est differentia, quod vestes ab homine nunc portentur, mox vero deponantur, quod de pallio specialiter verum est ; at vero viscera a nobis, quoad usque vivimus, sunt inseparabilia. Eodem modo Deus non semper manum flagello armatam habet, ut nos castiget, sed nonnumquam apprehendit illud, mox vero idem deponit : At vero sicut viscera, quoad usque vivimus, numquam a nobis deponi possunt, ita misericordia a Deo est indivisibilis, adeo ut, tametsi nonnum-

quam velut justus Judex rigoris sui in nos fulmina vibret, nihilominus in ipsismet, quæ nobis immittit, suppliciis, atque in ipsamet rigoris severitate misericors esse non desinat, quippe qui semper citra condignum punit. MANSI, dis. XI, n. 3.

Deus electo populo, si quando apostata ad falsorum numinum cultum transiturus esset, divinæ justitiæ supplicia his legitur intentasse verbis: « Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me. » Ubi Cajetanus eam, quæ inter Dei justitiam et misericordiam versatur, notat differentiam, inquiens : Cerne differentiam, quoniam vindicta non extenditur ultra quatuor filios, beneficia autem extenduntur in millia ; ad significandum, quod ad conferenda bona Deus est promptissimus, ad inferenda autem mala parcus. Ratio est, quia bona sua confert sponte, mala autem infert exigentibus delictis nostris. Ib. n. 8.

Quin oleum misericordiæ sit symbolum, nemo facile revocabit in dubium, quia sicut hoc aliis omnibus est superius liquoribus, ita quoque miserationes ejus super omnia opera ejus. Et ideo de Salvatore nostro merito dicitur: « Oleum effusum nomen tuum.» Quando summus Sacerdos veteris Legis consecrabatur, qui typus erat Christi (*Sacerdos in æternum* Christus Dominus *secundum ordinem Melchisedech*) ; bona olei quantitas effundebatur super caput ejus, dicente Scriptura : « Oleum unctionis effundes super caput ejus »; sanguine autem solum digitus manus aut pedis, et extremitas auriculæ tingebatur. Quodnam vero in hac tanta olei copia, et in tanta sanguinis parcitate latet mysterium? Omnia in figura contingebant. Sanguis enim divinæ justitiæ est repræsentativus. Unde Scriptura prima omnium vice sanguinis mentionem faciens divinam implorat justitiam, dicendo : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. » Deus autem a nobis castigandis abhorret ; et quia nihilominus tamquam justus ea, quæ a nobis inique aguntur, castigare debet, id ipsum facit, in quanta fieri potest minori vindicta. E contra vero cum oleum symbolum sit pietatis et misericordiæ, eo vult in figura summi Sacerdotis abundanter inungi, quia misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur. Ib. n. 7.

Cum divina justitia mundum per diluvium universale statuisset disperdere, observandum est, quod præter id, quod supra diximus, *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia super terram, quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.* At vero ex quo cataractæ cœli apertæ erant, merito quærendum venit, cur non subito in unico momento universa terra inundata fuerit ? Cur aqua tam tarde stillatim et guttatim per quadraginta dies lapsa fuit? Pro resolutione autem observandum est, Deum cum celeritate magna suam ostendere beneficentiam, siquidem in sex diebus totum fabricavit universum, cum summa vero lenitudine procedit ad pœnarum rigorem ; quia quadraginta dierum spatium adhibet ad totius mundi exterminium, quod ne tunc quidem moliretur, nisi ab obstinata impiorum malitia ad hoc violenter quasi cogeretur. Ib. n. 10.

Oleaster super verba illa : « Reversæ sunt aquæ de terra, euntes et redeuntes, et cœperunt minui post centum quinquaginta dies, » sequentem instituit considerationem: Centum quinquaginta dies diluvium duravit, paucioribus autem diebus aquæ defecerunt, ut ostenderet Dominus, quod pronior sit ad miserendum, quam ad flagellandum, et quod vix ferre possit continuare punitionem ; hoc enim illi peculiare est, ut ad momentum affligat, et ad multos centenarios annorum consoletur. Id quod de eo pulchre S. Isaias asserit, c. XLI, dicens : « Prædicate annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro ; » ubi vides, diem ultionis die claudi ; placationem vero ad annum usque durare, quod etiam, c. LIV, confirmavit, dicens : « In momento indignationis abscondi faciem meam a te, et in misericordiis sempiternis congregabo te.» OLEASTER, *in* c. VIII, *Gen.*

Si quis a Principe, in cujus vitam conjuraverat, condemnatus esset ad fornacem ignis, et super eamdem ex subtili quodam funiculo hæreret suspensus, et tamen ex ejusdem Principis benignitate, condemnationis executione diu procrastinata, talis in illo deplorabili statu eumdem Principem calumniari, et vituperare non desisteret, crederesne, quod sufficientem habiturus esset Princeps ille patientiam, sine vindicta impertinentissimam hanc tolerandi temeritatem, nec funiculum vitæ temerarii illius hominis recidendi? Utique id impossibile

esse diceres. Ex hoc itaque exemplo infinitam considerare possumus Dei erga nos pietatem, et dicere : « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. Enim vero innumeri sunt homines, qui ex subtili filo, ex unica respiratione super infernum hærent suspensi, divina autem misericordia se interponit, ne filum illud præcidatur, et tamen nos hac dilatione utimur ad continuandas benefactoris nostri offensas, imo ad easdem quotidie adaugendas ; et tamen Deus sustinet, Deus nos expectat, Deus has a nobis sibi illatas injurias dissimulat; an non igitur ingens hic tibi videtur divinæ benignitatis excessus? MANSI, dis. IX, n. 2. Miratur supra modum S. Bernardinus, neminem esse, qui ad considerandam hanc infinitam Dei patientiam animum applicet, licet videat, quod impii eadem patientia tam enormiter abutantur, eamdem novis excessibus irritando quotidie et exasperando. S. BERN. SEN. s. 19, a. 1, c. I.

Quædam Jeremiæ Prophetæ visio, quanta cum repugnantia Deus se vindicem exerat, vibretque virgam, clare nobis in hæc verba demonstrat : « Et factum est verbum Domini ad me dicens : Quid tu vides, Jeremia ? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud. Et factum est verbum Domini secundo ad me dicens : Quid tu vides? Et dixi : Ollam succensam ego video. » JEREMIAS, I, 11. Lebes hic ardens, ut ex contextu sequenti patet, infortunia et mala denotabat nobis per homines illata ; virga autem supplicia immediate a Deo procedentia significabat. Quæ autem virgam inter, bullientemque ollam assignari potest differentia ? Virga naturalem suum situm in arbore habet, frondes, flores, fructusque proferens, ut autem ad percutiendum deserviat, violenter ex arbore detrahatur atque eradicetur oportet, atque ita contra naturam suam ad pœnam applicatur; si que rationis usu polleret, potius arbore uniri, inque virore flores, fructusque proferre eligeret, quam ad vindictam deservire. Ignis e contra ex natura sua ad calefaciendum succendendamque ollam destinatus est, unde si animatus et rationalis foret, sibi potius in eo complaceret. Ita quoque in præsenti de Deo nostro discurramus oportet; quando enim nos castigat, involuntarie, repugnanter, et contra genium suum id facit, de illo namque dicitur : « Deus cui proprium est misereri semper. » Secus vero homo tunc solummodo acquiescit, quando vindictam de inimico sumpsit, suamque explevit indignationem. Virga, utpote recta, justitiæ et rectitudinis est symbolum, dicente Psalmista : « Virga directionis, virga Regni tui. » Non enim Deus nos punit, nisi inviolabilis ejus ita exigat providentia et justitia ; ignis autem passionis et iracundiæ symbolum est, eodem dicente Psalmista : « Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit. » Iterum, virga dum percutit, vires amittit et rumpitur, ita et Deus suam a flagello retrahit manum; ignis vero tanto magis crescit, quanto amplius ejusdem accrescit alimentum. Virga ad hoc ut percutiat, ictumque infligat, alienis manibus agitari debet; ignis autem ex se ipso ardet ; ita et divina justitia, nisi nostris irratata fuerit culpis, nostrisque provocata contumaciis et rebellionibus, nos minime castigat ; ita vero et indignatio hominis non aliud motivum habet, quam passionem propriam, sicuti Deus in pœnis non nisi suam respicit justitiam, nobis sæpe minitans flagella, sed et hæc ipsa suspendens, et quasi e sua abolens memoria. MANSI, disc. XI, n. 5.

Numquam hominis animus sine metu Dei esse debet, *quia justus Dominus in omnibus viis, sanctus in omnibus operibus suis. Custodit diligentes se, et omnes peccatores disperdit ;* unde beatus homo semper pavidus est, et numquam de misericordia desperat, quia *suavis est Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Hinc in lege ita præceptum est : « Ne auferas in loco pignoris inferiorem et superiorem molam ; » superior autem et inferior mola est spes, et timor; spes vero ad alta sublevat, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior et inferior ita sibi necessario junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris utique pectore incessanter debet spes et formido conjungi, quia frustra misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat ; frustra justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidit. RABA. l. I, *in Eccl.* c. XIX.

UTILITAS. — Ad propositum aptissime servit observatio quædam, quam S. Ambrosius circa resuscitationem Lazari instituit, circa quem a mortuis resuscitatum Salvator noster ordinavit, ut sudarium, quod faciem ejus tegebat, solutum tolleretur : « Facies illius

sudario erat ligata; dixit Jesus: Solvite! » Cujus hoc fuit mysterium, quia Lazarum peccatorem, opera misericordiæ Dei justificatum significans, tametsi ante faciem, quæ videri posset, non habuerit, subito tamen, postquam ab vitam gratiæ rediit, faciem suam exporrecta fronte videndam exhibere potuit, neque enim quidquam habebat, quod erubesceret. Unde S. Ambrosius ait: Sed quia venia donatus est, revelare faciem, aperire vultum jubetur; non habet enim, quod erubescat, cui peccatum remissum est. S. Ambr. *lib.* II, *de Pœn.* c. VII.

Damnum abusus.—In lib. I. Regum, c. XI, legitur, quod, dum Naas Ammonites cum viris Jabes Galaad præliaretur, hi se viribus inferiores videntes, cum Naas fœdus inire petierint, dicentes: « Habeto nos fœderatos, et serviamus tibi. » At vero arrogans hoc ab eo retulerunt responsum: « In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dexteros, ponamque vos opprobrium universo Israel. » Nimirum secure cum populo illo dimicaturum esse sibi persuasit, si illos ad cæco quodammodo cum illo pugnandum impulisset, siquidem eruto oculo dextero sinistrum oculum scuto contegere debebant. Omnia autem hæc in figura contingebant illis. Naas enim typum refert inimici infernalis, qui in hac vita, quæ est quidam continui prælii campus (*militia est vita hominis*) nos vero lumine et agnitione bonorum et salutis æternæ, destitutos esse cupit, ut tanto liberius animas nostras deprædetur. Unde B. Petrus Damianus hanc historiam ad moralitatem applicans, inquit: Quam sæpe malignus hostis, consentienti sibi cuilibet reprobo homini, potiorem partem sanctitatis ac lucidi operis adimit, minorem vero quadam artificiosa suæ calliditatis industria derelinquit, ut in eo, quod tollitur, sit occasio damnationis; in eo, quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur, ut peccator ad pœnitentiam non resurgat. Et quidem quot sunt homines, quos Dæmon per viam præsumptionis de divina misericordia sibi acquirit? B. Petr. Dam. l. VI, *ep.* V.

S. Gregorius super illa verba Jobi, c. 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ipse abutitur eo in superbia;* insignem hanc nobis tradit doctrinam, dicens: Quisquis delinquit, et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat; sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quid supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius stringit; nam quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis Judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam. S. Greg. l. VI, *Mor.* c. IV.

Vulgaris est ille medicinæ aphorismus: « Corruptio optimi pessima, » et ideo, sicut Manna adeo turpiter putrefiebat, ut exinde nauseabundi scaturirent vermes, eodem modo, quanto benignior suique liberalior est divina bonitas, ita, si illa abutamur et contemnamus, in severiora supplicia convertetur. Consideratione digna est illa S. Ambrosii super illa verba: « An divitias bonitatis ejus etc. » adhibita glossa. Hæc dicit, ut non jam se putet evasisse, si illum bonitas Dei patitur diu peccantem, nec patientiam ejus putet contemnendam; necesse enim est, ut pœnis perennibus torqueatur, quem pœnitentiæ longanimitas non emendavit. Divus Chrysostomus ad idem propositum sequens format urgens argumentum: Si vitium maxime regnat, nec mali tamen pœnas dedere, necesse est, ut aliquando dent. Si enim hæc haud negligunt homines, quomodo Deus neglecturus est, qui non solum est patiens, sed etiam justus, juxta illud: « Deus Judex justus, fortis, et patiens. » Primasius, Episcopus Africanus, qui fuit ejusdem Chrysostomi discipulus, super prædicta verba commentando ita scribit: Numquid propterea tibi de impunitate blandiris, quia Deus in præsenti non reddit, et patientiam ejus contemnis? Non tardat, inquit, Dominus promissa, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam converti; bonus est enim expectando, justus est puniendo. Mansi, dis. XX, n. 4.

S. Aug. in libro *de Catechizandis Rudibus,* illos, qui in misericordia Dei nimium confidentes in peccato continuant, his verbis perstringit: Si hoc animo venisti, quasi securus talia facias, multum erras, nec tibi proderit nomen Christi, cum cœperit ille severissime judicare, qui dignatus est misericordissime subvenire. Idem quoque punctum S. Bernardinus Senensis in quodam sermone tangens, hanc de divina bonitate conceptam præsumptionem, qua innumeri damnantur, his verbis detestatur: Revera illud dicere possum, Thren. 3. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*; et miror certe, si quilibet in se hoc non miratur, et cum ipso sustinente mala multiplicantur, ipso dissimu-

lante peccata aggravantur, ipso insuper expectante animi indurantur. Unde Ecclesiastis 8. « Quia non cito profertur sententia contra malos, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. »

DEI PRÆSENTIA.

EX S. SCRIPTURA.

VERITAS. — En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. CANT. c. II, 9.

Quis me videt? Tenebræ circumdant me et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me. Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius. ECCL. XXIII, 39.

Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes; Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic et post perfectum respicit omnia. IB. 28.

Pravum est cor omnium et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes. JER. c. XVII, 6.

Oculi ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem. JOB. c. XXXIV, 2.

Putasne, Deus e vicino ego sum, dicit Dominus, et non Deus de longe? Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus. Audivi, quæ dixerunt Prophetæ. JER. c. XXIII, 23.

Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. JOB. c. XIII, 27.

Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Ps. XXIV, 15.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Ps. XV, 8.

Omnes viæ hominis patent oculis ejus; spirituum ponderator est Dominus. PROV. c. XVI, 2.

Instruam te in via hac, qua gradieris; firmabo super te oculos meos. Ps. XXXII, 6.

UTILITAS CONSIDERATÆ DEI PRÆSENTIÆ. — Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. ECCL. c. II, 20.

Quærite Dominum, et confirmamini; quærite faciem ejus semper. Quæ autem est facies ejus, nisi præsentia Dei? inquit S. Augustinus? Ps. CIV, 4.

Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei! ECCL. XIV 22.

DAMNUM NON CONSIDERATÆ. — Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ps. XIII, 1.

Vere, quia non est Deus mecum, (in memoria mea) invenerunt me mala hæc. DEUT. XXXI, 17.

Vides, Fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui? Dicunt enim: Non videt Dominus nos. EZECH. c. VIII, 12.

A facie tua abscondar, et ero vagus, et profugus in terra. GEN. c. IV, 14.

An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. JOB. c. XXII, 12.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

VERITAS. — Quidquid semper operor, inquit S. Aug. tu pariter semper præsens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, et operationum mearum. S. AUG. c. XIV, *Soliloq.*

Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? Videris. Lucerna ardet? Videt te. In cubile intras? Videt te. In corde versaris? Videt te. Si peccaveris, quære, ubi te non videat, et fac, quod vis. Idem, ser. XLVI, *de Dom.*

Lux æterna, quæ Deus est, quanto immu

tabiliter fulget, tanto penetrabiliter videt, et neque occulta nescit, qui occulta penetrat; neque penetrata obliviscitur, quia incommutabiliter durat; proinde quoties indignum aliquid mente concipimus, toties in hunc peccamus, quia ipse nobis, et non sibi præsentibus præsto est. S. GREG. *ap. Mansi*, tr. LIV, dis. I, n. 3.

Oculos Dei simul universa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solum ei acta et cogitata, verum et agenda, et cogitanda sunt cognita. Ista ergo scientia summi Judicis est, omne solidum ei liquidum, et apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. S. LEO § 5 *de Quad.*

Cœlum palmo metiens, et terram pugillo concludens, ostendit, quod ipse sit circumquaque in cunctis rebus, quas creavit. Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. S. GREG. l. II, *Mor.* c. VIII.

ÆQUITAS. — Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii non vereris præsentiam? Sed non vis credere, ne possis cavere. Non vis audire, cum legitur, quia Deus novit occulta hominum, ne incipias scire, quod timeas, et timere, ne pecces. S. AMBR. *in Ps.* CXVIII.

UTILITAS. — Si videmus mente semper Deum, et ad eum convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur. S. CHRYS. hom. XXVI, *ad Hebr.*

Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam; clamare enim novit, adjuvare non novit, vires subministrare non potest, homo enim est, non Deus; hic enim forte, dum spectat, plus laborat sedendo, quam ille luctando. Deus quando spectat certatores suos, adjuvat eos invocantes, nam vox athletæ illius est, Ps. XCIII. *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me.*

Sive quis corporum concupiscentia capiatur, sive pecuniarum amore, sive alia quadam absurda voluptate, statim hoc verbum cogitet, quod ille est, qui nos condemnet, a quo non est possibile nos occultare, etiam quæ in mente nostra versentur; et omnino effugiemus etiam diabolicas machinationes, magnoque adjutorio superno juvabimur, quo nobis frui contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi. S. CHRYS. hom. LXVIII, *in Gen.*

DIGNITAS. — Præliantes nos, et fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas, præsente Deo congredi, et Christo Judice coronari! S. CYPR. *Ep. ad Tiburit.*

DAMNUM NEGLECTÆ PRÆSENTIÆ. — Tunc demum homines ad scelera edenda descendunt, cum aut Deum non inspicere, aut illi curæ non esse ea, quæ hic geruntur, autumant. S. BASIL. orat. II, *de Prec.*

S. Augustinus in *Soliloquiis* suis his Deum verbis affatur: Ubicumque fuero, non recedis, quoniam ubique es, ut, quocumque iero, inveniam te

EXEMPLA SACRA

VERITAS. — Quidam suem furtive surripuit, et caveæ clandestinus inclusit, vir tamen ille pietatis operibus intentus esse consueverat. Interea adest dives Jesus in effigie pauperis, et tam prolixo jam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens, inter cætera humanitatis impendia cœpit ipsum forcipibus attondere; sed dum tondet ac satagit, ecce reperit duos oculos in occipitio sub crinibus latitantes. Expavit homo, stupensque contremuit, et quid vellet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille: Ego, inquit, Jesus vocor, undique cuncta contemplor, et isti sunt oculi, quibus etiam suem vidi, quem nuper in cavea conclusisti, moxque disparuit. Ille protinus ad cor rediens, divinam circa se clementiam recognovit, et quod inique præsumpserat, satisfactione purgavit. S. PETRUS DAM. ep. II, c. VIII.

MEMORIA PRÆSENTIÆ. — Joseph a Putipharis uxore ad scelus sollicitatus dixit: « Quomodo potero facere malum hoc et peccare coram Deo? Quid enim putas, etiamsi fecerimus, ut res clam sit omnibus, oculum tamen illum, qui dormitare nequit, latere non poterimus? » Illum

solum oportet timere, et tremere, ac pavere, ut ne in conspectu ejus male quidpiam faciamus. S. CHRYS. hom. VI, *in Gen.*

De Noe dicit S. Scriptura. «Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. Te vidi justum coram me in generatione hac.» Ubi notandum, quod Deus non sine mysterio frequenter repeta verba illa : Coram me, quasi dicere vellet, quod in præsentia Dei semper ambularit. Unde Pererius verba illa : *Cum Deo ambulavit*, hoc sensu interpretatur : Deum semper intuebatur quasi præsentem sibi ; quam ob rem cautissimus, modestissimus, et devotissimus semper incedebat. GEN. c. VI, 9.

Susanna ad adulterium invitata dicebat : « Melius est mihi incidere absque opere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. » DAN. c. XIII.

De Josue S. Basilius scribit : Virum, qui tot undique jaculis petebatur, unum contra omnia telum, memoria tenuit Creatoris. S. BASIL. *orat. de Joseph.*

S. Franciscus Xaverius dicere solebat : Ubicumque fuero, meminero, me in orbis terræ theatro, in cœlestis Regis et superum oculis versari. MANSI, *dis.* VIII, n. 1.

S. Antonius, cum in fine certaminis, cum Dæmone habiti, dixisset : Ubi eras, o bone Jesu ? Dominum sibi respondentem audivit Hic eram, sed expectabam videre certamen tuum. Idem, *dis.* III, n. 8.

Surius describens vitam cujusdam religiosissimi viri Rusbrochii, commemorat, eum in omnibus actionibus exercitiisque semper mentem in Deum sublatam habuisse, et vere peculiarem hanc a Deo obtinuisse gratiam, ut, quoties vellet, nulla difficultate posset mentem immergere in suavissimam Divinitatis contemplationem, Deoque se arctissime conjungere, sive solus foret cubiculo inclusus, sive in media sociorum turba, quibuscum conversabatur et loquebatur. ARIAS, *de Præs.* c. VIII.

B. Rugerius, ex Ordine S. Francisci, ut est in eorum Chronicis, idem beneficium divinitus erat consecutus, ut nempe præsentem sibi fingeret divinam majestatem, et cum eadem in cordis penetralibus familiariter tractaret, sive in choro cantaret, sive in triclinio cibum sumeret, sive cum aliis collequeretur. Unde et observabatur ab aliis, nunc oculos pie conjicere in cœlum, nunc suspiria amoris plena ad Deum emittere.

Alexander Pontifex solitus erat collo in globo aureo circumgestare sacram hostiam, ut Deum operum suorum inspectorem attentius contemplaretur. ENGELGR. *in Dom. Pent.* § II.

Josephus Corleonensis, Capuccinus, crebro cantu Dei amorem, quo ardebat, solatus, sæpe obvios arborum truncos in silva, hortoque amplexari solebat, ac inibi hærere, quod Deum ubique præsentem, in illis tum sibi maxime videretur intueri. P. JOAN. RHO, l. I, c. I, n. 25.

Maria Victoria, Annuntiatarum, quas cœlestes vocant, fundatrix, ita animum habebat in Dei præsentia defixum, ut vix ab illo per occupationes et colloquia abstraheretur, et si abstrahi contingeret tantillum, his duabus vocibus : *Amor Dei;* tamquam igne sulphuri admoto continuo recalescebat. PENNEQ. *in Isag.* p. 2, c. XI.

Philoromus Sacerdos, S. Basilio perfamiliaris, a Juliano Apostata pro fide tormentis exagitatus, sed a Dæmone atrocius per impuras imagines et varia terriculamenta viginti et plurium annorum spatio divexatus, inter has concertationes, et cogitationum prælia, Deum tamen sibi præsentem ita semper habuit, ut quodam die per occasionem de hac re loquens diceret, se non meminisse, mentem suam a Dei unquam præsentia distractam fuisse. Ibidem.

P. Carolum Condren, Congregationis Oratorii in Gallia secundum Præpositum Generalem, qui etiam ante Sacerdotium sæculi implectebatur tribulis et spinis, ita tamen inter illa præsentem Deum semper habuisse memorant, ut plurium annorum spatio, vix octies aut novies, et quidem per exiguum spatium divina præsentia conspectuque caruerit, idque ex confessione generali ejus manu descripta compertum est ; tantis vero id temporis locupletatus est divini amoris deliciis, ut cor ferendo impar, palpitationem in reliquum vitæ contraxerit ; ardorisqus istius violentia duas costas extra locum connaturalem elevarit, tumore aliquo ad pectus prominente, hujus rei fidem faciente. Ibidem.

NECESSITAS. — Carolus Borromæus dicere solebat : Qui in via Dei continuos vult facere progressus, semper debet incipere, id est, cum illo fervore Deo debet servire, ac si qualibet die primo inciperet ; debet item ambulare in actuali præsentia Dei, Deumque

solum omnibus operibus suis præfigere finem. MANSI, *disc.* IX, n. 7.

UTILITAS. — Cum Thais, meretrix Alexandrina, plurimos laqueis suis implicasset, S. Paphnutius Eremita sub ficto colore et prætextu, ac si cum illa peccare vellet, domum ejus ingressus, ab ea in cameram secretissimam, maximeque remotam, deduci petiit, cumque ad aliam secretiorem deductus fuisset, nec hæc ei placuisset, eo quod a nemine videri vellet, Thais ei respondit : Hoc in loco certo certius a nullo hominum videri poteris, quod si autem te ab oculis divinis subducere velis, nullus in tota hac domo reperietur angulus, hunc in finem satis occultus. Deus enim ubique est, et ubique videt. Hinc Paphnutius : Si ubique Deum esse, atque omnia videre credis, qua fronte coram purissimis ejus oculis peccare audebis? Pergensque ulterius, demonstrando ei obscœnitatum suarum coram oculis Dei commissarum enormitatem, tandem illam ad veram, seriamque pœnitentiam, omnibus diebus vitæ suæ agendam comparavit et induxit. Ib. n. 5.

S. Ephrem Syrus in cella sua herbas quasdam legens et mundans, vidit lascivam quamdam feminam per fenestram cellam suam introspicientem ; quæ, ut illum ad illicita permoveret, interrogavit eum, an quippiam ei deesset ? Qui respondit illi, calcem sibi deesse, et lapides, quibus fenestram illam obturare et claudere posset. Petulans vero mulier non cessabat verborum blanditiis illum ad illicita sollicitare, protestando, quod inde recessura non esset, nisi ejus obtinuisset consensum. Cui Ephrem respondit : Agedum igitur, contentus sum, et condescendo ad tecum peccandum, cum hac tamen conditione, ut in potestate mea sit eligere locum, ubi pessimæ tuæ concupiscentiæ satisfacere possim ; locus autem hic alius non erit, præterquam urbis Edessæ publicum forum. Cumque illa hunc locum repudiaret, eo quod tantam nollet subire confusionem, in conspectu omnium hominum peccando, S. Ephrem confestim subjunxit : Tu hominum times præsentiam, nec tamen in conspectu Angelorum, immo ipsiusmet Dei peccare verecundaris ? An ignoras Deum ubique locorum præsentem, cunctorumque operum spectatorem esse ? Quæ verba, impellente cor ejus Spiritu Sancto, eam ad compunctionem, veramque perduxerunt pœnitentiam, adeo ut deinceps castam omnino, sanctamque egerit vitam. Ib. n. 2.

Tobias senior filio suo hæreditatem relinquere volens meliorem illa, quam parentes ut plurimum filiis suis relinquere consueverunt, eidem hoc unice inculcavit, ut in timore Dei viveret ; ad hunc vero acquirendum subjunxit : « Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. » Audite autem quam ex his præmissis deduxit consequentiam : « Et cave, ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei tui ; » hoc enim semper ex continuo recogitata Dei præsentia necessario consequitur. TOBIAS, c. IV.

S. Catharina Senensis, solitudinis et secessus amans, cum a parentibus continuis laboribus noctu diuque occuparetur, a Deo docta contra animi distractiones hoc usa remedio est, ut cor suum loco cubiculi haberet, in quo præsentem Deum assidue cerneret, et cum eo colloquia misceret ; sic enim obtinuit firmam et stabilem cum illo unionem, ut nullo externo labore vel fatigatione distrahi mente posset. Idem consilium postea et verbis, et scriptis communicavit aliis religiosis feminis, affirmans in cordis cella esse vere Regnum Dei per gratiam, ibi Christum cum suis inspirationibus cœlestibus fixisse sedem. FR. ARIAS *de Præs. Dei* c. VI.

Cum S. Gregorius, Agrigentinus Antistes, adhuc adolescens, Hierosolymam sanctorum locorum venerandorum causa profectus est tempore Quadragesimæ in quoddam monasterium Palæstinæ divertit, ubi et conspexit monachos eximia in Deum religione præditos, et alios quidem in cœlestium rerum meditatione e terra sursum attolli, alios lacrymarum quasi fontibus inter precandum perfundi, alios non aliam quam Angelicam traducere vitam, vehementi cœpit dolore suffundi, et de salutis suæ statu conturbari. Quod cum Præfectus monasterii animadvertisset, suspicatusque esset, id evenisse, quod longius a patria amicisque abesset in hæc verba eum allocutus est. Fili, ne animum nimio mœrore obruas, confide in Deo, brev, patebit tibi reditus in natale solum. Verumi ita respondit Gregorius : Non ea causa me mœroris est, quod longe a conspectu eorum absim, sola enim præsentis ubique Dei contemplatio ad illum repellendum mihi satis est, dum enim cogito me continenter in ejus versari conspectu et tutela solatii accipio satis ; id vero unum me angit, quod

tam longe absum a vitæ veræ religiosæ perfectione. Hoc responso audito, Pater digressus est, intelligens non indigere suo solatio, qui ad perfectionis culmen jam pervenisset et alios solari posset. *Ex Sim. Metaphrast. apud Surium*, tom. VI, 23 Nov.

Refert S. Dorotheus Abbas, sic charissimo discipulo suo Dositheo cum vitam monasticam arripuisset, hoc præceptum dedisse, aureis litteris describendum : Nunquam cordi tuo Deus excidat, cogita semper Deum tibi præsentem, et te coram illo stare. Fecit hoc Dositheus sedulo, adeo ut nec in ægritudine quidem, licet gravissima et extrema, cogitationem tam salutarem dimiserit, atque hac exercitatione consecutus est, ut quinquenni spatio, ex milite nobili, adolescentulo dissoluto, vitiis ante cooperto et luxu sæculi perdito, sanctissimus juvenis et monachus evaserit, et post obitum quibusdam sanctitate claris per visum inter beatos anachoretas tum in cœlo regnantes conspectus fuerit. *In Vita Dosithei.*

Divo Antonio Magno, Athanasio teste, in quodam spirituali conflictu, quo et ipse vapulando et Dæmones eum dirissime pene ad necem usque verberando pariter defatigati fuerunt, hoc unum dolori erat, quod Deum sibi in certamine præsentem non fuisse existimaret. Nam mox ut Dominus visendum se præbuit, et duelli se spectatorem fuisse professus est, omnis mœror recessit, viresque animi cumulatiores redierunt, idemque Fratribus suis inculcare solebat, in avertendis omnibus Satanæ telis firmissimum esse in Deo præ oculis habendo præsidium. *In vita D. Antonii.*

Jucunditas. — Simeon Metaphrastes memorat, S. Greg. Episcopum Agrigentinum in Sicilia, dum esset adolescens, profectum Hierosolymam, ut veneraretur loca sancta, ac tempore Quadragesimæ secessisse in quoddam Palæstinæ Monasterium, ibique vidisse Monachos rara in Deum religione præditos, quorum alii in divinarum rerum commentatione a terra in altum attollerentur, alii fontes lacrymarum inter precandum effunderent, atque in vitæ puritate, morumque honestate viderentur Angeli, quibus exemplis juvenis permotus, cœpit pudore ingenti suffundi, abjicere se, et amare superioris vitæ suæ errata deplorare. Præfectus Monasterii Pater animadvertens ex vultu ejusdem mœrorem, existimansque id evenisse, quod longius a patria amicisque abesset, adjuncto sibi alio Monacho, remotis arbitris, sic affar cœpit dictum Greg. Fili, ne animum nimio mœrore obruas, confide in Deo, brevi patebit reditus in solum natale. Sed respondit adolescens : Non ea causa mei mœroris est, quod longe absim a conspectu meorum. Sola enim præsentis ubique Dei contemplatio ad illum removendum mihi satis est; dum enim cogito, me continuo in ejus versari conspectu, satis solatii accipio. Id vero unum me contristat, quod hactenus non instituerim vitam homine Christiano et vere pio dignam. Hoc responso accepto, Patres ab eo digressi sunt, arbitrati, non indigere eum sua consolatione, quando quidem tali exercitationi deditus tam perfectus sit, ut possit solari alios. Ibidem, c. vii.

Judas Machabæus rei bellicæ gloria clarus, cum milite suo prælium initurus, quoniam Deum præsentem contemplabatur, tanto cum gaudio et alacritate in hostem ruebat, ut quamvis pauci quamplurimos opprimerent. Unde S. Scriptura sic loquitur : « Judas, et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes, congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. » II. Mach. c. xv.

EXEMPLA PROFANA.

Seneca Lucilium suum his verbis instruebat : Prope Deus est, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos Spiritus sedet, bonorum, malorumque nostrorum observator. Hic prout a nobis tractatur, tractat ipse; bonus vero vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab eo adjutus, exurgere ? Ille dat consilia magnifica, et erecta, in unoquoque bono viro. Seneca, *ad Lucil. ep.* xli.

Marcus Tullius Cicero ita scripsit : Quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum ? Cicero. l. I, *de Natur. Deor.*

Thales Milesius, unus ex septem Sapientibus Græciæ, dicere solebat : Homines existimare oportere, Deos omnia cernere, et Deorum esse plena omnia ; et ita fore omnes meliores, si, Deo teste et spectatore, se agere omnia censerent. Omnem virtutis Philosophiam hoc uno verbo sapientissimus vir complexus est. Mansi, dis. vi, n. 5.

Philo de Essæis ita scribit : Perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quam imagines divinarum pulchritudinum, et sunt in his, qui somniando produnt præclaras sacræ Philosophiæ sententias. PHILO. *de Vit. Contempl.*

Rex quidam in India orientali tam insano Dei sui amore rapiebatur, ut specialem famulum constituerit, qui ad latus ei continuo assistens his eum identidem verbis compellaret : Majestas, sua non obliviscatur Aranganassæ; sic enim vocabatur ille Deus. SAINT-JURE. *de Cog. et amore Christi,* l. III, p. 1. c. VII, § 6.

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut ad fenestras collocantur transennæ, per quas, qui prospiciunt, vident, nec tamen videntur ; ita Deus a Sponsa in Canticis dicitur prospicere per cancellos, quia ipse videt omnia, nec tamen ipse videtur. CANT. c. II, 9.

Sicut Spiritus Angelici, tametsi hic in terris in nostri custodia plane sint occupati, tametsi illis Provinciarum et Regnorum commissa sit tutela, licet etiam primum mobile continuo volvant et revolvant, non tamen ob id Deum facie ad faciem intueri desinunt, ubicumque locorum existant. Et hoc idem est, quod servi Dei practicant, dum in quovis loco, tempore, et occasione divinam recolere præsentiam non desinunt. MANSI, *dis.* VIII, n. 5.

NECESSITAS. — Sicut astra cœlestia a sole præsente, in quem obversa sunt, omnem splendorem mutuantur, quo in se fulgeant, et aliis fulgorem subministrent, atque adeo in terris suum effectum habeant ; sic homines justi et pii, qui instar stellarum in Ecclesia Dei collucent, ex continuo Dei, quem præsentem oculis mentis cernunt, conspectu, lumine divino illustrantur , omniumque virtutum verarum, solidarumque splendorem etiam communicant aliis. ARIAS, *de Præs. Dei*, cap. VI.

Sicut nullum ædificium altum sine solido fundamento erigi potest ; ita nec perfectionis fabrica exstrui potest sine fundamento præsentiæ divinæ assiduo menti obversantis. SAINT-JURE. l. C, c. VII.

UTILITAS. — Sicut ad aspectum serpentis æenei in palo levati sanabantur olim percussi a serpentibus ; ita ne vincamur a tentationibus, debemus Dominum providere tanquam inspectorem omnium, quæ facimus et cogitamus, ut erubescamus. HUGO CARD. *apud Mansi, dis.* III, n. 3.

Sicut quando navis in mari vi ventorum fluctuumque, hinc inde tam vehementer actatur, ut periculum sit, ne vel in scopulum impingat, vel submergatur, præsentissimum remedium est, ut fortissime alicui anchoræ alligetur, ne loco moveri amplius possit ; sic, quando mens nostra in hujus mundi oceano variis et periculosis cogitationum cupiditatumque procellis cum discrimine damnationis æternæ exagitatur, saluberrimum antidotum est, eam applicare et alligare ad anchoram divinæ præsentiæ, atque ita paulatim ad stabilitatem et constantiam cordis, tanti a sanctis et justis æstimatam, Deoque gratissimam aspirabit. Quamobrem in verum servum Dei optime quadrat illud Ecclesiastici : « Homo sanctus manet in sapientia sua sicut sol ; stultus autem ut luna mutatur. ARIAS, *de Præs. D.* cap. VI.

Sicut honoratior aliquis Principis famulus nulla alia re commodius in officio continetur, ut honeste, composite et modeste se gerat, quam si intelligat, se a Domino suo videri, ac sedulo etiam observari ; sic nullo alio monito servus Dei efficacius in consuetis pietatis functionibus retineri poterit, quam si meminerit, se in conspectu Dei versari. Ibidem.

JUCUNDITAS. —Sicut, qui magnum aliquod discrimen fortunarum, vitæve adiit, vehementer recreatur, si spectandum se offerat illi quispiam, a quo tanto discrimine eximi possit ; similiter, sicut qui audit et cognoscit vocem magni amici, quem annis multis non viderit, magna lætitia perfunditur, si eum coram videre queat ; sic anima servi Dei, dum cogitat, quantis in hoc exilio circumsepta sit periculis atque ærumnis, ubi oculos mentis converterit in Deum immensa bonitate præditum, animadverteritque eum sibi præsentem assistere, paratissimum ad porrigendum auxilium, ut ex suis ærumnis emergat, mirifice lætatur et exultat, et magna consolatione per sanctas divinæ inspirationis voces cor suum affici sentit. Idem.

MOTIVA.

Æquitas; nam ut recte Franciscus Arias

discurrit: Æquum plane est, meminisse amici multis modis de te optime meriti. *Non obliviscaris amici tui in animo tuo*, inquit Ecclesiasticus, c. XXXVII, 6, *et non immemor sis illius in opibus tuis*. Quod si frequens recordatio amici recte præcipitur, a quo beneficii aliquid quandoque acceperis, æquum profecto multo magis fuerit, nunquam Dei oblivisci, cujus quovis momento beneficentia gaudemus, dum ipsum esse, vitam, et innumera corporis animæque bona quovis diei, noctisque articulo ab eo percipimus. Quam justum est, quam decens, consentaneumque est omni legi, naturali, divinæ, et humanæ, vel semper, vel quam sæpissime Dei meminisse, qui semper nos amat, semper bonis suis cumulat! Audi Ambrosium: Nec solus sufficit de Deo intellectus, inquit, nisi fiat in amore ejus voluntas. Immo neque hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus; ut, sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate et misericordia; ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat in memoria. Eamdem æquitatem Philo Judæus sic ostendit: Res, ut mihi videtur (memoria præsentiæ Dei) pluris æstimanda, quam ullæ opes, vel privatæ, vel publicæ; nam si seniorum, aut præceptorum, aut magistratuum, vel parentum aspectus movet ad reverentiam et modestiam, et sua præsentia vitam moresque corrigit, quantum putamus ad honestatem, virtutemque præsidium contingere animæ, si emergens super omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit? ARIAS, c. XIII.

Utilitas ad peccata vitanda; nam teste Seneca, magna peccatorum pars tollitur, si peccatoris testis assistat. SENECA, *Ep.* XI. Hinc Cassianus vocabat præsentiam Dei jugulum omnis peccati, et fontem universæ virtutis. CASSIAN. *Coll.* IX, c. III. Quis enim unquam, ait S. Basilius, eorum, qui credunt Deum omni in loco esse, et rebus, quæ fiunt, interesse ac adesse unicuique actioni, voluntates cordium perspicere, aut cogitationem pravam suscipiet, aut scelera patrabit? S. BASIL. *Orat.* II, *de Prec.* Quod ipsum Josephus Mansi sic confirmat: S. Gregorius de adolescente quodam refert, quod, cum in domum suam feminam quamdam admisisset lascivam, hæc in cubilis ingressu oculos elevans, super ostio quodam collocatam observavit Polemonis viri serii, modesti et gravis effigiem, unde suspicata, adolescentem illum dicti Polemonis profiteri academiam, statim ex respectu et veneratione Philosophi illius, pedem retulit, nullamque corporis sui fruendi potestatem dissoluto illi adolescenti indulgens, in domum suam se contulit. Eheu! quot Christianos hujus meretricis actio in die judicii condemnabit! Hominem vereris præsentem, Dei Patris et Filii non vereris præsentiam! Si porro meretrix, quæ omnem amisit et deposuit erubescentiam, solum in mente vel memoria hominem recolendo mortalem, et gentilem, nec tamen actualiter præsentem, a peccato destitit, quam a peccato hominem fidelem frenandi efficaciam habitura erit vera divinæ et supremæ majestatis menti nostræ obversans præsentia? MANSI, *dis.* VI, n. 6.

Ad mores corrigendos; nam, teste Cajetano, nulla efficacior est ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis, quam ambulare ante faciem Principis (et Dei), si enim ad S. Bernardini adhuc juvenis adventum socii illius mox ad modestiam sese componebant; quanto magis præsentia Dei id efficiet? CAJETAN, *in* c. XVII, *Gen.*

Ad perfectionem acquirendam; uti ipse Deus Abrahamo insinuavit dicens: « Ambula coram me, et esto perfectus, » GENES. XVII, id quod apertius Franciscus Arias in hunc sensum declarat: Quemadmodum dominus aliquis, qui omnium facultatum suarum rationes examinat et perquirit, ut easdem bene et fructuose pervidere queat, post distincte recensita varia magni valoris et pretii puncta, quodlibet latus seorsim summatim complectitur, in fine autem summam quamdam generalem, quam summam summarum vocant, conficit, in quam solam laterales summæ omnes compendiose restringuntur; ita quoque nos, postquam in hoc libro multa et varia ad progressum spiritualem ordinata media descripsimus, distincteque et copiose exposuimus, tandem in fine libri exercitium quoddam reponimus, quod veluti summa est omnium aliorum, in quo, velut in brevi quodam epilogo omnia alia comprehenduntur, hocque exercitium in eo consistit, quod per illud Deum nobis semper præsentem firmiter apprehendamus, oculis animæ ipsum respiciendo et advertendo, qualiter ipsemet nos quoque sibi præsentes

habeat, nosque per hoc, quòd omnia cordis nostri desideria et affectus ad ipsum defigamus, custodiat. Hinc S. Bernardus dicere solebat: Respectus ejus profectus tuus. ARIAS, *de Præs. Dei.*

Ad amorem Dei accendendum; uti Jacobus Alvarez his verbis indicat : Hæc tandem sit omnibus, quæ egeris tua sollicita cura, tua jugis occupatio, Deum, aut extra te ipsum, aut intra te ipsum, præsentem intueri, et purissimis desideriis, sanctissimis colloquiis, et ignitis amoris affectibus, ad divinam et incomprehensibilem ejus bonitatem adspirare; nihil enim efficacius est ad peccata delenda, imperfectiones extirpandas, propter viam humanæ naturæ molliendam, virtutes acquirendas, et nostram mentem in Deum transformandam, quam hoc amoris exercitium, sive cum voluntate, sive cum mentis ariditate præstitum, quo potentissime terrena fugimus, et in carne mortali quodammodo impassibiles et cœlestes efficimur. JAC. ALVAR. l. III, p. 3, c. XXXIX, n. 12.

Ad fervorem augendum; nam, ut recte S. Bernardus dixit : Quomodo negligens poterit inveniri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri ? Qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus, et exteriora, omni hora considerare non cesset, omnesque non solum actus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur, atque dijudicet. Hinc merito Boetius : Magna nobis, inquit, indicta necessitas est recte vivendi, ut qui omnia facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. S. BERN. s. II, in Ps. XC.

Ad Diabolum vincendum; ut S. Antonius indicavit dicens : Una est ratio vincendi inimicum, animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio. S. ATON. c. XX, *Vit.*; quod et Glossa confirmans ait : Laqueos Diaboli facile evadit in terris, qui semper oculos habet in cœlis. Unde David ait : « Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. GLOSSA, *ap. Mansi*, disc. III, n. 4.

Ad orationem recte instituendam; fit enim, ut Arias bene advertit, hac exercitatione, ut anima intra sese collecta acquiescat, ac ubi orationi se dare vult, cor ad eam aptum, compositumque ostendat, nullis exteriorum rerum imaginibus circumactum; quo quietius et majore suo fructu divina contempletur ; potest hæc verissima assertio S. Basilii testimonio confirmari, qui rogatus : Quemadmodum anima semper collecta, nunquam inutilibus cogitationibus distraheretur, respondit : Si Davidem imitetur, qui ait ? « Providebam Dominum in conspectu meo semper. » Itemque : « Oculi mei semper ad Dominum. » Est hæc ipsa divina sententia Abbatis Isaac, ubi de hoc argumento tractat, id est, qua ratione quis quam optime ad orationem se comparet, dum ait : Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Quo dicto hoc innuit, si quam quietem in oratione optamus, operam dandam, ut eamdem omni tempore habeamus. Vult enim seponi omnes superfluas sollicitudines derebus terrenis, inutiles item fabulas, jocos, risus, vanas vagasque cogitationes. Causam addit : Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est, ut orantibus nobis, per ingestionem recordationis occurrat, verborum, vel sensuum ante oculos imago præludens, aut irasci nos secundum præcedentem qualitatem faciet, aut tristari, aut concupiscentias causasve præteritas retractare, aut risu fatuo, quod etiam pudet dicere, cujusquam scurrilis dicti, vel facti titillatione pulsari ; aut ad priores faciet volitare discursus. Et idcirco quidquid orantibus nobis nolumus, ut irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere festinemus. Hæc omnia S. Abbas, dignissima sane, quæ, et memoria, et re ipsa observentur. ARIAS, c. III, *de Præs. fol.* 22.

Facilitas, quam egregie Arias sequentibus verbis insinuat : Magno animo et alacri quisque debet se huic sancto exercitio dedere, ac deprehendet facile, quam Deus promptus sit ad sistendum se nobis præsentem, quoties collibuerit, ut eum spectemus, alloquamur, et familiariter cum eo tractemus. Unde et tanta offert præsidia, auxiliaque, ut, quod naturæ viribus videtur arduum, immo impossibile, reddatur cuique facillimum et suavissimum. Ut aliquis aditum habeat ad Regem terrenum, cumque eo colloquatur, et tractet, admodum difficile est, nec potest obtineri, nisi favore et gratia multorum, imo multis opus est multorum annorum labore et servitute, antequam ad familiarem cum Rege consuetudinem perveniant ; at Deus infinita licet præditus majestate et gloria, semper paratus est, quacumque hora et momento nos in conspectum suum admittere, ut oculos mentis in ipsum conjicere possimus, contemplari pulchritudinem, et

magnitudinem, desiderare gloriam, amare bonitatem, degustare suavitatem, familiariter cum eodem conversando, et gratiam aliquam postulando. Neque solum paratus est Deus ad hoc, verum etiam optat, et invitat maximis gratiæ gloriæque præmiis propositis, ut ita faciamus; nec solum invitat paucos, eosque sanctitate præstantes, ut fuerunt multi veteres sancti, qui totos se noctu, diuque divino cultui dediderunt, sed omnes fideles, quotquot sincero corde Dei honorem, suamque salutem quærunt. O quam pie et sancte suo officio funguntur, qui tantum bonum expetunt, et studiose quærunt, qui tam honorificum exercitium non negligunt, ut Deum semper præsentem quasi gerant, et ejus consuetudine jugiter fruantur! ARIAS, c. II, *de Præs.* Quod ipsum etiam Mansi confirmat dicens: Apud S. Joan. Scribæ videntes, quod Pharisæi et S. Joannis - Baptistæ discipuli longa et rigorosa instituerent jejunia Christum interrogarunt: « Quare discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant? etc. » Et ait illis Jesus: « Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum Sponsum, non possunt jejunare. » Quem textum interpres quidam ad propositum nostrum sic exponit: Plus nimirum Sponsi præsentia proficiunt, quam jejuniis, supplet Sponsus abunde, cum præsens est, quidquid consequi abstinentia aliquis posset. Contingit etenim persæpe, quod anima Deo devota per macerationes corporis, cilicia videlicet, disciplinas et jejunia non tantum in spiritu, devotione et unione cum Deo proficiat, quantum per exercitium continuum divinæ præsentiæ viva fide recogitatæ. Hæc enim utilissima et facillima praxis hanc habet prærogativam et excellentiam præ cunctis aliis piis exercitiis, quod in omni loco, tempore, et occasione illam exercere, magnumque inde meritum acquirere valeamus. Quod nonnumquam non æque faciliter fieri potest per eleemosynas, ob defectum nimirum pecuniæ, vel pauperum; nec per orationem, eo quod per occupationes distracti mentem nostram ad eamdem faciendam applicare nequeamus; nec per jejunium, ob complexionis debilitatem; nec per auscultationem verbi Dei, vel ob temporis penuriam, vel ob prædicatoris defectum; et sic de omnibus aliis similibus devotionis exercitiis discurrere licet. At vero quod ad exercitium præsentiæ attinet, non est, qui se abscondat a calore ejus; siquidem unusquisque hominum illius capax existit, sanus et infirmus, dives et pauper, dominus et servus, princeps et subditus, doctus et ignorans, vir et mulier, nec est, qui se valeat excusare. MANSI dis. VIII, n. 5.

Jucunditas; quam iterum Arias indicat, his verbis: Hinc etiam illud oritur, ut hoc exercitio Dei servus solatio, lætitia et gaudio assidue perfruatur, dum enim Deum sibi adesse videt, simul intelligit opem et consilium in quavis necessitate aut incommodo, sibi deesse non posse. Immo quidquid boni optare possit, id totum abunde in eodem invenit. Recte itaque S. Dorotheus: Nihil, inquit, est, quod animam nostram adeo roboret et reficiat, atque assidua Dei memoria. Idem, c. VI. Idem fatetur Psalmographus, ubi ait: Memor fui Dei, et delectatus sum. Et iterum: Rex Josias, quoniam populum Dei multis beneficiis affecerat, et cultum divinum impense promoverat, jucundissimam nominis sui apud posteros reliquit memoriam. « Memoria Josiæ, inquit Ecclesiasticus, in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini. » ECCL. XIX. S. Bernardus de se confitetur, cum primum in Religionem esset ingressus, se vel solo conspectu magnorum virorum spiritualium, vel etiam reordatione eorumdem, si forte longius abfuissent, vel vita defuncti essent, tantopere exultasse, ut mens quidem omni devotionis suavitate compleretur, oculi vero a lacrymis se continere non possent. Si igitur aspectus vel memoria hominis justi tanto gaudio aliquem perfundit, eo quod videatur sibi videre virtutes et dona cœlestia, quibus ille fuit a Deo ornatus, quid non faciet spiritualis intuitus et recordatio Dei, qua anima contemplatur in eo infinitam bonitatem et pulchritudinem, aliasque perfectiones? Quod non gaudium, quam non consolationem, et intimam devotionis suavitatem servi Dei anima plenis buccis hauriet?

MEDIA.

Oratio; quia, ut Arias bene discurrit, donum divinum est descendens a Patre luminum, a quo omne bonum proficiscitur; sicut enim a Christo Deo Salvatore nostro omnia alia subsidia ad salutem opportuna et ne-

cessaria expetimus, sic et hoc donum humiliter nobis concedi per suam infinitam misericordiam, passionisque suæ merita flagitemus, quo semper ejus recordemur, semper cor nostrum in ipsum erectum habeamus, semper denique divinitatem præsentem contemplemur, invocemus, desideremus, et diligamus. Hoc donum si obtinuerimus, cum eo facile omnia reliqua, pro adjumento et profectu nostro spirituali, consequemur. Nec dubium, illud concessum iri, si magna cum fiducia, vivoque desiderio ad illud aspiremus. Neque ullus, cujuscumque status vel conditionis sit, potest jure se excusare quod hoc beneficium a Deo postulare non possit, quia, ut propter occupationes et negotia aliquis eo non perveniat, ut semper Deum sibi præsentem sistat, tamen poterit aliquoties in die amorem suum in Deum attollere. Arias, c. ii, *de Præs.*

Signorum usus, quorum conspectu aut tactu Dei recurrat memoria; ut si dictum aliquod muris ejus loci, in quo ordinarie versamur, inscriptum sit, cujusmodi esse possunt : Noli peccare, quia Deus videt. Vel illud Sapientis : « In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. » Vel illud Davidis Regis : « Providebam Dominum in conspectu meo semper. » Vel : « In omnibus viis cogita Deum. » Vel illud Tobiæ ad filium : « Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. » Possumus et signi loco filum alligare brachio, vel digito. Nam et annulos in iis gerimus, ne temporalium quorumdam negotiorum memoria excidat. Sonum quoque campanæ, signi vice accipere ipsi possumus, statuereque illum nobis fore loco cœlestis vocis, ut recordemur Dei. In Veteri Lege præcepit Deus Filiis Israel, ut in vestium fimbriis vittas gestarent hyacinthinas, quibus conspectis recordarentur mandatorum Domini, ac sancti essent coram Deo. Placebit ergo maxime Deo, si quis simili signo memoriam excitet præsentiæ divinæ, sic enim facilius Deum invocabimus et amore ejus inflammabimur ad perfectam præceptorum suorum observationem. Ibid. xii.

Examen particulare, ut scilicet, cum circa meridiem, aut vesperi rationem exposcimus a nobis conscientiæ, id quoque excutiamus, an præsentem toto die Deum in actionibus nostris habuerimus, et, si factum sit, sedulo gratias agamus Deo, quia singulare Dei donum est; ac proponamus nos idem accuratius observaturos diebus in sequentibus. Si vero secus acciderit, doleamus, et emendatione proposita, pœna aliqua culpam expiemus. Hæc enim pœna, et memoriam illi in posterum renovabit dicti exercitii, et valebit ad impetrandam Dei benevolentiam, ut negligentia corrigatur et major progressus in hac virtute fiat. Ibid.

Verus Dei amor; hic enim, ubi in servi Dei corde radices egerit, continenter illum urgebit et excitabit, ut cogitationes suas, piaque desideria in Deum præsentem conjiciat, et cum illo assidue conversetur. Hæc siquidem amoris natura est, si ardens sit, ut magno pondere animam transportet in rem amatam, quo uniatur cum illa, ac unum quiddam cum ea efficiatur, et quoniam anima suis est instructa facultatibus, hinc fit, ut semper quoque rei amatæ recordetur, semper de ea cogitet, semper eam expetat et complectatur. Qua de causa dixit Christus : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Ibid.

Constantia in praxi hujus exercitii; nam ut Arias prudenter advertit, hoc tempore admodum conveniens est servum Dei non terreri, aut ab hoc exercitio desistere, sed magno animo suscipere in se labores, quos Deus ab ipso postulat; nec dubium est, si persistat, eum beneficium hoc possessurum cum majori perfectione et constantia, quod in principio nullo labore consecutus fuerat. Nam dum cum sudore perseverat, et difficultate, radices agit humilitatis et accessionem facit in amore Dei. Unde fit, ut excellentiori quodam modo divinæ præsentiæ donum mereatur, majorique securitate et firmitudine possideat, quoniam didicit submittere se, sibique diffidere, idemque majori facilitate et voluptate exercet propter gratiæ copiam, et amoris in Deum magnitudinem, quo cor suum obfirmavit, et perfecte Deo conjunxit. Ibid.

Omnes præcipuas actiones diei, saltem initio singularum, breviter, sed ardenter, offerre ad gloriam et gustum divinæ Majestatis; nam experientia certa docuit, his viis cito posse acquiri talem præsentiam Dei, ut immediate post somnum, post occupationem, quamvis etiam distractivam prima cogitatio non alia de re se menti ingerat, quam de Deo, et rebus pure divinis. Item ut etiam in occupationibus distractivis, uti sunt servire ad mensam, lavare lances, verrere domum, ambulare, etc., vel perpetuo, vel frequentissime memoria Dei recurrat, et quidem non

accersita actu reflexo, sed quasi connaturaliter, et ultro se ingerat, quodammodo invito et non cogitanti, divinæ gratiæ beneficio, quæ numquam deserit quærentes se, et cooperantes ordinariis mediis, divinitus nobis datis, ad perfectionem consequendam. Item, talis se Dei memoria tibi ingeret, ut non minus devotum cor tuum, etiam sensibili devotione et plane ardenti ac valde accensa bulliens, inde habiturus sis in officiis distractivis, quam in ipsa ardenti, et devota oratione privata et solitaria. Qui devotionis ardor non tantum in te memoriam Dei conservabit, sed fructuosam reddet; nam excitabit te ad illas externas actiones, etiam distractivas natura sua, bene et accurate faciendas, quippe tamquam si Deo vidente fierent, inchoatas et continuatas. Hoc est, quod S. P. noster exigit a nostris, ut in omnibus rebus quærant Deum, et inveniant. Et de se quondam dixit P. Ludovico Gonsalvo, se Dei beneficio magnam habere facilitatem in omnibus rebus inveniendi Deum, quotiescumque vellet. Non est exaggeratio id, quod scripsi, sed res plusquam certa, et non pro uno die vel anno, sed pro tota vita, probata ab iis, qui sunt Domino suo fideles. Hinc quoque orietur, ut tales etiam per somnium, vel dormientes, vel semivigilantes, crebro prorumpant in verba pia et colloquia brevia cum Deo et Sanctis, id non per actum reflexum procurando, sed plane connaturaliter, et quasi acti ab alio, vere in actu exercito, non cogitando, nec excitando se ad tales orationes jaculatorias, quæ illis etiam vigilantibus, et alia agentibus et colloquentibus, ultro se ingerunt. Sæpe etiam prorumpunt exterius usque adeo, ut etsi velint, non possint semper impedire, ne erumpant, nisi facta magna vi animo, bullorem quemdam tenerrimæ, erga Deum et res divinas, devotionis, cum actuali Dei memoria conjunctæ reprimendo. Non erit autem hoc creditu difficile, quandoquidem fere omnes, etiam imperfectissimi et obtuso ingenio præditi experiuntur se in schola aliud scribere, sine erroribus, et cogitare simul continuo de rebus aliis diversis prorsus a materia scriptionis. Sicut ergo in imperfectis possunt simul duo actus tam disparati, viribus solius naturæ conjungi, uno non impediente alterum, ita multo magis mens divinæ gratiæ beneficio potest simul attendere actionibus externis, bene et non stolide expediendis, et simul ferri in Deum ardentibus affectibus variis modo humiliationis, modo compunctionis et doloris de peccatis, modo petitionis, modo gratiarum actionis, modo divinæ laudis, modo oblationis sui ad Dei obsequium, modo lætitiæ ortæ ex divinæ gloriæ incremento, modo tristitiæ ex peccatis sæculi auditis vel cogitatis excitatæ, modo renovationis internæ votorum, modo cujusdam spiritualis divinæ majestatis amplexus per actum amoris ardentissimum, modo spei, et certæ expectationis donorum gratiæ, et suo tempore gloriæ, modo fidei, et similibus, quas Spiritus Sanctus excitat, et fovet, et auget, in mentibus ejus ductui, et directioni obsecundantibus, et per plene voluntaria peccata eum non impedientibus. LANCIZ. p. I, *opusc.* II, c. VIII, n. 24.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, *in quo consistat hoc exercitium præsentiæ;* nimirum in duobus *actibus*, ut Alphonsus Rodriq. advertit, uno *intellectus, voluntatis* altero. Primus necessarius est, utpote ad omnem voluntatis actum, juxta scitum Philosophorum prærequisitum. Primum igitur intellectus munus ac functio est, considerare Deum, et ibi, et ubique esse, et totum mundum implere, et totum in toto esse, et totum in quavis minima ejus parte, et in omni creatura minima quamvis vilissima neglectissimaque. Hic articulus ad fidem Catholicam pertinet: Non enim longe est ab unoquoque nostrum, *in ipso vivimus, et movemur, et sumus*. Extra me quærebam, dicebat Augustinus, quod erat intra me; magis tibi præsens, intimiorque Deus est, quam tu ipse tibi. Ipse vita est, qui dat vitam rebus omnibus et quidquid aliquid potest et operatur, ab ipso, ut operetur, habet; et si ipse non adesset præsens omnibus, deficerent statim omnia, inque merum nihilum redigerentur; cogita igitur, te Dei plenum esse, et ab eo undequaque circumdatum, ipsique te totum innatare. Sed quid? *Pleni sunt cœli et terra gloria ejus*. Alter actus voluntatis est; (non enim solus intellectus consideratione Dei occupandus est, sed et voluntas, immo hæc præcipue) desiderando, amandoque Deum, eique se, quantum angustiæ vitæ hujus permittunt arctissime conjungendo. ALPH. ROD. p. 1, tr. VI, c. II. Quod ipsum etiam clarius confirmat

Arias asserens non satis esse, Deum ut præsentem intelligentia complecti et inspicere, nisi item accedant ignita voluntatis desideria et affectiones, sic, ut eum toto cordis desiderio identidem alloquamur, quidquid nos vel torquet, vel deficit, demisse ei aperiamus, fidenter proponamus, opem ab eo, et consilium petamus, et silente licet lingua, corde, hac, similive ratione alloquamur : O Domine, quam friget mihi animus in amore tui, imperti mihi tui amorem, eo me prorsus succende, eo animam meam reple, ut te solum diligam, et reliqua omnia tui gratia. O Domine, o Deus meus, quantus animi mei stupor est, ubi de unico et summo meo bono agnoscendo agitur! Quam deficiunt vires cum in id opere tendendum! Doce me, Domine, divinam tuam voluntatem omnibus in rebus agnoscere; robora me, ut eam sequar, benefica tua manu semper me tuere, ne labar. O mi Deus et Domine, quando te forti et suavi vinculo perfectæ charitatis circumplectar? His aliisve id genus verbis pia anima Dominum suum alloqui potest, cum eum ignitis desideriis plena, et ex imo corde petitis suspiriis anhelans aspexerit; huic exercitationi si diligenter, serio, constanter inhæserit, tantum inde operæ prætium referet (si piissimo Dionysio Carthusiano credimus) ut corde in aliud mutato, a mundo vehementer abhorreat; ad Deum autem et divina toto feratur desiderio. Arias, c. iii, *de Præs.*

Nosse debet *solidum modum imaginandi præsentiam divinam;* qui quidem varius assignatur ab ascetis; nam aliqui imaginantur sibi totum universum plenum Deo uti est, seipsos vero in medio immensi hujus pelagi a Deo circumdatos, ad eum fere modum, quo spongiam poneremus in maris medio, ex omni parte aquis innatantem. Alii imaginantur sibi præsentem Christum Dominum quasi cum ipsis euntibus euntem, cum stantibus stantem, itaque se ipsi et Deo semper præsentes constituunt. Alii eumdem tamquam e crucis stipite pendentem; columnæ alligatum alii; alii in horto sanguine madentem; aliter alii, prout sua quemque voluptas trahit aut voluntas. Alii eumdem cum creaturis operantem considerant, quem modum sic practicandum docet Arias : Sapit cibus, ardentem sitim aqua frigida extinguit, sol illustrat, calefacit ignis, vestis tegit; sic existimes, Deum impertiri saporem, illum satiare, sitim tollere, illustrare, calefacere, tegere. Minime enim dubium est, etsi id genus effecta ab ipsis creaturis sunt, multo tamen magis censeri debere, esse a Deo, quando hic prima causa est, illæ secundæ, et tamquam Dei instrumenta. Si quis primarii viri hospitio uteretur, et ejus causa servi domestici certatim per se quisque operam illi darent, et heri sui res dispertirent; alius veste, cibo alius, alius equis, viatico liberali alius donaret; si deinde quæreres, cujus beneficio hæc haberet, non utique hunc, illumve servum nominaret; quin etiam, ne mentionem quidem cujusquam illorum faceret, sed a domino illo se vestitum, ciboque ac reliquis donatum diceret. Jam vero cum satis constet, creaturas omnes longe alia ratione a Deo pendere, quam a domino suo servi (neque enim dominus servorum suorum vitam tuetur, neque manibus eos fert, quod Deus creaturis suis præstat, sine cujus ope nec movere se tantillum possent) meritissime a nobis exigitur, ut omnes creatarum rerum actiones bonas, et quidquid per eas beneficii percipimus, Deo attribuamus, profiteamurque et mente, et lingua, quidquid habemus id totum ab illo habere. Si te proximus suaviter solatus est, si cognatus munusculum dedit, ad primam mox causam cogitatione provola, quæ et voluntatem, et linguam illorum movit, et manum; et dicito : Deus me solatus est, Dei donatione hoc munus teneo. Atque eumdem in modum facito, quidquid a qualibet creatura acceperis. Hac ratione excitabimur ab iis, et ad perpetuam Dei memoriam deducemur. Neque hoc præceptum gratitudinem tollit, quam iis debemus, qui nos beneficiis prosequuntur, quandoquidem eamdem etiam Deus exigit. Ultimus demum modus, est, quem Rodriquez indicat, et etiam a S. Paulo præscriptum esse ait, dum dixit : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite; » q. d. in omnibus cor, animumque ad Deum in cœlum sustollite, hoc similive modo, ipsum alloquendo : Hanc rem, Domine Deus, in tuam gloriam facio. Hoc opere et actu tibi uni placere cupio. Quia sic vis et præcipis, desidero velle et nolle meum tuum esse et velle et nolle, in hoc omnis gustus, omnis delectatio et vita est; tibi uni in omnibus placere, tibi uni mori, et vivere. Hæc profecto praxis omnium facillima, utilissimaque est, hoc est enim in perpetuo Dei amore stare et conquiescere. Nec placet, hunc modum

pluribus encomiis afficere. Illud solum dico, quod vere sentio, illum esse hunc ipsum, quo practice et reapse plene, perfectissimeque illud Salvatoris præceptum (*Oportet semper orare et non deficere*) exequimur. Sententia est gravissimi cujusdam Doctoris, eum, qui hunc orandi exercendique modum sibi reddiderit familiarem atque domesticum, sensurum ex eo brevissimo tempore miram cordis sui transmutationem, horrorem mundi maximum, singularissimamque erga Deum divinaque propensionem. Tali, inquit ille, tamquam cœlo jam proximo illud Apostolicum debetur et dicitur : « Jam non estis hospites et advenæ, sed cives Sanctorum et domestici Dei. » Hi sunt nobiles isti aulæ cœlestis a S. Joan. descripti : « Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum, quia scilicet horum conversatio in cœlestibus est. Et non contemplantur ea, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. »

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Veritas. — Exodi c. 35, præcipiebat Dominus Moysi istud : « Facies candelabrum ductile de auro mundissimo » v. 31, tum v. 37, etiam hoc : « Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum. » Philo Judæus et Radulphus sentiunt, Tabernaculum illud vetus fuisse figuram, sive typum Mundi, qui Dei domus quoquo modo est; ut et septem lucernæ innumeras cœli luces significant; habet enim hoc septenarius numerus in sacris litteris, ut pro infinito ponatur, ut affirmat Paulinus in libro *de Numero Septenario*. Did. Nyssen. *in Abrah.* l. VII, c. vi. Dicit nunc Oleaster : Ad quid, Domine, in domo tua vis candelabrum cum lucernis septem habere? Causam subjicit, dicens : Ne putares, homo, te posse male conversari, et occultari; sive enim in die, sive noctu impie egeris, ab eo videris. Quidquid perperam agis, cogitas, loqueris, quocumque tempore, et loco id fiat, Deo omnia perspectissima sunt, sapientiæ enim illius oculi soles sunt, qui pervident universa. Oleaster, *in Annot. mor. in* c. xxv, *Gen.*

Hanc cogitationem animo versabat Propheta Regius David, quando hæc pro debita erga infinitam omnipotentis Dei sapientiam reverentia dicebat : « Tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. » Ps. cxxxviii, 12. Marcus Antonius Flaminius ea sic transfert. Neque tenebræ habent tenebras apud te, et nox sicut dies illuminat. Similes sunt tenebræ et lux. Quam eleganter dictum : Neque tenebræ habent tenebras apud te! Quando vires alicujus extenuare volumus, dicere solemus : Petrus, ver. grat. est quidem robustus et strenuus, sed quod ad me attinet, absque manibus. Tale quid affirmat Sanctus David, cum pro veneratione et commendatione perspicacissimorum oculorum Dei dicit : « Neque tenebræ habent tenebras apud te. » Nam si quidem tenebræ sunt velut nubes, aut vela, quæ humanorum prohibent, et ludunt, falluntque obtutus oculorum, Dei oculis nihil obsistere, nihil officere atror rerum et obscuritas potest, ut, qui tam clare videant in densa caligine, quam in medio sole, et innubi, nitentissimoque die. Quapropter in eodem psalmo sic Domino idem Rex pœnitens aiebat : « Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam; » ibid. v. 2, quæ tali paraphrasi illustrat Flaminius : Omnia tibi nota sunt, quæ sedens, stans, ambulans, cubans, cogito atque ago. Nihil est, quod tuam effugere sapientiam possit; nihil est, quod ad tuam notitiam non perveniat. Quidquid animo meditor, quidquid ore proloquor, quidquid operor, sive cum sessum, cubitumque vado, sive cum evigilo, et e strato exurgo, sive cum hinc alio commigro, pervides, nec ullus est tam reconditus animæ sinus, nullus tam abstrusus cordis recessus, in quem tuorum acies oculorum non penetret. Ibid.

Expendamus in hujus rei confirmationem quoddam Sancti Ephrem dictum, qui *in Parœnesi*, 17, sic habet : Nihil latet Dominum, Abelis vindicem. Sed quænam ista omniscientiæ Dei commendatio ex cognitione mortis Abeli illatæ? Quid secreti mors illa habuit, ut ad exaggerationem perspicacitatis sapientiæ Dei facere possit, quod eam detexit, et intellexit? Certone argumento est, quod Deum nihil latet, quia Abelis vindex, et necis illius index fuit? Expositione illustrabo Sancti Ephrem pronuntiatum. Occidit perfidiose Abelem Cain, vix illi necem consciverat, quando adfuit Dominus, facti rationem ab infami fratricida exigens, et dicens : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. » Gen. 4, 10. Negavit ille

recens perpetratum flagitium. At Judex : Quid est, quod inficiaris factum, quando ipse per te effusus fratris tui sanguis contra te testimonium dicit, et immanis sceleris vindictam magnis vocibus clamat? Notandum, quod in Hebræo pro illo vocabulo *Terra,* est *Adama*, ut affirmat Sanctus Hieronymus, Adama vero idem est, quod terra rubra. Itaque tota sententia superior sic reddi potest : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra rubra. » Res est, quod Cain fratrem suum in campum eduxit, cujus erat rubra humus, ibique eum interfecit, sperans non posse cognosci sanguinem fusum, quem concolor terra bibisset. Ita fere aiunt Hebræi, et inter illos Rabbi Salomon. Itaque audacter etiam negavit facinus, præfisus suæ industriæ et imposturæ, arbitratusque fieri non posse, ut internecionis convinceretur; eo quod cruor cum rubore terræ confusus discerni, ut putabat, nequiret. Verum ut intelligeret, quam vane talem suscepisset cogitatum, quam inanis esset omnis sua machinatio, quam nihil astus, sic fere aiebat ei Dominus : Itane vero putabas, miser, rubra terra rufum celari posse sanguinem? Falleris, hominum pessime, et turpiter erras, sanguis enim ipse clamat ad me de terra illa rubra, ultionemque atrocis sceleris tui magnis vocibus exposcit, oculisque meis nihil est occultum ; scio enim, quæ sit terra ; scio, quis sanguis, neque ego circumveniri queo, nec aliqua ita confundi et permisceri possunt, quin ego internoscam et secernam alia ab aliis. Hinc ergo intelligemus illud Sancti Ephrem : Nihil latet Dominum Abelis vindicem; quia nihil illi tectum; nihil ejus oculis inaccessum, qui inter sanguinis et terræ colores discernere, et quis terræ, quis sanguinis proprius esset, cernere potuit, quamvis utraque rubra essent et communem haberent colorem. Discat hinc omnis peccator, nihil sibi profuturos ad tegenda, inumbrandaque scelera sua, dolos; res namque illi est cum judice, cujus tam sunt lyncei oculi, ut reconditissima cordis latibula penitissime perspiciant, perque videant. Ibidem.

Boleslao IV, Regi Poloniæ, sanctum et solemne erat, patris effigiem auro expressam, atque e collo pendentem circumferre; et impresso osculo, quoties dicendum aliquid, faciendumve occurreret, tanquam viventem in imagine, præsentemque patrem sic affari: Absit, mi pater, o absit, ut a me unquam aliquid regio tuo nomine indignum statuatur! Quin et tu, Christiane, tu æterni Regis adoptate hæres, in sinu semper atque oculis gestas Christi in ceræ sacræ bulla descriptum nomen et imaginem, quam in occursantibus subinde periculis intuitus, ac tanti nominis memoria confirmatus, illo nihil indignum decernas unquam. CAUSINUS, l. I, *Aula. Sanct. motivo* II.

UTILITAS. — Basilius Imperator in exhortatione ad Leonem filium suum hoc ei suggessit consilium : Nullius unquam peccati reprehensionem sustinebis, si Deum in omni actione inspectorem et cognitorem, sicuti est, esse tibi persuaseris, nunquam neque palam, neque clam peccabis; nam etsi alios latere videberis, quæ secreto facies, conscientiam certe tuam et Deum ipsum, qui usque in abditos animi sinus, ac recessus intuetur, revereberis. MANSI, *disc.* II, n. 9.

Quando ille ad *Portam Speciosam* templi, Hierosolymitani continuo cubans claudus a Sanctis Petro et Joanne eleemosynam postulabat, sibi dici audiebat : Respice in nos ! At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis, quod et revera accidit, dum miraculose restitutam sibi sanitatem recepit. At vero Eliseo contrarium accidit, siquidem Elias spiritum suum duplicem discipulo suo infundi voluit, si ipsum primo præsentem et postea absentem videret, ut per hoc omnes doceret fideles (siquidem omnia in figura contingebant illis) quod, qui abundantiam spiritus concipere volunt, oculum fidei in Deum quoad corpus absentem, quoad animam vero et intellectum præsentem, defixum habere debeant.

Cicero in Epistola quadam ad Q. Ciceronem fratrem suum transmissa, eidem modum tradit, quo in virtutibus egregie proficere possit, hunc nimirum, ut se semper in oculis Tullii stare et operari crederet : Id facillime facies, inquit, si me, cui semper unice placere voluisti, tecum semper esse putabis, et omnibus rebus, quas dices et facies, interesse. Quod si igitur præsentia magistri alicujus, qui timetur, vel Superioris cujusdam vigilantis, aut alicujus servi Dei magna exemplaritate conspicui, sæpe stimulum in virtutibus proficiendi hominibus addit, quanto majus ad perfectionem acquirendam subsidium conferet præsentia Dei serio recogitata? MANSI, *dis.* VI, n. 6.

Deus populo suo Hebræorum per multos

annos velut dux præivit, dum ad terram promissionis contenderent, præivit autem in figura columnæ, quæ stabilitatem denotat, ut exinde intelligerent, quod, si in cultu, fide, obsequio, suaque in Deum religione continuare vellent, Deum ab oculis nunquam deponere, sed eum semper præsentem esse, recolere deberent. Idem, *disc.* VIII, n. 2.

Palladius, in historia sua Lausiaca, commemorat, se, cum aliquando adjuncto comite, Monachum quemdam religiosissimum, rerumque divinarum peritissimum, nomine Dioclem, inviseret, inter alia hoc documentum ab eo accepisse, hominem pium, quam primum a contemplatione divinæ præsentiæ cessarit, continuo fieri vel dæmonem, vel bestiam; bestiam quidem, si succumbat tentationibus carnis et illecebrarum carnalium; dæmonem vero, si iracundiæ, arrogantiæ, et similium. Cumque Palladius eum percunctaretur, qua ratione posset anima, nulla quiete vel cessatione interposita, defixam mentem habere in Deo? respondit, quotiescumque mens nostra occupata sit in consideratione pia et salutari, quæ ad Deum deducat, tum defixam esse in consideratione Dei. Cum autem sanctus ille, tantopere in rebus piis exercitatus, dixit, hominem, simul atque Dei oblitus fuerit, fieri dæmonem vel bestiam, non intellexit id fieri solo lapsu in noxam lethalem, cum non facile id contingat servis Dei, sed etiam lapsu leviori immoderatæ cupiditatis, qua aliquo modo similis vel dæmoni, vel bestiæ reddatur. Quo circa nullo modo convenit servo Dei ut aliquando negligat præsentem contueri Deum, impendente tentatione, et dum se occasiones offerunt iræ, impatientiæ, superbiæ, vel tristitiæ mundanæ, aliæque indomitæ perturbationes, divinæ oblivisci præsentiæ; tunc enim celerrime, magnaque cum vigilantia cor elevandum est ad Deum, ejusque auxilium implorandum. ARIAS, *de Præs. Dei.*

JUCUNDITAS. — S. Ambrosius super illa Psalmistæ verba: « Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, » ita scribit: Plerisque enim justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia est. S. AMBR. *in* Ps. II.

DAMNUM NEGLECTÆ PRÆSENTIÆ DEI. — Omnia nobis videntur difficilia, quod Dei nullam habemus memoriam, uti habere oportet; quod non eum in cogitatione perpetuo circumferimus. Merito enim nobis dixerit: Oblitus es mei, ego quoque obliviscar tui. S. CHRYS. XXVI.

AXIOMATA.

Oculus domini saginat equum.
Dei respectus, hominis profectus. S. BERN.
Qui Deum videt, semper ridet.
Non in peccatum corruit,
Qui Deum semper meminit. *Amon. Abb.*

AUCTORES.

Franciscus Arias, *de Præsentia Dei.*
Alphonsus Rodriquez, p. I, tr. VI.
Philippus d'Outreman, *in Pædagog.* p. I, c. VIII, § 2.
Henricus Engel. *in Dom. Pent.* § 2.
Didacus Nyssenus, *in Vita Abraham* l. VII, c. VI.
Petrus Pennequin, *in Isagog.* p. II, c. XXII, et diss. VI, § 15.

DEI PROVIDENTIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — *Providentia,* juxta Boetium, *est divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta sapienter disponit, nimirum in suos fines;* ut S. Th. explicat I, p. q. XXII, a. 1, quo loco eam simili modo describit. *Providentia,* inquit, *est ratio ordinis et rerum in finem, in Deo existens.* In rebus duo spectari possunt. Primum, res ipsæ in se secundum suam essentiam. Alterum, ordo et habitudo, quam habent singulæ ad finem tum proprium, tum communem totius universi, qui est manifestatio perfectionum divinarum. Utriusque ratio, id est, notio seu conceptio, ut (Græci dicunt) λογος, es in Deo. Notio rerum in se spectatarum, nempe quatenus sunt talis formæ et speciei, vocatur *Idea*; notio vero illarum, quatenus ordinantur in finem, vocatur *Providentia.* Verum cum providentia divina sit perfectissima et universalissima; nec solum extrinseco modo, sed etiam intrinseca ordinatione res omnes in suos fines destinet, creando et formando rerum naturas, conferendo proprietates nativas, et vires, et figuras con-

gruentissimas, et partes mirifica proportione conformatas, et omnia, quæ ad rerum pulchritudinem, usum, functiones, et conservationes sunt opportuna, necesse est, ut contineat etiam ideas, seu notiones essentiarum, quarum creatio et formatio intrinsece ordinem ad finem includit : præsertim cum Deus nihil, nisi ob aliquem finem, velle aut facere possit. Boet. l. IV, *Prosa* vi, et Lessius *de Perf. div.* l. XI, c. i.

Divisio. — Dividitur Providentia in *naturalem* et *moralem*. *Naturalis* est directio, seu ordinatio, et gubernatio rerum mere naturalium, omnisque moralitatis, adeoque et meriti incapacium, ut sunt cœli, stellæ, elementa, brutaque animantia. *Moralis* ea est, quæ in homines et Angelos, actuum moralium, hoc est, meriti et demeriti, virtutis et vitii, præmii pœnæque capaces, exercetur. Naturalem Deo inesse, ex eo constat, quod, cum res mere naturales et ratione carentes, non nisi ex naturæ suæ principio, absque rationis cognitionisve ductu agant, et tamen a præstituto sibi fine aberrent numquam, necesse sit, dirigi eas, impellique ad fines suos vi quadam et potentia altiori, quæ utique aliud nihil est, quam Dei Providentia. Si enim, ut docet S. Thomas, res quæcumque, quæ ad finem tendit, illius maxime voluntati, directionique subordinata esse debet, ad quem finis ille potissimum pertinet ; creata autem omnia Dei in primis bonitatem et gloriam, tanquam finem suum ultimum spectent; quis dubitabit inde sequi, Deum ad quem suamet gloria et bonitas omnium maxime pertinet, communi Providentia invigilare creatis omnibus, quibus non aliter, quam ad divinam suam gloriam utatur; siquidem, omnia propter semetipsum operatus est Dominus, ut testatur Scriptura ; et alibi eadem dicat, creasse Deum homines in laudem et nomen, et gloriam suam. Jam vero Providentiam quoque moralem Deo inesse, quis neget? nemo sane, nisi forte credat, haud aliter Deum cum Angelis, hominibusque, atque cum brutis agere, itaque regere, ut nihil se ad arbitrii eorum libertatem accommodet, quod quam absurdum sit, quis non videt? Philippus d'Outreman, *in Pædagog.* t. II, p. 1, c. iii.

Actus. — Duo sunt præcipue actus, seu functiones Providentiæ divinæ, circa res creatas, *Creatio* et *Gubernatio*. Quod Creatio sit opus divinæ Providentiæ, patet primo, quia Mundus non est casu factus, sed certissimo consilio, et specialissimo decreto; atqui nihil est, quod potius sit dicendum opus providentiæ, quam quod absoluto et peculiari decreto ad omnes rei circumstantias pertingente præfinitum est. Deinde, quia res omnes secundum suam essentiam conditæ sunt propter finem, tum proprium cuique, qui est cujusque operatio ; tum communem omnium, qui est gloria Dei ; itaque in sua essentia habent ordinem et habitudinem ad finem, qui ordo est impressio divinæ Providentiæ. Tertio, quia per creationem acceperunt vires, qualitates, temperamentum, locum, ordinem, et figuram, prout cuique congruebat ad suum statum, functionem, finemque proprium ; atqui hoc nihil est aliud, quam convenienter ordinari et instrui ad suum finem ; ergo est opus Providentiæ. Denique, omnis operatio tendens ad aliquem finem, est opus Providentiæ; atqui creatio est operatio primi et supremi operantis, qui omnia propter ultimum finem, qui est ipse operans, ejusque gloria, operatur. Itaque quod iste mundus istis corporibus constans, ea magnitudine, situ, qualitate, viribus, figuris, tempore, loco, ordine, sympathia, antipathia, præditis, non alius, nec ex aliis aut aliter factus sit, est opus divinæ Providentiæ, omnia certo consilio facientis, et ad certos fines ordinantis. Quod etiam Gubernatio sit opus Providentiæ, per se notum est; sed multi actus hoc nomine continentur : nimirum conservatio, cooperatio, prædefinitio, permissio, impeditio multorum malorum, motio cœlorum, illuminatio naturæ rationalis, redemptio hominum, justificatio, remuneratio, punitio, de quibus singulis aliquid dicendum est. Less. i, c. i.

Conservatio primum locum obtinet in Gubernatione ; nam primum munus gubernatoris est, conservare ea, quæ gubernanda suscepit, ne pereant ; sic enim plane ab ordine et directione, qua in finem diriguntur, exciderent. Id. *cap.* iii, *num.* 6.

Secundum locum tenet *Cooperatio*, nam sine divina cooperatione nulla res creata potest operari, ac proinde nec assequi finem aut in illum tendere, sed instar inanis idoli, sensu, motu, et omnibus viribus defecti, stabit. Si Deus concursum suum subduceret rebus, cessaret motus cœlorum, et illuminatio orbis; cessaret elementorum et omnium contrariorum pugna; cessarent ortus et interitus rerum, vicissitudines temporum,

incrementa et decrementa viventium, omnis alternatio, et motus localis omnis; cessarent in beatis visio beatifica, amor et gaudium omne, in damnatis omnis dolor et tristitia, in omnibus viventibus omnis intelligentia, omnis memoria, omnis volitio, omnis affectio, omnis imaginatio, omnis sensus, et motus vitalis omnis, neque ullum esset inter animata et inanimata, inter sentientia et sensus expertia, inter rationalia et irrationalia, inter beatos et damnatos discrimen, quod ad sensum boni vel mali, commodi vel incommodi attinet ; sed omnia eodem modo se haberent, tanquam ratione, sensu, motu, vita, et vigore omni destituta. Hinc patet, quanti momenti sit hic concursus, cum inde pendeat tota beatitudo, et omne bonum naturale et supernaturale, et sine ipso simus perinde ac si non simus. Id.

Tertius actus pertinens ad Gubernationem, est *Prædefinitio*, seu *Decretum*. Est autem *prædefinitio Dei*, (Græci προορισμόν vocant) *æternum Dei decretum*, *quo statuit*, *ut aliquid fiat in tempore*, *sive a se*, *sive a creatura*. Itaque est actus internus et liber divinæ voluntatis, respiciens objecta, quæ extra Deum sunt. Verum ut respicit primam rerum originem et conditionem, non pertinet ad gubernationem, neque inter actus gubernationis censeri debet, sed ad primam institutionem, qua ea, quæ gubernanda sunt, instituuntur ; ejusque opus externum est Creatio, sed ad gubernationem pertinet, quatenus extendit se ad ea, quæ postea circa creaturam, vel a creatura agenda sunt. Notandum autem est, longe aliter esse prædefinita, quæ initio mundi a Deo sunt creata et instituta, aliter, quæ successu temporis in mundo erant futura. Quæ enim initio sunt instituta, prædefinita fuere absoluta et efficaci voluntate, ante omnem prævisionem determinationis causarum secundarum cum omnibus suis circumstantiis et conditionibus ; nimirum, ut fierent ista, non alia, tali momento, in tali spatio, tali mensura et forma, tali situ et ordine, talibus viribus et qualitatibus. Hæc omnia distinctissime ab æterna mente concepta, et sic absolute decreta, et ex vi æterni decreti initio mundi sic condita et formata sunt. Hoc tamen intellige de conditionibus rerum, quæ perfectionem insinuant, non quæ defectum ; ut esse corruptibile, posse peccare, posse annihilari. Hæc enim non sunt per se intenta a Deo in rebus, sed permissa tantum, et quasi necessitate materiæ obvenientia. Ideo enim res potest dissolvi, quia ex elementis composita est ; ideo annihilari, quia ex nihilo ; ideo peccare, quia non est sua regula, nec suæ regulæ necessario conjuncta ; vel, si ulteriorem causam requiris, quia ex nihilo. Itaque ex vi intentionis divinæ res non sunt hujusmodi. Quæ vero postea fiunt in rebus, fere aliter præfinita sunt. Primo, quia fere præfinita sunt, supposita prævisione alicujus conditionis in causa secunda a libertate ejus dependentis. Hoc enim bona gubernatio postulabat, ut nihil in cursu primæ institutionis mutaretur, nihilque novi adderetur, nisi ex aliqua causa de novo exorta ; quæ causa non poterat esse, nisi ex libero arbitrio; reliqua enim omnia sequerentur necessario, ex prima institutione. Deinde, non ita absolute, sed multa sub conditione, et cum assidua dependentia a determinatione voluntatis creatæ. Tertio, in plurimis adiaphorum est Deo, sic an sic res fiant. Præcipue autem difficultas est de operibus bonis, quomodo a Deo sint prædefinita ; ex modo enim prædefinitionis illorum, facile intelligi poterit, quomodo indifferentia, et plerique effectus rerum naturalium prædefiniti sint. Duobus autem modis possunt opera bona dici prædestinata et prædefinita. Primo, prædefinitione non absoluta, sed conditionata, idque ante prævisionem determinationis nostræ voluntatis. Desiderat enim vehementer, ut opera bona faciamus, et in hunc finem nos excitat variis modis internis et externis. Secundo, prædefinitione absoluta supposita prævisione nostræ determinationis, vel ea comitanter se habente. Cum enim ante prævisam nostram determinationem prædefiniat nostra bona opera ex hypothesi, si nostra voluntas se ad illa velit determinare ; posita illa hypothesi, illa prædefinitio conditionata transit in absolutam, et fit efficax, ita ut simul cum nostra voluntate influat in opus. Mala tamen non sic vult, ne sub conditione quidem ; quia non desiderat ea fieri, neque ut illa fiant, vires et concursum præbet, nec ullo modo approbare potest, sed tantum permittit, juxta illud Habacuc I. *Mundi sunt oculi tui*, *ne videas malum*, *et respicere ad iniquitatem non poteris*. Ne videas, id est, ne approbes, ne velis aliquid, quod sit iniquum, et legi divinæ contrarium. Hoc autem posteriori modo prædefiniri opera bona, communis est Theologorum sententia. Idem. c. v.

Quartus actus ad Gubernationem pertinens est *Permissio*. Est autem permissio proprie non actus internus in Deo, sicut decretum, sed externus, accepto nomine actus late, ut comprehendit etiam liberum non agere. Aliud enim est, permittere; aliud, velle non impedire. Alioquin, si permittere esset formaliter velle, cum dicimus : Volo permittere, esset reflexio voluntatis super suum actum, et significaremus nos habere volitionem volitionis non impediendi, quod non est verum; tantum enim significamus, nos habere volitionem non impediendi. Est igitur permittere idem, quod non impedire, cum tamen facultas impediendi suppetat. Pertinet proprie ad ea, quæ vel displicent (in quibus subest aliqua impediendi ratio) vel sunt adiaphora, ita ut non curemus, fiant, nec ne; sic fiant, an aliter, etc. Nemo enim dicitur proprie permittere fieri, quæ fieri cupit. Itaque, ut proprie et in actu secundo aliquid dicatur permitti, requiruntur quinque. Primo, ut displiceat permittenti, vel illi sit adiaphorum, ut dictum est. Secundo, ut sit eventurum, nisi causa impediatur; quod enim non est eventurum, proprie non est permissum, nisi in actu primo, quatenus causa non fuit impedita, quo minus posset illud, sicut alia facere, vel producere; quo modo Deus dicitur sinere res agi suis motibus, dum illas non impedit, quin secundum naturæ suæ conditionem quidlibet operentur; quo etiam modo ex consequenti, et secundario sunt permissa multa mala, quæ homo potest facere, et non facit. Tertio, ut sciat eventurum nisi ipse impediat; si enim nesciat eventurum, non potest dici voluntarie, et in particulari permissum. Quarto, ut adsit facultas impediendi; improprie enim dicimur permittere solem moveri, cœlum pluere, etc. Quinto, ut nolis, vel voluntarie omittas impedire; sive ut te non opponas, sed sinas rem fluere suis motibus; qui enim se opponit, et conatur impedire, non dicitur permittere, etiamsi res eveniat. Quia vero hæc permissio in peccatis præcipue locum habet, ideo, ut melius percipiatur, considerandum est, dupliciter posse aliquod malum permitti. Primo, ex desiderio, ut eveniat, nimirum ut inde habeas occasionem alicujus boni eliciendi; ut si medicus permittat morbum ingravescere, ut ex curatione plus lucretur, vel artem suam magis ostentet, et tum ipsum malum directe est volitum, ut sit occasio illius boni. Secundo, non ex desiderio, ut eveniat (imo displicet, si evenerit) sed ob aliam causam, v. gr., ne videaris importunus (quo modo, qui aliorum curam gerunt, nonnulla interdum permittunt); vel ut cognoscas conditionem hominis; ut cum pater permittit filium furari, ut ejus indolem exploret, et, si furetur, corrigat. Hoc modo Deus permittit peccatum, et si summopere illud displiceat; habet enim justissimam causam permittendi, ut ante dictum est; nimirum, ut res sinantur agi suis motibus; et vires, quas ab ipso acceperunt, sponte in opus exerant. Ob hanc tamen causam (quæ est ejus bonitas) tantum malum non permitteret, nisi sciret ex illo aliud bonum elicere; et ita hoc bonum est causa non finalis, sed sine qua non istius permissionis, quod aperte indicat S. Augustinus. Idem c. VI.

Quintus actus Gubernationis est, *multorum malorum Impeditio*. Tot enim et tanta mala, posito semel peccato, a causis creatis irruerent, ut nisi per divinam Providentiam impedirentur, brevi mundum perderent. Ac primum infinita mala impedit, quæ quisque in se ipso esset facturus, et quibus suam animam gravissime damnaturus esset. Nam, ut inquit S. Augustinus : Nullum malum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi eum custodiret gratia illius, qui pro nobis factus est homo. Quisque id in se ipso facile advertit, cum variorum peccatorum occasiones propinquas vel remotas, in quibus aliquando fuit, considerat. Itaque gratiæ divinæ imputare debet non solum bona, quæ fecit, sed etiam mala, quæ vitavit; ut, quod in hæreses non inciderit; quod libidinis barathrum vitaverit; quod homicidia, furta, sacrilegia, etc. non commiserit. Nisi enim Deus hominem a pueritia protegat, occasiones malorum avertat, salutaria inspiret, et cursum vitæ dirigat, facile in quævis peccata incidit. Secundo, impedit infinita mala, quæ Diabolus esset illaturus. Unde Dominus, Luc. XXII, ait : « Simon, Simon, expetivit vos Satanas, ut cribraret tanquam triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. » Tanta enim est Diaboli potentia, ut facile omnes mortales posset pervertere, omnem religionem extinguere, omnia sacra et cultui divino dicata vastare, et omnia hæc inferiora turbare, miscere, perdere; nec deest ei ad hoc intensa voluntas; sed per divinam Providentiam furor illius tanquam vinculis quibusdam cohibe-

tur, et potentia comprimitur, ut ne hilum quidem amplius valeat, quam Deo manum suam laxare placuerit, ut perspicuum est ex historia S. Job, cui absque peculiari Dei concessu ne minimum quidem nocere poterat, non solum in corpore, sed neque in rebus externis et possessionibus; et ex historia legionis Dæmonum, quæ expulsa ab homine rogavit Dominum, ut permitteret invadere porcos, Matthæi VIII, et Lucæ VIII. Ita enim a Deo continentur, sicut furiosi canes, vel leones, quos moderator sic constrictos tenet, ut nihil possint, nisi quantum ipse permittit, vinculum laxando, vel contrahendo. Simili modo continet vim impiorum, ne Ecclesiam evertant, et omnia sua impietate inficiant. LESSIUS c. VII.

Sextus actus Gubernationis est *cœlorum Motio;* per hanc enim totam naturam corporalem maxima ex parte gubernat; in qua motione quatuor potissimum sunt consideranda; velocitas, varietas, æquabilitas, effectus. *Velocitas* est pene incomprehensibilis; nam sol, juxta Astronomos, singulis horis plus quam undecies centena millia milliarum peragit. Una vero stella spheræ octavæ circa Æquinoctialem, eorumdem Astronomorum judicio, una hora percurrit supra 42, milliones milliarum, quantum videlicet eques, quotidie 40, milliaria percurrens, annis bis mille nongentis vix conficeret; quanta igitur supremæ spheræ mobilis erit pernicitas? Nam hæc incomparabiliter est altior, cum Astronomi demonstrent duos cœlos inter illam et octavam intercedere. *Varietas* quoque est mira; singuli enim planetarum orbes suos habent peculiares motus, tardiores vel celeriores, suisque temporibus et momentis constitutis ambitus suos peragunt; et cum singuli suo motu ab Occidente tendant in Orientem, nihilominus a primo mobili rapiuntur omnes quasi in contrarium, nimirum ab Oriente in Occidentem. Hic tamen raptus proprios illorum motus non impedit, nec perturbat; sed optime cum illis ita contemperatur, ut uno tantum motu cieri videantur. *Æquabilitas* est prorsus admiranda; nulla enim tot sæculis anomalia est notata, sed semper eodem tenore, et pari celeritatis mensura, procedunt. Et quamvis planetæ videantur habere interdum motus inæquabiles ratione epicyclorum et majoris vel minoris elationis supra terram, tamen hæc non est vera inæquabilitas, sed solum respectu centri terræ; Nam et ipsi epicycli semper eadem velocitate circa centrum suum, et orbes deferentes circa suum æquabiliter gyrantur, nullo umquam tempore vel ad momentum quiescunt, nullo velocius aut tardius procedunt; sed eodem tenore, eadem semper pernicitate circumvolant. *Effectus* cœlestium motuum sunt omnes pene corporales motus, et mutationes rerum, quæ in hoc mundo elementari fiunt. Excipio illos motus, qui a libero arbitrio, et aliquos, qui ab imaginatione animantium pendent, quamvis et horum multi etiam in illos motus, veluti in causas, etsi non cogentes, tamen inclinantes, referri possint. Ab illis igitur proveniunt venti et turbines, tonitrua et fulmina, nives et grandines, nubes et pluviæ, æstus et frigora, siccitates et inundationes, salubres auræ et pestilentes, tot incendia et phasmata in sublimi, tot colores et picturæ in nubibus. In mari agitatio illa, qua instar viventis assidue se totum nunc in hanc, nunc in illam partem, in immenso alveo suo se commovet; præter infinitas tempestates, quibus usque ad imum barathri dehiscere, et mox ad nubium celsitudinem assurgere videtur. In terra tot exustiones et subterranei ignes, tot tremores, tot conclusi spiritus, mugitus, et erumpentes horrendi fragores; tot fontes et flumina (hæc enim duo, nisi aqua pluviali vel nivali per altiora loca colata, non perpetuantur); tot silvæ et loca deserta. Item omnia quæ in terræ visceribus gignuntur; tot nimirum abstrusæ opes, tanta vis auri et argenti, tanta stanni, æris, ferri ac plumbi, et gemmarum omne genus. Et quamvis omnino credibile sit, hæc ab initio fuisse a Deo suis locis condita, tamen non videtur dubitandum, quin vi cœlestium corporum ibidem possint succrescere et augeri, materia vicina et intermixta sensim in illam naturam excocta; experientia enim constat, latomias longi temporis progressu a natura restitui, et vicina lapidescere. Ibid. c. VIII.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Extendes cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus. Qui facis Angelos tuos Spiritus. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium per-

transibunt aquæ. Rigans montes de superioribus suis; producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum, ut educas panem de terra. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti, omnia a te expectant, ut des illis escam. Ps. CIII.

Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. SAPIENT. VIII, 4

Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus. Ps. VIII.

Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. LUC. XII.

Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini; nonne anima plus est, quam esca; et corpus plus, quam vestimentum? MATTH. VI.

Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Ps. LXXXVI.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis. I PETRI, V.

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo. Ps. LIV.

Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. Is. XLIX.

Omnes viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua Providentia posuisti. JUDIT. IX.

Prævenit me in die afflictionis meæ, factus est Dominus firmamentum meum; liberavit me, quia complacuit ei. II REG. XXII.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ps. XC.

Interroga jumenta, et docebunt te, et volatilia cœli, et indicabunt tibi, et enarrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? JOB. XII.

Quis præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, eo quod non habeant cibos? JOB. XXXIX.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt, neque nent, neque laborant. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. MATTH. VI.

Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus. Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cum volueris, posse. SAP. XII, 13 et 18.

Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet snper terram sine Patre vestro. MATTH. X, 19.

Tua autem, Pater, Providentia ab initio cuncta opera gubernat. SAP. XIV, 3.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Existentia Providentiæ.

Quidquid cœli micat, radiat, et resplendet ornatus; quidquid terra fragrat in floribus, sapit in fructibus, in animantibus gaudet, nostri amore factum, nostræ addictum est servituti. S. CHRYSOLOG. s. 69.

Omnia facit Deus, atque immutat; et veluti per circulum universum hunc mundum gubernat, ita ut ex aere aqua, ex aqua terra, ex terra ignis producatur. S. GREG. NAZ. *Orat.* I. *Apol.*

Pascet te, qui fecit te. Qui pascit latronem, non pascet innocentem? Pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si pascit damnandos, non pascet liberandos? S. AUG. in Ps. LXI.

Deus est, qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente; si ergo in te ipso quotidie Dei Providentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? Si autem vos cogitando, modicam partem corpori vestro addere non potestis, quomodo cogitando salvandi estis in toto? AUCTOR *Operis Imperfecti.*

Si rem tantillam vestra sollicitudo non potest, scilicet augere nonnihil staturam corporis, quomodo poterit corpus in vita servare, quantavis annonæ, opumque congesta copia, nisi adspiret Providentia Dei?

Omnem curam vestram super Dominum mittite; prorsus vos ipsos totos projicite in illum. De ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit. *Amen dico vobis,* inquit, *et capilli capitis vestri numerati sunt;* capilli nostri numerati sunt Deo, quanto magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? Videte, quia nec minima nostra contemnit Deus; nam si contemneret, non crearet. Nam et capillos nostros ipse utique creavit, et numeratos habet. Sed modo cum sunt, inquis, forte peribunt? Et hinc audi vocem ejus : «Dico vobis, capillus capitis vestri

non peribit. » S. August. ser. vi. *de Verb. Dom.*

Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes; ipse enim te ad te sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. Id. c. xv. *Soliloq.*

Mundi unus est rector, inquit D. Cyprianus, qui universa, quæ sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. S. Cypr. viii. *quod Idola non sunt Dii.*

Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium motionum; nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de invisibili et intelligibili summi Imperatoris aula, aut præcipiatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque Republica. S. Aug. *in Sentent.*

Sic Deus intendit singulis, ac si vacet a cunctis, et sic omnibus simul intendit ac si vacet a singulis. S. Greg. l. II. *Mor.* c. xix.

Quam ob causam mala in hoc mundo Deus fieri permittat, nolo a me requiras; homo sum, et non intelligo; secreta Dei investigare non valeo, et ideo etiam tentare formido, quia, et hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris. Sufficit tibi, quod Deus cuncta a se agi atque dispensari testetur. Et sicut plus est Deus, quam omnis humana ratio, sic mihi plus videri debet, quod a Deo cuncta agi cognosco. Salvianus, *Contra gentes.*

Non solum homines, sed etiam apes atque formicæ quascumque res faciunt, et ante quam faciant, meditantur, et postquam fecerint, non negligunt, sed diligentissime curant, tractantque. Quis ergo tam furiosus, ut cum Dominum creatorem omnium nonneget, gubernatorem neget? Et cum Auctorem esse fateatur, dicat negligere, quæ fecit? Ibid.

Utilitas. — Quod Deus odit, existere non vult. Ea ergo, quæ sunt, diligit. Diligit igitur hominem. Quod autem amat aliquis, ei vult prodesse. Deus igitur prodest, immo quia bonus est, ideo prodest. Bonum enim nihil aliud facit, nisi id, quod prodest; non est autem aliud sua sponte prodesse. quam esse de homine sollicitum. Deus autem hominis curam gerit, et de eo sollicitus est. Clemens Alex. *in Pædag.* l. III. c. viii.

Justi viri securitas recte leoni comparatur, quia contra se cum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, et scit, quia cunctos adversantes superat. S. Greg. l. xxxi. *Mor.* c. lxiii

EXEMPLA SACRA.

Cœlestis sponsus S. Catharinæ Senensi dixisse legitur. Cogita tu de me, quia ego cogitabo, et sollicitus ero pro te. Mansi, disc. vi, n. 8.

In vita Sancti Felicis Nolani scribitur quod, dum persecutores ipsum ad pœnas, et tormenta quærerent, hi ipsum in foro obvium habentes, nec tamen cognoscentes, interrogarunt, an Felicem Presbyterum cognosceret? Qui seipsum ex facie non cognoscere, veraciter respondit, quia nullus hominum semetipsum in facie aspicere potest. Ab illis itaque recedens in locum quemdam abditum vetustorum et ruinosorum murorum sese abscondit. Quia vero ministri Satanæ tandem intellexerant, illum ipsum Felicem esse, quem in foro allocuti fuerant, eumdem quaqua versum studiose requirentes, tandem maceriam illam, in qua S. Felix absconditus latebat, ingressi sunt; Deus autem, ut, quam in defendendo servo suo providus esset, perspicue ostenderet, subito fecit ab araneis telam quamdam contexi adeo densam, ut ipsum locum illum ingressum fuisse, minime suspicari potuerint. Ac proinde ipsis retrogredientibus Sanctus Felix salvus evasit. Id. disc. xii, n. 3.

In vita Sancti Gregorii, Episcopi Agrigentini, scribit Surius, quod ejus æmuli, qui in Clero ipsius primariam obtinebant dignitatem, ut prædicto Episcopo calumniam struerent, impudicam quamdam feminam subornarint, ut Episcopo nocturno tempore ad Ecclesiam pro Matutino cum aliis cantando descendente, ipsa in Episcopi lectum se reciperet; demum vero officio divino absoluto, cum æmuli ipsius una cum aliis Episcopum ad cubile suum redeuntem associarent, mulier hæc conformiter pacto statim e lecto exiliens, Episcopum tamquam virum carnalem, sacrilegum, et scandalosum accusavit; qua fama non solum impleta est tota civitas Agrigentina, verum etiam accusatio ipsius huc Romam ad Papam pro tempore sedentem delata fuit, a quo proinde velut reus in vincula et catenas conjiciebatur

tur ; sed ecce Dei Providentia ejus manifestavit innocentiam. Siquidem Sancti Apostoli Petrus, et Paulus eidem S. Gregorio nocturno tempore in carcere apparentes, ejus ruperunt vincula et catenas, ibidemque frequentibus visionibus cœlestibus consolatus plurima patravit miracula. Dæmon vero impudicam illam feminam ingressus est, eamque tenaciter possedit, donec in Concilio centum et quinquaginta Episcoporum calumniam sancto Episcopo factam, falsam esse confessa, tandem per orationem Sancti Gregorii liberata fuit. Impostores autem, juxta vaticinium Jeremiæ, dicentis: « Denigrata est super carbones facies eorum; » acerbis pœnis fuere plexi, et S. Gregorius cum summa gloria sua a Summo Pontifice fuit absolutus, ejusque summa virtus, et sanctitas toti mundo fuit manifestata. SURIUS, *Julii*, 23.

In vita S. Eustachii potius, quam in quacumque alterius Sancti vita, admiranda cernuntur divinæ Providentiæ specimina; siquidem cum conjux ipsius per illatam a nautis violentiam ei erepta, et peregre abducta fuisset, filii quoque ejus a duarum ferarum dentibus apprehensi, separatim abducti fuerunt; cumque ipse prorsus ignotus apud rusticum quemdam latitaret, ut ejus agros excoleret, Deus ipsum denuo Imperatori Romanorum manifestavit, a quo anxie quæsitus, ac tandem inventus in pristinam Ducis generalis militiæ suæ sublimem dignitatem restitutus fuit. Cumque Eustachius Imperatorem per gloriosas victorias, et triumphos condecoraret, contigit, quod uxor ejus, nec non filii ipsius eodem tempore redierint; hi quidem sani, salvi, et incolumes; illa vero ab omni pudicitiæ suæ periculo illæsa et immunis conservata, qui omnes tandem cum S. Eustachio martyrio coronati fuerunt. MANSI, l. c. in. 7.

P. Cæsar Franciotti, Religionis Matris Dei Lucensis Sacerdos, in libro, quem de Corporibus Sanctis, quæ in civitate Lucensi requiescunt, in annotationibus de B. Sita, vidua, sequens narrat factum, quod suo tempore, anno 1605. Neapoli accidisse scribit. Erat enim mater quædam, quæ filiam habebat nubilem, sed ad extremam usque paupertatem redactam; cumque nihil ad laborandum habentes, per proprios sudores vitam sustentare non possent, præ fame fere mori cogebantur; jam enim omnia usque ad telam, qua culcitra straminea, in qua per noctem decumbere solebant, obtegebatur, divendita erant. Unde tam mater, quam filia ad divendendam quoque honestatem, et pudicitiam suam vehementer instigabantur; sed obstitit timor Dei; ita ut mori potius, quam propriam conscientiam quovis etiam impudicitiæ, vel cujusvis alterius culpæ nævo maculari sinire decreverint. Porro filia aliqua a matre diffidentiæ verba pronunciari audiens, graviter affligebatur, adeo ut animam ipsius penetrare viderentur; seque per orationem ferventem Deo unice commendans, sæpius vocem quamdam cordi suo acclamantem, et hæc verba suggerentem audivit : Præscinde capillos tuos, eosque vænum expone; hi enim ad minus per aliquot dies victum tibi subministrabunt. Erant enim capilli ejus coloris aurei, et raræ pulchritudinis. (At vero, Incarnata Sapientia per capillos Providentiam suam denotavit, inquiens : « Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; multis passeribus pascendis curam habet, multo magis pro illis sollicitus erit, qui in ipsum confidunt. Capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras). Huic autem voci et impulsibus internis paupercula virgo prompte obtemperans, omnes sibi capillos præscidit, tametsi a matre sua ob id acerbe reprehenderetur, quæ eos præcisos ad forum tulit vendendos. Cumque in foro capillaturam filiæ in manibus tenens staret, non causaliter, sed ex divinæ Providentiæ dispositione servus cujusdam magni viri nobilis pertransiit, qui ejusmodi capillos quærebat, hosque in hujus mulieris manu videns, pariterque admirans, eamdem ad domum prædicti nobilis secum conduxit, qui ex curiositate, cujusnam hi capilli essent, requisivit, quæ respondit : Filiæ meæ capillatura est. Cui subintulit nobilis : Ergone facta est Monialis? Nequaquam; respondit mater, sed ex eo ut ego, et ipsa panem habeamus, quo vesceremur. Dedit igitur nobilis pactum pro capillis matri pretium, simulque cum illa servum suum misit, ut is videret, si revera tali mendicitate gravarentur, cumque servus ad dominum reversus, miserum domus illius statum retulisset, simulque dixisset, filiam illam ipsissimam esse modestiæ, honestatis, et pudicitiæ effigiem, nobilis quoque ad eamdem pauperem domum se contulit, divinæque Providentiæ periodos stupefactus intuens, filiæ congruam consignavit dotem,

ut honestum inire matrimonium posset. Cumque sæpe dictus nobilis reversus, casum hunc multis nobilibus aliis retulisset, hi simul congregati, fraternitatem quamdam, quæ a pietate nomen habet, instituerunt, cujus præcipuum institutum hoc est, quod scilicet puellis in simili necessitate de pudicitia sua periclitantibus, honestæ dotis subministratione subveniat, et spatio duorum dierum hunc in finem duo millia scutorum congregarunt.

In libro primo Esdræ observandum, quod Esdras in patrocinium, et tutelam Dei confisus dixerit : « Erubui enim petere a Rege auxilium, et equites, qui defenderent nos ab inimico in via, qui dixeramus Regi : Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate, et imperium ejus, et fortitudo ejus, et furor super omnes, qui derelinquunt eum. » Esdras, l. I, c. viii, 22.

Beatus Petrus Damianus narrat, virum quemdam e Lombardia oriundum, una cum conjuge sua ex devotionis instinctu Romam ad loca Sancta veneranda proficiscentem, cum ad lacum pervenisset, ingressum fuisse in navim, pro comparando sibi pisce, serotino tempore manducando, pisce autem comparato e navi egressus, marsupium sibi cecidisse deprehendit, unde conjux ejus graviter afflicta fuit, ipse vero divinæ se voluntati conformans non dolebat. Porro remanserant ei in sacculo sex libræ monetæ Lucensis. Unde omnem suam confidentiam in Deum reponens, largiflue ab eodem fuit remuneratus, juxta illud Apostoli : « Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. » Etenim cum circa vesperam hospitium suum non procul a lacu illo accepisset, itineris sui comites affatus dixit : Quia hic lacus tam notabile damnum nobis intulit, convenit omnino, ut pro nostro solatio cœna solito lautiori potiamur. Et conversus ad accolas : Quis, ait, mihi distracturus est duodecim numismatum piscem? Cui piscator assistens præsto, respondit : Venalem profecto piscem optimum habeo, sed quindecim procul dubio mihi denarios numerabis si eum tibi vendicare volueris. Quam ille summam non cunctatus exsolvit, emptumque piscem uxori, ut esculentius pararet, injunxit, quem mulier, ut exenteravit, in intestino ejus folliculum cum viginti quatuor Papiensis monetæ solidis reperit. Tunc omnes, qui aderant, in commune gratias conferunt, et succedentibus sibi jacturis semper in Deo spem esse ponendam, indubitanter agnoscunt. S. Petrus. Dam. l. VI, c. xxv.

In vitis Patrum eremi de Abbate Frontone legitur, quod, cum se una cum septuaginta aliis Monachis in sterilissimam quamdam recepisset solitudinem, ibidemque omnes contemplationi dediti, ingentes in Spiritu facerent progressus, Deus fiduciam illorum experiri volens, disposuit, ut panis, et quævis alia sustentatio iisdem deficeret. Monachi igitur ad imitationem populi Hebræi, Abbati detrahere cœperunt, et contra illum murmurare, eo quod illos e civitatibus eductos, in vastam illam secum conduxisset solitudinem, quia, ut Psalmista ait : « Si non fuerint saturati, murmurabunt. » Unde jam omnino ad redeundum in civitatem sese resolverant. Sanctus quidem Prælatus sæpius eos ad sperandum in divinam Providentiam animare contendit, sed quia jejenus venter non audit verba libenter, in proposito deserendi locum persistebant. Deus igitur, ut illis, quam sit liberalis et provida manus ejus erga illos, qui fideliter ipsi serviunt, ostenderet, Angelum quemdam ad virum divitem expedivit, qui ei in somno constituto diceret : Tu epularis in divitiis splendide, et servi mei in eremo indigent pane. Hic igitur divitem hunc a somno excitatum monuit, ut divitiarum suarum partem servis Dei impertiretur; qui expergefactus visionem habitam cum nonnullis amicorum suorum communicavit, ab iisque, de eo quod factu sibi opus esset, consilium expetiit, quale tamen nullus illorum suggere ei potuit. Nocte autem consequente Angelus reversus, propter moram exequendi illud, quod ei impositum fuerat, illum reprehendit, pariterque percussit. Unde amicis suis de novo consultis, suasum ei fuit, ut, si hæc ab Angelo ei insinuata commissio a Deo procederet, hunc in modum eamdem exequeretur. Nimirum septuaginta camelos suos, quos ad manum habebat, annona sufficienti onustos, sine ullo hominum duce in desertum ageret, futurum enim fore, ut ipsemet Deus dux eorum esset. Dictum, factum, nam sexaginta quinque camelos variis rebus comestibilibus onustos, et quinque alios fœno et stramentis pro eorumdem jumentorum pabulo bene provisos destinavit, et in desertum agi curavit, qui intra spatium quatridui sub horam nonam ad Monasterium Sancti illius Abbatis feliciter pervenerunt. Ubi, ut quilibet

sibi facile imaginari potest, maximus fuit Religiosorum illorum jubilus, adeo liberalem in se divinam Providentiam videntium, quæ pusillanimitatem illorum condemnavit. MANSI, disc. IX, n. 2.

Sanctulus, cum non haberet, unde multos operarios, Ecclesiam quamdam Sancto Laurentio sacram restaurantes, sustentaret, ad furnos quosdam accessit, in quorum uno panem invenit, cumque omnem adhibuisset diligentiam sciendi, cujus panis ille esset, nec illius invenisset dominum, eumdem inter laborantes divisit; sed in ejus manibus adeo crevit, ut, teste magno Gregorio, per decem dierum spatium omnibus satiandis suffecerit. S. GREG. l. III, *Dial.* c. XXXV.

In vita servi Dei Camilli de Lellis, qui, eodem sæculo vivens Religionem Clericorum ministrantium infirmis fundavit, legitur, quod, cum die quadam Fratres ejus ingenti premerentur penuria, jamque ex laboribus fatigati, et famelici, non haberent, quod manducarent, ipse ad Crucifixum quemdam se convertens eidem dixerit : Adjuva me, quia potens es hoc facere ; succurre pauperi huic familiæ! Vix hæc dixerat, cum subito audierunt sonantem campanellam portæ, ubi vir quidam omnibus ignotus comparuit, qui trahens ad partem P. Camillum, ab eo petiit, an pecunia indigeret? Qui, cum ei, quam paterentur, exposuisset necessitatem, vir ille rursum interrogavit, quantum pecuniæ vellet? cui cum Camilius dixisset, tres centa scuta, abiit vir ille, moxque rediens petitam ei pecuniam numeravit, neque deinceps unquam sciri potuit, quisnam vir ille fuisset, vel unde venisset, aut a quo missus fuisset. *Vita*, l. II, c. XI.

P. Marcellinus, qui sonora Evangeliorum tuba existens, Romæ in Ecclesia Aracœlitana cum Spiritu Apostolico prædicabat, tempore extremæ annonæ caritatis, quæ, an. 1590, Italiam affligebat, publice in pulpito confessus fuerat, quod Conventus ille, in quo aliquot centeni Religiosi Deo serviebant, illo tempore plus, quam aliis fertilioribus annis pane candidissimo abundarit cujus tunc penuriam patiebantur familiæ illius civitatis præcipuæ. Nimirum verificabatur tunc Propheticum illud oraculum : « Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.» MANSI, disc. VIII, n. 5.

Petrus Consalvus, Dominicanus, cum loca inculta et sterilia inhabitaret, quotiescumque ei libebat, ad ripas fluminis Mignuli in Gallicia accedens advocabat pisces, qui prompte comparentes in prædam se ei obtulerunt, ex quibus, quantum satis erat, capiebat, cæteris in eodem loco remanentibus, nec recedere volentibus, donec ab ipso benedictionem et abeundi licentiam obtinuissent. Idem servus Dei cum die quadam per præruptos et arduos montes ad visitandum infirmum quemdam presbyterum abiisset, duobus aliis sociis stipatus, hosce defatigatos et famelicos esse animadvertens, immo, et de se conquerentes audiens, quod de victu illis providendo non cogitaret, sanctus vir Dei eisdem dixit : Respicite post lapidem illum, qui secus viam jacet. Quod cum fecissent, duos invenerunt candidissimos panes mundæ cuidam mappulæ ex subtili lino contextæ involutos, nec non vasculum vino delicatissimo refertum. Ibid. n. 3.

Maximilianus II, quando res adversæ animum sollicitabant, conceptum a se symbolum proferebat : « Dominus providebit. » DREXEL. l. V, *Heliotrop.* c. VI.

S. Monegundis ad illam vitæ sanctimoniam numquam pervenisset, nisi eam divina Providentia per varias ambages illuc duxisset. Duas habuit filias Monegundis excellentis formæ virgines, quibus omnem curam et amorem impendit mater, tunc temporis parum pia. Hanc peccandi illecebram amoliri placuit divinæ Providentiæ. Ita ambæ filiæ præmatura morte sublatæ sunt. Mater suo ipsa funeri velut superstes, omnem odiisse vitam, capillos vellere, lacerare genas, omne doloris solatium spernere, nec aliud velle, quam filias celerrime sequi moriendo. Post quam lacrymis nonnihil egestus dolor est, luctu jam remittente, compos sui facta Monegundis : An non, inquit, insigniter fatua sum, quæ divinæ Providentiæ tam contumaciter reclamo? Quid ego? An nesciebam me genuisse filias mortales? An ad hoc natæ sunt, ut mori non possent ? Dei Mater, Dei Filius, homines Deo charissimi moriuntur, et ego indignor filias meas desiisse vivere? Quæ forsan ideo modo morte occubuerunt, ne succumberent vitiis ! Quid igitur meis querelis Deum incesso, qui nihil potest mali velle? Quin stultam hanc lamentationem finio, et in divinæ voluntatis ac Providentiæ sinu me totam compono? Ita dixit, ita et fecit. Mundum res suas habere jussit, Deo deinceps omni conatu servitura. Hanc vitæ mutationem Superis placuisse, miracula manifestum fecerunt; Monegundis namque

plurimos ægrotorum, sine pharmacis consanavit, Gregorio Turonensi teste. S. GREGOR. TURON. *de Glor. Conf.* XXIV.

Robertus, primus Molismensis Abbas, divinæ Providentiæ studiosissimus cultor, quidquid potuit, in pauperes erogavit. Fuit, ut duobus mendicis ante fores expectantibus duos panes juberet dari; at œconomus se opponere, et nec in prandium quidem suffecturam annonam, dicere. Quid ergo, inquit Robertus, prandebimus? Nescio, ait œconomus. Suboluit hic viro sancto, aliquid tenacitate male provida recondi. Igitur re divina peracta, cum signum daretur ad mensam, sciscitatus est Abbas, unde panes allati essent? Paucos, inquit obsonator, pro nobis reservavi. Robertus religiose excandescens panes omnes in canistrum jussit colligi, et mox ad mendicos foras efferri, et ad suos versus : Ne, inquit, parendi contumacia, et diffidentia domi nostræ latius grassentur, jejunium et fames docebunt nos Deo fidere. Volebat Robertus, ut sui omnes a liberalissima Dei Providentia toti penderent, velut infans a matris uberibus. DREX. l. I, c. VIII, § 4.

Illustrissimum et hoc divinæ Providentiæ argumentum fuit, quod plures commemorant, Cyrus Panoplites, Poeta nobilissimus, Princeps architectorum, pace et bello insignis, quam enim sapiens, tam etiam fuit industrius; sed, quod unum illi deerat, nondum Christianus. Hic in Eudoxiæ Imperatricis Augustæ familiaritatem sese insinuans, tantam sibi gratiam sua poesi conciliavit, ut ab Imperatore Theodosio Juniore proximus, urbi, et prætorio præfectus, Patricius, Consularis, summis denique dignitatibus fulgeret. Simul tamen variis et acerbis casibus vir iste jactatus est, et demum periisset, nisi naufragium fecisset, quo alii solent perire. Nam magna Dei Providentia e summis, alea vertente, ad ima dejectus est. Siquidem ea re, qua apud cives magnam gratiam colligit, apud Imperatorem non mediocriter offendit. Verum saluti fuit, quod esse credebatur exitio. Cum enim Cyrus Constantinopolis veteres muros demolitus, duobus intervallis additis, alios intra sexagesimum diem extruxisset, populus inauditi operis festinatam pulchritudinem obstupescens in Circo, præsente Imperatore exclamavit : Constantinus condidit, Cyrus instauravit. Vulneratus his vocibus Imperator, Cyrum sub eo prætextu, quod Græcæ superstitionis cultor esset, Præfecti dignitate privari, et bona illius publicari jussit. Accesserunt, et aliæ quoque calamitates. Uxorem Cyri filiamque cacodæmon, invisus hospes, insedit. Hæc quidem Cyro, invidia principis, ut videbatur, benignissima tamen Providentia Dei sic evenerunt, ut vim medicamenti obtinuerit tam multiplex calamitas. Qui enim inter tot signa atque prodigia, etiamnum Deorum cultor perseverabat, violento remedio curandus erat, et reddendus sanæ menti. Iraque Cyrus tot ærumnis pressus, ad Christianorum Deum confugere instituit, Sacris Christianis imbutus, et in Clericum attonsus, quoad vixit, Smyrnæ Pontificem egit. Gratias agat Cyrus divinæ Providentiæ maximas; sane perierat, nisi sic periisset. Ib. c. VIII, § 1.

S. Paulus, primus Eremitarum, sexaginta annis a corvo dimidiatum panem efferente pastus fuit; utque certior in hoc Dei Providentia eluceret, accidit ut, superveniente S. Antonio novo hospite, integrum corvus ille panem administraret, Paulo tum dicente cum gratulatione condigna : Eia, Dominus nobis prandium misit vere pius, vere misericors! Sexaginta jam anni sunt, cum accipio quotidie dimidii pani fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam. S. HIERON. *in vita S. Pauli Eremitæ.*

De Providentia Dei monasterio S. Benedicti demonstrata hoc narrat miraculum S. Gregorius : Alio quoque tempore in Campaniæ regiones fames increpuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat, jamque in Benedicti monasterio triticum deerat, panes vero pene omnes consumpti fuerant, ut plus quam quinque ad refectionis horam Fratribus inveniri potuissent. Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere et rursum promissione sublevare dicens : Quare panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modii ante fores cellæ in saccis inventi sunt, quos omnipotens Deus quibus deficientibus transmisisset. Quod cum Fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt jam de abundantia, nec in egestate dubitare. S. GREGOR. *Dial.* l. II, c. XXI, *ap. Baron.* c. VII. Anno 635.

Dum S. Franciscus Romam proficisceretur cum sociis instituendæ ac confirmandæ suæ regulæ causa, contigit eos ex diurno la

bore fatigari, et in quodam loco solitudinis versus vallem Spoletanam subsistere, ubi cum non possent de victu sibi necessario providere, statim adfuit Providentia Dei. Nam subito apparuit incognitus unde venerit, aut quo iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes fratres supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis divinæ, quam cibo carnis propriæ sunt refecti. *Ex vita S. Françisci per D. Bonav.* c. IV.

Anno a Christo nato 1560, hoc divinæ misericordiæ et providentiæ patentissimum signum in Conventu Conceptionis S. Mariæ Petrensi, ordinis S. Francisci, eluxit. Cum enim in eo loco unicus tantum parvus panis esset, quo duodecim Fratres per integros duos dies refici possent, illumque in undecim partes divisum Pater loci Guardianus, nulla sibi penitus portione relicta, distribuisset, eisque sumpto libello patientiam atque hilarem paupertatem congratularetur, adfuit ex insperato præ foribus ex populo, cui feradulla Hispanice nomen est, unde rarissimæ Fratribus, tum ob loci distantiam, tum quoque ob ejus pauperiem, eleemosynæ subministrabantur, rusticus quidam panibus, oleo atque asparagis onustus, qui suo adventu eorum necessitatibus occurrit. FRANCISCUS GONZAGA III, p. *de Origine Seraphic. Relig. in Proverb. S. Joseph Conc.* II.

EXEMPLA DOMESTICA.

In vita S. Ignatii de Loyola admirabile quoddam nostroque proposito conveniens factum legitur. Hic enim vir sanctus Romæ apud Gubernatorem delatus fuit, tanquam si Compluti, Parisiis et Venetiis manifestæ hæreseos, aliorumque atrocium scelerum causa ad mortem condemnatus, per fugam se a debito sibi supplicio exemisset, tametsi etiamnum in prædictorum criminum contumacia continuaret. Ut autem Deus per altissimam suam Providentiam Sancti Ignatii innocentiam omnibus faceret sequentibus sæculis manifestam, audite, quid fecerit. Attigit a fine usque ad finem, et disposuit omnia. Quia enim hæ calumniæ Venetiis, Compluto et Parisiis Romam ad sanctum hunc virum accusandum venerant, voluit Deus, ut ab iisdem locis veniret facti veritas, ad absolvendum innocentem. Qua autem ratione id factum fuerit, nemo non censebit esse miraculum; siquidem eodem tempore, quo vir Dei accusabatur, simul concurrunt in urbe Romana tres judices, qui in illis tribus civitatibus, in quibus accusator sub juramento Ignatium tanquam reum convictum et condemnatum fuisse asseruerat, absolverant tanquam vere innocentem. Unde Deus privatis motivis, ob quæ tres illi viri Romam venerant, ad majorem Sancti Ignatii gloriam, uti voluit, siquidem illos simul congregavit, et qui antea fuerant judices, tunc fecit esse testes, ut in primo mundi tribunali innocentiæ S. Ignatii concors, indubitata et publica perhiberetur fides. BARTHOL. *Vita*, lib. II, f. 170, et seq. mxa. 175.

S. Franciscus Xaverius, qui primus e Societate Jesu in Indiam et Japoniam Christi Evangelium invexit, ita alte imbiberat animo divinam Providentiam, ut plurima incredibilis in eam fiduciæ specimina ediderit, ex hac porro fiducia tantum divinæ se voluntati conformandi studium nascebatur, ut Xaverius ad Ignatium ex India litteras scripserit in hæc omnino verba : Gratia et charitas Christi Domini nostri. Mi Pater, in Christi visceribus unice. Te ego, Pater animæ meæ, summeque mihi venerande, positis humi genibus suppliciter oro, ut mihi a Deo impetres, ut, dum vivam, sanctissimæ voluntatis suæ mihi det, et plane cognoscendæ, et omnino exequendæ, facultatem. Vale. Hanc illi tantam cum divina voluntate consensionem persuasit summa in divinam Providentiam fiducia. Hac armatus alta spectabat, ingentiaque conabatur ; ubicumque enim divinus honor ageretur, nulli cedebat difficultati, periculove, ita nihil moliebatur, quod non efficeret; nihil inchoabat, quod non absolveret, Deo nixus. In ultimam Orientis regionem Japoniam, lembo vectus piratico ire sustinuit; securus periculorum, quæ ab amicissimis, peritissimisque hominibus, et plurima denuntiabantur, et maxima. Hos ille miratus, quod tam exiguam haberent fiduciam Dei, in cujus illa omnia essent potestate. Equidem, aiebat, cum Dei nutu atque imperio omnia gubernari certo sciam, nihil omnino metuo præter ipsum Deum, cum res cæteræ, quamvis noxiæ, non nisi quatenus ille sinit, nocere hominibus queant. Itaque Dei unius præsidio per tot maris terræque discrimina, per tot gentes sermone moribusque dissonas, Indiæ vastitate non contentus, Malacam, Molucas Insulas, Mauricam, Japoniam, Sinas, omnem de-

nique Orientem animo atque industria complexus, ad ultima Orientis penetravit, Oceanoque toties remenso, Christianis mysteriis feras barbarasque gentes instituit, ac mitigavit. Nec vero unquam illum Dei fiducia fefellit. Illæsus venena bibit, sagittas transit, ter naufragium fecit; ac semel tabulæ incubans, biduum triduumve fluctibus impune jactatus evasit, aliaque innumera pericula effugit. Illud autem assidue animo versavit : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » turpissimum ratus, et omnium periculorum maximum, divinæ Providentiæ atque potestatis spem fiduciamque abjicere. Ita unicum in orbe hostem timuit, diffidentiam. Præsertim (sic ipse loquebatur) cum neque Dæmones ipsi, neque eorum satellites ac ministri, quidquam nos lædere queant, nisi Dei permissu ac voluntate. DREXEL. I. c. II, § 3.

Laborabatur Neapoli arctissima annona, crescebatque petentium ad januam, atque emendicantium numerus, quibus P. Joannes Baptista Piscator, Collegio nostro tunc impositus, dari omnibus panem jusserat solito etiam liberalius. Defecit aliquando janitorem panis, sed Joannem Baptistam nunquam spes, qua providente, quum maxime nihil superesse videbatur in arca, illo certissime affirmante multum adhuc abundare, potior hujus spei, quam oculorum alterius fides fuit. Falli quidem oculos difficile est, præsertim incitatos, et curiosius advertentes ; verum spem non confundere, oraculum est. JOAN. RHO, l. II, c. III, n. 13, *ex Nostris.*

Carolum Scribanium excelsissimi animi virum, cum sæpe alias, tum in magna rei pecuniariæ angustia spes sua egregie nobilitavit. Heribertus quidam amicus noster, rem domus frumentariam fideli opera procuraverat, quumque venditor pretium aliquanto violentius repræsentari sibi vellet, interprete Heriberto, Scribanius ne obolum quidem domi esse, verissime opponebat. Tum Heribertus : Quid igitur faciendum, si solutio differatur? Actum de nostra fide in posterum est. Substitit paululum Scribanius, tum ad amicum : Tu vero abi, et Deum ora; ego itidem hinc ad preces abeo, Deum exorabimus. Falsus spe sua non est. Paulo post oblatum ab amico argentum, quantum creditori compescendo satis erat, soluta pensione dimidia. Quod uno exemplo firmavimus, innumerabilibus etiam potuimus, sed non est pluribus opus, ubi uno res tota transigitur. Ib. n. 14.

Antonium Possevinum, diu jam de ineunda Societate cogitantem, filiorum, quos frater reliquerat, cura, et educatio retardabat; itaque cum incalescente Religionis æstu Sacrum faciente Benedicto Palinio, Patavii voto se Religionis obligaret, eam temporis addidit exceptionem, ut diceret, simul ac fratris filiis consuluisset, se facturum. Vix ille ista conceperat, quum increpantis Dei vocem audire sibi visus : Quasi vero adolescentibus istis ego satis consulere non possim? Pudore suffusus, et melioris spei securus, quam in Deum rejiceret, absoluto voto se mancipavit, præsenti superfundentis se gaudii mercede. Ib. n. 35.

Bernardinus Realinus ita Dei bonitate securus acquiescebat, ut, quum Lupiense Collegium regeret, monente non semel ministro, nihil esse domi, quod sociis cœnaturis apponeretur, subridens ille, hominisque trepidationem blande castigans, consueta nihilominus hora dato signo omnes evocari juberet in cœnationem, nunquam falsus, nam in ipso rei articulo, quod satis esset ad Religiosam refectionem, ex insperato submittebatur. Sed beatitatis tam certa illi fiducia, ut se amicis inde ad futurum, liberaliter polliceretur. Verum dilata in annum quartum supra octogesimum abitione sua, ipsam senectutem sibi solatio esse dicebat, Apostolicum illud ad levandam dilatæ missionis afflictionem crebrius usurpans : Quod senescit, prope interitum est. Ita demum excessit, ut ibi jam esse sibi aliisque videretur. Ut enim flumina, quum vicinum in mare advectas per longinqua terrarum exonerant aquas, confusis limitibus vix ab ipso, quod intrant, mari secernas; ita spes beatitati propius admota magnas etiam animas ita implet, ut vix capiant; nam illa tum demum perficitur, quum desinit. Ib. n. 16.

EXEMPLA PROFANA.

Epictetus dicere solebat : Religionis erga Deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones ; ut sentias, et esse eos, et bene justeque administrare universa ; parendum esse eis, et omnibus iis, quæ fiant, acquiescendum, et sequenda ultro, ut quæ a mente præstantissima regantur; sic enim nec incusabis eos unquam,

nec ab eis negligi te conquereris. Et iterum: Ne postules, ea quæ fiunt, arbitratu tuo fieri: sed, si sapis, ita fieri quæcumque velis, ut fiunt. Morbus est corporis impedimentum; instituti non item, nisi ipse velis. Claudicatio, pedis est impedimentum; instituti non item. Quod si singulis in rebus, quæ incidunt, consideraris, invenies eas alterius cujuspiam rei, non tui, esse impedimentum. EPICTET. *in Enchir.* c. XIII *et* XXXVIII.

Seneca Lucilium suum, divinæ Providentiæ consideratione, contra casus rerum humanarum inopinatos sic præmuniit: Senties et confiteberis, nihil ex his optabilius et magis utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerumque casum sequentium instruxeris; nisi illud frequenter, et sine querela inter singula damna dixeris: « Diis aliter visum est; Dii melius. » Sic composito nihil accidit. SENECA, *ep.* XCVIII.

Cum aquila olim in excelsa quercu septem pullos educasset, hunc nidum C. Marius etiamnum puer conspicatus, secum pullos in urbem asportavit; qui non sine numine divum, sed infallibili Dei providentia, septimum illum aliquando Consulem fore, præsagirent. PLUTARC. *de Viris illustr.*

Sanctii Garsiæ, Aragoniæ Ducis, mater, Uraca nomine, illo gravida, cum in bello contra Mauros fortis et animi plena mulier, socia marito esset, lancea in latere grandi vulnere percussa concidit, prole intacta, quæ per vulnus manum exerens, viva extracta est. RODERIC. TOLETAN. l. V, *de reb. Hisp.*

Naufragium passus pater cum filio, uterque undis involvitur, submergitur pater, filius pro tabula parentis cadavere usus ad littus enavigavit. ENGELGRAV. *Dom.* VI, *post Epiph.* § 1.

Anno 1627, in urbe S. Severini, decem millia hominum terræ motu perierunt; cum ipsis ædibus et turribus vasta campana deciderat, quæ cæteris omnibus ruina oppressis, puerum inter rudera incolumem texit, ac protexit. Ibidem.

Nec minus stupendum, quod Recupitus ex Dione refert. Ingenti terræ motu Antiochiæ sub Trajano exorto, neminem inter ruinas vivum repertum, præter puerum matris mortuæ ubera sugentem. Ibidem.

Anno 1570, nocte ante lucem omnium Sanctorum, oceani exundatio hausit aliquot Zelandiæ insulas, magnam Hollandiæ partem, totam fere Frisiam, strage non modo fortunarum, plane incomparabili, sed hominum quoque, vel in sola Frisia viginti millium. Submissi cum cymbis per dies insequentes, ut naufragii reliquias colligerent, nonnullos superstites in collibus et arboribus, extremum spiritum trahentes excepere; interque eos Senecensi in colle repertum infantem, illuc cum fele cunis advectum, placidissime dormientem, diluvii et naufragii unice securum. Ibidem.

Appius in exilium ablegatus, omnes fortunas suas, quæ opulentissimæ erant, convasavit, ac una cum illis ac famulorum comitatu, Myoparone trajicere tentavit; sed famuli prædæ inhiantes, dominum omnibus exutum, lembo imponunt, ipsi interim direptas opes inter se partiti misero naufragio perierunt, domino salvo. Ibidem.

Aristomenes in manus hostium delapsus, in specum subterraneam detruditur, ut fame ac siti extinguatur. Jam omnem vitæ spem amiserat, cum ecce arcana via exitum invenit; vulpes enim insperato sub terram in antrum penetravit, quam Aristomenes cauda prehensam insequitur, et manu altera terram egerendo, aditum sedulo laxabat, qua intrarat, donec in apertum prorupit, qui vivus sepultus credebatur. Ibid.

MOTIVA

Providentiæ Dei se committendi.

Experientia, tot exemplis et argumentis probata. 1. *Ex mundi creatione*, de qua sic loquitur S. Nazianzenus: Unde tibi hæc omnia, et a quo? Aut parva hæc oculisque subjecta dicam, cujus munere ac beneficio cœli pulchritudinem cernis, solis cursum, lunæ orbem, siderum multitudinem, eamque, quæ in his omnibus velut in lyra elucet, concinnitatem atque ordinem semper eodem modo se habentem; partium anni vicissitudines, temporum mutationes, annorum conversiones, diei, noctisque æquas portiones, terræ productiones, aeris diffusionem, maris fluxi simul ac stabilis immensam latitudinem, fluminum profunditatem, ventorum profluvia. 2. *In commerciis,* nam quia non omnia mundi climata, nec omnis terra ad illa producenda apta est, et idonea, quibus indigemus, ideo hominis ingenium erudivit, ad commercium ex uno polo ad

alterum transigendum, idque per hoc, quod mare navigabile reddiderit, unde pretiosissimæ merces ab Indis ad nos, et vice versa a nobis ad Indos, nec non varia pro variis infirmitatibus nostris transportantur ab ipsis Antipodis potentissima remedia. Navigationi quoque de magnete prospexit, quo mediante naucleri ex uno regno ad aliud, imo ex uno mundo ad alium secure discurrunt, adeo ut permutando merces nostras cum alterius mundi mercibus nobis incognitis, optime verificari possit illud Psalmistæ : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » 3. *In ventis*, quos producit de thesauris suis; per hos enim aer purificatur, per quem vivimus, et ex quo respiramus, solis temperantur ardores, agitationes navium in mari promoventur, aquæ similiter agitantur, quæ si stagnarent, marcescerent utique, locaque vicina pestifera contagione inficerent. Ejusdem quoque Providentiæ effectus sunt salinæ, quæ modo quodam admirabili naturaliter, simulque per artem productæ, tantæ sunt necessitatis ad vitam humanam transigendam, ut sine ipso sale homo subsistere non possit. Ab hac quoque Providentia tot aquæ minerales, variis infirmitatibus pellendis proficuæ, tot plantæ medicinales, lapides et gemmæ, non solum pretiosæ, sed et salutares proficiscuntur. S. Greg. Naz. 4. *In rore*, *et pluviis*, *et nivibus*, quibus terra indiget, ut suos possit nutrire, et ad augmentum perducere fructus; ideo hunc rorem ex vaporibus generari facit, quos sol ex eadem terra, et aquis elicit, et attrahit. Quia vero hi vapores ventis indigent, quibus ex mari in aera deportentur, ibidemque simul condensentur, ideo ab exhalationibus terrestribus generari facit ventos. Et ut hæ exhalationes generentur, disponit, ut stellarum, planetarum, et præcipue solis influxus cœlestes ad hunc finem opportunum terræ conferant subsidium ad effectus illos producendos. Quia vero cœli nequaquam sunt animati, et consequenter ex seipsis per rationem et discursum tempore opportuno operari nequeunt, ideo supremus rerum omnium Artifex cœlis de intelligentia quadam Angelica prospexit, quæ primum mobile indefesse agitat, et volvit, quod suo motu omnes alias sphæras, dependenter a primo mobili influentes, intra viginti quatuor horarum spatium quotidie secum rapit; educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. 5 *In animalibus ad nostrum servitium deputatis;* quibusdam enim illorum in proprium situm terram assignavit, aliis aquam, aerem aliis, nonnullis etiam pro alimento assignavit carnes, aliis vermes, multis herbas. Homini vero tanquam omnibus creaturis superiori fructum nobilissimum, id est, frumentum indulsit, præter tot alios cibos sapidos, et delicatos. Omnibus quoque viventibus de instincti bus prospexit, ad victum necessarium conquirendum proportionatis. Quibusdam arma defensiva, et offensiva impertitus est, hisce videlicet cornua, illis ungues, aliis dentes. Animalia vero inermia et timida sagacitate, et astutia communivit, ut ferocium animalium silvestrium violentiam evadere possint, ut patet in vulpe et lepore. Imbellibus damis magnam indidit ad currendum agilitatem et velocitatem, ut fuga sibi consulere possint. Insuper, sciendum est, quod unumquodque animalium naturaliter agnoscat cibum sibi salutiferum, nec non, et illum, qui illis nocivus est; hancque notitiam habent ab herbarum odoratu, qui in ipsis vivacior esse solet, quam in nobis. Observandum quoque, quod, quia animalibus ad nostrum servitium deputatis ratio deest, seu discursus rationalis, ad prospiciendum sibi de vestimentis, prout nos per ingenium nostrum nobis consulere consuevimus, ideo Deus aliqua animalia pellibus, alia setis, alia lanis, alia plumis, alia spinis, alia squammis induta, alia conchis inclusa nasci voluit, juxta propriam uniuscujusque naturam. Item inveniemus cornicis pedes, velut quibusdam digitis distantibus separatos, atque divisos; corvorum quoque atque pullorum aliter etiam formatos a natura pedes; avium, quæ carne vescuntur, quasi incurvos, atque sinuatos, velut ad prædam paratos. Ea vero, quæ natandi habent usum et consuetudinem, latos pedes, et membrana quadam illos digitos pedum sibi copulatos atque conjunctos, in quo admirabilis patet ratio naturæ, ut, et illa ad volandum, vel rapiendum cibos usu ac commodo fulciantur, et ista ad natandum adjumenta habeant competentia, quo melius possint aquis supernatare, et quasi remis quibusdam, ita pedibus suis membranæ illius extensione latioribus aquarum fluenta propulsent. Cygnus quoque cur proceriori collo utatur, in promptu causa est, ut quia est paululum segnior corpore, nec facile potest aquarum inferiora penetrare, cervicem extendat ad

prædam. De ciconiis, et gruibus pariter scriptum reperio, quod quia longas habent tibias, ideo in creatione sua collum quoque longum acceperint, ut tanto facilius rostro in terram pertingere possint. Cattis, seu felibus, quæ in obscuritate noctis muribus capiendis invigilant, utpote quæ hominibus damnum ingens, et molestiam conciliant, natura oculos dedit particulari quadam luce præditos, quæ multis aliis animalibus nequaquam est communis, ut hac ratione inter tenebras noctis instinctum illum, propter quem specialiter generati fuere, adimplere valeant. 6. *In hominum sustentationem*; de qua Christus dixit: « Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. » Circa quæ verba Euthymius ita scribit : Non dicit autem : « Scit Deus,» sed, « Scit Pater vester ; » quo maximam habeant fiduciam. Ex quo enim Pater est, et talis Pater, filios despicere non poterit, et pati, ut rerum necessariarum indigentia deficiant, cum neque terreni patres id sustineant ; et quia omnibus his scit vos indigere, dabit utique. Cornelius Jansenius circa eadem verba ita scribit : Quæ certe sententia magnam habet energiam ; nam ad hoc, ut quisque posita sollicitudine totum se alicujus providentiæ committat, nihil aliud requiritur, quam ut certus sit de illius providentia et potestate, et scire illum suas necessitates. Deus autem egestatem nostram novit, quia ipse scit figmentum nostrum, cum nos creaverit ad sustentandam vitam alimenti omnino indigos ; scit, quia his omnibus indigemus ; de ejus itaque Providentia et omnipotentia plane certi simus, sciamusque, quod ab eo veluti a patre tenerrime amemur, ideo namque Patris nomine a nobis appellari voluit, dum nostrum ab eo panem deposcimus. Nam ut D. Chrysostomus, parum ab Euthymio differens, inquit : Non dixit : *Novit Deus*, sed *Pater vester*, ut eos profecto ad spem certiorem vocaret ; si ergo est Pater vester, et Pater talis, nequaquam profecto patietur despici a se filios. Immo urget ut postulemus, teste S. Chrysologo dicente : Qui Patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui rerum nos fecit hæredes, qui nos in nomine hoc sublimavit, qui nos suo et honore donavit, et regno, ipse nos, ut panem quotidianum postulemus, urget. Idem Sanctus Doctor super illa verba : « Considerate corvos, Deus pascit illos,» tale format argumentum : Exemplo tali exaggerat dubitantis insaniam, qui putet, Deum hoc piis filiis denegaturum, quod impiis avibus subministrat. S. Chrys. h. xxiii *in Matth.*

Sapientia Dei, uti recte Drexelius ostendit, dicens : Si quis cum tabellario viarum peritissimo iter ingrediatur, et ubi salebrosæ, difficiles, ac flexuosæ se viæ obtulerint, incipiat queri, dicatque : Per quæ me avia ducis, vir bone ? Nisi me valde fallo, jam dudum itinere decessimus. Huic viæ auctor prompte respondebit : Ne sollicitus sis, mi domine, et hanc mihi curam relinque. Per aliquas, fateor, ambages te duxi ; quod si limite recto ivissemus, in paludes illas ineluctabiles incidissemus. Fide te mihi ; sic ducam, ut te hujus comitis non pœniteat. Semita trita et tuta, nemini nimium longa sit aut aspera. Ita nos divina ducit Providentia per crebros quidem anfractus, perque varios viæ flexus incedendum est. Sed quid indignamur optimo duci ? Modo via sit secura, quid refert, si sit salebrosa ? Quam ipsam sapientiam etiam in ossibus hominis ostendit, uti Drexelius sequentibus verbis declarat : Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Drex. *in Heliotrop.* Tot in humano corpore ossicula sunt, et ossa, ut hominem dixeris ossuariam. Ossium quædam clavorum vice sunt, ut dentes ; alia sunt ut pyxides, ubi medulla, præsertim in coxis et tibiis ; aliqua quasi consuta sunt, ut cranium ; alia aliis infixa sunt, sicut januæ uncus cardini. Galenus, Medicorum princeps, in humano corpore ossa ducenta numerat. Viringus inter medicos celebris, ducenta viginti quatuor assignat. Horum quodlibet, uti Galenus docet, quadraginta fines seu scopos in usum corporis habet, adeo artificiose inter se omnia collocata sunt. Ergo ut ossa solum humani corporis in ordinem reponantur, plusquam octies mille scoporum seu finium observandi. Unicum ex his non conteretur, Deo non annuente : *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Neque vero Deus, ut architectus est, qui, cum struxit domum, deserit ; Deus operi suo momentis omnibus non adest tantum, sed assidue in eo habitat. Ib. cap. vi, § 4.

Amor Dei erga homines, qui variis ex indiciis colligitur. 1. *Quia Pater noster est ;* hinc Jansenius ait : Non dicit : Et Deus Pater pascit ea, sed Pater vester, et cœlestis ; cum dicit : Et pater vester, significat Deum, qui volatilia pascit, cum illorum tantum sit

Dominus, non Pater. Multo magis nos, quorum etiam Pater est, pasturus est, cum proprium patris officium sit, filiis alimenta prospicere. JANSENIUS, *in* cap. VI, *Matth.* 2. *Quia Mater nostra est*, uti per Isaiam ostendit, dicens : « Audite me, domus Jacob, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. » Et iterum : « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.» 3. *Quia Creator noster est*, qui animalia omnia fecit propter hominem ; hominem autem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum ? Hinc S. Cyprianus infert : Quod si Deus providet passeribus, si tot pascit aves, quæ strictam adeo cum Deo conjunctionem non habent, sicut habet homo; quanto magis manus ipsius erga nos provida erit, et sollicita? S. CYPRIAN. *apud Mansi*, *disc.* IV, n. 6. Tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino tuo adeo caro aliquid existimas defuturum? Minime, quia humana creatura est illud opus, quod eadem Beata Trinitas magna sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret, teste Ruperto Abbate. 4. *Quia Conservator est noster*, de cujus sollicitudine sic discurrit S. Augustinus : Sic certe mihi videtur, dum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, nihil aliud agit Deus nisi ut meæ saluti provideat, et ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit. S. AUG. c. X, *de diligendo Deo*. Unde, et Tertullianus ait : Erat una Pastoris ovicula, sed grex una carior non est, una illa requiritur, præ omnibus desideratur. TERTULL. *de Pœnit.* c. VIII.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, *quod hac in materia ante omnia Fatum et Fortuna negari debeant; est* autem *Fatum*, quod veteres Philosophi admittebant, *occulta quædam naturæ vis, et necessitas, qua una, et sola dispensante, quævis sive bona, sive mala, eveniunt. Fortuna* autem *est causalis contingentia, qua absque ulla electione res quæque contingit.* Utrumque damnatur a Conciliis et SS. Patribus. Et fatum quidem a Concilio Tridentino dicente : « Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit. » *Concil. Trid. sess.* VI, c. VI. Fortuna, S. Augustino asserente, mendacium Dæmonis est, qui, ut miseros gentiles deluderet, eosque efficeret divini cultus contemptores, eis persuadet, Numen quoddam esse Fortunam, quam si colerent, abjecta etiam omni pie vivendi sollicitudine, illa dante, felicia omnia, assequerentur. S. AUG. l. IV, *de Civ.* c. IX. Unde recte de hac ridicula dea Seneca dixit : Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna. Valentior enim omni fortuna est animus, qui in utramque partem res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est. SENECA, l. VII, c. LXX.

Nosse debet, *quo fine omnes creaturas condiderit Providentia Dei*, id quod S. Gregorius Nyssenus sequentibus verbis ostendit : Quis mihi terram substravit? Quis perviam solertia atque industria naturam aquæ humidam fecit? Quis fixit mihi cœlum tamquam cameram? Quis præstat mihi facem solis? Quis emittit fontem in convallibus? Quis mihi brutorum animalium ministerium subjecit? Quonam fine Deus homini luminaria majus et minus creavit, nisi ad utilitatem ejus? S. GREGOR. NYSS. *Orat.* I. *in Dom. Orat.* Cui putas? Nulli nisi tibi, inquit S. Bernardus. Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Unde S. Basilius ait : Undevis affluit amœnitas exuberans deliciarum, omni nos obvallante creatura, per luculentam ac prædivitem erga nos beneficentissimam Dei gratiam? S. BASIL. h. *in Julianum.*

Nosse debet *fundamentum, cui hæc doctrina innititur, scilicet nihil uspiam in hoc mundo fortuito aut ex necessitate fieri.* Divina namque intelligentia infinita est, extenditque se sine ullo labore ad omne, quod intelligi potest. Deus puncto temporis, uno eodemque, sic dicam, ictu oculi sinus omnes et abyssos cœli, terræ, maris, inferorum penetrat ac pervidet. SAP. 14, 21. Rectissime Job : « Nihil, inquit, in terra sine causa fit. Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit Deus ab æterno. » JOB, 5, 6. Ita in rebus omnibus divinæ gubernationi,

admirabilissima elucet Providentia, quæ non præest solum rebus omnibus, sed interest, immo inest. Hinc Paphnutius, interrogatus, quid causæ foret, quod illi proficerent, deficerent isti, sub eodem magisterio; hic caderent, illi starent? respondit: Quæcumque fiunt, aut ad Dei beneplacitum, aut ex permissione Dei fieri; et omnia quidem, quæ cum virtute conjuncta essent, secundum Dei beneplacitum, cætera vero, quæ cum vitiis haberent affinitatem, damna et injurias in orbem inveherent, Dei permissu fieri. Cur autem Deus tanta, tamque frequentia mala permittit? Hic jubet Plato quiescere: Judicia Dei abyssus multa. Hoc optime cepit, qui dixit; Sine consilio et providentia tua, et sine causa nihil fit in terra, didici etiam ex hoc inscrutabile judicium tuum expavescere, qui affligis justum cum impio, sed non sine æquitate, et justitia. DREXEL. l. V, c. VI, *Heliotr.* § 1.

Nosse debet *differentiam, quæ inter gubernationem Dei, et Principum terrenorum intercedit;* nimirum, quod hi, dum numerosæ aulicorum suorum familiæ volunt prospicere, multos ministros sub promissis stipendiis cogantur conducere, inter quos unus sit promuscundus, alter cellarius, tertius vestimentorum custos, quartus triclinii præfectus, et sic deinceps de aliis officiis. At vero cœlesti Patri pro bono totius generis humani regimine et sustentatione abunde sufficit, quod manum suam aperiat, seu, quod idem est dicere, velit; volendo enim suscitat ventum, qui coturnices in abundantia subministret; præcipit, et per spatium quadraginta annorum cœli angelica replentur annona; ordinat nubibus, ut agros fecundent; ventis, ut favorabiles zephyros edant; plantis, ut fructibus sese onerent; denique terræ, ut partus suos progerminet: « Aperit manum suam, et implet omne animal benedictione. » Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. MANSI, *disc.* III. n. 4.

Nosse debet, *quæ sollicitudo a Deo sit prohibita, vel permissa;* id quod S. Thomas explicat, dum quærens, utrum licitum sit sollicitudinem habere de rebus temporalibus? talem statuit conclusionem: Temporalium sollicitudo illicita est, si ea, ut ultimus finis quærantur, et si ad ea inquirenda superfluum studium adhibeatur, vel nimium timeamus, ne nobis in necessitate deficiant. cuius conclusionis hanc subnectit declarationem: Sollicitudo importat studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendum. Manifestum est autem, quod majus studium adhibetur, ubi est timor deficiendi; et ideo, ubi est securitas consequendi, minor intervenit. Tres autem observat vitiosos defectus, quorum primus est ex parte ejus, de quo sollicitamur, si scilicet temporalia, tamquam finem, quæramus; secundus, propter superfluum studium, quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo a spiritualibus, quibus principalius inservire debet, retrahitur; tertius est ex parte timoris superflui, quando aliquis timet, ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant. Quod Dominus tripliciter excludit. Primo propter majora beneficia homini præstita divinitus, præter suam sollicitudinem, scilicet corpus, et animam. Secundo, propter subventionem, qua Deus animalibus, et plantis subvenit, absque opere humano, secundum proportionem suæ naturæ. Tertio, ex divina Providentia, propter cujus ignorantiam gentiles circa temporalia bona quærenda principalius sollicitantur. Ex qua doctrina deducitur, quod sollicitudo, quæ interdicitur, non excludit laborem et diligentiam nostram; hoc enim esset tentare Deum. Porro Lucas Burgensis sensum verborum Christi litteralem hoc modo declarat: Sollicitudinem vetat, immodicam illam, et anxiam, qua totus in hoc est homo, ut de rebus vitæ necessariis sibi prospiciat, nihilque Deo commendat, nihil divinæ Providentiæ relinquit, tamquam id solus ipse curare, et possit, et debeat. S. THOM. I, II, q. LV, a. 6. Et iterum super illa verba S. Pauli ad Philippenses: « Nihil solliciti sitis; » scribit Sollicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deest, et hoc est commendabile, et opponitur negligentiæ; quandoque anxietatem animi cum defectu spei, et timorem de non obtinendo id, circa quod sollicitatur, et hanc prohibet. Idem, *in* c. IV. *Philipp.*

Nosse debet, *cur in hominibus non sit sperandum?* Nimirum quia fulcimenta humana vacuæ appellantur arundines. Baculus enim arundineus extrinsecus pulcher videtur esse, et fortis, quod si tamen illi innixus fueris, rumpetur, quando minus putabis, et penetrabit manum tuam; unde in libris Regum dicitur: « An speras in baculo arundineo, atque confracto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus,

et perforabit eam? » Vatablus legit : Homines, quibus fidimus, sunt similes fragili arundini, cujus, cum frangitur, fragmenta acuta solent lædere innitentem ipsi ; sic homines plus nobis tandem incommodi afferunt, quam commodi. Hugo Cardinalis rationem assignat, quare David dixerit : « Nolite confidere in principibus, in filiis hominum ; » hi enim solent esse fallaces, et cum verborum suorum fidem non servaverint, nullus superest modus, quo ad illam servandam cogi possint. Præterea quia præ cunctis aliis vitæ brevitati sunt subjecti, juxta illud Ecclesiastici : « Omnis potentatus vita brevis. » (ECCL. n. 10, 11). Deinde quia in necessitatibus urgentioribus clientes suos derelinquunt, unde in Deuteronomio dicitur : *Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant*. DEUT. XXXII, 38. Denique quia facile mutant affectum et irascuntur, cum alta semper prætendant ; Deus vero non item : « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. » NUM. XXIII, 19. S. Job lamentabatur dicens : « Fratres mei præterierunt me, sicut torrens. » JOB. VI, 15. Pro cujus dicti intelligentia notandum, quod tempore hyberno, quando viatores aqua minime indigent, torrentes adeo aquis abundent, ut omnes agri in aquis stagnent, evellant arbores, domus diruant, aliaque irreparabilia damna causent. In æstate vero, quando terra arida est, et sicca, et præ nimiis solis ardoribus mundus quasi ardet, iidem torrentes sicci sunt, et exhausti. Tales se Job suos expertum fuisse amicos lamentatur, in quibus antea habuerat, fiduciam ; siquidem prosperitatis tempore magna se in ipsius favorem facere velle promiserant, et tamen in majori necessitate illum deseruerant. MANSI, *disc.* XII, n. 5.

Nosse debet, *cur superflua vitanda sint*? nempe ob causam ab *Auctore Operis Imperfecti* indicatam, dum verborum illorum : Sufficit diei malitia sua, hunc sensum esse asserit, ac si dicat : Sufficit tibi labor et miseria, quam pateris in vita propter usus quotidianos, quos necessarios habes. Noli superflue pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius. Hinc etiam in Oratione Dominica nos voluit orare : « Panem quotidianum da nobis hodie ; » quia, ut Oleaster recte dixit, vult nos semper ab ejus Providentia pendere, quoniam novit nos non adituros eum, nisi indigeremus ; qua in re melior est pauperum, quam divitum, conditio ; sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Deum, ut eorum misereatur, et necessaria saltem ad illum tribuat diem. OLEASTER, in c. X. EXOD.

Nosse debet, *cur Religiosi præcipue aliique spirituales viri in Providentia Dei spiritualiter confidere debeant*? Nimirum ob causam a Clemente Alexandrino indicatam, dum dixit : Deus quidem ut Pastor, singularum ovium curam gerit, eos vero maxime providendi ac visendi tenet studium, qui populo multum prodesse possunt ; hi autem sunt, qui ad regendum et docendum sunt apti. CL. ALEX. *Strom.* VI. Et confirmans idipsum Rupertus : Si totus fere mundus, inquit, aliquando esuriat, et pane indigeat, justum illum, ejus in corde domesticum (cujus in ore familiare est verbum Dei) non videbis derelictum. Et verum est, quod Scriptura dicit : « Non interficiet Dominus animam justi. » B. Alferius in vitis Patrum Occidentalium quondam suo monasterio hanc legem præscripserat, scilicet, quod numerus Religiosorum illius loci duodenarium nequaquam transcendere posset, hujusque legis hanc reddidit rationem : Ne, si numerum excederent, sustentari de rebus monasterii non possent. At vero vicinus morti factus, dictam legem retractavit, inquiens : Ego, quod de numero constitui, secundum hominem dixi ; nam quod mihi Dominus revelare dignatus est, in hoc monasterio innumerabilis multitudo ad ejus servitium colligenda est, nam qui eos ad Regnum suum congregat, temporales etiam sumptus ministrabit. RUPERTUS, l. VIII. Hinc merito Hugo Cardinalis verba illa : « Respicite volatilia cœli, » interpretans ait : Verisimiliter possunt hæc exponi de Religiosis, qui nec serunt, neque metunt, et nihil in terra quærunt, et ab omni mundana sollicitudine semoti, sola contemplatione in cœlo degunt. De his igitur potius, quam de aliis, Christus dicit : « Et Pater vester cœlestis pascit illa. » Ipsi est cura de vobis. HUGO CARDIN. *in cap.* VI, *Matth.*

Nosse debet, *quod ita Providentiæ divinæ fidendum sit, ut tamen etiam cooperatio propria jungatur*, uti in Jacobo Patriarcha cernere est, qui licet peculiaris divinæ Providentiæ scopus fuerit, non tamen industriam, et sudores suos ad res a Deo provisas adhibere intermisit : « Nocte, et die urebar

æstu, et gelu, fugiebat que somnus ab oculis meis. » Eidem, in suo ad domum paternam reditu, trementi (eo quod obviaturus erat fratri suo Esau, qui indignans et vindicativus illum adoriri parabat) fuerunt obviam Angeli Dei ; quos cum vidisset, ait: « Castra Dei sunt hæc. » At vero dices forte : Ex quo cœlum in ipsius favorem pugnabat, quo fine omnes, ad numerosissimam familiam suam pertinentes, in certas turmas, ordines et phalanges distribuit? David olim dicebat : « Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo ; Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos ; » Et tamen Jacob divisit populum, qui secum erat, in duas turmas etc. Munera quoque Esau fratri suo misit, ut illum placaret ; sicut, et ad illum mitigandum, sibique reconciliandum, sagaces misit nuntios ; quænam hæ industriæ hominis, qui omnem fiduciam suam in Deum collocaverat, et cujus Deus defensor erat? Nimirum, prudens Jacob per hoc nobis indicare voluit, quod Providentia Dei media humana non excludat, dummodo hæc dependenter a Deo adhibeantur, « quia nisi Dominus, custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam;» vult enim, ut, postquam ex parte nostra omnem adhibuerimus industriam et diligentiam, in ipsum præcipue, tanquam in primam causam, confidamus. Unde Basilius inquit : Ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque hæc oportet, et humanum studium, et auxilium cœleste fidei opera adscitum et comparatum. Mansi, *disc.* xi, n. 6.

Nosse debet, *cur Deus nonnunquam aliquos fame et inopia affligi permittat*? Nimirum ob causam a Sancto Augustino assignatam, dum ait : Cum legamus, in fame et siti Apostolos laborasse, non existimemus, hic, Domini promissa titubare, quandoquidem ista sunt adjutoria. Medicus iste, qui nos totos commisimus, novit, quando apponat, et quando detrahat, sicut nobis judicat expedire ; si enim nobis aliquando defuerint, (quod plerumque propter nostram exercitationem Deus sinit) non debilitat propositum nostrum, sed examinatum confirmat. Possumus id ipsum magis declarare per sequentem aptissimam similitudinem. Stat filius quidam, et ex frusto panis manducat, quod ipsi per totum diem sufficere posset ; si hic talis majorem a patre suo quantitatem peteret, se utique voracem nimis esse ostenderet, eique responderi posset, sufficere illi datam quantitatem pro toto die, pro die vero sequenti dandam esse aliam æque magnam. Est igitur Providentia paterna, quod pater filio suo plus panis non tribuat, quam qui ejus sustentationi sufficit, quia si plus manducaret, quam necessitas ejus exigit, causa futurus esset indigestionis, cum notabili sanitatis detrimento. Nam ut habet medicorum aphorismus, «Omnis repletio mala, panis autem pessima. » Præterea, si filius ille majorem haberet panis quantitatem, quam consumere posset, illum forsitan projiceret canibus, vel male dispenderet. Hoc igitur dispendium prævidens pater, parce illi panem dispensat, non ex providentiæ defectu, sed ex motivo paterni affectu et curæ, quam de bono filii sui habet, et quia substantias suas prudenter conservare satagit. Hæc eadem est supremæ Providentiæ cœlestis Patris nostri intentio, quando bona hujus vitæ nobis parce dispensat, et penuriam pati facit. Videri quidem posset, quod Deus nos desolatos relinquat, vel quod de nobis non cogitet ; at vero revera res ita se non habet, quia tunc vel maxime Deus pro nobis est sollicitus, quando secundum nostram opinionem nos derelinquit ; hoc enim facit, ut bonis cœlestibus abundemus ; quia incrassatus, impinguatus, dilatatus, derelinquit Deum factorem suum. S. Aug. *de Ver. Dom.*

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Deus, in Deuteronomio, gloriatur dicens : « En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terra, et omnia, quæ in ea sunt. » Id quod eruditissimus et acutissimus Oleaster summopere admiratur, dicens : Ad quid, bone Deus, te divitem jactas ? Ad quid, Dominum cœli et terræ te esse dicis ? Tu unico verbo amplissimas cœlorum sphæras extendisti : « Verbo Domini cœli firmati sunt. » Tu per unicum verbum, *Dixit*, vastissimam hanc universi machinam fabricasti : « Dixit, et facta sunt. » Quo igitur fine, o increata Sapientia, hanc gloriationem? En Domini Dei tui cœlum est etc. æternitatis annalibus ad perpetuam memoriam inscribi voluisti ? Et confestim dubium resolvit sequentibus verbis : Ut ostendas, te omnia hæc servis tuis præstare posse, ut revera præstas. Enim

vero cœlum et terra omnipotentiæ et sapientiæ Altissimi sunt opera. At vero in quorum beneficium hæc sunt fabricata, præterquam in commodum et utilitatem hominis? « Constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus. » OLEAST. in capit. IV, *Deut.*

Seneca magnitudinem divinæ Providentiæ describens: Unde, ait, hæc innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? Unde illam luxuriam quoque instruens copia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur, tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum per totum annum digestæ, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent, animalia omnis generis, alia in sicco, solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, ut omnis rerum naturæ pars aliquod tributum nobis conferret. SENECA, l. IV, *de Benef.* c. XXV.

Scala Jacob, quæ a SS. Patribus dicitur Providentiæ divinæ symbolum, una extremitate cœlum, altera vero terram tangebat, ad denotandum supremam illam Providentiam ad omnes creaturas intellectuales, sive cœlestes, sive humanas, se extendere; atque insuper ad omnia creata, omniaque viventia. Deus in vertice scalæ consistebat dum ministri Angelici per illam ascendebant, ut per hoc mendaces efficiantur perversi illi, qui Deum blasphemabant dicentes: Circa cardines cœli perambulat, et nostra non considerat. Contra quos S. M. Ecclesia in Collecta quadam hunc in modum orat: « Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul et terrena moderaris. » Huic quoque scalæ accommodari possunt verba illa: Attingit a fine usque ad finem, et disponit omnia. Hoc enim ineffabili huic proprium est Providentiæ. In auctore quodam moderno super illa verba: « A fine usque ad finem, etc. » citatam invenio sequentem S. Augustini doctrinam: Attingit a fine usque ad finem, id est, a cœlo usque ad inferiores partes terræ, a maximo Angelo usque ad minimum vermiculum. Observandum quoque est, quod hæc scala videbatur a cœlo descendere, ac tum demum postea terræ inniti. Nos vero per scalas omnino oppositum facimus; prius enim scalam super terram collocamus, eamdemque postea in altum erigimus, ac tunc per scalam ad illam partem acceditur, quam volumus. Cujus differentiæ mysterium hoc esse existimo: Cum enim hæc scala Dei Providentiam significet, conveniens est, ut primo a cœlo eamdem promanare agnoscamus, quæ de sursum est Sapientia. Unde Clemens Alexandrinus super illa Psalmistæ verba: « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, » inquit, quia divina Providentia desuper ex iis, quæ sunt principaliter tanquam ex capite, pervadit ad omnia; prius enim altissima illa Sapientia in cœlo disponit, prævidet, et prospicit omne illud, quod in beneficium nostrum in terra futurum est. Præterea considerandum est, quod, sicut scala duo habet latera, quibus gradus scalæ infiguntur; ita Providentia Dei stipata est fortitudine et suavitate, propter quod dicitur: Attingit a fine usque ad finem fortiter. Ecce fortitudinem. Et postea subditur: Et disponit omnia suaviter. Ecce suavitatem, per quam Deus operatur, dum fines a se intentos absque, ulla voluntati nostræ illata violentia assequitur. Gradus vero hujus scalæ, sive Providentiæ divinæ sunt varii modi, quibus Deus in mundi hujus dispositione et regimine utitur. De ejus Providentia dicere possumus: « Astitit regina a dextris tuis circumdata varietate, » scilicet modorum, seu mediorum, quibus utitur. MANSI, disc. III, n. 15.

Interrogare nonnemo posset, quonam mysterio Christus nos jusserit dicere: « Panem nostrum, » et non potius, « Panem tuum? » Dubium hoc movet pariter, et solvit sanctus Gregorius Magnus, dicens: Ecce, et *nostrum* dicimus, et tamen, ut detur, oramus. Observandum est igitur, quod, licet res aliqua, quæ nostra est, in manu sit alterius, jure tamen a nobis tanquam nostra postuletur. Panis tamen, cum in potestate nostra non sit positus, sed cum nobis dare ad Deum pertineat, (juxta illud: « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione) », quomodo igitur illum *nostrum* vocare poterimus priusquam illum habeamus? subdit S. Gregorius: Noster quippe fit, cum accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, et noster fit veraciter per acceptionem. Possumus tamen hujus aliam assignare rationem, cur scilicet panem nostrum dicamus? Nimirum quia ad prætendendum hunc panem jus habemus, quando ipse voluit, ut Patrem illum vocaremus; hoc enim titulo ad paternam erga nos filios suos obligatur providentiam. S. GREGOR. l. XXIV, *Mor.* c. V.

Certum est, quod omnis Christi actio ad nostram dirigatur instructionem. Quis autem est, qui nesciat, quod, cum Apostoli illum sortiti fuissent Magistrum, de quo scriptum est : « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione; » sine dubio modicam illam familiam suam sine ullis humanis auxiliis sustentare poterat? Et tamen constat, quod in manibus Judæ depositam habuerit pecuniam, qua mediante urgentibus collegii apostolici necessitatibus subveniretur, ac proinde ex eo, quod divinus hic provisor fecit, satis colligitur, quod diligentiam et provisionem circa sustentationem nostram, juxta humanam prudentiam regulatam, prorsus excludere non voluerit. MANSI, disc. VI, n. 4.

Quadruplex inordinatio sollicitudinis vitanda est circa temporalia. Primo, ut in eis finem non constituamus, neque Deo serviamus propter necessaria victus et vestitus. Secundo, ut non sic sollicitemur, ut de temporalibus, cum desperatione divini auxilii, anxii simus; unde Dominus dixit : *Scit Pater vester etc.* Tertio, ne sit sollicitudo præsumptuosa, ut scilicet homo confidat, se necessaria vitæ per suam sollicitudinem posse procurare, absque divino auxilio, quod Dominus removet per hoc, quod homo non potest adjicere aliquid ad staturam suam. Quarto, per hoc, quod sollicitudinis tempus præoccupat, quia scilicet de hoc sollicitus est nunc, quod non pertinet ad curam præsentis temporis, sed ad curam futuri; unde dicit : « Nolite solliciti esse in crastinum. » Ex his igitur, et omnibus aliis hactenus adductis doctrinis, evidenter deducitur, quod labor, diligentia, et industria nequaquam sit prohibita, sed solum diffidentia timida, qua timemus, ne Deus nos in inopia nostra deserat, tametsi officium nostrum integre præstaremus. *Apud Mansi*, disc. VI, tr. n. 6, 58.

Quærunt nonnulli, cur Deus Jacobo Patriarchæ scalam in somno, et non potius vigilanti ostenderit, cum hac ratione distinctius hanc ipsi delineare potuisset. Richardus de Sancto Victore in ea est opinione, quod Jacob oculis somnolentis et dormitantibus scalam illam aspiciens, illos præsignificarit, qui Deo fideliter serviunt, et clausis quasi oculis in divinæ Providentiæ ulnas sese conjicientes, in ipsum confidunt, erga omnia terrena bona cæcos se exhibentes. Hi enim sunt, quorum Deus specialem præ reliquis curam habet. RICH. *de Exèc. mal.* l. III, p. 1, c. XVI.

Deus Providentiam suam ostensurus, apud Isaiam dixit : « Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum; non esurient, neque sitient, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. » At vero dicet fortasse aliquis, et qua ratione fieri poterit, ut quis in viis publicis, ubi non seminatur (et si seminaretur, granum seminatum a transeuntibus conculcaretur) suum inveniat alimentum? Dubium hoc Oleaster in sensu mystico solvit, inquiens : Ubicumque sunt servi Dei, ibi, quæ sibi sunt necessaria, habent. Ne ergo timeas, in via Dei aliquid tibi deficere, quoniam via et montes alimenta tibi ministrabunt. OLEASTER, *in* c. IL, *Is.*

Evangelicum est oraculum, quod dicitur: « Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, etc. » In Græco habetur : Si habeatis fiduciam. At vero quodnam in eo est mysterium, quod fiducia grano sinapis assimiletur? Pro responsione notanda est hæc sinapis proprietas, quod scilicet, quanto magis contunditur, et in pulverem redigitur, tanto suam acrimoniam vehementius exhalet. Eodem modo animæ electæ contingit, quæ suam in Deum habet confidentiam. Quanto enim magis desolatam, omnique auxilii humani spe destitutam sese deprehendit, tanto magis suam in Deum exercet fiduciam. Mulier Chananæa filiam habens a Dæmone possessam, Salvatorem adiit, ut ejus ope liberaretur; qui tametsi ei diceret : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel; » ipsa tamen animum non despondit, sed majori cum fervore supplicationem suam replicavit; et licet Christus ei diceret : « Non est bonum, sumere panem filiorum, et dare canibus; » ipsa tamen repulsam hanc denuo retudit dicendo : « Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. » Sed quisnam fuit hujus tam vivæ, tamque constantis fiduciæ exitus? Nimirum confestim Dominum dicentem audivit : « O mulier, magna est fides tua ! fiat tibi, sicut vis. » Et sanata est filia ejus ex illa hora. Ubi observandum, quod, licet hæc mulier in hac occasione posita, multarum ediderit specimina virtutum, humilitatis scilicet, patientiæ, charitatis, prudentiæ, perseverantiæ, orationis etc. Christus tamen specialissime ejus

fiduciam deprædicavit, idque eo fine, ut existimo, ut per hoc nobis insinuaret, quod, licet omnes virtutes in ordine ad nostras orationes exaudiendas ei sint gratissimæ, primo tamen loco vivam a nobis fidem et confidentiam deposcat. MANSI, *dis.* II, n. 3.

S. Basilius observat, quod eo tempore, quo aves alcyones appellatæ, nidos suos in littore maris ædificant, pelagus tempestatibus conturbatum ad tranquillitatem suam efficiant; unde ad nostrum intentum sequens elicit documentum, quod, si Deus Auctor et Dominus omnium creaturarum, in harum avium obsequium, ut scilicet ova sua quiete excludere possint, maria tranquillat, homo utique qui ad Dei imaginem et similitudinem creatus est, de auxilio divino, a tam benefico Deo sibi subministrando, diffidere nequaquam poterit. Ibid.

Omnia quidem in manu Dei sunt, non male tamen quispiam dixit, tres claves Deum penes se habere, quas nemini committat : unam quidem clavem ad promendas pluvias, ventos, nives, et alios ejusmodi partus aeris ; clavem alteram ad reseranda sepulchra, et revocandos in vitam mortuos; tertiam ad panem et omne genus alimoniæ. Quod si Deus has promptuarias cellas occludat, quis aperiet ? Ergo Deus rerum omnium promuscondus; ab ipso impetrandum, quidquid ducendæ vitæ necessarium est. DREXEL. l. V, c. VII, *Heliotr.*

Quærunt nonnulli, cur Deus Saulem in regem ungi voluerit, quem præsciebat multa impie facturum? Ad quam quæstionem sic respondet Drexelius : Idem quæram et ego : Cur Deus Angelos creavit in gratia, quos scivit æternum torquendos in gehenna? Cur Adamum in amœnissimo horto collocavit, quo eum brevi sciverat exturbandum? Cur Chritus Judam Iscariotem in Apostolum elegit, quem præscivit fore proditorem? Cur Apostolos suos in civitatem Samaritanorum misit, quos prævidit non recipiendos? Quid hoc lusus est? Et tamen ejus generis infinita sunt. Hieronymus ad rem respondens : Vis, inquit, scire rationem? Deus præsentia judicat, non futura ; nec condemnat ex præscientia, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat; sed tantæ bonitatis est, et ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, et scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis et pœnitentiæ. Idem, c. IX, § 2.

Ejusdem divinæ providentiæ est, et facere bona, et permittere mala. Certe Deus nil umquam mali permitteret, nisi adeo potens et bonus esset, ut e quovis etiam malo bonum eliceret. Dic, obsecro, quæ umquam majora in orbe mala fuerunt, quam facinus Adami, et occisio Christi? Et tamen noxa primigenia, Deum in humana membra e cœlo detraxit. Mors Christi cœlum nobis, et bona omnia restituit. Is artifex est Deus, ut e malis omnibus, velut e nummis plumbeis eliquare possit probatissimum aurum : Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Magdalenæ vitiositas multos correxit ; lapsus Petri quam plurimos erexit ; dubitatio Thomæ innumeros confirmavit. Deo istud laudi est : « Metis, ubi non seminasti. » Cum enim peccata non seminet, ex eis tamen colligit messem complurium bonorum. Vere Deus mel de petra, oleumque de saxo durissimo sugit, cum e grandibus malis bona non minora elicit. Ibid. § 5.

Objicias hic forsan, inquit Drexelius, si velit Deus parentes meos mori, qua ratione possim ego parentum meorum obitum velle? Quod si Deus me aut illos damnari velit, an hoc ipsum velim et ego? Mi bone homo, patrem tuum, matremque vult Deus mori, non eo solum, quo illis eripiatur usura vitæ, sed ut satisfiat debito justitiæ, vel, ut servetur ordo naturæ, quod et te velle convenientissimum est. Ita prorsus si damnari te velit Deus, non hoc ideo vult, ut tibi malum inferat, sed ut malum puniat, et justitiam defendat, qua ratione par est, et te velle, puniri noxas, etiam in teipso. Ibid. c. XI, § 5.

FINIS TOMI PRIMI.

CATALOGUS

SCRIPTORUM ASCETICORUM PRÆCIPUORUM.

Non est animus, ut alibi jam monui, plerosque hic asceticos Scriptores enumerare (hoc enim immensi foret laboris, cum in in nulla fere materia tot Scriptores extiterint, et pro suo quisque zelo prodesse aliis statuerint) sed eos duntaxat, qui vel propter utilitatem materiæ passim manibus teruntur, vel propter aliam quamcumque causam notiores existunt, quales fere sunt sequentes juxta ordinem alphabeticum cognominis iterum proponendi.

A

Alvarez de Paz (Jacobus) S. J. natione Hispanus, vir omni virtute ornatissimus, cujus lucubrationibus luculentum accessit divinitus pondus commendationis, quod visus sit inter scribendum cœlesti fulgore circumfundi, et ab adstante quopiam, viri gravis specie, quæ scribebat, in aurem excipere. Biblioth. Societ.

Arias (Franciscus) S. J. natione Hispanus, vir tum varia eruditione, tum vitæ integritate admirandus, et inter viros non hujus solum ætatis, sed venerandæ etiam antiquitatis, opinione sanctitatis, qua floruit, numerandus. Scripsit materna lingua, singulari ingenio, eximia religione ac prudentia, tomos tres grandes, in quibus utilissima præcepta de Christi imitatione et aliis materiis tradit.

B

De Barry (Paulus) natione Gallus, Soc. Jesu, vir admodum pius, uti contestantur ejus lucubrationes plurimæ, et observantiæ religiosæ peramans. Scripsit plura opuscula valde utilia. Bibl. Soc.

Bartolus (Daniel) natione Italus, S. J. post conciones magna nominis celebritate duodecim annis in præcipuis Italiæ urbibus habitas, libris scribendis applicatus, plures quidem historicos, non paucos tamen etiam asceticos, eosque per quam utiles libros conscripsit. Bibl. Soc.

Bellarminus (Robertus) S. R. E. Card. natione Italus, dictus est vitæ cœlestis ac perfectæ magister et dux, qui intra limites ævi sui neminem habuerit majorem se; validus Ecclesiæ Dei colossus, piissimus fidei athleta, et hæreticorum hostis acerrimus, novus Antoninus in sublevandis pauperibus, in vitæ perfectione Basilius, in confutandis Hæreticis Irenæus a divina providentia destinatus; numquam satis laudatus nostro sæculo, posterioribus semper laudandus; tutor, præses, consiliarius, senator Christianæ Reipublicæ magnus; magnum Ecclesiæ columen, lucerna lucens in caliginoso loco, tenebrasque omnes discutiens, rerum divinarum consultissimus; amplissimi Ordinis, suique sæculi ornamentum; hæresum debellator; novus Alcides aquilonis; eximium pietatis christianæ, et eruditionis omnimodæ nostri ævi sidus; Romanæ sacræ Purpuræ decus immortale; in medio Ecclesiæ a Deo positus, tanquam lucerna lucens et ardens; sacræ militiæ princeps, ingens gloria temporum suorum, et sexcenta in hanc sententiam elogia meritus, quæ brevitati condono. Scripsit præter alios pluri-

mos libros, *de Ascensione mentis in Deum*, *de æterna Felicitate Sanctorum*, *de Gemitu columbæ*, *de Septem Verbis Domini*, *de Arte bene moriendi*

Bellovacensis (Vincentius) ex ordine Prædicatorum, vixit tempore Innocentii IV, Pontificis. Scripsit opera laboriosissima, ac præsertim *Specula quatuor: Doctrinale*, *Historiale*, *Naturale et Morale*.

Bernardinus (Theophilus) natione Gallus, S. J. vir rerum spiritualium scientissimus, ad quas novem annis nostros instruxit, seorsim etiam sexennio Patres in tertia probatione. Scripsit præter alia utilissimum tractatum *de Religiosæ perseverantiæ Præsidiis*.

Le Blanc (Thomas) natione Gallus, S. J. vir ex omni parte perfectus, et cum scientia ita virtutem conjunxit, ut difficile dictu sit, utra magis excelluit. Scripsit præter alia multa *Idæam perfectam Religiosorum*, *et aliarum multarum personarum*. Bibl. Soc.

S. **Borgia** (Franciscus) natione Hispanus, S. J. sæculi sui decus et specimen sanctitatis. Scripsit hispanice ante, quam sæculo nuntium remitteret, opuscula quædam valde utilia ad formandos mores, et profectum spiritualem pertinentia, quæ prodierunt octo tractatibus. Bibl. Soc.

Bracharensis (Martinus) ab Episcopatu sic nominatus Damiensis Monasterii Abbas, vixit circa annum Domini 572. Scripsit *de virtutum Cardinalium differentia*. Bellarm.

C

Canisius (Petrus) natione Belga, S. J. cum nata nondum esset Societas, femina quadam opinione sanctitatis vulgo nota matrem ejus admonuit, ut magna Petrum cura educaret, quod brevi Religio quædam Clericorum instituenda foret, quæ eximias Dei Ecclesiæ utilitates esset allatura, in quam Religionem filius ejus adscriptus, vir apprime insignis haberetur. Vaticinium seu præsensionem feminæ rei approbavit eventus. Scripsit postulante Ferdinando Romanorum Rege *Summam Doctrinæ Christianæ*, brevem quidem illam, sed præclarissimam, et quæ copiosæ bibliothecæ instar sit. Prodiit primum S. P. N. Ignatio probata, et Ferdinandi Regis munita diplomate, tacito alioqui auctoris nomine, anno salutis 1554. Primus omnium Societatis partus, post S. Patriarchæ nostri *Exercitia spiritualia*, sæpius deinde variis locis, et linguis recussa, demum recensita ab auctore, et multis locis aucta.

Caraffa (Vincentius) natione Italus, S. J. septimus Societatis Generalis, vir insigni sanctitate præditus, et scientia ascetica clarissimus. Scripsit saluberrima et pissima opuscula, præcipue *Seraphinum*, seu *Scholam divini amoris*, et *Itinerarium ad alteram vitam*. Bibl. Soc.

Carthusianus (Dionysius) ab Ordine suscepto sic dictus; alioqui enim Dionysius a Lievvis vocabatur, natione Belga, vir fuit, teste Bellarmino, sanctissimus et doctissimus, vixit in Ordine 48 annis. Scripsit libellum *de Quatuor Novissimis*; ubi tamen Bellarminus caute legendum esse monet, circa statum animarum in Purgatorio.

Cassianus (Joannes) natione Scytha, ex Theodosia, Tauricæ Chersonensi urbe, oriundus, sed patria Atheniensis, in Bethlemitico Cœnobio a pueritia educatus, Ægyptum cum Germano populari suo peragravit, et Monasteria, sanctosque Patres frequens invisit. Constantinopolim profectus, a S. Joanne Chrysostomo illius Ecclesiæ Diaconus creatus est, et ab eodem ad Innocentium I, Papam, legatus missus cum Germano Presbytero, anno 403, vel sequenti. Aliquot post annis ab eodem Pontifice factus Presbyter, capta ab Alarico Romana Urbe, Massiliam, anno circiter 410, venit. Scripsit egregios libros *de Institutis Cœnobiorum*, et *de Octo principalium vitiorum Remediis*. Bellarm. Collationes Patrum.

S. **Climacus** (Joannes) monachus religiosissimus. Scripsit librum *Triginta graduum, quibus ascenditur ad Perfectionem*. Unde *Climaci* nomen sortitus est. Bellarm.

Crombecius (Joannes) natione Belga, S. J. asceta insignis. Scripsit perutiles duos libros *de Perfectionis Studio*. Bibl. Soc.

D

Diadochus, Episcopus Phorices. Scripsit insignem librum *de Perfectione*, centum capita continentem, quem Franciscus Turrianus, S. J. Theologus, interpretatus est. Phil. Labbe.

Dorotheus, Archimandrita. Scripsit *Sermones virginti quatuor*, valde solidos et utiles, quos P. Balthasar Cordier, S. J. Theologus latinitate donavit, brevibusque notis illustravit. Ibid.

D' Outreman (Philippus) natione Gallus, S. J. divini honoris et salutis alienæ perquam studiosus. Scripsit utilissimum librum duos tomos complectentem, quem *Pædagogum Christianum* appellavit. B. S.

F

Fatius (Julius) natione Italus, S. J. vir æque prudentiæ ac magnæ sanctitatis laude conspicuus. Scripsit perutilem libellum *de Mortificatione Passionum animique Affectuum.* Bibl. Soc.

G

Gaudier (Antonius) natione Gallus, S. J. rerum spiritualium peritissimus. Scripsit egregium opus *de Natura et Statibus perfectionis.* Bibl. Soc.

Gerson (Joannes) a vico natali sic dictus, alioqui *Charlierius* vero cognomine appellatus, S. Theologiæ Doctor Parisiensis, S. Joannis *in Gravia* Parochus, et Ecclesiæ Cathedralis atque Universitatis Cancellarius. Scripsit plurima pia opuscula fuse a P. Philippo Labbe in tract. *de Script. Eccles.* relata, inter quæ tamen libellum *de Imitatione Christi* falso numerari ipse cum Bellarmino notat.

H

Hautinus (Jacobus) natione Belga, S. J. vir indole ad virtutem facta, et erga proximos eximia charitate. Scripsit præter alios insignem Tractatum, quem *Patrocinium Defunctorum* vocat. Bibl. Soc.

Hayneuf (Julianus) natione Gallus, S. J. vir religiosus, et morum suavitate amabilis, et inter sanctissimos sui ævi merito numerandus. Scripsit præter alias veritates practicas ex vita Christi, Sanctorumque gestis in singulos anni dies quatuor tomis comprehensas. Bibl. Soc,

Hugo de S. Victore, natione Saxo, Ordinis S. Augustini Canonicus in Cœnobio S. Victoris ad muros Parisienses, ab antiquis quibusdam Chronographis dictus *Didascalus*, ob septem libros ab eo *Didascali* seu *Didascalici* titulo insignitos, ab aliis *Lingua Augustini*, vel *alter Augustinus*, quop summus illius æmulator esset, cognominari solitus. Scripsit plures libros utiles; cui hoc Epitaphium adscriptum:

> Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo.
> Quam brevis eximium continet urna virum!
> Dogmate præcipuus, nullique secundus in orbe.
> Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

Hubertus, Dominicanus, natus in oppido Romonensi, seu Romansensi diœcesis Viennensis, Hugonis a S. Caro, postea Cardinalis ἁπλῶς nuncupati, discipulus, atque Ordinis Prædicatorum quintus Prior Generalis, ab anno 1254 ad 1263. Obiit Lugduni, anno 1276. Scripsit *Institutionum spiritualium* libros sex, universa, quæ ad absolutam Religionis formam spectant exactissime comprehendentes, quod etiam *Speculum Religiosorum* inscribitur. Phil. Labbe.

I

Idiota, plerisque hactenus ignotus, eo quod nomen proprium ex humilitate suppresserit, hoc demum sæculo emicuit a R. P. Theophilo Raynaudo eductus clarissimam in lucem. Is est Raynaudus Jordanus, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini, primum Uticensis sive Uzeciensis in Narbonensi Gallia Præpositus, anno 1381; deinde Cellensis ad Carum fluvium in Biturigibus Cubia Abbas, quæ nunc Abbatia Patribus Fuliensis Congregationis Ord. S. Bernardi attributa est. Scripsit præter alios complures libros *Tractationem plenam de B. Virgine*, quæ sæpius citatur. Phil. Labbe.

Isidorus, Præsbyter Ægyptius sanctissimus, et magnæ in Ecclesia Christi gloriæ, vulgo *Pelusiota* dictus, quod juxta urbem Ægypti Pelusiam, quibusdam modo Belbeis, vel Damiata appellatam, monasticam vitam exercuerit (sunt et qui Abbatem vocent Pelusiaci montis in Ægypto) fuisse S. Joannis Chrysostomi discipulum, et floruisse sub Arcadio ejusque filio Theodosio minore constat; de quo Nicephorus testatur, scriptas fuisse ab eo decem Epistolarum chiliadas omnis generis divinæ simul et humanæ gratiæ refertarum, in quibus omnem Scripturam Sacram clarissime exponit, omnesque omnium Ordinum mores instruit. Phil. Labbe.

K

De Kempis (Thomas) a patria Kempiensi, sive a Campis modico in Diœcesi Coloniensi oppido ad Rhenum, cognomento *Hemerchin*, hoc est, malleolus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Congregationis Windemensis religiosus in monte Divæ Martyris et Virginis Agnetis prope Znollas, Diœcesi Ultrajectensi, vita et conversatione devotus et Beatæ semper Virginis Mariæ amator præcipuus; hic obiit ætatis anno 91, Christi Domini 1471, die 8 Kal. Augusti, de quo tam multa in utramque partem, occasione librorum quatuor *de Imitatione Christi*, hisce proximis annis scripta sunt, ut non necesse sit diutius in ejus pangendo elogio immorari. Phil. Labbe.

L

Lancizius (Nicolaus) natione Lithuanus, S. J. vir sapientia et virtute clarissimus. Scripsit opuscula spiritualia valde erudita duobus tomis *in folio* comprehensa. Bibl. Soc.

Lessius (Leonardus) natione Belga, S. J. de quo cunctorum una vox erat, humili, suavi, seria, pia Lessii conversatione sese velut ei quadam magnetica attractos, lætiores, doctiores, ad virtutem promptiores effectos esse. Scripsit varios, solidissimosque libros asceticos præcipue *de Perfectionibus divinis*, *Summo bono*, etc.

M

Munfordus (Jacobus) natione Anglus, S. J. vir cum Deo per orationem valde conjunctus, divini honoris valde appetens, salutisque animarum. Singularem erga animas in piacularibus flammis detentas pietatem exercuit, quibus, quidquid operis boni agebat, partem satisfactoriam applicabat. Quod ut aliis etiam persuaderet, egregium et solidum de misericordia illis præstanda tractatum scripsit. Bibl. Soc.

N

Nierembergius (Joannes-Eusebius) natione Hispanus, S. J. vir omni scientiarum genere, et sanctitate eximia conspicuus; tot tamque eruditos et solidos conscripsit libros, ut aliqui senserint, infusas illi fuisse divinitus scientias. Specialem vero commendationem meretur liber *de Adoratione in spiritu et veritate*, et *Vita divina*. Bibl. Soc.

Nigronius (Julius) natione Italus, S. J. vir non solum doctus et sapiens, sed etiam pius valde et religiosus. Scripsit perutiles septemdecim Tractatus Asceticos. Bibl. Soc.

P

Platus (Hieronymus) natione Italus, S. J. vir celeberrimæ virtutis et sanctimoniæ fama clarus. Scripsit egregium tomum *de Bono status Religiosi*. Bibl. Soc.

Pinellus (Lucas) natione Italus, S. J. vir doctus, et bonus Asceta. Scripsit multos perutiles septemdecim Tractatus Asceticos. Bibl. Soc.

De Ponte (Ludovicus) natione Hispanus, S. J. conspectus aliquando cum peculiari Doctoris laureola ac prærogativa, propter ea quod inspirante Deo, salutarem Ecclesiæ doctrinam, in suis lucubrationibus propinasset. Bibl. Soc.

Poiræus (Franciscus) natione Burgundo Sequanus, vir cum cæteris virtutibus, tum impense pio in Deiparam studio laudabilis, de qua etiam *Triplicem Coronam, ex humanis divinisque sententiis contextam*, scripsit. Bibl. Soc.

Pennequin (Petrus) natione Belga, S. J vir insigni præditus prudentia, et rerum spiritualium usu. Scripsit egregiam *Isagogem ad amorem Dei*. Bibl. Soc.

R

Rodriguez (Alphonsus) natione Hispanus. S. J. ultra 30 annos tirones cum summa laude instruxit, heroicis virtutibus insignis, quippe in seipso expressit, quidquid sanctitatis impressit in libris, præcipue in *Exercitio de Perfectione et virtutibus Christianis*. Bibl. Soc.

Raynaudus (Theophilus) natione Gallus S. J. vir eruditissimus et sanctissimus. Scripsit libros quamplurimos Asceticos, eruditionis et scientiæ spiritualis laude referto. Bibl. Soc.

ROTH (Hugo) natione Germanus, S. J. homo singulari prudentia, et mirifice solidarum virtutum spiritu SS. PP. repletus. Scripsit *Viam regiam Virtutis, omnium Religiosorum Institutis accommodatam.* Bibl. Soc.

RUSBROCHIUS (Joannes) a pago cognomine Rusboeck ad Sennam fluvium inter Bruxellam et Hallas, in Belgio, sic appellatus, ex Vicario et Presbytero Ecclesiæ S. Gudulæ in urbe Bruxellensi primus Prior sub Francone Præposito cœnobii Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini, in viridi valle, sita in silva Soria, ad secundum ab eadem urbe lapidem, dictus Doctor divinus et excellentissimus contemplator, obiit 1581, ætatis 88, die 2 Decembris. Scripsit utilissima opuscula, maxime *de septem Custodiis Scholæ spiritualis.*

S

SALIANUS (Jacobus) natione Gallus, S. J. vir vitæ integritate et indefesso labore conspicuus. Scripsit opuscula utilissima *de Amore et Timore Dei.* Item *de Arte placendi Deo.* Bibl. Soc.

SAINT-JURE (Joannes-Baptista) natione Gallus, S. J. vir inter summos Societatis viros merito reponendus. Scripsit præter alios insignem tractatum *de Cognitione et Amore Jesu Christi.* Bibl. Soc.

SCRIBANUS (Carolus), natione Belga, S. J. ob res gestas scriptasque summis intimisque in pretio fuit. Scripsit plurimos libros valde eruditos et utiles. Bibl. Soc.

SARASSA (Alphonsus-Antonius) natione Belga, S. J. in quo mirabantur omnes conjunctam cum summa claritate soliditatem doctrinæ. Scripsit *Artem semper gaudendi*, egregium plane et utilissimum opusculum. Bibl. Soc.

SUFFREN (Joannes), natione Gallus, vir ob eximia naturæ et gratiæ dona æterna memoria dignus, et externis juxta ac domesticis charissimus. Edidit præter alia *Annum Christianum*, opus omnibus longe utilissimum, quo docentur, singulas per annum actiones recte instituere. Bibl. Soc.

SUQUET (Antonius) natione Belga, S. J. vir omnino magnus, et conjunctione cum Deo suo maximus, quem unum pectore, ore, calamo suo circumferebat. Scripsit *Viam Vitæ æternæ*, tribus libris comprehensam, quorum primus *Viam incipientium*, alter *proficientium*, tertius *perfectorum* docet. Bibl. Soc.

T

TAULERUS (Joannes) natione Germanus, Ord. S. Dominici, concionator insignis, et piissimus, quem adversus criminationes Eckii defenderunt Laurentius Surius, Ludovicus Blosius, et alii. Floruit circa annum 1350. Scripsit præter alia multa sermones *de Perfectione vitæ interioris*, *de Virtutibus*, et *de novem Gradibus Perfectionis.* Bellarm. et Phil. Labbe *de script.*

TRINCKELIUS (Zacharias-Ignatius) natione Ungarus, S. J. vir ingenio perspicace, prudentia singulari, concilio prompto, et in negotiis tractandis imperterrito, asceta præterea insignis. Scripsit de hac materia librum, quem *Major Dei gloria, finis unicus Societati præpositus*, inscripsit. Bibl. Soc.

INDEX

PRÆCIPUORUM TITULORUM

TOMI PRIMI

NUMERI PAGINAM INDICANT

Typ. et Lith. A. CLAVEL, 32, rue Paradis-Poissonnière, Paris.